



**D. ALBERTI MAGNI,**

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

**ENARRATIONES**

IN PRIMAM PARTEM EVANG. LUCÆ (I-IX).





**B. ALBERTI MAGNI,**  
RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,  
**OPERA OMNIA,**

EX EDITIONE LUGDUNENSI RELIGIOSE CASTIGATA, ET PRO AUCTORITATIBUS  
AD FIDEM VULGATÆ VERSIONIS ACCURATIORUMQUE  
PATROLOGIÆ TEXTUUM REVOCATA, AUCTAQUE B. ALBERTI VITA AC BIBLIOGRAPHIA SUORUM  
OPERUM A PP. QUÉTIF ET ECHARD EXARATIS, ETIAM REVISA ET LOCUPLETATA

CURA AC LABORE

**STEPH. CÆS. AUG. BORGNET,**

*Sacerdotis diœcesis Remensis.*

ANNUENTE FAVENTEQUE PONT. MAX. LEONE XIII.

---

VOLUMEN VICESIMUM SECUNDUM

**ENARRATIONES IN PRIMAM PARTEM EVANG. LUCÆ (I-IX).**



**PARISIIS**

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM,  
13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

—  
MDCCCXCIV



D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI,

ORDINIS PRÆDICATORUM,

IN SACROSANCTA EVANGELIA

LUCULENTA EXPOSITIO.

---

---

PROŒMIUM

**BEATI LUCÆ**

IN EVANGELIUM SUUM.

---

1. Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem quæ in nobis completæ sunt rerum,
2. Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis :
3. Visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile.
4. Ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

Toti huic operi Lucas præmittit proœmium, in quo facit quinque quæ facienda sunt in principio cujuslibet operis : necessitatem ad scribendum cogentem, et inducentem materiam de qua scribendum est : perfectionem auctoris : formam quam tenet in scribendo, et finem. Omnis enim sapiens scriptor præstituit finem, quem contingere vult scribendo : quem cum contingit, perfectum est scriptum. Necessitas autem cogens, est multitudo Pseudo-Evangelistarum conatu propriæ præsumptionis scribentium frivola spiritu proprio et non veritatem Spiritus sancti. Materia de qua scribendum est, res sunt sacramentis plenæ, quæ per Christum completæ sunt in nobis. Scriptor perfectissimus est Lucas, assecutus omnia per eos *qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis*. Sicut enim perfectus medicus non est, vel medicinæ scriptor, qui medicinæ artem non est assecutus a præceptoribus medicinæ : neque perfectus Grammaticus, nisi grammaticam sit assecutus a præceptoribus grammaticæ : et sic de Geometricis, et Dialecticis, et omnibus aliis. Ita perfectus scriptor Evangelii non est, nisi qui a præceptoribus Theologis assecutus est scientiam Evangelicorum Sacramentorum. Modus sive scribendi forma historiam Evangelicam est, ut ex ordine et diligenter Sacramenta cum suis circumstantiis et adjunctis scribantur. Finis vero intentus et utilitas est, ut Theophilus, et in ipso Deum amantes cognoscant Apostolicæ et Evangelicæ fidei (de qua instructi sunt cum fidem susceperunt) liquidam et perspicuam veritatem.

Dicit ergo :

« Quoniam quidem, »

Hoc est, certe, « *multi*, » qui unitatem Catholicam non servaverunt, de qua Paulus, ad Roman. XII, 5 : *Multi unum corpus sumus in Christo*. Cantic. VII, 8 : *Una est columba mea*. A qua

unitate in multitudinem et in multas sectas se diviserunt multi hæretici. Judicum, xv, 4 et 5, Vulpes Samsonis capita divisa habent, caudis colligatis, hoc est, intentione veritatis impugnandæ. Eccle. 1, 15 : *Stultorum infinitus est numerus*. De quibus dicit Apostolus, ad Coloss. II, 18 et 19 : *Nemo vos seducat, volens in humilitate, et religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, et non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei*.

Isti autem in divisa multitudine existentes,

« Conati sunt, »

Propriis viribus et conatibus innitentes : cum tamen dicat Apostolus, II ad Corinth. III, 5 : *Non quod sufficientes simus cogitare*, etc. Eccle. XLIII, 29 : *Multa dicemus, et deficiemus in verbis : consummatio autem sermonum ipse est in omnibus*. I ad Corinth. XV, 10 : *Gratia Dei sum id quod sum*. Isti e contra de suis præsumentes viribus conantur. Isa. XVI, 6 : *Superbia ejus, et arrogantia ejus, et indignatio ejus plus quam fortitudo ejus*.

Et quia superbi sunt et inflati sensu suo, non ædificati spiritu divino, ideo non veritati studentes conati sunt

« Ordinare, »

Hoc est, limpida oratione dicere « *narrationem*, » falsam et pulchram, non veram et simplicem. Contra quod dicitur, II ad Corinth. II, 1 : *Veni ad vos non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ*, etc.

« Quæ in nobis completæ sunt rerum. »

Ecce secundum quod est materia tam pseudo quam verorum Evangelistarum.

Et est sensus : Conati sunt ordinare narrationem earum, quæ in nobis, non a nobis, « *completæ sunt,* » hoc est, perfectæ sunt. Alia littera : « Redundarunt, » quod notat plenitudinem exuberantem.

« Rerum »

Sacramentalium Christi. *Res* autem hic dicitur, non a *reor, reris*, quod est *opinor, aris* : quia sic et phantasie hæreticorum res essent. Sed dicitur *res* hic, ens ratum et fixum, sicut sunt omnia dicta et facta Christi. Matth. xxiv, 35 : *Cælum et terra transibunt,* etc. Psal. ci, 27 et 28 : *Velut amictum mutabis eos, et mutabuntur : tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* <sup>1</sup>.

Dicit autem : « *In nobis,* » hoc est, inter nos. Vel, « *in nobis,* » hoc est, ad salutem nostram : non a nobis. Isa. xxvi, 12 : *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine.* Joan. xv, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* Joan. i, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt,* etc.

Vel, « *Redundarunt.* » Est enim triplex plenitudo, sufficientiæ, exuberantiæ, et redundantæ. Plenitudo sufficientiæ sufficit ad salutem. Plenitudo exuberantiæ exuberat et effluit in quosdam. Redundantiæ autem exuberando diffundit, et replet omnes. De prima, Act. vi, 8 : *Stephanus plenus gratia et fortitudine.* De secunda, Job, xxxii, 18 : *Plenus sum sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei.* Et, idem, x, 19 : *Coarctat me spiritus uteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo.* Et, Psalmo lxxxix, 14 : *Repleti sumus mane misericordia tua,* etc. De tertia, Act. ii, 4 : *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto,* etc. Per loquelam enim redundabat Spiritus in omnes.

Dicit autem : « *Completæ sunt,* » quia Deus de facturâ sua nihil relinquit imperfectum. Aut enim perfectam rem

facit, aut rei a se factæ virtutem unde se perficiat indidit. Sicut lunam novam in initio noctis fecit, sed tamen motum in circulo suo unde procederet ad oppositionem solis, et sic perficeretur in lumine indidit : sic dicit Augustinus. Deuter. xxxii, 3 et 4 : *Date magnificentiam Deo nostro. Dei perfecta sunt opera.*

« *Rerum.* » Ut ens ratum dicat : quia quamvis verbum nostrum sit transitorium, et sicut dicit Horatius :

Semel emissum volat irrevocabile verbum :

et sicut dicit Philosophus : « Quod dictum est semel, amplius resumere non potest. » Tamen verbum Dei, ut dicit Glossa, substantivum est : et non transit, sed permanet. Ad Hebr. i, 3 : *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Psal. lxxviii, 89 : *In æternum, Domine, verbum tuum permanet.*

« Sicut tradiderunt. »

Ecce tertium. Et incipe constructionem, ibi, « *Visum est.* » Sic : Ita quidam fecerunt Pseudoevangelistæ. Et quoniam ita est, « *Visum est et mihi,* » inter alios Evangelistas, qui ante me scripserunt. Mihi, dico, « *assecuto,* » per studium et memoriam « *omnia* » facta, verba et sacramenta, « *a principio* » incarnationis, et ascensionis Domini Jesu. Assecuto, dico, « *sicut tradiderunt nobis* » discipuli fidei traditione, illi « *qui ab initio* » incarnationis « *viderunt.* » Nam,

Segnius irritant animum demissa per aurem, Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus <sup>2</sup>.

« *Et* » non tantum viderunt, sed per fidem plenam, « *ministri,* » per obsequium et opus, « *fuere sermonis,* » hoc est, rerum, de quibus est sermo. Ecce perfectio Auctoris, qui merito facilitatem

<sup>1</sup> Cf. ad Hebr. i, 12.

<sup>2</sup> HORATIUS, Ars poetic.

scribendi accepit. Sic ergo credamus sicut tradiderunt nobis. I ad Corinth. xi, 23 : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis.* Neque tamen Lucas et Marcus tantum didicerunt ab aliis, sed et Matthæus et Joannes : quia quæcumque de ortu, et nativitate, et infantia Salvatoris scripserunt : hæc et ab aliis didicerunt : et præcipue a beata Virgine et Joseph, et Magis, et Pastoribus. Sic enim discere præceptum est Prophetæ, Isa. viii, 16 : *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.* Eccli. li, 31 : *Appropiate ad me, indocti,* etc. Deuter. xxxiii, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.*

« Qui ab initio ipsi. »

Act. i, 21 : *Oportet ex his viris qui nobiscum sunt congregati,* etc.

« *Viderunt,* » non tam corpore quam mentis fide. Luc. x, 23 : *Beati oculi qui vident,* etc. Matth. v, 8 : *Beati mundo corde,* etc. Job, xlii, 5 : *Auditu auris audivi te, nunc,* etc.

Sed quia non sufficit videre, nisi addatur opus, ideo subjungit :

« Et ministri fuerunt sermonis, »

Scilicet operatores. Jacob. i, 22 : *Estotefactores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos.* Ibidem, x. 25 : *Qui permanserit in lege, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Sic enim cæpit Jesus facere, et docere<sup>1</sup>. Unde Augustinus dicit, quod medico dicenti herbas esse venenosas quas comedit, et salubres quas nullo modo gustat, nemo credit. In omnibus enim scientiis suadentibus virtutes et opera,

<sup>1</sup> Act. i, 1.

<sup>2</sup> Numer. xxiv, 16.

<sup>3</sup> Isa. i, 1.

magis respicitur in Doctore exemplum quam verbum. Unde Philosophus in *Moralibus* : « Sunt quidam ad rationem confugientes, qui quærunt philosophari et esse boni : aliquid simile facientes ægris, qui quidem medicos audiunt studiose, faciunt autem operandorum nihil. Et quemadmodum isti numquam bene habebunt corpore sic excruciiati, ita nec illi mente bene habebunt sic philosophantes. » Propter quod, Levit. i, 15, præcepit Deus os turturis retorqueri ad ascellam in sacrificio : ut ori conjungatur actio, quæ per ascellam designatur : et visioni scientiæ ministerium conjunctum sit actionis. Isa. xlii, 20 : *Qui vides multa, nonne custodies ?* Sed de nostri temporis doctoribus possumus dicere : *Qui cadens apertos habet oculos*<sup>2</sup>.

« Visum est, »

Inter alios : non visione videntis tantum (sicut multi vident visiones capitis sui) sed visione rei : quia res ipsa hoc exigit. Sicut fuit *visio Isaiaë filii Amos, quam vidit super Judam et Jerusalem*<sup>3</sup>.

« *Et mihi,* » inter alios, sive præ aliis frivola doctentibus, et de sapientia sæculari præsumptibus. Sicut filii Agar, qui exquisierunt sapientiam, quæ de terra est<sup>4</sup>. Abdiæ, x. 8 : *Perdam sapientes de Idumæa, et prudentiam de monte Esau.*

« Assecuto. »

Quia discipuli est sequi, donec assequatur doctrinam magistri. Ad Philip. iii, 12 : *Sequor autem, si quomodo comprehendam in quo et comprehensus sum.*

« *A principio,* » initii sermonis. Ad Hebr. ii, 3 : *Quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis,* etc.

<sup>4</sup> Baruch, iii, 23 : *Filii quoque Agar, qui exquirunt sapientiam quæ de terra est,* etc.

« Omnia. »

Distributio est pro generibus singulorum, non pro singulis generum, quæ vocatur accommodata distributio, pro his quæ pertinent ad salutem. Per singula enim nemo umquam intellexit omnia, quæ vera et facta sunt de Verbo incarnato. Joan. xxi, 25 : *Nec ipsum arbitror mundum capere*, etc. Eccle. xii, 12 : *Faciendi libros plures nullus est finis*.

Consequenter tangit modum in scribendo :

« Scribere diligenter ex ordine. »

Scribere autem est propter memoriam rei gestæ. « *Diligenter*, » ut nihil negligatur necessariorum, quamvis forte non omnia scripserit quæ assecutus est : quia non oportet omnia omnibus revelari. II ad Corinth. xii, 4 : *Audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*.

« *Ex ordine* » autem, ne historia sacramentorum Jesu confundatur. Scribere enim expedit, sicut dicitur, Isa. viii, 1 : *Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis*, hoc est, ad intellectum humanum rationabilem. Habacuc, ii, 2 : *Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat facile qui legerit eum*.

« *Diligenter*, » ut nihil necessariorum omittatur. Matth. v, 18 : *Iota unum, aut unus apex non præterebit a lege*. Et, « *ex ordine*. » I ad Corinth. xiv, 40 : *Omnia honeste et secundum ordinem fiant*, scilicet in vobis. Deuter. xxxii, 2 : *Fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina*. In stillis enim una post aliam cadit : et significat ordinem sacri eloquii. Job, xxix, 32 : « *Super illos stillabat eloquium meum*.

Deinde tangit finem :

« Tibi, optime Theophile, »

Qui es persona potens, per quem multi fidem Deo dante percipient, et qui es amans Deum, et figuram omnium Domini prætendis amantium. Eccle. xxxiii, 18 : *Respicite quoniam non mihi soli laboravi*, etc.

Et adjungit finem intentionis ad finem operis, dicens :

« Ut cognoscas, »

Per scripturæ hujus testimonia, « *eorum verborum*, » scilicet Dei, « *de quibus eruditus es*, » extra ruditatem gentilitatis et infidelitatis positus es, « *veritatem*. » Joan. viii, 31 et 32 : *Si vos manseritis in sermone meo*, etc., *et cognoscetis veritatem*, etc. III Esdræ, iii, 12 : *Super omnia vincit veritas*. « Veritas autem, ut dicit Philosophus, est adæquatio rerum ad intellectum. » Joan. xvii, 17 : *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est*. Veritati autem opponuntur vanitas, falsitas, et mendacium. De vanitate, Jerem. ii, 5 : *Ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt*. De falsitate, Job, xvi, 9 : *Suscitatur falsiloquus adversus faciem meam, contradicens mihi*. De mendacio, Sapient. i, 11 : *Os quod mentitur, occidit animam*. Et hæc tria competunt hæreticis, qui vani sunt in pulchritudine sermonis, falsi in re ipsa, et mendaces in seipsis. Fuerunt autem isti hæretici Basilides et Appelles : et alii quidam, sub nomine Thomæ et Mathiæ multa frivola de Salvatore scribentes. Unde etiam sub nomine Thomæ induxerunt, quod paradus terrestris sit in quodam monte adeo alto, quod usque ad lunarem globum attingit : quod nullo modo permittit natura. Et multa alia ad odium Scripturæ et veritatis induxerunt, prælibatis Apostolis sua mendacia imponentes.



# INCIPIIT EVANGELIUM

Secundum Lucam.

## CAPUT I.

*Zachariæ sacerdoti annuntiat Gabriel Joannis conceptum ex Elisabeth sterili; qui Angelo non credens, mutus efficitur : idemque Gabriel Mariæ annuntiat conceptum Jesu Filii Dei de Spiritu sancto : ad Mariæ salutationem Joannes exsultat in utero, et Elisabeth prophetat, ipsaque Maria canticum gratiarum actionis Domino decantat : in nati Joannis circumcissione Zacharias pater, recepta loquela, canticum gratiarum actionis edit.*

5. Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia<sup>1</sup> : et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeth.
6. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela :
7. Et non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, et ambo processissent in diebus suis.
8. Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum,
9. Secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini :
10. Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi<sup>2</sup>.
11. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi.
12. Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum.
13. Ait autem ad illum Angelus : Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem :
14. Et erit gaudium tibi et exultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt :
15. Erit enim magnus coram Domino, et vinum et siceram non bibet, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ :
16. Et multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum.

<sup>1</sup> I Paralip. xxiv, 10.

<sup>2</sup> Exod. xxx, 7 ; Levit. xvi, 17.

17. Et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam<sup>1</sup>.
18. Et dixit Zacharias ad Angelum : Unde hoc sciam ? ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis.
19. Et respondens Angelus dixit ei : Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum : et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare.
20. Et ecce eris tacens, et non poteris loqui, usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.
21. Et erat plebs exspectans Zachariam, et mirabantur quod tardaret ipse in templo.
22. Egressus autem non poterat loqui ad illos, et cognoverunt quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, et permansit mutus.
23. Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam.
24. Post hos autem dies concepit Elisabeth uxor ejus, et occultabat se mensibus quinque, dicens :
25. Quia sic fecit mihi Dominus, in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.
26. In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth,
27. Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria.
28. Et ingressus Angelus ad eam, dixit : Ave, gratia plena : Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus.
29. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio.
30. Et ait Angelus ei : Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum :
31. Ecce concipies in utero, et paries filium<sup>2</sup>, et vocabis nomen ejus Jesum<sup>3</sup>.
32. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David, patris ejus : et regnabit in domo Jacob in æternum<sup>4</sup>,
33. Et regni ejus non erit finis.
34. Dixit autem Maria ad Angelum : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ?
35. Et respondens Angelus dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nasce- tur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.
36. Et ecce Elisabeth, cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua : et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis :
37. Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.
38. Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus.
39. Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda :
40. Et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth.
41. Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus, et re-

<sup>1</sup> Malach. iv, 6 ; Matth. xi, 14.<sup>2</sup> Isa. vii, 14.<sup>3</sup> Infra, ii, 21.<sup>4</sup> Daniel. vii, 14 et 27 ; Mich. iv, 7.

- pleta est Spiritu sancto Elisabeth :
42. Et exclamavit voce magna, et dixit : Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.
43. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me ?
44. Et ait Maria :  
Magnificat anima mea Dominum :
45. Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.
46. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ :  
ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
47. Quia fecit mihi magna qui potens est,  
et sanctum nomen ejus.
48. Et misericordia ejus a progenie in progenies  
timentibus eum.
49. Fecit potentiam in brachio suo<sup>1</sup> :  
dispersit superbos mente cordis sui<sup>2</sup>.
50. Deposuit potentes de sede,  
et exaltavit humiles.
51. Esurientes implevit bonis<sup>3</sup>,  
et divites dimisit inanes.
52. Suscepit Israel, puerum suum,  
recordatus misericordiæ suæ :
53. Sicut locutus est ad patres nostros,  
Abraham et semini ejus in sæcula<sup>4</sup>.
54. Mansit autem Maria cum illa  
quasi mensibus tribus : et reversa est in domum suam.
55. Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, et peperit filium.
56. Et audierunt vicini et cognati ejus  
quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei.
57. Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam.
58. Et respondens mater ejus, dixit :  
Nequaquam, sed vocabitur Joannes.
59. Et dixerunt ad illam : Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine.
60. Innuebant autem patri ejus quem vellet vocari eum.
61. Et postulans pugillarem scripsit,  
dicens : Joannes est nomen ejus<sup>5</sup>. Et mirati sunt universi.
62. Apertum est autem illico os ejus,  
et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum.
63. Et factus est timor super omnes  
vicinos eorum : et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc :
64. Et posuerunt omnes qui audierant

<sup>1</sup> Isa. LI, 9.<sup>2</sup> Psal. xxxii, 10.<sup>3</sup> I Reg. II, 5 ; Psal. xxxiii, 11.<sup>4</sup> Genes. xvii, 9 et xxii, 16 ; Psal. cxxxii, 11 ;  
Isa. xli, 8.<sup>5</sup> Supra, v, 13.

- in corde suo, dicentes : Quis, 67. Et Zacharias, pater ejus, repletus  
putas, puer iste erit? Etenim est Spiritu sancto : et propheta-  
manus Domini erat cum illo. vit, dicens :
68. Benedictus Dominus Deus Israel <sup>1</sup>,  
quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ :
69. Et erexit cornu salutis nobis  
in domo David pueri sui <sup>2</sup> :
70. Sicut locutus est per os  
sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus <sup>3</sup> :
71. Salutem ex inimicis nostris,  
et de manu omnium qui oderunt nos :
72. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris,  
et memorari testamenti sui sancti :
73. Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum,  
datum se nobis <sup>4</sup>,
74. Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati,  
serviamus illi,
75. In sanctitate et justitia coram ipso  
omnibus diebus nostris.
76. Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis :  
præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus :
77. Ad dandam scientiam salutis plebi ejus <sup>5</sup>,  
in remissionem peccatorum eorum :
78. Per viscera misericordiæ Dei nostri,  
in quibus visitavit nos oriens ex alto <sup>6</sup> :
79. Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent,  
Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.
80. Puer autem crescebat, et conforta-  
batur spiritu : et erat in deser-  
tis usque in diem ostensionis  
suæ ad Israel.

filiabus Aaron, et nomen ejus Elisa-  
beth. »

## IN CAPUT I LUCÆ

## ENARRATIO.

« Fuit in diebus Herodis, regis Ju-  
dææ, sacerdos quidam nomine Zacha-  
rias, de vice Abia : et uxor illius de

Hic incipit explanatio historiæ. Mixtim  
autem exsequitur hic de nativitate Joan-  
nis, et de nativitate Christi.

Et quinque facit, quorum primum est  
de Joannis annuntiatione, secundum est  
de Christi annuntiatione, tertium est de  
Joannis præcursu quem fecit in utero  
matris, quartum est de Joannis nativita-  
te : et hæc quatuor in hoc primo capite

<sup>1</sup> Psal. lxxiii, 12.

<sup>2</sup> Psal. cxxxi, 17.

<sup>3</sup> Jerem. xxiii, 6 et xxx, 10.

<sup>4</sup> Genes. xxii, 16 ; Jerem. xxxi, 33 ; ad Hebr.  
vi, 13 et 17.

<sup>5</sup> Malach. iv, 5 ; Supra, v, 17.

<sup>6</sup> Zachar. iii, 8 et vi, 12 ; Malach. iv, 2.

continentur. Quintum est de Christi nativitate, et hoc in principio sequentis capituli continetur.

Ipsa autem Joannis annuntiatio dividitur in quinque particulas. Describuntur enim primo parentes, quibus fit annuntiatio. Secundo, locus et tempus et oportunitas annuntiationis. Tertio, seri- tim ponitur annuntiatio. Quarto, signum veritatis expetitur : et quinto, conceptio ipsa annuntiata, sicut prædicta est, perficitur.

Quales autem sint quibus fit annuntiatio describitur tripliciter : quales videlicet generis et honorum claritate, quales meriti et vitæ sanctitate, quales naturali ad generandum potestate.

Claritas autem generis et honorum dignitas primo describitur in patre, et deinde in matre.

Describit autem claritatem patris a temporis congruitate, ab honoris et officii dignitate, a nominis designatione, a sui ordinis et gradus sublimitate.

A temporis quidem congruitate, quia

« Fuit in diebus Herodis regis. »

Herodes iste fuit Ascalonita, alienigena a semine Judeorum (ut dicit Josephus) sub quo juxta prophetiam Jacob et Danielis Christus nasci debuit. Transeunte enim regno Judæorum ad alienigenam, incepit regnum Christi. Unde Jacob, Genes. XLIX, 10 : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux*, etc. Daniel. IX, 27, secundum aliam translationem : « Cum venerit Sanctus sanctorum, cessabit unctio vestra, et sacrificium <sup>1</sup>. » Herode enim alienigena regnante (sicut narrat Josephus) vendebatur sacerdotium a Romanis, et a regibus qui regnabant sub ipsis, sicut narrat historia Machabæorum : et ideo

<sup>1</sup> Vulgata habet, Daniel. IX, 24-27 : *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum... ut ungetur sanctus sanctorum... In medio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium, etc.*

translato regno, et jam de transferendo sacerdotio impleta prophetia, incipere debuit Christi regnum, et Christi sacerdotium : quia aliter populus Dei capite utroque caruisset. Et ideo, licet Augustus Cæsar major fuerit Herode, tamen non fit hic mentio Augusti Cæsaris, ut congruentia temporis ex impleta prophetia designetur.

Tres autem fuerunt hujus nominis per ordinem regnantes in Judæa, pariter sibi nomine et malitia succedentes : Herodes Ascalonita, Herodes Antipas, et Herodes Agrippa. Primus horum occidit pueros innocentes volens occidere Christum <sup>2</sup>. Secundus decollavit Joannem <sup>3</sup>. Tertius in passione Christum sprevit, et decollavit Jacobum majorem, et vinxit in carcere Petrum <sup>4</sup>. Unde versus :

Ascalonita necat pueros, Antipa Joannem,  
Agripa Jacobum, claudens in carcere Petrum.

Fuit ergo

« In diebus Herodis, »

Cum Herodes prosperitate lucis hujus mundi clarus regnaret, nihil de nocte et tenebris mortis curans : de quo, Jerem. XVII, 16 : *Diem hominis non desideravi*. Psal. LV, 4 : *Ab altitudine diei timebo*. Job, III, 3 : *Pereat dies in qua natus sum*. Unde et Herodes diem natalis sui celebrat <sup>5</sup>, Herodes qui secundum nomen suum *gaudens, pelliceus, et glorians in pellibus* interpretatur, hoc est, in exterioribus. Judith, I, 4 : *Gloriabatur quasi potens in potentia*, scilicet sua. Contra quod dicitur, Jerem. IX, 23 et 24 : *Non gloriatur dives in divitiis suis :... sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire et nosse me*. Diei enim istius lux temulenta est et

<sup>2</sup> Cf. Matth. II, 16 et seq.

<sup>3</sup> Cf. Matth. XIV, 10 et seq.

<sup>4</sup> Cf. Luc. XXIII, 8 et seq. ; Act. XII, 2 et 3.

<sup>5</sup> Cf. Matth. XIV, 6 et seq.

est siderum errantium, sicut dicitur in Canonica Judæ<sup>1</sup>.

« Regis. »

Verius dixisset tyranni, sed vulgariter loquitur : quia vulgus eos qui tyrannice regnant, etiam reges vocat : cum tamen secundum Aristotelem, et Boetium, et Tullium, et Dionysium, Rex sit, qui omnia statuit ad utilitatem populi : tyrannus qui ad utilitatem sui statuit, et populi nocumenta. Isa. xix, 4 : *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium*, etc. Osee, xiii, 11 : *Dabo tibi regem in furore meo*.

« Judææ, »

Ut sciat translatum esse regnum Judæorum. Et hoc permisit Deus propter peccata populi. Job, xxxiv, 30 : *Regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*.

Descripto tempore patris, describit claritatem ab officii dignitate, cum dicit :

« Sacerdos. »

Officii enim dignitatem dicit sacerdotium.

Singularitatem autem et specialitatem in illo notat cum dicit :

« Quidam, »

Ut de communi sacerdotum numero sit exceptus. Sacerdotium autem officium est summi ordinis, et per consequens etiam summæ dignitatis. Eccli. l, 1 : *Ecce sacerdos magnus*. Sapient. xviii, 24 : *In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum*, etc.

« Quidam, » non qui ignem concupiscentiæ obtulit, sicut duo filii Aaron<sup>2</sup> : sed qui ignem divinum in cordis thuri-

bulo exhibuit. Levit. vi, 12 : *Ignis in altari semper ardebit*.

« Zacharias nomine. »

Et hoc congrue, quia memor Domini sui semper fuit, et memor sponsionis quam accipiens sacerdotium emisit : et ideo dicitur Episcopo consecrato, quod memor sit sponsionis suæ, quam fecit in die, quando adeptus est dignitatem. Thren. iii, 20 : *Memoria memor ero*, etc. E contra est de malis, qui nec Dei, nec sponsionis suæ, nec officii sui umquam recordantur. I Reg. ii, 12 et 13 : *Filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum, neque officium sacerdotum*, etc. Jerem. ii, 5 : *Ambulaverunt post vanitatem*, etc. Jerem. ii, 26 : *Confusi sunt domus Israel, ipsi*, etc.

Sacerdos autem præcipue debet quatuor memorari, scilicet, throni ejus cui præsidet, ut in omni judicio meminerit cujus judicium exercet, et dicat : *De vultu tuo judicium meum prodeat*<sup>3</sup>. Judicii quo judicatus est Dominus, et judicandus est prælatus. Luc. xxii, 31 : *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet ?* Sapient. vi, 6 : *Judicium durissimum his qui præsumunt fiet*. Verbi judicis qui judicaturus est, qui dixit, Luc. xxii, 25 et 26 : *Reges gentium dominantur eorum, Vos autem non sic, etc., sed qui major est*, etc. Et dispensationis quam ipse princeps injunxit. Matth. xxiv, 45 : *Quis, putas, est fidelis servus, scilicet dispensator, et prudens*, etc. Primi debet meminisse, ut sit justus, et rectus, et æquus : secundi, ut sit in sublimitate timoratus : tertii, ut servet humilitatem : quarti, ut in commisso non deserat fidelitatem.

Sequitur :

« De vice Abia. »

Indeclinabile, tamquam diceret : « De

<sup>1</sup> Epist. Judæ, §. 13.

<sup>2</sup> Levit. x, 1 et seq.

<sup>3</sup> Psal. xvi, 2.

*vice Abiæ.* » Et in hoc describit patrem Joannis a sui ordinis, et gradus sublimitate. Hoc autem ut intelligatur, oportet revolvere historiam I Paralip. xxiv, 3 et seq., ubi legitur quod David volens ampliare cultum divinum, loco Eleazar et Ithamar constituit ut essent viginti quatuor summi sacerdotes. Sedecim sumpsit de filiis Eleazar, et octo de filiis Ithamar: et constituit ut unusquisque in vice suæ septimanæ ministraret. Prævidens autem quod una septimana in sacrificiorum ritu utilior esset quam alia, et sic æmulatio inter sacerdotes posset oriri de ministerio, posuit sortes inter eos, quis qua septimana ministraret. Cum autem esset propheta, et omnia talia Spiritu sancto inspiratus ordinaret, non est credendum quod alia fuerit sors nisi exploratio divinae voluntatis. In hac ergo sorte quidam de filiis Eleazar, nomine Abia, octava sorte<sup>1</sup> vel septimana ministrabat: de cujus posteritate natus Zacharias de vice fuit Abiæ, octava sorte ministrans. Et hoc congruit mysterio: quia octava propter resurrectionem Novo Testamento congruit: sicut septima congruit Veteri Testamento propter septenarii observantiam. Unde, Eccle. xi, 2: *Da partem septem necnon et octo*: quia utrumque Testamentum mystice referendum est ad obsequium Dei: Vetus, ut figura: Novum autem, ut veritas implens figuram.

Hoc est ergo secundum litteram quod dicit: « *De vice Abia.* »

Neque nomen cadit a significatione: Abia enim interpretatur *pater Dominus*: et significat quod iste sacerdos hæreditario jure omnibus illis se exhibuit patrem, quorum erat dominus. Pater enim erat affectu et humilitate, Dominus autem severitate et honore. II Machab. xiv, 37: *Qui pro affectu pater Judæorum appellabatur.* Isa. xxii, 24: *Potestatem tuam dabo in manu ejus: et erit quasi pater habitantibus Jerusalem.* Job, xxix, 25: *Cum sederem quasi rex, cir-*

*cumstante exercitu, eram tamen mærentium consolator.* Unde etiam Moyses primo pro populo supplicavit ut pater, deinde protervos judicavit ut Dominus<sup>2</sup>. Augustinus de Præfato: « *Disciplinam libens habeat, metuendus imponat. Et quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus a vobis amari appetat quam timeri: semper cogitans se pro vobis redditurum esse rationem.* » Joan. xiii, 13 et 14: *Vos vocatis me Magister, et Domine: et bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes.* I Petr. v, 3: *Non ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

Sequitur:

« *Et uxor illius.* »

Commendatio est a matre.

Commendat autem matrem a conjunctione, a genere, et a nomine.

A conjunctione quidem cum dicit: « *Uxor illius.* » Libera est. Sacerdotis non erat uxor nisi libera: alioquin ancilla existens, in concubinam et non in uxorem esset assumpta. Genes. xxi, 10: *Non erit hæres filius ancillæ cum filio meo.* Non etiam dicitur una de duabus, ut notetur amor castitatis in patre, sicut et in Isaac, qui una uxore fuit contentus. Et maluisset forte nullam habere, si hoc tempore fuisset opportunum. Tunc enim cum propagatione seminis, fuit etiam propagatio religionis, quando adhuc non erat tempus revelatæ gratiæ: quando filii spirituales per verbum prædicationis in matre Ecclesia procreantur. De qua ait, Jacob. 1, 18: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.*

« *De filiabus Aaron.* »

Commendatio est a genere. Filiæ enim

<sup>1</sup> I Paralip. iii, 10: *Octava, scilicet sors, Abia.*

<sup>2</sup> Exod. xxiii, per decursum.

Aaron arctiori custodia custodiebantur : quia sacerdotibus pollutæ non jungebantur, neque repudiatæ. Et dicitur *filia Aaron* non tam carnis scilicet quam religionis imitatione, et nominis interpretatione. De religione Aaron dicitur, Sapient. xviii, 21 et 23 : *Properans homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum, orationem et per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, et finem imposuit necessitati :... divisit illam quæ ad vivos ducebat viam.* Sic et ista filia Aaron sine querela vixit, multas orationes fundens pro redemptione Israelis, et sic restitit iræ Dei : et seipsam incendens in devotione, iterum restitit iræ Dei : et invenit viam vitæ, annuntiato liberatoris præcursore. Aaron enim *montanus* interpretatur, quod eminentiam significat justitiæ. Jerem. xxxi, 23 : *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus.*

Sequitur descriptio a nomine :

« Et nomen ejus Elisabeth. »

Nomen dicitur quasi notamen, in quo Pythagoras ponit vitam et mortem : fortunium et infortunium. Unde etiam extat rota Pythagoræ super nomen. Notamen ergo hoc beatam fecit de se quod sit Elisabeth, hoc est, *Dei mei saturitas* : vel *Deus meus cognovit*. Quorum primum est in virtute quæ satiat, secundum in cognitione veritatis quæ illuminat. De gratia quidem virtutis dicitur, Isa. iv, 1 : *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes : Panem nostrum comedemus.* Septem mulieres sunt mulier ista decorata septem virtutibus. Panem suum comedere, est proprias dulcedines cor confortantes exhibere. Proverb. xiii, 25 : *Justus comedit, et replet animam suam : venter autem impiorum insaturabilis,* supple, est, quia sæcularia non satiant : unde, Aggæi, i, 6 : *Comedistis, et non estis satiati.* De cognitione veritatis dicitur, Joan. xvii, 17 : *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas*

*est.* De ista dicitur, Sapient. viii, 2 : *Hanc amavi et exquisivi a juventute mea, quæsiivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius.* Pulcherrima forma virtutis et veritatis : virtutis in affectu, veritatis in intellectu. Cantic. i, 9 : *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis,* hoc est, pudoratæ virtutis, et castæ veritatis, quæ est theologia : quæ casta stat intra limites fidei, nec luxuriatur per phantasias : sicut scenicæ meretriculæ aliarum scientiarum. Hæc mulier est de qua dicitur, Judith, xv, 10 : *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.* Hæc pro certo est, quæ competit tali sacerdoti, dicente Domino, Genes. ii, 18 : *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Proverb. v, 19 : *Cerva charissima, et gratissimus hinnulus : ubera ejus inebrient te in omni tempore, in amore ejus delectare jugiter.*

« Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querelâ. »

Ecce descriptio, quales sint merito et vitæ sanctitate. Ambrosius : « Plena laudatio quæ et genus in moribus, mores in æquitate, officium in sacerdotio, factum in mandatis, judicium in justificatione comprehendit. »

Summatim autem perstringendo, commendatur in merito justitiæ et simplicitate innocentia.

In merito quidem justitiæ a tribus : a merito justitiæ, a rectitudine, et a profectu.

A merito quidem justitiæ : quia « erant ambo, » sacerdos et uxor, « justi, » non generali justitia tantum (quæ est legum congruentia) ut in omnibus legibus divinis et humanis congruant, et nec legi prohibitum umquam committant. Quia, ut dicit Tullius : « Lex est



jus scriptum, adsciscens honestum, prohibensque contrarium. » II Machab. iv, 17 : *In leges divinas impie agere, impune non cedit.* Proverb. vi, 23 : *Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ.* Hæc autem justitia non completur, nisi per omnem virtutem, et omnem legis observationem : quia dicitur, Jacob. ii, 10 : *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

Est autem alia justitia specialiter in duobus, commutandis et distribuendis. Commutandis quidem, ut omne quod commutatur aliqua commutatione, proximo vendendo vel emendo, justo vendatur pretio sine fraude. Sicut præcepit Dominus, Levit. xix, 36 : *Justus modius, æquusque sextarius.* Mich. vi, 10 : *Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena.* In distribuendis autem, ut unicuique distribuatur propria ejus dignitate : regi quod suum est, et cuilibet superiori : et pari quod suum est, et similiter inferiori. Ad Român. xiii, 7 : *Reddite omnibus debita : cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal.* Ibidem, y. 8 : *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.*

Sic ergo ambo erant justii.

Et subjungit de modo justitiæ, dicens :

« Ante Deum, »

Ut intensam, occultam, et sinceram denotet justitiam. Intensam quidem : quia valde intense justum est, quod ante Deum justum reputatur, cum dicatur, Job, iv, 18, quod etiam *in Angelis suis reperit pravitatem.* Isa. lxiv, 6 : *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Occulta autem, quia quod ante Deum est, occultum est aliis. I Reg. xvi, 7 : *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Matth. vi, 4 : *Sit eleemosyna tua in abscondito : et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Sincera autem, quia quod ante Deum

est, humana laude non est coinquinatum, vel permixtum. Proverb. xvi, 2 : *Omnes viæ hominis patent oculis ejus : spirituum ponderator est Dominus.*

« Incedentes. »

Ecce commendatio a profectu.

Dicit autem tria : profectum, profectus generalitatem in operibus virtutum, et profectus ejusdem generalitatem in justificationibus.

De profectu dicit : « *Incedentes,* » hoc est, de virtute in virtutem proficientes. Psal. lxxxiii, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem.* II ad Corinth. iii, 18 : *A claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.* Isa. lx, 3 : *Ambulabunt gentes in lumine tuo.* Ezechiel. i, 12, unumquodque animalium ante faciem suam erat, et gradiebatur, hoc est, ad semper ingrediendum. Seneca : « Ibi desinis esse bonus, ubi desinis velle fieri melior. » Bernardus : « Stare in via Dei, « retrocedere est. »

Et subjungit profectus generalitatem in moribus :

« In omnibus mandatis. »

Mandatum et præceptum idem est in substantia, differunt tamen in ratione : quia *mandatum* dicitur secundum quod mandat, sive nuntiat voluntatem divinam : *præceptum* autem secundum quod est regula morum, ut ars est collectio præceptorum ad eundem finem tendentium. Psal. cxviii, 32 : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Ibidem, y. 1 : *Beati immaculati in via,* etc. Psal. xvi, 5 : *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur,* etc.

« Et justificationibus Domini. »

Justificationes, judicia. Aristoteles enim in libro quinto *Ethicorum* ostendit, quod justificatio non est justitia : sed justifica-

tio est exhibitio justitiæ de re, de qua potest esse quætio : de qua confugitur ad judicem sicut ad justum animatum. Eccli. xviii, 19 : *Ante judicium para justitiam tibi.*

Fit autem justificatio duobus modis, active, et passive : passive quidem, quando aliquis per judicium reducitur ad justitiam non renitens justitiæ. Active autem duobus modis, scilicet, per judicem : et quando aliquis per se ipsum sine judicio reddit alicui quod suum est. Deuter. i, 16 et 17 : *Quod justum est judicate : sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum : ... quia Dei judicium est.* Job, xxiii, 6 et 7 : *Nolo multa fortitudine contendat mecum : ... proponat æquitatem contra me.*

« Sine querela. »

Ecce innocentia. Quia sicut in præhabitis fuerunt simplices et recti, ita in isto recesserunt a malo. Psal. xxiv, 21 : *Innocentes et recti adhæserunt mihi.* Judith, viii, 8 : *Non erat qui loqueretur de illa verbum malum.* Sic enim accusator non habet locum. Apocal. xii, 10 : *Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri, die ac nocte.* I Petr. ii, 15 : *Ut beneficientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Sic enim justus evadit querelam omnem in judicio. Psal. cxii, 5 et 6 : *Disponet sermones suos in judicio : quia in æternum non commovebitur.*

« Et non erat illis filius. »

Ecce quales sunt in generandi potestate. Quod describitur ad magnitudinem miraculi.

<sup>1</sup> Pro Sara, cf. Genes. xviii, 10. Pro Rebecca, Genes. xxv, 21. Pro Rachel, Genes. xxx,

Dicit autem hic duo : carentiam videlicet prolis, et causam.

Carentia prolis describitur cum dicit : « *Et non erat illis filius,* » cum tamen bonum prolis sit omni modo bonum matrimonii. Omni autem modo dico : quia matrimonium aliquando est in officium civile, et aliquando in sacramentum. In officium quidem, secundum quod a Deo institutum legibus contrahentium ordinatur, ne terra depopuletur. Et sic patet quod est propter prolem. In sacramentum autem duobus modis, scilicet, secundum quod est medicina in remedium, ut concupiscentia prona in ruinam, honestate excipiatur nuptiarum, ut dicit Augustinus in libro de *Nuptiis et concupiscentia*. In sacramentum autem, quod est sacræ rei signum, scilicet conjunctionis : quæ est inter animam sanctam et Deum. Et sic istis duobus modis habet tria bona, fidem, prolem, et sacramentum.

Et cum ita commendati sint parentes, videbantur tamen maledictioni subjacere, « *quia non erat eis filius.* » Exod. xxiii, 26 : *Non erit infæcunda, nec sterilis in terra tua.* Deuter. vii, 14 : *Non erit apud te sterilis utriusque sexus.*

Dicit autem : « *Filius,* » et non filia, quia principalis sexus qui exspectabatur, erat filius. Filia enim ex commixtione viri et mulieris matri juvare non poterat, quia corrupta fuit. Similiter poteris advertere, quod omnes fere mulieres magnos viros generantes, quasi dono Dei acceperunt fœcunditatem : sicut Sara, et Rebecca, et Rachel, Anna mater Samuelis, uxor Manue patris Samsonis<sup>1</sup>. Hoc autem fit, ut donum Dei ostendatur in prole : quæ sicut supra facultatem naturæ datur, ita etiam in gratia super communem legem exaltatur. Isti enim significantur potius esse filii promissionis quam humani seminis, licet in eis sit utrumque.

22. Pro Anna, I Reg. i, 19 et 20. Pro uxore Manue, Judicum, xiii, 3.

« Eo quod esset Elisabeth sterilis, et ambo processissent in diebus suis »

Ecce causa. Et dicit duo, scilicet causam in matre, naturalem sterilitatem : et causam in utroque, antiquitatem : « *Eo quod ambo processissent in diebus suis.* »

Dicit ergo : « *Eo quod esset Elisabeth sterilis,* » hoc est, conclusam haberet vulvam ad concipiendum ex concupiscentia, quam aperuit promissionis gratia. Sapient. III, 13 : *Felix est sterilis, et incoquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.* Et notatur hic, quod Zacharias et Elisabeth desperantes de prole, voluptati operam non dabant : cui, ut dicit Augustinus, etiam in juventute operam dare verecundum est. Genes. XVIII, 12 : *Postquam consenui, et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo ?* I Reg. I, 15 : *Dominus concluderat vulvam Annæ.*

« Et ambo processissent in diebus suis. »

Dies bonorum sunt claritates in gratia : quibus diebus pleni sunt sancti. Sicut dicitur de Jacob, Genes. XLIX, 32, quod mortuus est Jacob plenus dierum. Proverb. IV, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem.* Processus autem dierum inducit frigiditatem, et siccitatem quæ sunt duæ causæ infœcunditatis : sic, Isa. LI, 1 et 2, dicitur de Abraham et Sara : *Attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quæ peperit vos.* Hoc autem fecit, ut tota fœcunditas detur fidei, et non naturæ. Ad Roman. IV, 19 et 18 : *Non consideravit corpus suum jam emortuum, cum jam fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Saræ : sed contra spem in spem credidit.* Contra spem naturæ, in spem gratiæ, ut dicit Augustinus, ut fieret pater.

« Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum,

Secundum consuetudinem sacerdotii, forte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini :

Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. »

Hic incipit ponere locum et tempus et opportunitatem annuntiationis.

Ponit autem hic tria : opportunitatem videlicet ex opere officii, cui deditus fuerat : opportunitatem ex tempore : et opportunitatem ex loco.

De primo dicit : « *Factum est autem.* » Quasi diceret : Quia tales erant parentes qui hoc merebantur ex congruo, licet non ex condigno, « *factum est,* » hoc est, ex divina dispensatione, « *factum est,* » opportunitate nacta ex opere magis congruo tantæ annuntiationi, « *cum* » ipse « *Zacharias,* » memor Domini in opere officii, « *sacerdotio,* » hoc est, actu sacerdotali summo, « *fungeretur.* » Et hoc fuit decimo die Septembris, cum deprecaretur pro populi redemptione. Tunc enim de domo sua exierat, et in exhedris juxta templum habitabat in domo castitatis : quia in ministerio sacrificii non licebat sacerdotibus vacare amplexibus : et ideo exhedræ, hoc est, exteriores ædes factæ sunt juxta templum, in quibus tempore sui ministerii habitarent. Sicut præceperat Moyses, Exod. XIX, 22 : *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, sanctificentur,* scilicet cum deberent occurrere Domino. Et, ibidem, v. 15 : *Estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus vestris.* Joel, II, 16 : *Egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo.* Ubi dicit Hieronymus, quod tempore supplicationis vacandum est ab amplexibus. Et Gregorius dicit, quod cum Patriarchæ et Prophetæ vacabant amplexibus, Spiritus Sanctus non tangebatur corda ipsorum.

8

9

10

Ecce opportunitas ex opere.

Et sequitur, ponens opportunitatem ex tempore dicens :

« In ordine vicis suæ, »

Hoc est, vicis Abiæ : quæ octava occurrit in ordine ministerii, quam instituit David<sup>1</sup>. Et illo anno accidit ut veniret in Septembri suum ministerium, decimo die mensis. In mense autem Septembris tria erant festa. Festum autem Neomeniæ, hoc est, novæ lunæ : quando clangebatur cornibus arietum, in principio mensis celebrabatur : sicut dicit Psalmus LXXX, 4 : *Buccinate in Neomenia*, hoc est, in principio mensis, *tuba, in insigni die solemnitatis vestræ*. Decimo autem die ejusdem mensis fuit festum trinomium. Dicebatur enim festum afflictionis, festum expiationis, et festum propitiationis. Festum quidem afflictionis : quia illo die quilibet affligere tenebatur seipsum, jejunando a mane usque ad crepusculum. Levit. xxiii, 29 : *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis*. Dicebatur festum expiationis<sup>2</sup> : quia illo die cum sanguine vitulæ rufæ et hirci, circumposito ligno cedrino et hyssopo, summus pontifex intrabat in Sancta sanctorum, habens in una manu sanguinem in vase quodam, et in alia manu thuribulum cum igne, et pulverem thymiamatis : et numquam plus illo anno intrabat nisi illo die. Et fumo quidem fecit nebulam, in qua invisibiliter habitaret Dominus, ne forte morerentur qui indigni visione ejus viderent eum. III Reg. viii, 12 : *Dominus dixit ut habitaret in nebula*. Eccli. xliii, 24 : *Medicina omnium in festinatione nebulæ*. Cum sanguine autem expiabat templum, et vasa, et populum aspergens septies contra velum, dicens : *Hic est sanguis testamenti, quod mandavit*

*ad vos Deus*<sup>3</sup>. Hæc ergo dicebatur dies expiationis. Dicebatur etiam dies propitiationis : quia tunc in ingressu summi sacerdotis intra velum, scilicet, Sancta sanctorum, gloria Domini aliquando apparuit super propitiatorium inter duas alas Cherubin : et propitiabatur populo. Solus ergo summus pontifex semel in anno, intrabat in Sancta sanctorum cum sanguine<sup>4</sup>.

Et hæc ordinatio illo anno contigit Zachariæ, secundum sortem administrationis, quam ordinavit David. Et ideo patet, quod vel ipse fuit summus sacerdos inter illos viginti quatuor : vel unusquisque fuit summus in administratione vicis suæ. Et cum de utroque sint opinantes, puto quod prior opinio est verior.

« Ante Deum, »

Cui soli placere per hoc desiderabat. Ad Galat. i, 10 : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*. Psal. lii, 6 : *Qui hominibus placent, hoc est, placere quærunt, confusi sunt, quoniam Dominus sprevit eos*. In hoc autem ostendit se filium Abrahæ, de quo dicitur, ad Roman. iv, 17 : *Patrem multarum gentium posui te ante Deum, cui credidisti : qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt*. Sic et iste emortuus, et emortuus uterus uxoris vivificati sunt : propter hoc quod omnia fecit ante Deum, et non ante homines.

Sequitur de loci opportunitate, cum dicit :

« Secundum consuetudinem sacerdotii, »

In quo alter successit alteri in ministrando per viginti quatuor vices. Quam ta-

<sup>1</sup> Cf. I Paralip. iii, 10.

<sup>2</sup> Cf. super hoc festum expiationis, Levit. xvi, per totum, et xxiii, 26 et seq.; Numer.

xxix, 7.

<sup>3</sup> Ad Hebr. ix, 20. Cf. etiam Exod. xxiv, 8.

<sup>4</sup> Levit. xvi, 17.

men consuetudinem per ambitionem mutaverunt tempore passionis Domini Annas et Caiphas, usurpantes sibi summum sacerdotium aliis viginti duobus exclusis : ut uno anno regnaret Annas, et alio Caiphas. Sic innuitur, Joan. xviii, 13<sup>1</sup>. Et arguuntur de præsumptione, quod mutare præsumserunt quod David Spiritu sancto inspiratus ordinaverat. Isa. xxiv, 5 : *Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.*

Sequitur :

« Sorte exiit. »

Non sorte, quæ tunc temperaretur, sed quæ missa fuerat tempore David, et permansit ad tempora Annæ et Caiphæ. Psal. xxx, 16 : *In manibus tuis sortes meæ.* Proverb. xvi, 33 : *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.*

« Ut incensum poneret. »

Quod dupliciter exponitur : « *Ut incensum poneret* » intra Sancta sanctorum in thuribulo, quod ferebat in manu. Vel, « *Ut incensum poneret,* » egressus de Sanctis sanctorum, ut poneret incensum in altari incensorum, sive thymiamatis. Et hoc altare secundum Josephum, et omnes Sanctos præter Augustinum, erat in sanctis ante velum : ad quod intrabat sacerdos κατὰ mane, et κατὰ vespere : ponens incensum quando offerebat jube sacrificium in holocaustum : agnum unum in mane, et agnum unum in vespere, quolibet die, sicut dicitur, Exod. xxix, 38 et 39.

« Ingressus in templum Domini : »

Vel intra Sancta sanctorum cum thuribulo : vel intra sancta cum incenso. Eccli. xlv, 19 et 20 : *Fungi sacerdotio, et habere laudem, et glorificare populum in*

*nomine ejus... Offerre sacrificium Deo, incensum, et bonum odorem.* Genes, viii, 21 : *Odoratus est Dominus odorem suavitatis, et benedixit eis.*

Fungitur autem sacerdotio, qui scit et exhibet officium sacerdotum ad Deum, et ad populum. Quod fit in oratione fusa ad Deum, in sacrificii salutaris oblatione, et peccatorum discretione : quod fit in confessione populi, et de legis eruditione, et in rerum templi fideli custoditione. De primo horum, II Machab. i, 23 : *Orationem faciebant omnes sacerdotes, dum consummaretur sacrificium.* De primo et secundo simul, Sapient. xviii, 21 : *Per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, et finem imposuit necessitati.* De tertio, Levit. xiv, 2 et seq., præcipitur ut omnis leprosus ducatur ad sacerdotem, ut fiat judicium de lepra, et utrum sit mundatus an non. De quarto, Aggæi, ii, 12 : *Interroga sacerdotes legem.* Malach. ii, 7 : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus.* Et, ibidem, x. 6 : *Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus : in pace, et in æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate.* De quinto, Levit. per totum. I ad Corinth. iv, 1 et 2 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis qui inveniatur.* Matth. xxv, 21 : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Hæc sunt quinque talenta de quibus dicitur, Matth. xxv, 20 : *Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.* Sic bonus sacerdos ingreditur in templum Domini.

Templum autem dicitur a *templor*, *templaris*, quod non est in usu nisi in composito, *contemplor*, *aris* : quia ibi apparitiones et contemplationes Domini manifestantur. Unde et alio nomine *fa-*

<sup>1</sup> Joan. xviii, 13 : *Et adduxerunt illum, scilicet Jesum, ad Annam primum : erat enim socer Cai-*

*phæ, qui erat pontifex anni illius.*

*num*, sive apparitio nominatur : et ideo cum reverentia est intrandum. Psal. xli, 5 : *Transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei*. Et arguuntur qui non cum reverentia intrant, Amos, vi, 1 : *Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum, ingredientibus pompaticè domum Israel*. Genes. xxviii, 16 et 17 : *Cumque evigilasset Jacob de somno, ait : Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Pavensque, Quam terribilis est, inquit, locus iste ! non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cæli*.

Nota etiam quod incensum incenditur, ponitur, dirigitur, et elevatur. Incenditur per charitatis devotionem, ponitur per operis virtutem, dirigitur per rectam intentionem, elevatur per intellectus contemplationem. De primo, Luc. xii, 49 : *Ignem veni mittere in terram : et quid volo nisi ut accendantur ?* De secundo, Thren. iii, 41 : *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos*. Apocal. viii, 4 : *Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli, hoc est, de bona operatione, quæ per manum designatur, coram Deo*. De tertio, Psal. cxl, 2 : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. De quarto, Cantic. iii, 6 : *Quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris ?*

Quod autem orabat sacerdos intus, consono corde deprecabatur populus foris.

Et hoc est quod sequitur :

« Et omnis multitudo, etc. »

Præceptum fuit legis, Exod. xxiii, 17, quod tribus vicibus omnis homo appareret in Jerusalem in conspectu Domini : in Pascha videlicet, et Pentecoste, et Scenope-

gia. In Septembri autem erat Scenopegia : quando in umbraculis et tabernaculis habitabant in memoriam egressionis de Ægypto. Σκηνή enim idem est quod *umbra*, sive *umbraculum*. In Septembri autem erant tria festa, Neomeniæ, expiationis, et propitiationis : ut diximus. Et in fine festum Tabernaculorum, sive Scenopegiæ.

Ad hoc ergo festum celebrandum omnis multitudo omnium civitatum fuit in Jerusalem.

Et hoc est quod dicit : « *Et omnis multitudo populi*. » In aliis enim temporibus, tempore jugis sacrificii intrabat sacerdos singulis diebus mane et vespere in sancta, ponens incensum. Sed tunc non tenebatur convenire omnis multitudo populi. Sed in isto festo, tota aderat multitudo. Psal. cxxi, 4 : *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini*. Joel, ii, 16 : *Congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, et sugentes ubera*. Dicit enim Hieronymus, quod « multorum preces impossibile est non exaudiri. »

« Erat orans foris »

In atrio, quia non licebat eis intrare templum. Foris autem fuerunt laici quidem in atrio interiori : inferiores autem sacerdotes in atrio mundorum : et pœnitentes et immundi, in atrio exteriori et immundorum : et princeps in porta orientali. Ezechiel. xliv, 2 et 3, porta orientalis erit clausa principi <sup>1</sup>.

« Hora incensi »

Illius solemnitas : quando in die propitiationis intravit summus pontifex (alias, sacerdos) in Sancta sanctorum. Hoc est

<sup>1</sup> Ezechiel. xliv, 2 et 3 : *Et dixit Dominus ad me : Porta hæc, scilicet quæ respiciebat ad orientem, clausa erit : non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel*

*ingressus est per eam : eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino, etc.*

significatum, Sapient. xviii, 24, ubi dicitur de veste summi sacerdotis : quod *in veste poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum*, hoc est, in affectu orationis ejus tota orbis multitudo. Apocal. xxi, 3 : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis : et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus*. Apocal. vii, 9 : *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum*. Omnium enim interesse intererat, ubi agebatur de communi omnium Salvatore. Bonus enim sacerdos verbo et exemplo omnes attrahit in devotionem. Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus<sup>4</sup>.

11 « Apparuit autem illi Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi. »

Hic ponitur annuntiatio. Et dicuntur in ea quatuor : in quorum primo describitur persona annuntiantis Angeli : secundo, turbatio occasionata sacerdotis Domini : tertio, confortatio turbati : quarto, ipsa nuntiatio seriatim exprimitur.

Describitur autem persona annuntiantis Angeli per sex : per modum (videlicet) suæ manifestationis : per officium suæ legationis : per auctoritatem se mittentis : per situm suæ positionis : per differentiam situationis : per ministerium ejus juxta quod stetit altaris.

Modus autem suæ manifestationis est quod apparuit. Apparere enim, est subito manifestum fieri eum, in cujus potestate est videri quando vult, et non videri quando non vult, et sicut non vult. Et hoc dicit Glossa. Angelus enim diffinitive est in loco : et cum est in uno loco, non est in alio : et cum est in cœlo, non est in terra : et cum est in medio, non est

in extremis. Quod autem visibilis stat, ut dicit Glossa, est in potestate suâ : hoc autem est, ut dicit Augustinus, per assumpti corporis figuram et speciem.

Utrum autem illud corpus sit aereum, vel alterius naturæ : quamvis sit majoris egens inquisitionis, tamen sine præjudicio majoris sententiæ dico quod est species corporis intentionalis, sicut sunt species visibiles quando sensibus obijciuntur. Talis enim species magis competit naturæ spirituali : et talis habet terminos figurarum, quas non contineret aer, si de aere corpus assumeret. In tali ergo specie corporis apparens, visibilis factus est sacerdoti. Talis etiam species directa ad unum, et non ad alium, facit eum visibilem uni et non alii.

Hoc ergo est quod dicit :

« Apparuit, »

Quantum ad modum manifestationis. Psal. lxxix, 2 et 3 : *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, et Manasse*. Psal. lxxxviii, 20 : *Locutus es in visione sanctis tuis*.

« Angelus. »

Descriptio est a legatione. Angelus idem est quod legatus, vel nuntius, Ad Hebr. i, 14 : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capient salutis?* Psal. ciii, 4 : *Qui facis Angelos suos spiritus*. Et quia lex deitatis est per prima media, et per media ultima reducere, ut dicit Dionysius, ideo omnes Angeli dicuntur : quia per primos Angelos medii, et per medios ultimi reducuntur in illuminationes divinas. Nos autem qui per animam et intellectum sumus illuminationum (quæ sunt a primo) ultima relatione perceptivi, reducimur in illuminationes divinas Dei per Angelos. Ad Hebr. i, 1 : *Multifariam, multisque*

<sup>4</sup> Cf. Eccli. xlix, 46 et 47.

*modis olim Deus loquens patribus in prophetis*, supple per Angelos. Osee, xii, 10 : *Ego visionem multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum*. Notatur in hoc quintum, scilicet quod segregatus fuit iste sacerdos a tumultu peccatorum et mundi : cui tam familiariter se exhibebant Angeli. Ad Hebr. vii, 26 : *Talis decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cælis factus*. Angelorum enim meretur consortium, qui in puritate, et officio, et familiaritate est Angelorum. Unde, Malach. ii, 7, dicitur de sacerdote : *Angelus Domini exercituum est*. I ad Corinth. xi, 10 : *Debet mulier velamen<sup>1</sup> habere supra caput propter Angelos*. Glossa, « propter sacerdotes. »

## « Domini. »

Ecce descriptio per auctoritatem semittentis. Angelus enim aliquando est nuntius alterius Angeli, sicut dicitur, Zachar. ii, 3 et 4 : *Angelus alius egrediebatur in occursum ejus, et dixit ad eum : Curre, loquere ad puerum istum*. Et ideo dicit hic : « Domini, » ut ostendat quod Deus ipse legationem injunxit : quia ad obsequendum præcursori Filii sui eum misit. Et propter hoc dicitur, Tob. xii, 15 : *Ego sum Raphael Angelus, unus ex septem qui adstamus ante Dominum*. Daniel, vii, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei*.

## « Stans. »

Ecce descriptio ex modo suæ positionis, quam præterdit in figura assumpti corporis. Status autem significabat rectitudinem ad quam erigenda erat humana natura, quam ex peccato diu sustinuerat. Baruch, iv, 36 et v, 5 : *Ex-*

<sup>1</sup> Vulgata habet, *potestatem*. Quædam mss. latina habent *velamen*, sed hæc lectio est glossa

*surge, et sta in excelso, et circumspice ad orientem, et vide jucunditatem a Domino Deo tuo tibi venientem*. IV Reg. iii, 14 : *In cujus conspectu sto*.

## « A dextris. »

Ecce descriptio a differentia situationis. Dextra enim pertinet ad salutem, et ad salvandos : sinistra vero ad condemnandos. Proverb. iv, 27 : *Vias quæ a dextris sunt novit Dominus, perversæ vero sunt quæ a sinistris sunt*. Matth. vi, 3 : *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*.

## « Altaris. »

Ecce descriptio per ministerium ejus, juxta quod stetit.

## « Incensi. »

Quod dicit ad differentiam altaris holocaustorum, quod erat in atrio extra templum, ubi animalia cremabantur. Et per altare holocaustorum significatur immolatio animalium, passionum et mortuum in corpore. Per altare incensi significatur devotio orationis in mente. Et datur intelligi, quod in devotione mentis citius apparet Dominus quam in corporis exercitatione. I ad Timoth. iv, 8 : *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est : pietas autem ad omnia utilis est, et futuræ*. Significabat etiam, quod incipiebat Sacramentum quod a tota Ecclesia celebrandum est legitimum, et sempiternum.

« Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum. »

Hic describitur turbatio occasionata ex

manifesta, nam velum est signum potestatis aut dominii viri in mulierem.



visu Angeli. Et in hac dicit tria : quorum primum est turbatio : secundum, turbationis causa : et tertium, timor ex utroque causatus.

De primo dicit : « *Et Zacharias,* » sacerdos assuetus sacris visionibus ex Scriptura, in qua legerat sæpe hujusmodi visiones apparuisse, « *turbatus est.* » Turbatio fit ex mixtura opaci cum perspicuo clare, per commotionem opaci causata. Sicut fit turbatio fontis per admixtionem limosi, et lutulentæ substantiæ : ita fit turbatio luminis in ratione per admixtionem passionis terrenæ et corporeæ substantiæ lutulentæ, quando apparet aliquid præter spem et facultatem videntis. Et in illa obtenebratione, ratio non potest redire ad lucem suam, ut præstet cordi ducatum : ut expediat se cognoscendo et ordinando id quod apparet, et causas ipsius. Unde Glossa : « Solemus turbari, et a nostro affectu (quem, supple, ratio nostra ordinat) alienari, quando perstringimur (hoc est, intra nostram parvitatem concludimur) superioris potestatis occursu. » Et hoc fit ideo, quia turbatio est fuga cordis secundum systolem, hoc est, secundum contractionem. Et hoc fit dupliciter : ex occursu, scilicet magni, quod supra facultatem nostram in cognoscendo et operando est elevatum. Et fit etiam in occursu mali nocentis. Et primum quidem inducit in turbatione admirationem : secundum autem inducit in turbatione tristitiam. Infra, in eodem cap. x. 29 : *Quæ cum audisset, turbata est in sermone Angeli : et cogitabat qualis esset ista salutatio.*

« Videns. »

Causa est turbationis. Subito enim præter spem ostensus Angelus turbationem inducit. Daniel. x, 16 : *Domine mi, in visione tua solutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium.* Ezechiel. iii, 23 : *Ecce gloria Domini stabat quasi gloria quam vidi juxta*

*fluvium Chobar, et cecidi in faciem meam.*

« Et timor, »

Qui est fuga cordis in seipsum, ut dicit Augustinus, « *irruit,* » vi superioris potestatis apparentis, « *super cum,* » quia desuper timor venit : et non de aliquo malo inferiori. Psal. LIV, 6 : *Timor et tremor venerunt super me : et contexerunt me tenebræ :* in rationis, scilicet, obumbratione. Isa. XXI, 3 et 4 : *Corruum cum audirem, conturbatus sum cum viderem, emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me.* Tanta autem turbatio non tantum ex magnitudine rei visæ exorta est, sed etiam ex sancti sacerdotis humilitate, qui ad tantam visionem non se reputabat idoneum. Isa. VI, 5 : *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito ! et regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* Judicum, XIII, 22 : *Morte moriemur, quia vidimus Deum.* Boni cordis est pavere ad omnem adspectum divinum. Unde, Luc. XVIII, 13 : *Nolebat oculos ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori.* Exod. III, 6, cum appareret Dominus, *abscondit Moyses faciem suam.* Ambrosius : « Sicut humani defectus est « terreri, ita angelicæ benignitatis est, « paventem de suo adpectu blandiendo « consolari. » E contrario dæmones si quos de sua præsentia terreri senserint, ampliori horrore concutiunt. Et hoc ipso signo poterat Zacharias bonum cognoscere Angelum.

Et hoc est quod sequitur :

« Ait autem ad illum Angelus : Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua. »

Hic ponitur turbati confortatio.

Sed quæritur, quomodo sonans Ange-

lus dixit sermones istos? Dico sicut supra, quod utebatur potius vocum intentionibus, quam commotione aeris. Est enim in voce et sono quod naturalis motus est, et quod est speciei sensibilis. Utebatur autem Angelus specie sensibili, sicut fiunt in spiritu reflexo ad sensum : ubi penitus sunt soni sine aeris commotione. Hoc enim magis competit operationi substantiæ spiritualis. Et sic sonat ad unum, et non ad alterum. Quia si cum commotione aeris esset, oporteret quod sonaret ad omnes, ad quos attingeret aer commotus. In auditu etiam naturali hæc duo manifestantur. Commotio enim aeris percutit auris tympanum : vis autem animæ in tympano præter commotionem accipit soni intentionem absque omni commotione : quia commotio non est agens ad operationem animæ, sed organi corporalis. Et ideo quidam philosophorum naturalium in omnibus sensibilibus posuerunt duo activa, quorum unum est agens ad passionem corporis sive organi corporalis : alterum ad passionem animæ sensibilis. Et agens quidem ad passionem corporis diversum est in sensibus : quia in visu est lumen corporeum, et in auditu aer commotus, et in aliis aliud. Sed in omnibus dixerunt esse unum agens ad passionem animæ, quod vocabant lucem incorpoream : eo quod omnis anima accipit intentionem formæ sensibilis sine omni materia et materiæ dispositione : sicut cera speciem accipit sigilli sine metallo et metalli dispositione naturali. Quid autem de his verum sit, non est præsentis intentionis : nisi quoad hoc quod modum hic ostendimus magis convenientem quo visibilis sit Angelus, qui per naturam est invisibilis : et qualiter loquatur, qui per naturam verbis non utitur in aere sonantibus.

Hoc est ergo quod dicit :

« Ait autem ad illum Angelus. »

Et dicuntur hic tria : modus videlicet

loquendi, confortatio, et causa confortationis.

De modo loquendi jam dictum est. Et iste modus est quasi loqui in nobis. Psal. lxxxiv, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Quamvis autem Angelus sit extra eum cui loquitur quando apparet, tamen loquendo utitur intentione sermonis, eo modo quo est in audiente : et ideo cum loquitur uni, ille audit, et alii assistentes non audiunt. Zachar. iv, 5 : *Et respondit Angelus qui loquebatur in me, et dixit ad me.*

« Ne timeas, Zacharia. »

Signum benevolentiae ponit per nomen sacerdotis. Exod. xxxiii, 12 : *Novi te ex nomine, invenisti gratiam coram me.* Unde antiqui Hebræorum dicunt, quod apparenti Angelo tenemur credere nos nominanti. Isaïæ, vii, 4 : *Vide ut sileas : noli timere, et cor tuum ne formidet.* Matth. xxviii, 5 : *Nolite timere vos.* Gregorius : « Illi timeant qui ad cœlestia non pertinent. Vos autem cur timetis, qui vestros concives videtis? »

Et subjungit causam confortationis, dicens :

« Quoniam exaudita est oratio tua. »

Oratio, ut dicit Damascenus, est petitio decentium a Deo. Nihil ergo tam decens fuit sicut liberatio populi, quando tempus reconciliationis sacerdos inspiratus et eruditus cognovit esse impletum. Ad Galat. iv, 4 et 5 : *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.* Hoc autem tempus impletum cognovit sacerdos : et ideo in oratione instanter et ferventer perseveravit. Sicut Daniel. ix, 2 et 3 : *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta-*

*ta anni. Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare et deprecari in jejuniis, sacco, et cinere. Et sic fecit Zacharias, Zachar. I, 12: Domine exercituum, usquequo tu non miseraberis Jerusalem, et urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est.*

Dicit autem jam exauditam esse orationem. Et hoc videtur frivolum: quia non videtur petivisse prolem quam desperabat, sicut dicit Glossa, quam tamen prænuntiat Angelus. Et ad hoc dicendum quod orabat iste liberationem populi: cujus liberationis tempus cognovit esse impletum: et super hoc pro bono charitatis, quia fideliter oravit pro populo. Auditur etiam de bono prolis, quæ initium fuit quoddam futuræ liberationis. Et ideo exponendum est: « *Exaudita,* » hoc est, extra id, et supra id quod petebas audita, « *est oratio tua.* » Alia littera habet: « *Deprecatio tua.* » Et ut dicit Glossa super Epistolam ad Titum: « *Deprecatio est in amovendis malis: quia orabat ut captivitas, qua Diabolus genus humanum captivaverat, solveretur.* » Isa. XLIX, 24 et 25: *Numquid tolletur a forti præda? aut quod captum fuerit a robusto salvum esse poterit?* etc. Extra hæc autem audita est oratio, quia super hoc donum nobilissimæ prolis accepit.

Et hoc est quod sequitur:

« *Et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem.* »

Ecce hic per ordinem exprimitur annuntiatio.

Et dicuntur in ea duo: unum est ipsa annuntiatio: secundum est præconium annuntiati.

Annuntiatio autem exprimitur in tribus, quorum primum est laus matrimonii, quia non est de soluto concubitu:

secundum est sexus nascentis: et tertium, nomen annuntiati.

Laus autem legitimi filii exprimitur a nomine matris, a conjunctione legitima, et a partu.

Dicit ergo: « *Elisabeth,* » cujus jam emortuus erat uterus, ut superius dictum est. Ut ostendatur quod plus potest gratia quam natura. Infra, in eodem cap. xx. 36 et 37: *Et hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Genes. XVIII, 13 et 14: *Quare risit Sara?... Numquid Deo quidquam est difficile?*

« *Uxor tua,* » ne illegitimus reputetur ad actus gratiæ. Abraham enim filio legitimo dimisit hæreditatem: filiis autem concubinarum largitus est munera temporalium<sup>1</sup>.

« *Pariet tibi,* » hoc est, ad utilitatem tui, « *filium,* » sicut natus est Joseph ipsi Jacob ad liberationem. Et non tantum ad liberationem patris, sed etiam ad liberationem omnium fratrum ejus. Unde significatur per Joseph, de quo dicitur, Eccli. XLIX, 17: *Et Joseph, qui natus est homo, princeps fratrum, firmiter mentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi.*

« *Et vocabis nomen ejus Joannem.* »

Designatur hic ex nomine quod paucissimis est concessum, quod prænominentur.

Et possunt notari speciales gratiæ Joannis, quæ sunt sex in nominibus: septem in officiis: privilegia quatuor in modo conceptionis et nativitatis: et præminentia septem: tres aureolæ.

Nomina autem sex sunt ista: Joannes, Vox Verbi, Lucerna, Lucifer, Angelus, Elias. *Joannes* quidem dicitur hic: et interpretatur *in quo est gratia.* I ad Corinth. XV, 10: *Gratia Dei sum id quod*

<sup>1</sup> Cf. Genes. xxv, 5 et 6.

*sum, et gratia ejus in me vacua non fuit.* Omnibus enim Joannes innotescit per gratiam : quia quidquid in eo videtur, gratiæ est, et non naturæ. Vox autem dicitur, Joan. I, 23 : *Ego vox clamantis in deserto.* Vox enim fuit Verbum incarnatum sonans, et ad aures devehens hominem. *Lucerna* autem dicitur, in quantum demonstrando Christum hominibus viam parat. Joan. V, 35 : *Ille erat lucerna ardens et lucens.* Psal. cxxxI, 17 : *Paravi lucernam Christo meo.* *Lucifer* autem, in quantum veram lucem prænuñtiavit. Job, xxxviii, 32 : *Numquid producis Luciferum in tempore suo?* Et de hoc supra dictum est. *Angelus* autem nominatur, in quantum divinæ voluntatis est nuntius. Malach. III, 1 : *Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem tuam : et statim veniet,* etc. *Elias* autem, in quantum primi adventus præco est, sicut etiam secundi adventus prænuñtius erit Elias. Infra, in eodem, v. 17 : *Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ.* Matth. xvii, 12 : *Elias jam venit..., et fecerunt in eo quæcumque voluerunt.*

Officia ejus sunt septem. Scilicet, quod est Propheta, Præcursor, Baptista, Præco, Prædicator, Testis, Paranympus. De *Propheta* enim dicitur, infra, in eodem, v. 76 : *Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis,* etc. De *Præcursore*, ibidem, v. 76 : *Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* De *Baptista*, Matth. III, 6, Marc. I, 4, Joan. I, 26, et Luc. III, 3, ubi dicitur quod Joannes venit in omnem regionem Jordanis baptizans. De *Præconis* officio, Marc. I, 3 : *Parate viam Domini,* etc. Isa. XL, 3 : *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Prædicator etiam fuit, sicut dicitur in eis-

dem prædicans, baptismum pœnitentiæ. Infra, cap. III, 4-18, multum est de prædicatione ipsius. Et quoad hoc dicitur sagitta electa quoad bonos, quos verbis suis sicut sagitta compunxit. Isaia, XLIX, 2 : *Posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua me abscondit.* Dicitur etiam gladius acutus, quoad malos quos præscidit, Psal. cxix, 3 et 4 : *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ,* etc. Psal. Lxiii, 8 : *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum.* De *Testimonio* dicitur, Joan. I, 7 : *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.* De *Paranympis* officio dicitur, Joan. III, 29, ubi Joannes dicit de seipso : *Qui habet sponsam, sponsus est : amicus autem sponsi, qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.*

Privilegia autem Joannis sunt quatuor. Scilicet, quod ab Angelo annuntiatum : et quod ab Angelo prænominatum antequam natus : quod in utero sanctificatus : et quod nondum natus in occursum Salvatoris est in gaudio motus. Et de annuntiatione quidem habetur hic. Et in figuram hujus annuntiatum Isaac<sup>1</sup>, et Samson<sup>2</sup>. Neque plures in Veteri Testamento prius annuntiatum.

Prænominati autem ante nativitatem in Veteri Testamento non inveniuntur nisi sex : Ismael, Isaac, Samson, Josias, Cyrus, et Agag<sup>3</sup>. Et duo in Novo Testamento, scilicet Joannes, et Christus. Nec aliquis ante nativitatem nominatur, nisi quia fuit salutis communis specialis figura, vel speciale impedimentum. Sicut Ismael nominatur, qui fuit Isaac persecutor : in quo magis claruit virtus Isaac, qui est Salvatoris figura. Samson autem prænominatur, quia Salvatoris in nomine et actu figura. Cyrus autem, qui li-

<sup>1</sup> Cf. Genes. xviii, 10.

<sup>2</sup> Cf. Judicum, xiii, 3.

<sup>3</sup> Prænominatus fuit Ismael, Genes. xvi, 11 : Isaac, Genes. xvii, 19 : Samson secundum

aliam translationem, Judicum, xiii, 3 ; Cyrus, Isa. xlv, 1 : Josias, III Reg. xiii, 2 : Agag, Numer. xxiv, 7, in prophetia Balaam.

berator populi a captivitate Babylonica, et in hoc Salvatoris figura exstitit. Josias autem, quia et religione et opere præostendit Salvatorem. Agag autem, quia fuit causa translationis regni Saul : quod significabat regni veteris translationem in regnum Christi. In Novo autem Testamento non prænominantur, nisi Joannes et Jesus : ut hic.

De sanctificatione autem dicitur hic. Infra, in eodem, *ꝯ. 15* : *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris.* Et, Jerem. *i, 5* : *Priusquam te formarem in utero, novi te : et antequam exires de vulva, sanctificavi te.*

De motu autem ejus in utero in occursum Salvatoris, Infra, in eodem, *ꝯ. 44* : *Ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo.*

Septem autem præeminentiæ sunt, quod est plusquam propheta, major homine, cultor eremi, sanitas patris, donum matris, stupor universi, terminus prophetarum et legis. Quod sit plusquam propheta, Matthæi, *xi, 9* : *Quid existis videre ? prophetam ? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam.* De secundo, Ibidem, *ꝯ. 11* : *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista Augustinus contra Felicianum : « Si nullus « major inter natos mulierum, nullus « major hominum. Ergo nullus major « sub Deo : excepta beata Virgine, ad « quam nihil creatum est comparabile. » Et hoc est contra quosdam, qui suos Sanctos omnibus aliis præferunt. De Anachoretæ vita infra dicitur, quod erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel. Et ideo cibo parcissimus, et vestimento asperrimus erat. Unde, Marc. *i, 6* : *Et erat Joannes vestitus pilis cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus, et locustas et mel silvestre edebat*<sup>1</sup>. Hæc enim sunt habitus, et victus eremitarum. Quod sit sanitas patris, infra in eodem, *ꝯ. 64* : *Apertum est autem illico os ejus,**

*et lingua ejus.* Et quod sit gaudium matris, patet, Isa. *LIV, 1* : *Lauda, sterilis, quæ non paris : decanta laudem, et hinni, quæ non pariebas.* Quia videlicet supra potestatem naturæ datus est tibi filius gratiæ. Unde de ea dicitur, Ruth, *iv, 14* et *15* : *Benedictus Dominus, qui non est passus ut deficeret successor familiæ tuæ, et vocaretur nomen ejus in Israel : et habeas qui consoletur animam tuam.* Quod autem sit stupor universi, infra, in eodem, *ꝯ. 66* : *Posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes : Quis, putas, puer iste erit ?*

Tres autem sunt aureolæ ipsius : Virginitatis, Doctoris, et Martyris. Unde, Hieronymus in hymno :

Serta ter denis alios coronant  
Aucta crementis, duplicata quosdam :  
Trina te fructu cumulata centum  
Nexibus ornant<sup>2</sup>.

Isa. *LXII, 3* : *Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.*

In tot igitur et talibus numeratus est Joannes.

« Et erit gaudium tibi et exsultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt. »

Ecce præconium annuntiati.

Et dicuntur hic quatuor : qualis videlicet erit ad homines, qualis ad Deum, et qualis in fructu, et qualis in officio.

Duo autem dicuntur hic de qualitate ejus ad homines : qualis videlicet erit ad parentes, et qualis ad omnes.

De primo dicitur : « *Et,* » hic filius « *erit gaudium,* » hoc est, materia et causa gaudii, « *tibi.* » « Gaudium, ut dicit Augustinus, est diffusio animi in conceptione boni. » Isaiæ, *lx, 5* : *Videbis, et afflues, mirabitur et dilatabitur*

<sup>1</sup> Cf. Matth. *iii, 5.*

<sup>2</sup> Ad Laudes festi S. Joannis Baptistæ.

*cor tuum. Jerem. XIII, 11 : Ut essent mihi in nomen, et in laudem, et in gloriam. Hic enim non tam carnalis quam spiritualis est filius. In quo etiam omnis gratiæ filius significatur : qui nascitur quando renascitur et revivificatur in gratia. Proverb. XXIII, 24 : Exsultat gaudio pater justi : qui sapientem genuit, scilicet filium, lætabitur in eo. Luc. XV, 32 : Epulari et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit : perierat, et inventus est.*

« Et exsultatio. »

« Exsultatio, ut dicit Cassiodorus, est redundantia gaudii cordis in corpore, quæ in protensione spiritus et sanguinis demonstratur. » Isa. LXI, 10 : *Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo. Psal. LXXXIII, 3 : Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.*

« Et multi, etc. »

Ecce qualis est ad omnes quantum est in se : ad multos autem in effectu.

Et hoc est quod dicit : « *Et multi in nativitate ejus gaudebunt,* » hoc est, de nativitate, : quia omnes illi quos convertet ad Dominum Deum patrem ipsorum. Ad Philip. IV, 4 : *Gaudete in Domino semper : iterum dico gaudete.* Proverb. XXVIII, 12 : *In exultatione justorum multa gloria est : regnantibus impiis ruinæ hominum.* Proverb. XXIX, 2 : *In multiplicatione justorum lætabitur vulgus.* Joan. XVI, 21 : *Jam non meminit pressuræ propter gaudium : quia natus est homo in mundum : tam rationalis et tam divinus.* Judith, XV, 10 : *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.*

« Erit enim magnus coram Domino, et vinum et siceram non bibet. »

Hic tangit qualis futurus erat in vita, et ad Deum.

Et tangit tria : qualis sit futurus quantitate virtutis : qualis austeritate victus et conversationis : et qualis in mente, et in miraculis.

De primo autem dicit duo : quantitatem scilicet virtutis, et sinceritatem veritatis.

De primo dicit : « *Erit enim magnus,* » non quantitate molis, sed quantitate virtutis : quæ triplex est : magnitudo scilicet virtutis ad operationem : magnitudo honoris ad virtutis congruam remunerationem : et magnitudo opinionis et laudis ad omnium intuentium ædificationem.

Magnitudo autem virtutis patet per singulas virtutes. Prudentia magnus fuit, qui omnes docuit. Temperantia magnus fuit, qui non solum a deliciis, sed etiam a necessariis temperavit. Justitia magnus, qui unicuique quod suum erat attribuit : bonis et malis et militibus et aliis. Fortitudine magnus, qui insaniam regis et reginæ sustinuit. Vel, virtute magnus est, qui eam quæ magna virtus proprie vocatur, præ aliis habuit. Hæc autem est quæ *magnanimitas* vocatur : quam sic diffiniunt Philosophi : quod « est amplitudo quædam animi dignitatem suam recognoscentis : » et non reputare sibi satis magnum, quod minus est ipso. Sicut fecit Joannes omnia contemnens, et ad Deum et ad cœlestia se extendens. Ad Philip. III, 7 et 8 : *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lurcifaciam.* Seneca ad Lucilium : « Magnus est, cui magno existenti nihil est magnum. » Aristoteles in libro IV *Ethicorum* : « Magnanimus

est, qui seipsum dignificat dignis dignus existens. » Bernardus in libro II de *Consideratione* : « Magnus est enim, « cui dignitas sæculi si arrisit, non iriserit : neque minor est illo qui incidens in adversa, non excidit vel « parum a sapientia. » Job, 1, 3 : *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales*, hoc est, in quibus est ortus sol justitiæ. Et ideo dicit Ambrosius, quod « erat magnus, non virtute corporali, sed animi magnitudine. »

Huic magnitudini tria sunt opposita. Quorum unum est, scire quidem propriam dignitatem, et non audere se dignificare sibi dignis : et ista est pusillanimitas. Aliud autem est nescire propriam dignitatem, et ideo se non dignificare dignis : et hic vocatur insipiens. Tertium est nullo dignum esse, et tamen dignificare se magnis : et hic vocatur arrogans et ambitiosus. Nihil horum passus est Joannes : quia ut dignus existens, se Israeli ostendit, et testimonium perhibuit, et baptizavit Christum, et multa fecit magna, et suiipsius quantitatem cognovit : et, ut dicit Gregorius, « elegit magis solide subsistere « in se, quam humana opinione et fama « inaniter elevari supra se. » Dicit enim Ptolomæus, quod « insipiens est, qui suiipsius ignorat quantitatem. » Et Aristoteles dicit, quod « insipiens est qui nescit seipsum. » Cantic. 1, 7 : *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere*. Arrogans etiam non fuit, qui sibi etiam discipulis æmulantibus non usurpavit Christi dominium. Joan. 11, 28 : *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis quod dixerim : Non sum ego Christus*. Sed seipsum sibi dignis dignificavit, paronymum se vocans, dicens, Ibidem, 1, 29 : *Qui habet sponsam, sponsus est : amicus autem sponsi, qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi*.

<sup>1</sup> Matth. xi, 11.

<sup>2</sup> Matth. 11, 4 : *Ipse Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa*

Magnus etiam fuit honore, qui, sicut dicit Philosophus, est præmium virtutis. Est enim honor exhibitio reverentiæ in signum virtutis, sive testimonium virtutis. Psal. viii, 6 et 7 : *Gloria et honore coronasti eum, Domine : et constituisti eum super opera manuum tuarum*. Et hoc factum est cum ore Salvatoris dictum est : quod non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista <sup>1</sup>. Magnissimus enim fuit opinione, ut a multis Christus reputaretur, Joan. 1, 19 : *Quando miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et levitas ad eum, ut interrogaverent eum : Tu quis es ?* Sic ergo erat magnus sincera et vera magnitudine virtutis, quæ est quando sic est

« Coram Domino. »

II ad Corinth. x, 18 : *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*. Proverb. xvi, 2 : *Spiritum ponderator est Dominus*. Sunt enim, sicut dicit Psalmus lxi, 10 : *Mendaces filii hominum in stateris : ut decipiant ipsi de vanitate, scilicet laudis, in idipsum*. Multi enim multo carius se vendunt in statera dolosa, quam veræ virtutis pondere valeant. Et ideo dicit « coram Domino » quem nihil latet, II ad Corinth. iv, 2 : *In manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo*. Veritas enim et sinceritas semper vincunt falsam et dubiam hominum opinionem : quia dicitur in apocryphis, III Esdræ, 11, 12 : *Super omnia vincit veritas*.

« Vinum et siceram non bibet. »

Ecce qualis erat in se in vitæ austeritate. Et hic quidem non ponitur nisi parcimonia in potu. Matth. 11, 4, autem, de victu et vestitu <sup>2</sup>.

*lumbos suos : esca autem ejus erat locustæ et mel silvestre.*

Dicit ergo quod non bibit « vinum. » Vinum enim immoderate sumptum inebriat : moderate autem sumptum, sicut dicit Philosophus, bonæ spei facit homines, et de se præsumentes : quia dissolvit sanguinem, et subtiliat spiritum, et ideo resolvit in vana gaudia et præsumptionem. Et ideo iste Joannes in gravitate sapientiæ volens consistere, vinum neque moderate neque immoderate bibit. Ad Ephes. v, 18 : *Nolite inebriari vino in quo est luxuria.* Jerem. xxxv, 6 : *Non bibemus vinum, quia Jonadab, filius Rechab, pater noster præcepit nobis, dicens : Non bibetis vinum vos, et filii vestri usque in sempiternum.* Proverb. xxxi, 4 : *Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum.* Ideo etiam licet filii beati Job non legantur immoderate usi fuisse vino, tamen quia inanes lætities generat, legitur, Job, i, 18 et 19 : *Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, et mortui sunt.*

« *Et siceram, etc.* » Sicerca interpretatur ebrietas : et significat omne quod inebriare potest. *Bria* autem mensura græce : et *brians, antis*, est mensura aut scyphus capacitati hominis proportionatus : capacitatem autem dico, quæ est ad sanitatem et bonam habitudinem membrorum interiorum et exteriorum, et sobrietatem sensuum ordinata proportio : extra quam mensuram neque qualitate potus, neque quantitate excessit Joannes, potum aquæ etiam in mensura bibens. Proverb. xxxi, 5 : *Nullum secretum est ubi regnat ebrietas.* I Reg. i, 14 : *Usquequo ebria eris? digere paulisper vinum quo mades.* Proverb. xxiii, 29 et 30 : *Cui vœ? cujus patri vœ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus*

*epotandis? Isa. v, 11 : Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis! Eccli. xix, 2 : Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes.* Matth. iii, 4, dicitur quod esca ejus erat mel silvestre et locustæ, et vestimentum ejus de pilis camelorum. Innocens enim initio vitæ hominis innocentis se conformavit. Eccli. xxix, 28 : *Initium vitæ hominis aqua et panis.* I ad Timoth. vi, 8 : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus.*

« Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. »

Tangit hic qualis futurus sit in mente et miraculis. Quod enim dicit replendum « Spiritu sancto, » dicit sanctitatem mentis. Quod autem dicit, « ex utero matris, » est miraculi specialis.

Circa primum horum tangit duo, scilicet, quo plenus erit : et modum plenitudinis. Quo plenus erit, quia « Spiritu sancto. » Modum autem innuit cum dicit, « replebitur. »

Attende quod quidam sunt pleni Spiritu, qui de sanctitate Spiritus nihil habent : sicut qui accipiunt inspirationem ad intellectus illuminationem, et non ad virtutis operationem : sicut fecit Balaam<sup>1</sup>. Job, xxxii, 8 : *Ut video, Spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.*

Iste autem accepit Spiritum ad veritatis cognitionem, ad sanctitatem, ad virtutis operationem : propter quod dicitur Spiritus virtutis, et Spiritus veritatis. Joan. xvi, 13 : *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* De spiritu virtutis, Act. i, 8 : *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos.* Sic ergo accepit Spiritum sanctum.

De modo autem acceptionis dicit : « Replebitur. » Repletio, ut dicunt Ga-

<sup>1</sup> Cf. Numeror. xxiv, 1 et seq.



lenus et Avicenna, sonat plenitudinem prementem : et ideo in repletis visus h**ebescit**, **nausea excitatur**, et appetitus h**ebescit**. Plenitudo ista **premit pectus**, et est quasi plenitudo exuberans : sicut in Joanne, ubi plenitudo exuberans redundabat in alios. Act. II, 4 : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*. Psal. LXXXIX, 14 : *Repleti sumus mane misericordia tua, et exultavimus, et delectati sumus*.

Sequitur de miraculo :

« Adhuc ex utero matris suæ. »

Hoc privilegium paucissimis est concessum, quod Spiritu sancto (non in quantum est Spiritus tantum, sed etiam in quantum est sanctus) ex utero matris egressus est repletus : quia in hoc in utero est sanctificatus, sicut superius diximus : quia Spiritus sanctus non habitaret in corpore subdito peccato originali, neque etiam intraret in animam non sanctificatam. Sapient. I, 4 : *In malevolam animam non intrabit, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Sanctificatus igitur est in utero, sicut dicitur, Jerem. I, 5 : *Priusquam te formarem in utero, novi te : et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et Prophetam in gentibus dedi te*. Quod paucissimis concessum est, quia non nisi tribus : Jeremiæ quidem, et Joanni, et beatæ Virgini. Jeremiæ quidem et Joanni ad deletionem peccati originalis et debilitatem fomitis, ut non moveat ad mortale, sed ad veniale poterat movere. Beatæ autem Virgini ut nec ad mortale neque veniale movere possit. Et hoc innuitur de Jeremia quidem, quod veniale habuit, ubi dixit : *Ecce nescio loqui, quia puer ego sum*<sup>1</sup>. Quod intelligitur esse factum ex impedimento peccati. De Joanne autem, quia dixit : *Ego a te debeo baptizari*<sup>2</sup> : Glossa, « hoc

est, a peccato mundari : » quod ad minus innuit eum veniale habuisse. Sed Augustinus dicit, quod « cum de peccatis agitur, nullam de gloriosa Virgine vult fieri mentionem. » Exod. xxv, 11 : *Deaurabis arcam auro mundissimo intus et foris*. Beata Virgo de dignissima gratia erat mundissima in corpore extra, et in anima intus. Omnes autem alii Sancti si convenirent, et dicerent quia peccatum non habemus, seipsos seducerent, et in eis veritas non esset<sup>3</sup>. Hoc est ergo miraculum Dei speciale.

Sequitur qualis futurus est iste in fructu : et de hoc dicit :

« Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum. »

16

« Multos » dicit, non omnes : quia, Matth. xx, 16 : *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Matth. viii, 11 : *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum*. Isa. lx, 5 : *Quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi*.

« Filiorum Israel. »

Hoc est ideo, quia gentilibus non prædicabat : quia adhuc non erat via patefacta ad gentes. Matth. x, 5 : *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis*. Et quia Christus gentibus non prædicavit, ideo Joannes (qui fuit præcursor ejus) ad gentes se non convertit. Significatur autem mystice per hoc, quod Joannes eos qui Deum habent præ oculis convertit : et de indevotis non curavit per effectum, licet curavit per affectum charitatis. Et devoti significantur per filios Israel. Genes. xxxii, 30 : *Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea*. Et, ibidem,

<sup>1</sup> Jerem. I, 6.

<sup>2</sup> Matth. III, 14.

<sup>3</sup> Cf. I Joan. I, 8.

γ. 28 : *Nequaquam Jacob appellabitur nomen suum, sed Israel.* Matth. vii, 6 : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

« Convertet ad Dominum Deum ipsorum. »

Conversio est ordinata dispositio animæ et corporis, et omnium virium quæ sunt in anima et corpore : sicut perversio est inordinata dispositio omnium eorum quæ dicta sunt. Conversio autem est dispositio qua ordinatur corpus ad animam ; et in anima sensus ad imaginationem, imaginatio ad rationem, ratio ad intellectum, intellectus ad illuminationem divinam. Joel, ii, 13 : *Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est.* Isa. lv, 7 : *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus : et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Et e contra de malis dicitur, Isa. i, 4 : *Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* Joannes autem recte docens et opere probans, convertit eos ad rectam dispositionem. Jerem. xv, 19 : *Convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos.*

Ad quem autem convertentur, dicit : « *Ad Dominum Deum.* » Dionysius vult quod *Dominus* sit nomen potestatis, et *Deus* nomen providentiæ. *Dominus* autem dicit potestatem cum dominio, hoc est, superpositione : quæ « nititur bonis et pulchris se sublevantibus, et stat vigore non nutante (et sunt verba ipsa Dionysii in libro de *Divinis nominibus*) et honorum omnimoda possessio vera, et non cadere valens fortitudo. » Ad hunc ergo Dominum convertit : quia ille potest salvare, in altitudine quidem existens : et habens pulchra et bona quibus salvet, et quos salvet : virtute non nutante conservans. Exod. vi, 3 : *Nomen meum Adonai non indicavi eis.* Psal. lxxvii, 5 : *Do-*

*minus nomen illi, hoc est, nomen admirabile : quia in alto positum. Hoc autem nomen, Deus, dicit providentiam et curam : sicut dicit Damascenus, quia cuncta circuit quæ feruntur providentia sua.* Eccli. xxiii, 28, dicit : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum.* Psal. xxxi, 8 : *In via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.* Dominus autem premit potestate, et elevat bonitate : Deus autem est quem latere nihil potest, et curam habet de omnibus sua charitate. Sapient. xi, 25 : *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti.* Hic autem qui potestate Dominus est, et providentia Deus est

« Ipsorum, »

Est per cultum et obsequium. Ad Hebr. xi, 16 : *Non confunditur Deus vocari Deus eorum.* Et debet construi *Deus* possessive, quia qui colit Deum et diligit, possidet eum ad votum. Exod. iii, 15 : *Hæc dices filiis Israel : Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob misit me ad vos : hoc nomen mihi est in æternum.* II Machab. i, 2 : *Benefaciat vobis Deus, et meminerit testamenti sui, quod locutus est ad Abraham, et Isaac, et Jacob servorum suorum fidelium.* Glossa : « Arguit hic argumentationem necessariam. Dicit enim scriptura, quod Joannes « *convertet multos filiorum Israel ad Dominum Deum ipsorum :* » convertit autem ad Christum : ergo Christus est Dominus Deus ipsorum. »

« Et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ. »

Ecce præcursoris officium.

Dicit autem quatuor : præcursorem videlicet, et quem præcedet, et quo spiritu et virtute, et quo fine.

De præcursore dicit : « *Et ipse præce-*

*det,* » scilicet puer præcedet in annuntiatione, nativitate, baptismo, prædicatione, morte. Infra, in eodem, *ÿ. 76* : *Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Isa. xl, 3* : *Parate viam Domini : rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Isa. lxii, 10* : *Transite, transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, hoc est, offenticula. Per annuntiationem autem paravit viam fidei in conceptu virginali : unde dicit infra, in eodem, *ÿÿ. 36 et 37* : *Et ecce Elisabeth, cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua : et hic mensis sextus est illi quæ vocatur sterilis : quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Et ideo tu crede te virtute Altissimi concepturam. Nascendo autem paravit viam nascenti. Et hoc ostendit in gaudio occurrens etiam ei intra matris viscera. Baptizans autem paravit viam baptizando. Unde, Matth. iii, 11* : *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam : qui autem post me venturus est fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare : ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni*<sup>1</sup>. Et, Act. i, 5 : *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Et, Act. xix, 4* : *Dixit autem Paulus : Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent. Et sic ut crederent, prævit prædicando prædicantem. Joan. i, 29* : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Moriens autem prævit ad inferos descendentem. Matth. xi, 3* : *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? Sic ergo « præcedet ante illum » quia dignum fuit ut ante tanti adventum præcederet vox præconis. Joan. i, 23* : *Ego vox clamantis in deserto. Multi enim Prophetæ clamaverunt : et ideo ut desiderio eorum satisfaciat, et ne imparatis tantus rex superveniat, iste præcedet. Amos, iv, 12* : *Præparare in occursum Dei tui Israel.**

« In spiritu et virtute Eliæ. »

Ecce qua virtute præcedet, et quo spiritu. Dicit autem Glossa, quod præcedet in Spiritu sancto : sicut dicitur, Judicum, vi, 34 : *Spiritus Domini induit Gedeon*, hoc est, utebatur eo sicut indumento, quod continet indutum, et figuram accipit induti, et ad operationes induti et non ad alia se extendit. Et in his tribus induit Joannem Spiritus Domini : quia replevit eum, et ad se per communionem configuravit, et omnia opera sua per eum exercuit.

Replevit autem eum plenitudine supereffluentis. Luc. vi, 38 : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Et ideo ex effluxu ejus fluxit in alios, sicut per canalem : unde dicit Ecclesia de Joanne et aliis vasis gratiæ, Jerem. iv, 12* : *Spiritus plenus ex his veniet mihi. Configuravit autem eum sibi, hoc est, aptavit : sicut dicitur, Act. ix, 15, de Paulo* : *Vas electionis est mihi iste. Quia etiam liquor figuram vasis accipit. Operabatur etiam per eum, I ad Corinth. xii, 11* : *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Propter quod etiam dicitur, Sapient. vii, 22* : *Spiritus unicus, multiplex. Unicus in se, multiplex autem in operatione.*

« Virtute. »

Glossa dicit, « signorum. » Sed hoc videtur frivolum : quia, Joan. x, 41, dicitur : *Joannes quidem signum fecit nullum. Ad hoc autem dicendum, quod in opere Joannes nullum signum ostendit : quia si signa fecisset, jam non ad Christum, sed ad seipsum populum convertisset ignorantem. Secus autem fuit de Apostolis, qui postquam Christus cognitus erat, signa in nomine ejus fecerunt. Sed Joanne prædicante, Christus non*

<sup>1</sup> Cf. Luc. iii, 46.

notus innotescere debuit : et ideo Joannem minui, Christum autem crescere oportebat : ideo Joannes diminutionem suam ostendit nullum signum faciendo, Christus autem magnitudinem accepit per signa. Tamen, ut dicit Chrysostomus, « Tota vita Joannis stupor fuit et miraculum, tam in nativitate ejus miraculis quam in vitæ ejus virtutibus, quæ supra hominem fuerunt. » Sed quod ipse non fecit signum prædicando, causa est quæ dicta fuit. Et quoad hoc qui minor fuit in regno Christi, major fuit illo : quia omnes illi parvi et magni miracula multa fecerunt, ut in omnibus verificaretur sermo Joannis : *Illum oportet crescere, me autem minui* <sup>1</sup>. Et hæc expositio notanda est : quia illa sola omnibus aliis est verior, et litteralior. Tamen possemus dicere etiam, quod præcessit in Spiritu sancto tamquam in auctore sapientiæ et sanctitatis : et præcessit in virtute, tamquam in perfectione ad opera meritorum. Sapient. viii, 7 : *Sobrietatem et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus*. Optime et secure præcessit Spiritum hominis ducentem et virtutem confortantem. Fidelis præco ex Spiritu : idoneus autem ex virtute. Isa. lxiii, 14 : *Spiritus Domini ductor ejus fuit*. Psal. cxlii, 10 : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. De virtutis idoneitate, Eccli. xlv, 6 : *Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes*.

Sequitur :

« Eliæ. »

Glossa : « Sicut Elias præco fuit iudicis <sup>2</sup>, sic Joannes præco Redemptoris <sup>3</sup>. » Ambo in deserto. De Elia, III Regum, xix, 4. De Joanne, Matth. iii, 1, et Marc. iii, 4. Ambo victu parci. De

<sup>1</sup> Joan. iii, 30.

<sup>2</sup> III Reg. xvii, 1.

<sup>3</sup> Marc. i, 4 et seq.

Elia, III Reg. xvii, 6. De Joanne, Matth. iii, 4. Vestitu inculti, etiam in eisdem locis : quia uterque habuit vestimentum de pilis camelorum, et zona pellicea circa lumbos utriusque. De Elia, IV Reg. i, 8 : *Vir pilosus, et zona pellicea accinctus renibus*. De Joanne, Matth. iii, 4. Ambo regum insaniam et reginarum tulerunt, Elias, III Reg. xix, 2, ubi Achab et Jezabel persequuntur Eliam, et quærunt eum occidere. De Joanne, Matth. xiv, 3-12, ubi Herodes propter Herodiam incarcerat Joannem, et truncat capite. Ille, scilicet Elias, Jordanem cælum petiturus divisit <sup>4</sup> : hic, scilicet Joannes, ad lavacrum salutare, hoc est, baptismum Christi, quo cælum aperitur, multos suo baptisate convertit <sup>5</sup>. Hic, Joannes scilicet, cum Domino conversatur in terris, inducens ad credendum in Christum. Ille, scilicet Elias, cum Domino manifestatur in gloria, Matth. xvii, 2, ubi transfiguratus est Dominus. Unde de eo dicit, ibidem, v. 12 : *Elias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt*. Matth. xi, 14 : *Si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est* : quia sicut Elias secundum adventum, ita Joannes primum præcessit. Et ideo sicut dicit Gregorius, « quamvis non sit Elias in personali discretionem, tamen est Elias in spiritu et virtute. Eccli. xlviii, 1 : *Surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat*. Joan. v, 35 : *Ille erat lucerna ardens et lucens*.

Ecce officium Joannis.

Sequitur :

« Ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam. »

<sup>4</sup> IV Reg. ii, 8.

<sup>5</sup> Cf. Joan. i, 28 ; Matth. iii, 5 et 6 ; Luc. iii, 12-14.

Ecce finis tanti officii, et tanti officialis : « *Ut convertat.* »

Et dicit tria quæ habuit in intentione : quorum primum est conformare filios patribus in intellectu fidei : secundum, reducere incredulos ad veritatem revelatæ fidei : tertium est, quod vere finis est, parare viam Christo per veritatem acceptæ fidei.

De primo dicit : « *Ut convertat.* » Jam dictum est quod conversio debita et naturalis est dispositio corporis et animæ, et eorum quæ sunt in utroque. Debitus autem ordo est, quod corda patrum tamquam radicalia sugentia succum et vigorem fidei de revelationibus divinis, convertantur ad stipitem et ad ramos. Quia sicut non rami radicem portant, sed radix eos : et sic frunt rami socii radicis olivæ et pinguedinis <sup>1</sup>. Sic etiam egreditur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendit, super quem Spiritus Domini requievit <sup>2</sup>. Jesse enim interpretatur *incendium* : et significat ardorem desiderii patrum suspirantium Christi in carne præsentiam. Virga autem est propagatio filiorum : flos autem filius Virginis, super quem in se et in suis Spiritus requiescit. Sic enim dicit Apostolus, ad Roman. XI, 28, quod Synagoga dilectissima fuit propter patres.

Retorqueantur ergo « *corda patrum,* » secundum illuminationes a Deo receptas, « *in filios,* » ut intelligant et illi eum qui patribus promissus est : et conversa sint « *corda patrum in filios.* » Ad Hebr. XI, 2 : *In fide testimonium consecuti sunt senes, scilicet patres. Deuter. xxxii, 7 : Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi : majores tuos, et dicent tibi. Sic Leviathan extrahitur hamo* <sup>3</sup>.

Sequitur :

« *Et incredulos,* »

Supple, filios incredulos patribus convertat, « *ad prudentiam* » justorum discipulorum Christi : sicut Andream qui primo adhæserat Joanni, convertit ad prudentiam discipulorum Christi <sup>4</sup> : et omnes discipulos Joannis qui primo æmulabantur Joannem, convertit ad Christum Joanne relicto <sup>5</sup>. Quando enim non credebant fidei patrum, tunc indicabat eis Christum, ut sic acciperent prudentiam.

« *Justorum.* » Ad Roman. x, 4 : *Finis legis Christus, ad justitiam omni credenti.* Ad Roman. iv, 2 et 3, Abraham ex fide justificatus est, et non ex operibus legis. *Qui enim incredulus est, infideliter agit* <sup>6</sup>. Unde Glossa : « Prudentia justorum est, non de legis operibus justitiam præsumere, sed ex fide salutem quærere : ut quamvis in lege positi legis jussa perficiant, gratia tamen Dei se salvandos per Christum intelligant. » Habacuc, ii, 4, et ad Hebr. x, 38, et ad Roman. i, 17 : *Justus ex fide vivit.* Malach. iv, 5 et 6 : *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum : ne forte veniam, et percussiam terram anathemate.*

Sequitur :

« *Parare Domino plebem perfectam.* »

Finis est ultimus quoad intentionem Joannis : quia totum factum ejus via fuit ad Christum, et quod nullus staret in ipso : sed ut ipse diminueretur, et Christus cresceret.

Et hoc est quod dicit : « *Parare,* » hoc est, per modum ministri præparare.

<sup>1</sup> Ad Roman. xi, 17 : *Socius radicis et pinguedinis olivæ factus es.*

<sup>2</sup> Cf. Isa. xi, 1 et 2.

<sup>3</sup> Job, xl, 20.

<sup>4</sup> Joan. i, 40.

<sup>5</sup> Ibidem, i, 37.

<sup>6</sup> Isa. xxi, 2.

Unde prædicavit Christum, et baptizavit populum : non ut gratiam in baptismo conferret, sed ut ad baptismum Christi perduceret assuefaciendo. Sic omnis minister parat Domino suo. I ad Corinth. IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Minister enim formam Domini assumens, infidelis est in Dominum : quia gloriam Domini sibi usurpat : cum dicat, Isa. XLII, 8 : *Gloriam meam alteri non dabo.* Bernardus : « Fidelis profecto « minister eris, si de universa gloria Domini tui, etsi transeunte per te, nihil « manibus tuis adhærere contingat. »

Et ideo, « Domino, » non sibi parat, « plebem perfectam. » Plebem autem dicit propter plebeios et humiles, quos Dominus elegit. I ad Corinth. I, 26 et 27 : *Videte vocationem vestram, fratres : quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles : sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus.* Matth. XI, 25 : *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Jacob. IV, 6 : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Luc. I, 52 : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.*

Hanc plebem humilem missus est parare « perfectam, » unumquemque in suo ordine. Perfectum enim est cui nihil deest in suo ordine. Genes. VI, 9 : *Noe vir justus atque perfectus fuit in generatione sua, cum Deo ambulavit.* Matth. V, 48 : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est.*

Sequitur :

18 « Et dixit Zacharias ad Angelum : Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis. »

Ecce hic est petitio signi.

Et hic dicuntur tria, quorum primum

est signi expetitio : secundum, signi datio : tertium, signi manifestatio.

In primo tria dicuntur, quorum unum est Zachariæ cum Angelo locutio : secundum, signi expetitio : tertium autem, ratio quare signum expetatur.

De primo dicit : « *Et dixit Zacharias ad Angelum.* » Dixit autem corporali quidem voce : quam tamen Angelus vocis tantum accepit speciem. Et de his satis supra dictum est.

« Unde hoc sciam? »

Hoc est, in quo signo hoc sciam : cum contrarium totum ostendit natura, quæ impotens est ad generandum? Similiter, Genes. XVIII, 12 : *Postquam consenui, et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Judicum, VI, 15 : *Obsecro, mi Domine, in quo liberabo Israel? ecce familia mea infima est in Manasse, et ego minimus in domo patris mei.* Cum igitur sic contrarium sit in causis humanis, et ignorentur a me causæ divinæ, unde hoc scire poterò? Tob. III, 20 : *Non est enim in hominis potestate consilium tuum : unde ergo scire poterò?*

Et hoc est quod sequitur de causa : et tangit causam ex parte sui, et causam ex parte uxoris.

Ex parte sui :

« Ego sum senex. »

Senex est masculini generis. Cujus causa est, quia senectus non est tantum stans in corpore sicut in signo, sed etiam in mente, quando resident motus complexionis : tunc enim fit fortis conversio super species receptas, et conveniens iudicium intellectus : et hoc est conveniens viris, et non fœminis, nec aliis animalibus. Et ideo de muliere non dicit quod sit senex, sed de se. Quod autem dixit Sara, Genes. XVIII, 12 : *Postquam consenui* : abusive ponitur, et non proprie. Sapient. IV, 8 et 9 : *Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum nu-*

*mero computata : cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata.* Aristoteles in VII *Physicorum* : « Non æque judicant juvenes presbyteris, » id est, senibus. Aristoteles in III *Ethicorum* : « Nemo eligit juvenes duces : » quia non constat eos esse sapientes. Mulier enim imperfecta est ad iudicium veritatis : et ideo, Paulus, I ad Timoth. II, 12, prohibet mulierem docere in Ecclesia, dicens : *Docere autem mulieri non permitto.* Senex autem frigidus est et siccus, et ideo ad generandum inhabilis : quia frigiditas sistit motum generativæ, et siccitas abscindit semen generationis.

« Et uxor mea processit in diebus suis, »

Hoc est, a tempore conceptionis procul cessit sicut Sara : quæ ideo dicitur *caverna lacu*<sup>1</sup>, sicut supra dictum est : quia forte senex per juvenulam generaret, sicut Abraham quando duxit aliam uxorem, nomine Ceturam<sup>2</sup>. Sed vetula non concipit neque per senem, neque per juvenem : sed tamen per juvenem concipere minus esset inconveniens quam per senem. Similiter de Anna prophetissa, infra, II, 36, dicitur, quod *hæc processerat in diebus multis.* Notatur autem in hoc quod dicit, *processerat*, profectus virtutis et claritatis hujus mulieris. Proverb. IV, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Sancti enim sicut procedunt ætate temporis, ita proficiunt incrementis gratiæ et virtutis. Luc. II, 52 : *Jesus autem proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines.* Isa. LXV, 20 : *Non erit ibi amplius infans dierum, et senex qui non impleat dies suos.* Facit autem hoc ad commendationem miraculi : quia vetulæ propter spasmationem membrorum non sunt aptæ ad

concipiendum, et minus aptæ ad parandum.

Si autem quæritur : Quæ causæ fuerunt quod iste verbis Angeli statim non credit, cum omnis homo naturaliter citius de se credat læta futura et magna : ita quod etiam quidam de se credant futura impossibilia ? Respondendum, quod quatuor causæ hujus incredulitatis esse poterant. Magnitudo videlicet promissionis, difficultas ejus quod promittebatur impletionis, consideratio ad id quod promittebatur propriæ inhabilitatis, et recognitio naturalis impossibilitatis.

De promissionis magnitudine, quod aliquando inducat dubitationem. Genes. XV, 2 et 3, cum terra promitteretur Abrahamæ, et semini ejus, dixit : *Domine Deus, quid dabis mihi ? Ego vadam absque liberis, et filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer... Mihi autem non dedisti filium.*

Difficultas etiam adipiscendi rem promissam aliquando generat incredulitatem : unde Numer. XIII, 26 et seq., et XIV, 1 et seq., cum redirent exploratores et renuntiarent quod terra quidem esset optima, tamen habitatores essent gigantes, et urbes ad cælum usque muratæ : populus discredidit se posse expugnare, et voluit redire in Ægyptum.

Consideratio etiam propriæ inhabilitatis ad adipiscendum generat incredulitatem. Sicut, Judicum, VI, 15, de Gedeone legitur quod cum ei diceretur ab Angelo quod in hac fortitudine sua liberaturus esset Israel, respondit : *Obsecro, mi Domine, in quo liberabo Israel ? ecce familia mea infima est in Manasse, et ego minimus in domo patris mei.*

Consideratio etiam naturalis ad rem promissam impossibilitatis facit maxime discredere : unde, Genes. XVIII, 22 : *Postquam consenui, et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo ?* Quasi dicat : Impossibile est. Dicit enim

<sup>1</sup> Cf. Isa. LI, 1.

<sup>2</sup> Genes. XXV, 1.

Philosophus, quod senectus et vetustas sunt corruptiones naturales : et ideo senum et vetularum corpora sunt sicut ruinosa ædificia, quæ omni die secundum partem et partem ruunt, donec totaliter decidant. Et hæc omnia fuerunt in isto sene : et ideo dubitavit. Sed tamen, quia hæc omnia sunt sumpta ex consideratione causarum inferiorum, non erant reputanda ad promissionem cælestem.

Attende etiam quod iste, qui quæsitivè qualiter sciret futurum promissum, nihil dubitavit de Angelo, an esset Angelus lucis, an tenebrarum : quia cognovit Angelum bonum esse ex signis superius inductis : et ex his quæ adhuc infra dicentur.

19

« Et respondens Angelus dixit ei : Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum : et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare ».

Ecce hic dubitantis certificatio.

Et tangit hic duo : certificationem Angeli missi, et certificationem rei nuntiatae.

De certificatione Angeli dicit tria : certificatur enim se discretione personali, et auctoritate legationis, et beneficio novæ gratiæ.

Circa primum tria sunt notanda, quorum primum est modus illuminationis : secundum, nomen illuminantis : et tertium est modus reductionis.

De primo dicit sic : « *Et respondens, etc.* » Modus autem illuminationis divinæ est ad cor loqui. Dæmonum autem astutia est primo cor sciscitari, et postea ad suas deceptiones inclinare : et ideo dicit Gregorius, quod « Dæmon tentans » primo insidiando circumvolat, et post « suadendo blanditur, aut comminando » terret, aut promittendo decipit, aut « opprimendo rapit, aut desperando » frangit. » Angelus autem bonus semper ad cor loquitur propter illuminatio-

nem divinam, cuius ipse est minister et executor. Isa, XL, 2 : *Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam*, hoc est, ad illuminationem consolationis vocate. Osee, II, 14 : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.*

Secundum notatur in hoc quod dicit :

« Ego sum Gabriel. »

Quasi dicat : Nec fortitudinem Dei et virtutem Altissimi supervenientem, neque promissæ rei attendas magnitudinem, nec adipiscendi secundum causas inferiores difficultatem, neque tuam respice ad hæc quæ promittuntur ex humilitate parvitatem, neque etiam naturæ impossibilitatem : quia apud fortitudinem Dei non erit impossibile omne verbum, nec virtuti Altissimi erit quidquam difficile : qui in omni natura retinuit sibi originales causas, quibus eas, sicut vult, ad honorem nominis sui administrat. Ad Roman. IV, 17 : *Vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.*

De reductione in Deum dicit :

« Qui adsto ante Deum. »

Illuminationem enim a Deo accipiens venio. Adsto autem ab infimis non recedens, ut in Deum reducam eos quos illuminavero. Quia licet Angelus diffiniatur in loco, sicut supra dictum est, Deus tamen incircumscribitus et indiffinitus in loco est spiritus, intra quem (ut dicit Beda) Angeli currunt, quocumque mittuntur. Intra Deum autem dicuntur currere : quia « Deus nusquam deest, ut dicit Augustinus, nec Angelis sanctis faciem ideo abscondit, quia ad nos ministrantes veniunt. »

Unde etiam dicit : « *Adsto,* » quia assistit rectus in intellectu, et confirmatus in beatitudine visionis. Matth. XVII, 10 : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cælis est.* Tob. XII, 15 : *Ego sum Raphael Angelus, unus ex septem qui adstamus ante Dominum.*



« Et missus sum. »

Ecce auctoritas legationis. Et attende quod licet Angeli mali aliquando legantur permissam sibi habere potestatem, tamen non leguntur se dicere esse missos : quia magis malitiæ voluntatis inniuntur in persequendo injunctum ministerium, quam auctoritati potestatis : et ideo omni actu suo et opere semper peccant. Et hoc patet in serpente<sup>1</sup> : et in spiritu mendace qui decepit Achab<sup>2</sup> : et in Satan egresso a facie Domini<sup>3</sup> : et in diabolo qui tentavit Dominum<sup>4</sup> : et in omnibus visionibus Apostolicis, et maxime, Apocal. xiii, 1 et seq. Et sic de omnibus aliis. Bonus autem Angelus auctoritatem profitetur suæ professionis.

« Et missus sum loqui ad te. »

Psal, ciii, 4 : *Qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem.* Ad Hebr. i, 14 : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi?* Malach. iii, 1 : *Ecce ego mitto Angelum meum.*

« Et hæc tibi evangelizare. »

Ecce novæ gratiæ commendatio. Evangelizare enim est bonum nuntiare quod omnibus bonis melius est, scilicet denuntiatio novæ redemptionis. Luc. ii, 10 : *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum.* Isa. lii, 7 : *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem... Vox speculatorum tuorum, hoc est, Angelorum, resonat.* Isa. lii, 8 : *Levaverunt vocem, simul laudabunt, quia oculo ad oculo videbunt cum converterit Dominus Sion.*

20

« Et ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant,

pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. »

Hic dat signum, quod et signum sit promissionis venturæ, et pœna incredulitatis culpæ.

Signum autem rei promissæ : quia ille qui nasciturus erat, *vox clamantis* vocatur, quæ discerni non potuit nisi per silentium antecedens : ut ex silentio vox clamantis in gratia generaretur. Pœna autem est culpæ incredulitatis : quia iustum fuit ut impotentia loquendi plecteretur, qui non considerata potentia Dei, defectum inferiorum putavit obviare promissis divinis, et talem defectum contra Dei promissa nisus est allegare.

Dicit autem in hac pœna duo. In primo enim determinat silentium secundum quod ipsum est futuræ promissionis signum : et secundo, determinat idem secundum quod est incredulitatis pœna.

De primo dicit tria : tangit signum, et signi modum, et signi limitationem et terminum.

Signum tangens, dicit : « *Et ecce eris tacens.* » Quasi dicat : In evidenti et statim « *eris tacens,* » ut in te vox clamantis, et ex te ortum accipiat : quæ non oritur nisi prius spiritus vocis in silentio congregetur et attrahatur. Isa. xxx, 15 : *In silentio et in spe erit fortitudo vestra.* Exod. xiv, 14 : *Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis.* Isa. xlii, 14 : *Tacui semper, silui.*

« Et non poteris loqui. »

Ecce signi modus, quia auferam modulos loquelæ : et ex hoc intelligitur, quod etiam fuit surdus : et ideo, infra, in eodem, v. 62 : *Innuabant patri ejus, quem vellet vocari eum.* Innuere autem non oportebat nisi surdus esset. Hoc autem ideo factum est, ut interim nihil humanum audiret. Ezechiel. iii, 26 : *Lin-*

<sup>1</sup> Genes. iii, 1 et seq.

<sup>2</sup> III Reg. xxii, 24 et seq.

<sup>3</sup> Job, i, 12 et seq.

<sup>4</sup> Matth. iv, 3.

*quam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans.*

Sequitur:

« Usque in diem. »

Ecce signi hujus limitatio. Non enim semper permansit mutus, sed « *usque in diem quo hæc fiant.* » Tunc enim illico, congregato spiritu, apertum est os Zachariæ et prophetavit, dicens: *Benedictus Dominus Deus Israel*<sup>1</sup>. Et recognovit in se quam difficile sit contradicere sermonibus sanctis. *Dies* autem hic ponitur pro illustratione: quia ortu novi præconis omnes illustrabuntur, et trahentur ad rei promissæ admirationem.

« Pro eo quod non credidisti verbis meis. »

Iterat hic signum, in quantum est pœna: et debet repeti quod prædictum est, scilicet, quod « *non poteris loqui, pro eo quod non credidisti verbis meis.* » Isa. XXI, 2: *Qui incredulus est, infideliter agit.*

« Quæ implebuntur in tempore suo, »

Eo quod de futuro sunt, adhuc veritas pendet, sed verbum veritate implebitur: sicut signum impletur signato suo tempore, quod est terminus præfinitionis. Ad Galat. IV, 2: *Usque ad tempus præfinitum a patre, scilicet, a Deo.* Daniel. XII, 4: *Claude sermones, et signa librum usque ad tempus statum.*

Quæritur autem hic, Quare iste punitus sit petendo signum? cum Judæorum proprium sit ad omne promissum signum petere sive quærere, sicut dicitur, I ad Corinth. I, 22: *Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt:* unde, Abraham, Genes. xv, 8 et seq., signum

quæsivit et accepit sine pœna: et non videtur dubitasse de persona apparente, sed de re promissa: sicut et iste. Simile de Moyse, Exod. IV, 1-5, qui petivit signum et invenit de virga quæ in columbrum versa erat: etiam cæteris non credentibus signa. Similiter Gedeon, Judicum, VI, 36 et seq., signum accepit in vellere et arca de rore. Eodem autem modo, IV Reg. XX, 8-12, et Isa. XXXVIII, 7 et 8, Ezechias quæsivit signum, et invenit regressum solis in horologio Achaz retrorsum per decem lineas. Et, Isa. VII, 11, præcipitur Achaz ut de re promissa signum accipiat, cum dicit Scriptura: *Pete signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra:* et redarguitur quod petere noluit. In Novo etiam Testamento Angelus loquens pastoribus signum dedit, dicens, Luc. II, 12: *Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum.* Quare ergo iste punitur quia signum petivit?

Ad hæc Glossæ diversas dant responsiones, de quibus non est curandum. Sed dicendum, quod iste punitur, quia cum esset Sacerdos sciens legem, et per Spiritum exspectans redemptionem Israel, debuit scire et scivit tempus præfinitum esse impletum. Et hoc quidem scivit, sed non contulit: et ideo non advertit. Si autem dicitur, quod non tenebatur credere quod per senem ista essent implenda. Dicendum, quod factum Abraham eum docuisse debuerat, quod erat figura istius: unde non est simile de Abraham, qui adhuc per legem edoctus non fuerat. Et idem dicendum est de Moyse. Gedeon autem laicus fuit simplex: et ideo cum contrarium rei promissæ videret in causis inferioribus, poterat signum petere. Et idem est de Ezechia, qui secundum causas inferiores moriturus erat: quod etiam ex sermone prophetiæ sibi fuerat prænuntiatum. Quod autem præcipitur ut Achaz peteret

<sup>1</sup> Luc. I, 64, 68 et seq.

signum, hoc fuit ut infidelitas sua vinceretur: et ideo vituperatur, quia gloriam Dei volebat attribui idolis: et ideo signum per quod majestas Dei innotesceret, petere noluit. Pastores etiam simplices fuerunt, et ideo per signum edocendi: nec tamen hoc fuit signum majestatis, sed indicium quoddam per quod puerum ab aliis cognoscerent et discernerent. Et ideo patet quod iste juste punitur. Isa. I, 3: *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.* Jerem. VIII, 7: *Milvus in cælo cognovit tempus suum: turtur, et hirundo, et ciconia custodièrunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit iudicium Domini.* Hæc est ergo causa quare punitur, præcipue cum cognovit veritatem nuntii: sicut patet ex superius inductis.

21

« Et erat plebs exspectans Zachariam, et mirabantur quod tardaret ipse in templo. »

22

Egressus autem non poterat loqui ad illos, et cognoverunt quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, et permansit mutus. »

Hic per ordinem plebis exprimitur devotio idem petentis cum Sacerdote.

Dicuntur autem hic quatuor, scilicet in oratione perseverantia: more inconstituto Sacerdotis in admiratione suspensio: et quod visione cœlesti lætificatus esset cognitio: et signi quod accepit ad plebem significatio.

De primo dicit: « *Et erat plebs exspectans Zachariam,* » tamquam oves pastorem: qui quando bonus est, *proprias oves vocat nominatim, et educit eas.* *Et cum proprias oves emiserit, ante*

*eas vadit*<sup>1</sup>. Ingressus fuerat pro eis: et ideo non recedebant nisi benediceret eis. Sicut Salomon in dedicatione templi non dimisit multitudinem nisi benediceretur eis<sup>2</sup>. Hinc enim præcipitur Sacerdotibus quod benedicant populo<sup>3</sup>. Et ideo inolevit quod in fine hostiæ missæ, cum dicitur: « *Ite, missa est,* » Sacerdos benedicit populo. Luc. XXIV, 50: *Elevatis manibus suis benedixit eis.* Perseverantia autem notatur in oratione, Luc. XI, 8: *Si perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios.* Et ideo, oportet semper orare, et non deficere<sup>4</sup>. Jacob. V, 16: *Multum valet deprecatio justi assidua.* Psal. XXXIX, 2: *Exspectans exspectavi Dominum.* Et, Psal. XXVI, 14: *Exspecta Dominum, viriliter age: et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.*

« Et mirabantur quod tardaret ipse in templo. »

Ecce secundum: et in hoc commendatur populus, quia non sicut multitudo filiorum Israel, Exod. XXXII, 1: *Videns autem populus quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus adversus Aaron, dixit: Surge, fac nobis deos qui nos præcedant: Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Non sic isti, sed in devotione perseverantes: quamvis mirarentur quod propter consuetum tardaret Sacerdos, tamen exspectabant. Job, XXIX, 21: *Qui me audiebant, exspectabant sententiam, et intenti tacebant ad consilium meum:* et ideo meruerunt exauditionem. Habacuc, II, 3: *Si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet.* Est autem et hic notandum, quod bonus Sacerdos victus delectatione orationis et contemplationis,

<sup>1</sup> Joan. X, 3 et 4.

<sup>2</sup> III Reg. VIII, 55 et seq.

<sup>3</sup> Numer. VI, 23.

<sup>4</sup> Luc. XVIII, 1.

etiam ultra conditum sæpe tardat in templo : nec populus bonus inquietat eum, sed exspectat. Cantic. II, 7: *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ... ne suscite-tis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.* Psal. XXXVI, 4: *Delectare in Domino, et dabit tibi peti-tiones cordis tui.* Sapient. VIII, 16: *In-trans in domum meam, conquiescam cum illa: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius.* Psal. LXXXIII, 11: *Melior est dies una in atriis tuis super millia.*

« Egressus autem, etc. »

Hic ostenditur qualiter signum istud, et pœna innotuit, et per signum visio quam vidit.

Et dicit: « *Egressus autem de tem-plo,* » ad ostium atrii interioris, « *non poterat loqui ad illos,* » sicut consue-tum fuit: quod egressus sacerdos post-quam expiaverat templum, loquebatur ad plebem de legis explanatione et pro-missi, et benedicebat illis: sicut dicitur, ad Hebr. IX, 19 et 20. *Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem... omnem populum aspexit, dicens: Hic est sanguis testa-menti quod mandavit ad vos Deus.* Tunc autem siluit: quia silentium legi et sa-crificiis legalibus impositum fuit. Matth. XI, 13: *Omnes prophetæ, et lex usque ad Joannem.* Ibidem, ̄. 12: *A diebus au-tem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Exod. IV, 10: *Ex quo lo-cutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguæ factus sum.*

« Et cognoverunt, »

In hoc ipso, « *quod visionem* » cæle-stem « *vidisset in templo,* » postquam obmutuisset. Hoc tamen non videtur esse necessarium: quia, Isa. VI, 1 et

seq., Propheta magnam vidit in templo visionem, et tamen loquebatur. Vidit enim Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et Seraphim stare super illud, et clamare: *Sanctus, San-ctus, Sanctus,* etc. Ad hoc dicendum, quod quidem non est necessarium ta-cere ex viso signo, sed isti ex posteriori arguebant præcedens. Viderunt enim mutum, et cognoverunt quod causa ali-quæ esset non naturalis, et tunc oportuit quod causa esset visio cœlestis, quæ destituit homines a potentiis naturalibus: sicut Daniel et Ezechiel qui ambo dis-soluti corruerunt<sup>1</sup>.

Est autem visio triplex: corporalis, imaginaria, et intellectualis. Corporalis, quæ est ante oculos: imaginaria, quæ est per rerum imagines in spiritu: dicit enim Augustinus, quod « *spiritus est quidem mente inferior, in qua imagi-nes rerum imprimuntur.* » Intellectualis vero est, quando rerum veritatem ipse intellectus videt. Et has omnes habuit Zacharias: quia speciem Angeli vidit, et vocem audivit, sive species vocum sen-sibiles, et imagines retinuit, et intellexit intensionem. Daniel. X, 1: *Intelligentia opus est in visione.* Quia si aliquis in sensu visionem cœlestem videat, vel imaginatione aliquid percipiat et non intelligat, non est propter hoc propheta: quia revelatio non est sibi facta, sed re-cta vidit quæ vidit: sicut, Daniel. V, 5 et seq., ubi Balthasar sensibilibus arti-culos in pariete scribens vidit: et ta-men non intellexit. Daniel autem pro-pheta fuit qui intellexit, quamvis arti-culos non viderit. Similiter, Genes. XLI, 1 et seq., Pharaon spicas et boves per imaginationem vidit: et quia non intellexit, propheta non fuit: sed Joseph, qui imaginatione non vidit, sed intelle-ctualem revelationem intellexit de eis. Talem igitur visionem perfectam et re-velationem agnoverunt Sacerdotem vi-disse. Psal. LXXXVIII, 20: *Locutus es in*

<sup>1</sup> Cf. Daniel. IX, 7, et Ezechiel. V, 5 et seq.

*visione cum sanctis tuis.* Osee, xii, 10 : *Ego visionem multiplicavi eis.* Indicium enim boni sacerdotis visio divina. Exod. xxxiii, 19 : *Ego ostendam omne bonum tibi, et vocabo in nomine Domini coram te.* Luc. x, 23 : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Isa. xxvi, 10, secundum translationem Septuaginta : « Auferatur impius, ut non videat gloriam Domini <sup>1</sup>. » Videmus autem Dominum in contemplatione per intellectum, et in Scriptura per studium, et in oratione per desiderium. De primo, Genes. xxxii, 30 : *Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* De secundo, II ad Corinth. iii, 18 : *Nos omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini spiritu.* De tertio, Matth. v, 8 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Psal. lxxxiii, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.*

« Et ipse erat innuens illis, »

Visionem significando, et promissionem, et exauditam esse orationem. Innuere enim componitur ab *in* præpositione, et *nutum facere* : unde innuere est ad intus intentionis et intellectus nutum facere. Nutus autem fit manu, quæ significat operationis bonæ virtutem : qui nutus in suadendo populo majoris est efficaciam quam sermo. Unde Dominus, Joan. viii, 6-8, cum convincere vellet rebelles digito scripsit, id est, opere. Dominus cum ad obedientiam induceret multitudinem, digito scripsit mandata <sup>2</sup>. Act. xiii, 16 : *Surgens autem Paulus, et manu silentium indicens, ait.* Aggæi, i, 1 : *Factum est verbum Domini in manu Aggæi.*

<sup>1</sup> Vulgata habet, Isa. xxvi, 10 : *Misereamur impio, et non discet justitiam : in terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini.*

« Et permansit mutus. »

Secundum est quod veritas signi certitudinem dat promissæ rei. Aliquando etiam de divinis percipientes, muti esse debemus exemplo istius ad populum : unde Apostolus cœlestem visionem annis quatuordecim occultavit, et tunc ex necessitate coactus dixit : hæc enim sunt *arcana verba, quæ non licet homini loqui* <sup>3</sup>. Proverb. xxv, 2 : *Gloria Dei est celare verbum.* Iste igitur accepit hoc sibi in pœnam rei futuræ in signum, et nobis ad cautelam et doctrinam. Job. xli, 3 : *Insuper locutus sum.* Job, xxi, 5 : *Obstupescite, et superponite digitum ori vestro.* Et, ibidem, xxix, 9 : *Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo.*

« Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam. » 23

Hic incipit promissio verificationis.

Et dicuntur duo, sacerdotis et uxoris conjunctio, et Præcursoris conceptio.

De conjunctione dicitur : « *Et factum est ut impleti sunt dies* » septem « *officii,* » administrationis « *ejus,* » quos oportuit eadem die esse impletos : et sic restabant adhuc septem dies, septem dies Septembris : quia ulterius loqui non poterat. Dictum autem fuerat supra, quod hæc fuit decima dies mensis lunaris : et secundum nostros solares menses erat octavo Kalendas Octobris.

Nota quod iste Sacerdos diligenter vices suas explevit : nec alium pro se posuit : neque sicut quidam, qui quando semel in anno apparent, statim vadunt, et alios pro se in ecclesiasticis officiis ponentes ipsi per se temporalia colligunt. Contra quod dicit Petrus, Act. vi, 2 et seq.:

<sup>2</sup> Cf. Exod. xxiv, 12.

<sup>3</sup> II ad Corinth. xii, 4.

*Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ego fratres viros... quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi, et ministerio verbi instantes erimus. Expleto ergo ministerio abiit in domum suam ubi erat uxor cum familia. Genes. xxx, 30: Justum est ut aliquando provideam etiam domui meæ. Nec credo quod statim abierit: sed de templo abiens et de ministracione, ivit celebrare festum Tabernaculorum, quod ultimis septem diebus Septembris celebratur. Et ideo in principio Octobris primo ad amplexus rediit uxoris, et hoc magis consonat sequentibus.*

**24** « Post hos autem dies concepit Elisabeth uxor ejus, et occultabat se mensibus quinque, dicens:

**25** Quia sic fecit mihi Dominus, in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. »

Hic agit de conceptu et veritate promissi.

Et tangit duo: conceptum, et verecundiam concipientis.

De conceptu dicit: « *Post hos dies,* » ministracionis et celebrationis festi, « *concepit Elisabeth:* » conclusio duorum seminum in matrice dicitur conceptus, « *uxor ejus,* » ne credatur per alium genuisse, sed quæ fuit sterilis et anus, ex promissione Dei concepit: ut fides haberet meritum, cui humana ratio nullum præbet experimentum.

Et subjungit de verecundia, dicens:

« Et occultabat se, etc. »

Duo dicit: signum verecundiæ, quia « *occultabat se mensibus quinque.* » Glossa dicit, ut probaret utrum vere concepisset: eo quod in talibus per molam matricis mulieres sæpe decipiuntur. Quæ causa nulla videtur esse, quia tunc non

fecisset ex verecundia: quia Augustinus dicit eam ex verecundia hoc fecisse. Verecundabatur enim, eo quod videbatur in senio operam voluptati dare: cui etiam in juventute operam dare verecundum est, nisi ob spem prolis. Eccli. xxv, 3 et 4: *Tres species odit anima mea:... pauperem superbum, divitem mendacem, et senem fatuum et insensatum,* id est, luxuriosum. Potest enim dici in veritate, quod ex verecundia se absconderit: et ut probaret, hoc est probatum ostenderet quod non ex libidine, sed ex obedientia voluptati operam dedisset. Quinque autem menses quibus occultabatur fuerunt october, november, december, januarius, februarius. Et forte verior ratio est occultationis, quod noluit se, et infantem quem gestabat in utero exhibere vulgo, nisi prius exhiberet in utero suo eundem Christo: ut opus suæ præcursionis primo inciperet coram eo, cuius præcursor ordinatus fuerat.

« Dicens: Quia sic fecit, etc. »

Ecce pudoris verbum: « *Quia sic fecit mihi Dominus,* » auctoritate et promissione, non maritus, nisi imprægnationis mysterio. II Machab. vii, 22 et 23: *Nescio qualiter in utero meo apparuistis. Neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi: sed mundi Creator qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem.*

« *In diebus* » suæ præfinitionis, « *quibus respexit,* » hoc est, visum quem propter primi hominis inobedientiam averterat, ad nos reduxit in misericordia et beneplacito suo. Sapient. iv, 15: *Respectus ejus in electos illius.* Respectio enim est reductio visus ad posterius.

« *Auferre opprobrium meum,* » scilicet opprobrium sterilitatis de qua supra dictum est, « *inter homines:* » quia apud Deum omni honore digna fuit, licet inter homines opprobrium sterilitatis per Dei

dispensationem sustineret. Isa. LIV, 4 : *Opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis amplius.* I Reg. II, 5 : *Sterilis peperit plurimos.* Quia in uno peperit omnes filios Dei, quia eum qui præcursor et dux est omnium honorum.

Attende : Quædam Glossæ hic dicunt, quod introitus summi Sacerdotis in templum significat allegorice introitum Christi (qui est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech <sup>1</sup>) in Mariam, quæ est templum Dei specialiter sanctificata. Psal. XCII, 5 : *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.*

Aliæ Glossæ dicunt, quod introitus Sacerdotis in Sancta sanctorum pro populo, significat introitum Christi in cælum : et hanc allegoriam facit Apostolus, ad Hebr. IX, 24 : *Non enim in manufacta sancta Jesus introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Exitus autem Sacerdotis de templo signat exitum nostri Sacerdotis de cælo : et ideo unus Sacerdos intravit et exivit : quia, sicut dicitur, ad Ephes. IV, 10 : *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia.*

Alia autem dicit, quod Zacharias significat vetus sacerdotium, et Elisabeth legem per exercitium studii sacerdotum spiritualibus intellectibus fœcundandam : sed sterilis remansit usque ad nativitatem Christi, quæ juvenis fuerat sub Moysse, et adulta sub Prophetis : quia spirituales filios usque ad gratiam Christi non produxit : et ideo tempore gratiæ Joannem concepit, qui *gratia Dei* interpretatur, et tunc sterilitatis ejus auferatur opprobrium : et tamen verecundatur, qui sub aliis sterilitati subjacuit. II ad Corinth. III, 15 et 16 : *Usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum : cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.* Alia quæ sunt

<sup>1</sup> Psal. CIX, 4 : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

in Glossis sunt manifesta cuilibet per se.

« In mense autem sexto. »

26

Hic incipit Evangelista tangere de novi solis ortu, quem producit lucifer : de quo jam ante habitus est sermo <sup>2</sup>.

Tangit autem circa conceptionem Salvatoris tria, videlicet annuntiationem, salutationem, et conceptionem.

Circa salutationem tangit tria : personas salutantes, personam salutatam, et tempus consonum salutationi.

De tempore dicit : « *In mense autem sexto,* » a conceptione Joannis : quia in martio, octavo Kalendas Aprilis. Cujus ratio litteralis est : quia Præcursor prius motibus vitæ excipere debuit Regem venientem, et sic ante eum præcurrere. Sensibiles autem motus vitæ non habet infans ante sextum mensem : in primis enim quatuor mensibus fortiter radicatur in matrice : in quinto autem residentibus aliquantulum motibus humorum, præparatur ad sensum et ad motum : et in sexto mense dat motum sensibilem localem.

Sunt etiam præter hanc rationem aliæ tres rationes, quare *in sexto mense* : quarum prima est, ut tempori nostræ condemnationis tempus congrueret reparationis : secunda, ut creationi mundi consonaret ejusdem mundi in homine reparatio : tertia, ut tempori reflationis mundi Verbum incarnatum mundum refluere faciens consonaret. Et quantum ad primam notandum, quod in Martio octavo Kalendas Aprilis factus est mundus : et in ipso cecidit Adam per peccatum post meridiem, ut dicitur, Genes. III, 8 et 9 : *Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem... Vocavitque Dominus Deus Adam, et dixit ei : Ubi es.* Et, sicut dicitur, Jerem. XV, 9 : *Occidit ei sol cum adhuc esset dies.* Et iterum,

<sup>2</sup> Cf. supra, ad §. 13, in interpretatione horum verborum : *Et vocabis nomen ejus Joannem.*

Jerem. vi, 4 : *Væ nobis, quia declinavit dies, quia longiores factæ sunt umbræ vesperi.* Obscuritates enim super nos prolongatæ sunt occidente sole justitiæ. Apte ergo tunc etiam fit mundi reparatio. Hoc significatum est, I Machab. iv, 54 : *Secundum tempus et secundum diem in qua contaminaverunt templum gentes, in ipsa renovatum est.* Sic enim lignum in quo cecidimus tunc notavit, ut dicit Ambrosius, damna ligni ut solveret<sup>1</sup>. Ita tempus tunc notavit, ut in ipso lapsum primi hominis repararet. Isa. xlix, 8 : *In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui.* II ad Corinth. vi, 2 et 3 : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nemini dantes ullam offensionem, etc.* Psal. cxvii, 24 : *Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus, et lætemur in ea.*

Circa secundam autem rationem notandum quod dicit Augustinus, quod ideo Deus (cujus perfecta sunt opera) in senario dierum perfecit opus suum, quia senarius numerus perfectus et constans ex suis partibus totus, non monstruosam ultra totum generans superfluitatem, neque citra remanens generat imperfectionem. Ab inchoatione ergo nostræ salutis, quæ in Joannis conceptione inchoata est, eadem ratione nostram perfecit salutem in senario mensium ille qui operatus est salutem in medio. Job, v, 19 : *In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum.* Hoc significatum est, Joan. iv, 6, ubi dicitur, quod sexta hora sedit super fontem, unde nobis fluxerunt fluentia gratiarum. Luc. xiii, 14 : *Sex dies sunt in quibus oportet operari : in his ergo venite, et curamini.* Deuter. xxxii, 3 et 4 : *Date magnificentiam Deo nostro. Dei perfecta sunt opera.* Joan.

v, 17 : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Sic enim juxta prophetam Isaiam, lxvi, 23 : *Erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato,* quando menses et dies operis creationis respondent operi redemptionis.

Circa tertiam rationem notandum, quod tunc sol ad æqualitatem diei et noctis ascendens facit florere terram nostram habitabilem, et ideo etiam congruum est, ut nostra salus et floruerit, et flos ortus sit, qui ascendit de radice Jesse<sup>2</sup>. II Reg. xxiii, 5 : *Cuncta salus mea, et omnis voluntas : nec est quidquam ex ea quod non germinet.* Isa. lv, 10 et 11 : *Quomodo descendit imber et nix de cælo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen, serenti, et panem comedenti : sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo : non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Tunc enim omnia elementa seminibus suis gestiunt se conformare flori, qui oritur in gloriosa Virgine.

Hoc est igitur quod dicit : « *In mense sexto,* » ut congruat et numerus, et tempus, et eventus : numerus in perfectione, tempus in salutis germinatione, et eventus in primi lapsus reparatione. Rorent igitur cæli desuper, et nubes pluant justum, et terra uteri beatæ Virginis aperiat, et germinet Salvatorem<sup>3</sup>. Jerem. xxiii, 5 : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit.* Istud est tempus, de quo dicitur, II Machab. i, 22 : *Tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo.* Unum enim tempus lucidum claro sole refulget, quia tunc timentibus Deum ortus est sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Ipse lignum tunc notavit, Damna ligni ut solveret. (Hymnus *Pange lingua*. Stroph 2).

<sup>2</sup> Cf. Isa. xi, 1 : *Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.*

<sup>3</sup> Cf. Isa. xlv, 8 : *Rorate, cæli, desuper, et nubes ptuant Justum : aperiat terra, et germinet Salvatorum.*

<sup>4</sup> Malach. iv, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum. Sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus.*



Sequitur :

« Missus est. »

Describitur salutantis et annuntiantis persona.

Et dicuntur duo : Angelus minister exsequens, et Deus legationem et salutationem mandans et injungens.

De Angelo itaque dicit : « *Missus est,* » et in hoc notat auctoritatem, « *Angelus,* » et in hoc tangit ministerium, « *Gabriel,* » et in hoc tangit officium et virtutem.

Non enim tantam legationem arrogare sibi quisquam auderet, nisi a Deo missus esset <sup>1</sup>. Ad hoc tam idoneus nullus inveniretur in cœlo, qui ad tantum sacramentum diceret : *Ecce ego, mitte me* <sup>2</sup> : nisi ipse sua præciperet auctoritate.

Est autem hæc legatio admirabiliter digna, ardore desiderii Patrum diu desiderata, et ab omni eo qui spiritualis est dulcissime audita, et clamore devotionis omnium fidelium et in communi denunciata. Propter admirationem altitudinis ejus et dignitatis dictum est, Abdiæ, *ÿ. 1 : Auditum audivimus a Domino, et legatum ad gentes misit,* hoc est, ad gentium utilitatem. Genes. xxxvii, 13 : *Veni, mittam te ad eos.* Ardorem desiderii Patrum sonat vox illa, Genes. xlix, 18 : *Salutare tuum expectabo, Domine.* Exod. iv, 13 : *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es.* Dulcedinem vocis ejus ostendit, Proverb. xxv, 25 : *Aqua frigida animæ sitienti, et nuntius bonus de terra longinqua.* Flumina enim gratiarum ex tunc fluere cœperunt, ex quo vox Gabrielis sonuit in auribus beatæ Virginis. Cantic. ii, 14 : *Vox tua dulcis.* Promulgatur autem ab omnibus ex tam magno clamore Hebræorum, quod venit Deus in castra, IV Reg. vii, 9 : *Hæc dies boni nuntii est : si tacuerimus et nolue-*

*rimus annuntiare usque mane, sceleris arguemur* <sup>3</sup>. Hanc igitur legationem nemo præsumeret, nisi ab ipso Deo missus esset. Et ideo *missus* dicitur, et non per se venisse.

« Angelus. »

Angelus autem dicit ministerium : quia Angelus *nuntius* interpretatur. Propter tria autem puto Deum nostræ saluti interposuisse Angelum nuntium : quod videlicet tanto gaudio angelica natura quoad ministerium non privaretur, et quia Angelorum ruina ex hoc reparatur, et quia circa hominem custos et minister Angelus deputatur.

Hoc enim est ministerium, sicut dicitur, ad Ephes. iii, 9, a sæculis in Deo absconditum, et nunc per Angelum administratum : ut ex hoc illuminationem et gaudium potissimum Angelus habeat, et congratuletur. Sic enim ipsi dicunt Angeli, Luc. ii, 14 : *Gloria in altissimis Deo.* In altissimis enim Deo gloria est, quando gloria nova innotescit. Angeli igitur gloriantes et gaudentes in affectu novæ exsultationis dicunt, Isa. lxiii, 1 : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua.* Et in Psalmo xxiii, 8 et 10 : *Quis est iste rex gloriæ?*

Ruina etiam Angelorum ex hoc reparatur, sicut significatur, Luc. xv, 8, de drachma decima quæ perdita erat, et est inventa. Sic etiam dicitur, Apocal. xxi, 17 : *Mensura hominis quæ est Angeli,* scilicet in beatitudine. Et ideo homines assumuntur in sortem Angelorum, ut decimus chorus ex hominibus repararetur, qui cecidit ex Angelis. Non quod decem chori sint futuri, sicut dicunt Sancti, sed quod de quolibet ordine (supple, conjunctim) tot ceciderunt quot sunt in choro, et ille numerus ex hominibus reparatur.

<sup>1</sup> Cf. II ad Corinth. v, 20 : *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.* Ad Hebr. v, 4 : *Nec quisquam sumit sibi*

*honorem, nisi qui vocatur a Deo.*

<sup>2</sup> Isa. vi, 8.

<sup>3</sup> Cf. I Reg. iv, 5.

Ad hoc ergo Angelum justum est mitti, unde sua ruina reparatur. Amos, ix, 11 : *Suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, et reedificabo aperturas murorum ejus.* Deuter. xxxii, 8 : *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.*

Ministerium etiam istud congruit Angelo : quia ipse est custos hominum, et ideo perditus homo per suum ministerium reparandus. Psal. xc, 11 : *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Hæc igitur est causa quare missus est Angelus. Isa. xviii, 2 et 7 : *Ite, Angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam : ad populum terribilem, post quem non est alius : ad gentem exspectantem et conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus : ... ad locum nominis Domini exercituum, montem Sion.* Judæorum enim gentem describens vocat convulsam tentationibus, et dilaceratam peccatis. Gentem tamen Dei promissa exspectantem, et conculcatam servitute dæmonum, cujus terram et habitationem jam flumina vanitatum diripuerant : cum tamen ex scientia legis et Prophetarum esset terribilis : ita quod secundam in protectione Dei non haberet, si legem spiritualiter observasset.

Ad hanc ergo beatam Virginem (dictis tribus causis) Angeli veloces mittuntur, ut annuntient opus redemptionis.

Nec est credendum, quod Angelus unus venerit : sed cum eo principali nuntio multitudo aliorum advenit. Luc. ii, 13 et 14 : *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hoc significatum est, Genes. xxiv, 2 et seq., ubi cum pater Abraham mitteret ad ducendum uxorem filio suo, misit quidem unum Eliezer domus suæ procuratorem, qui tamen comites multos

habuit : ita Pater summus mittens ad desponsandam sibi naturam humanam, unum quidem præcipuæ dignitatis Angelum misit : tamen cum illo multos creditur misisse secundæ dignitatis Angelos.

Sequitur :

« Gabriel. »

Ecce tangit officium : Gabriel enim *fortitudo Dei* interpretatur. Fortitudine enim Dei opus erat, ut legibus naturæ occurreret, ut scoriã peccati de medio tollendam significaret, ut ultima primis conjungenda nuntiaret.

Legibus enim naturæ occurrit qui virginem manentem virginem concepturam et parituram nuntiaret. Hoc est enim mirum super omnia mira : ut impotentia ad actum remanente, actus nuntietur inesse. Si enim cæcus per miraculum accipiat oculum, non erit mirum si videat accepto oculo. Similiter autem si mortuus accipiat vitam, nihil erit mirum si postea vivat. Sed super omne mirum esset si non accepto oculo, vel vita, videret, vel viveret. Et ita est hic. Virgo enim secundum naturam impotens est ad conceptum, et si maneat virgo, semper erit impotens. Si ergo concipiat et pariat, omnino hoc est novum : et non nisi virtute fortitudinis Dei fieri potest. Jerem. xxxi, 22 : *Creavit Dominus novum super terram : Fœmina circumdabit virum.* Apocal. xxi, 5 : *Dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia.* Eccli. xxxvi, 6 : *Innova signa et immuta mirabilia.* Manus enim et brachium fortitudinis Dei hoc annuntiarum operatur, et ideo Gabriel mittitur.

Scoria etiam peccati hic tollitur : ut quod ex ea nascitur sanctum, vocetur Filius Dei<sup>1</sup>. Quod etiam non nisi fortitudine Dei fieri potuit : quia conceptus virginalis sicut in matre omni caruit

<sup>1</sup> Luc. i, 35 : *Ideoque et quod nascetur ex te*

*Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

concupiscentia, sic, ut dicit Anselmus, in concepto et originali caruit culpa. Sapient. vii, 25, propter suam munditiam nihil inquinatum incurrit in illam. Sapient. viii, 19 et 20 : *Sortitus sum animam bonam. Et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Iste est subcinericius panis azymus, factus ex Sara principe<sup>1</sup>, sapientia divina : azymus, quia sine fermento peccati : subcinericius autem, quia sub pœnalitatum humilitate hujus vitæ. Hæc autem potentia et fortitudo separandi naturam a culpa, conceptum ab originali inertia, pœnalitates a pœnæ causa quis efficere potuit nisi fortitudo divina?

Sic igitur iterum hujus annuntiationis minister merito *fortitudo Dei* nominatur. Quis enim umquam ultimum primo conjungeret, nisi summa Dei fortitudo? Ultima autem in facturis Dei est homo : primum et principium omnium Deus. Quis ergo hæc conjungeret nisi summa, cui nihil obstat, Dei fortitudo? Isa. xli, 7 : *Confortavit faber ærarius percutiens malleo eum, qui cudebat tunc temporis, dicens : Glutino bonum est.* Faber enim ærarius, qui fortitudine sua omnia domat per Filium suum, qui tunc temporis cudebat mundum, confortavit, hoc est, in fortitudine sua cum ultima factura primum conjunxit : et ita sibi glutinavit, ut neque morte solvi posset : et ideo bonum esse opus hujus glutinationis pronuntiatur ab Angelis. Ecce procul, et de ultimis finibus, simul glutinatis, pretium fortissimæ mulieris<sup>2</sup>. Finis enim, ante quem nihil, Deus est : et finis post quem nihil, homo : et sic Christus est Alpha et Omega. Apocal. i, 8 et xxi, 6 et xxii, 13 : *Ego sum Alpha et Omega, primus et novissimus, principium et finis.* Mira res et mirabile sacramentum. Ecce Angelus loquens cum annuntiatione,

futurum esse unum de similibus . Primum enim exemplar Deo simile, quod est Verbum Patris, imago Patris Filius : et ultimum, scilicet, homo factus ad imaginem et similitudinem Dei<sup>4</sup>, unum effici debent : et nuntiat loquens ad Mariam Angelus : et ideo perficitur opus liberationis, de quo subjungit : *Libera eum, ut non descendat in corruptionem*<sup>5</sup>.

His igitur et talibus rationibus, nuntius istius sacramenti « *Gabriel Angelus,* » hoc est, *fortitudo Dei* merito nominatur.

*Missus* igitur : quia qui non missus, venire ab illo non præsumeretur : et venienti ad nos non misso, a nullo umquam de tantis mysteriis crederetur.

Et hoc est quod sequitur :

« A Deo. »

Leguntur enim nonnumquam Angeli missi ab Angelis aliis : sed hæc nova superveniens auctoritas inducitur in annuntiatione mysterii quod a nullo nisi a Deo præsumeretur. Isa. lii, 6 : *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa : quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* Morem etiam in hoc servat Dei benignitas. Quantumcumque enim pauperem ad nuptias suas vocat rex magnus puellam, nuntio quem mittit, ipse rex legationem injungit, et non alius parvus vel magnus de curia. Sic ergo desponsaturus naturam nostram rex cœlestis, per seipsum legationem injunxit, Sapient. viii, 2 : *Quæsi sponsum mihi eam assumere : et amator factus sum formæ illius.*

Possumus autem in hoc notare tria : tantam in Domino majestatis ad nos charitatem, compassionem, et in miseriis nostris ei esse delicias. Et de charitate

<sup>1</sup> Cf. Genes, xviii, 6.

<sup>2</sup> Cf. Proverb. xxxi, 10.

<sup>3</sup> Job, xxxiii, 23 : *Si fuerit pro eo Angelus loquens, unus de millibus, ut annuntiet hominis*

*æquitatem,* etc.

<sup>4</sup> Genes. i, 26.

<sup>5</sup> Job, xxxiii, 24.

quidem, Jerem. xxxi, 3 : *In charitate perpetua dilexi te*, etc. De secundo autem, Osee, xi, 4 : *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*. Funiculi enim Adam fuerunt compassio, et affectus, et miseratio quam ad nos habuit : qui cum non rapinam arbitraretur se fieri æqualem esse Deo<sup>1</sup>, compatiendo ex visceribus affectus et miserationis clamavit : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*<sup>2</sup>. Et hæc compassio in Deo perseveravit : donec unus de naturalibus quasi unus ex nobis factus est *in similitudinem hominum, et habitu inventus ut homo*<sup>3</sup>. Et si Deus ut unus ex nobis, et nos sumus consequenter sicut unus ex tribus personis : ecce funes Adam trahentes nos ad Deum, et Deum ad nos.

De deliciis suis reputatis ut sit nobiscum, habetur, Proverb. viii, 30 et 31 : *Delectabar per singulos dies... ludens in orbe terrarum : et deliciæ meæ esse cum filiis hominum*. Ideo juste, Isa. vii, 14, vocatur nomen ejus Emmanuel : quod est, nobiscum Deus. Vide quam verum est, quod dicit Michæas, vi, 8 : *Sollicitum te ambulare cum Deo tuo, qui delicias reputat esse tecum in miseriis, ut tuam tecum operetur salutem*. Denique *sustinuit crucem, confusione contempta*<sup>4</sup> : ut te redimeret proposito sibi gaudio tuæ redemptionis. Pudeat ergo nolle te secum esse, qui ad hoc quod tecum sit, misit Angelos.

His et similibus causis a Deo missus est, et non ab alio.

« In civitatem. »

Sequitur de descriptione personæ ad quam mittitur hic tam nobilis nuntius.

Describitur autem a loco suæ habitationis, et a proprietatibus sibi convenientibus.

A loco quidem tripliciter, communissi-

mo, qui est provincia : speciali, qui est civitas : et tandem proprium adjungitur nomen civitatis, quæ vocatur Nazareth.

Dicit ergo quia missus est « *in civitatem*, » tangens locum specialem habitationis beatæ Virginis. Civitas autem (ut dicit Tullius) dicitur quasi civium unitas : et hoc est quod dicit Psalmus cxxxii, 3 : *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas : cujus participatio ejus in idipsum*. Habitantium enim communi participantium idipsum, locus habitationis, *civitas* vocatur.

Hujus autem quatuor sunt unitates, jus unum, libertas una, locus habitationis unus, communitas una. Hæc autem maxime huic congruunt civitati. Isa. i, 26 et 27 : *Restituam judices tuos ut fuerunt prius, et consiliarios tuos sicut antiquitus : post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis. Sion in judicio redimetur, et reducent eam in justitia*. Hoc autem factum est, quando descendit et regnavit in ea ille, de quo dicitur, Jerem. xxiii, 5 et 6 : *Regnabit rex et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra... Et hoc est nomen quod vocabunt eum : Dominus justus noster*. In hac enim civitate Dominus noster rex est : senatores Angeli venientes : et regina Virgo gloriosa : populus autem universitas fidelium.

De libertate autem dicitur, Job, viii, 36 : *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis*. Ad Galat. v, 13 : *Vos in libertatem vocati estis*. Ad Galat. iv, 31 : *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ*.

De communione dicitur, Act. iv, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una : nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat*, etc. : quia licet possessio sit privata fidelium, tamen usus temporalium est communis. IJoan. iii, 17 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit*

<sup>1</sup> Ad Philip. ii, 6.

<sup>2</sup> Genes. iii, 22.

<sup>3</sup> Ad Philip. ii, 7.

<sup>4</sup> Ad Hebr. xii, 2.

*viscera sua ab eo : quomodo charitas Dei manet in eo ?*

De habitatione dicitur, Psal. LXXXVI, 5 : *Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Omnes enim venientes ab Oriente et Occidente, recumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob<sup>1</sup> : alieni conversi ad fidem, de angustia Tyri, et de nigredine peccatorum venientes.

Et de omnibus his subinfertur, quod sicut lætantium omnium in suffragiis hujus civitatis existentium habitatio est in te<sup>2</sup> : et *Nomen civitatis ex die illa : Dominus ibidem*<sup>3</sup>. Isa. LXII, 4 : *Non vocaberis ultra Derelicta, et terra tua non vocatur amplius Desolata : sed vocaberis Voluntas mea in ea, et terra tua inhabitata : quia complacuit Domino in te.*

Sic igitur in hanc civitatem est missus.

Hæc est civitas

« Galilææ. »

Quam provinciam vocat propter nominis interpretationem sacramento convenientem, propter prophetiæ completionem, et propter fidei in provincia illa dilatationem.

Et nominis quidem interpretatio est *transmigratio facta, vel rota*, quæ etiam volubilis semper migrare videtur. Psal. LXXVI, 19 : *Vox tonitruum tui, Deus, in rota*, hoc est, sonus annuntiationis in Galilæa transmirationis. Habitum in ea assumpsit ille, qui stabilis manens, dat cuncta moveri. Jerem. XIV, 8 : *Quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum.* Ezechiel. XII, 3 : *Fili hominis, fac tibi vasa transmirationis*, etc. Matth. VIII, 20 : *Vulpes foveas habent*, etc.

Congruit autem prophetiæ : quia ibi erant gentes quas ibi posuerat Hiram, rex Tyri, in tempore Salomonis. Unde,

<sup>1</sup> Matth. viii 11.

<sup>2</sup> Psal. LXXXVI, 7.

Isa. IX, 1 et 2 : *Trans Jordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Ibi enim lux cœlestis primo oriri debuit, ubi prophetia prædixerat : ut veritas umbræ responderet. Et ideo ibi suam incipit prædicationem : et ibi ostendit discipulis lucem suæ resurrectionis : propter quod etiam discipuli Galilæi sunt vocati. Luc. XXIII, 5 : *Commovet populum docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc.* Matth. XXVIII, 16 : *Undecim discipuli abierunt in Galilæam*, etc. Lux ergo oriens annuntiationis, lux prædicationis, lux resurrectionis in Galilæa fulsit : et ideo Galilæi fideles vocantur, Act. II, 7 : *Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt ?* Ibid., I, 11 : *Viri Galilæi, quid statis*, etc.

Notatur etiam in hoc fidei dilatatio, et transitus a Judæis ad Gentes. Isa. XLIX, 6 : *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fœces Israel convertendas : ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Malach. I, 11 : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus*, etc. Matth. V, 15 : *Nemo accendit lucernam*, etc. Hieronymus : « Significat notitiam claritatis nequaquam abscondendam, neque sub modio, hoc est, inter terminos Judææ claudendam, sed palam omnibus exhibendam. Et hoc congrue fecit in Galilæa, ubi et Gentiles et Judæi habitant. »

Sic ergo ista civitas fuit Galilææ.

« Cui nomen Nazareth. »

Locus est proprius habitationis. Nazareth autem convenienter nominatur : quia Nazareth *sanctum*, vel *flos* interpretatur.

Sanctus autem, ut dicit Glossa, quia

<sup>3</sup> Ezechiel. XLVIII, 35.

concipi ibi debuit Sanctus sanctorum <sup>1</sup>. Et qui sanctificat omnes. Ad Hebr. II, 11 : *Et qui sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes*. Quod enim in hac civitate natum est sanctum in utero Virginis, causa est sanctificationis omnium. Joan. XVII, 17 : *Sanctifica eos in veritate*.

Flos autem congruit : quia ibi flos campi nasci in utero et concipi voluit. Cantic. II, 1 : *Ego flos campi, et lilium convallium*. « Amat enim, ut dicit Bernardus, florigeram patriam, flos de radice Jesse : nec concipitur nisi ab eo qui se florem, et non cicutam per mundi insaniam, vel urticam per carnalis peccati pruritus, vel spinam per mundi sollicitudines exhibuerit. » In flore autem est species pulchritudinis, et fragrantia odoris, et spes fructificationis. Et species quidem pulchritudinis in virtute conservationis : fragrantia vero odoris in odore bonæ opinionis : spes autem fructificationis in intentione bonæ retributionis : quæ omnia competunt fidelibus, et præcipue beatæ Virgini. De specie conservationis, Judith, x, 4 : *Cui etiam Dominus contulit splendorem : quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat : et ideo Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret*. De odore bonæ opinionis, II ad Corinth. II, 15 : *Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt*. Ibid., x, 14 : *Et odorem notitiæ suæ manifestat Deus per nos*. Cantic. IV, 11 : *Odor vestimentorum tuorum*, etc. Psal. XLIV, 9 : *Myrrha, et gutta, et casia* (supple, suspirant) *a vestimentis tuis, a domibus eburneis*, hoc est, a corporibus castis. De intentione æternæ retributionis, II Reg. XXIII, 5 : *Cuncta salus mea*. Osee, XIV, 6 : *Israel, vel justus, germinabit sicut lilium*. Sic etiam thalamus conscientiæ in quo sus-

ceptus est, floridus est. Cantic. I, 15 : *Lectulus noster floridus*, supple, est. Matthæus assignat rationem, quare in Nazareth nutritur et concipitur, impletionem scilicet prophetiæ : *Quoniam Nazareus vocabitur*. Et de hoc ibi satis dictum est, cum exponeretur Matthæus <sup>2</sup>.

« Ad virginem. »

27

Hic describit Virginem salutatam a suis proprietatibus. Et ponit titulum pudicitiae virginalis, et sponsionem vinculi matrimonialis, et excellentiam gloriosi nominis.

De titulo quidem pudicitiae virginalis dicit : « *Ad virginem*. » Bene *virginem*, ut dicit Glossa, quæ prima inter fœminas Deo virginitatis gloriosum munus obtulit. Non enim hæc de fatuis virginibus, quæ lampades castitatis habent extinctas <sup>3</sup> : sed cujus lampas flamma limpidissima lucet in conspectu Domini. Et ideo ex ea ortus est ille, de quo dicitur, Isa. LXII, 1 : *Egredietur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur*.

Virginitatis autem lampas in quinque rutilabat in ea : in corde quidem in tribus, et in duobus in corpore.

Primum in corde est, quod virginitatis integritatem et incorruptionem continuo quantum potuit referebat. Secundum, quia angelicæ munditiæ æmula, vitam cœlibem in contemplatione ducebat. Tertium, quod hoc in voto prima quantum valuit et licuit Deo continentiam offerebat.

De primo dicit Augustinus, quia virginitas est in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Et hoc significatum est, Exod. XXV, 10, ubi præcipitur arca Dei de lignis setim fieri, quod est lignum imputribile.

De secundo dicitur, Cantic. VI, 3 :

<sup>1</sup> Daniel. IX, 24.

<sup>2</sup> Cf. Enarrationem in Matthæum, II, 24. Tom.

XX hujusce editionis.

<sup>3</sup> Cf. Matth. XXV, 8.

*Decora sicut Jerusalem*, quæ est civitas munditiæ Angelorum.

De tertio vero dicitur, I ad Corinth. vii, 34 : *Virgo cogitat quæ Domini sunt*, etc. Hoc enim intelligitur de voventibus virginitatem : quia aliis non est prohibitum cogitare de nuptiis. Luc. i, 34 : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ?* Hoc est, me non cognituram propono. Hæc est Rebecca, quæ multum gratiæ recepit : virgo pulcherrima et incognita viro, quam summus Patriarcha filio suo Isaac gaudio universæ terræ elegit in matrem.

Duo autem lucent in corpore : integritas pudoris, et verecundia virginalis. De integritate quidem corporis dicitur in figura ejus, Tob. iii, 16 : *Tu scis, Domine, quia numquam concupivi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia*. De verecundia virginali, Eccli. xxvi, 19 : *Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata*. Eccli. xxxii, 14 : *Ante verecundiam præibit gratia*.

« Desponsatam. »

Esse descriptio a vinculo conjugali.

Quærunt autem Patres, quare de fœmina ? Et quare de fœmina virgine ? Et quare de fœmina virgine desponsata Christus nasci voluit ?

Quare autem de fœmina, Beda reddit rationem : quia « sicut fœmina initium peccati et mortis fuit, ita fœmina initium et via salutis. » Quia igitur fœmina spiritu superbiæ viro gustum necis obtulit, ita fœmina ab Angelo salutata mundo salutis auctorem edidit : aliter enim ille sexus omnino contemptibilis esset, et despectus. Quia igitur masculini sexus salutem est operatus, congruum fuit, ut idem salutis auctor de fœmina sit natus, ut uterque sexus ad vitam pertinere se præsumat. Ad Galat. iv, 4 : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*, etc.

Voluit autem de fœmina virgine prop-

ter tria : scilicet, ut generatio sua humana divinæ quantum possibile est assimilaretur, ut omnis generationis series impleretur, ut miraculum matris miraculo filii proportionaretur.

Divina autem generatio est de Patre sine fœmina sine corruptione, sicut candor nascitur de luce : et ita humana generatio de matre, sine patre sine omni corruptione, sicut radius nascitur de stella : et ideo *flos* vocatur, quia (sicut dicit Pythagoras) flos in terra est sine patre, sed in cœlo habet patrem solem, in terra autem habet matrem terram. Sapient. vii, 26 : *Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius*. Omnis enim generationis series sic impleta est : ne aliquid in creaturarum ordine vacuum remaneret. Præcesserunt enim tres series generationum viri : videlicet de terra virgine, et mulieris virginis de viro virgine, et filiorum de viro et muliere corruptis : et restabat quarta secundæ respondens, quod vir virgo de fœmina virgine produceretur. Genes. xv, 16 : *Generatione quarta revertentur huc : ad statum videlicet gratiæ, et reconciliationis, et libertatis*. Sicut etiam miraculo filii miraculum matris in quantum possibile est assimilatur. In nato enim impossibilia junguntur : per naturam quidem impossibilia, divinæ autem virtuti possible. Natus enim Deus homo creatus et increatus, passibilis et impassibilis, temporalis et æternus. Mater autem gaudium matris habet cum virginitatis pudore, nec primam similem visa est nec habere sequentem : et ideo sola est sine exemplo, et sic filius nullum habet in cœlo vel in terra similem. Isa. lxvi, 7 et 8 : *Antequam parturiret, peperit : antequam veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit umquam tale ? et quis vidit huic simile ?*

Quare autem de desponsata plurimæ a Patribus tam mysticæ quam litterales assignantur rationes valde convenientes, quarum et nos super Matthæum plures

assignavimus <sup>1</sup> : hic autem tantum ponemus duas, quarum una est quam tangit Glossa, quia videlicet tanta cura erat ei de matris infamia, quod maluit aliquos de suo ortu, quam de matris infamia dubitare : et ideo maluit quod ipse filius crederetur esse Joseph, quam quod mater infamaretur de fornicatione, si gravis non desponsata apud vulgus inveniretur. Exod. xx, 12 : *Honora patrem tuum et matrem tuam*. Secunda causa est, quia si de non desponsata nasceretur, illegitimus haberetur, nec admitteretur ad actus legitimos : et sic doctrina ejus juste coram hominibus refutaretur. Isa. LI, 13 : *Ecce intelliget servus meus : exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde*. Hæc autem sublimitas calumniam habuisset, si de matrimonio natus non fuisset. Deuter. xxiii, 2 : *Non ingreditur mamzer, hoc est de scorto natus, in ecclesiam Domini*. Adhuc autem, bonum summæ proles non esset alicujus matrimonii, sed suo summo bono privatum esset matrimonium.

Dicit autem desponsatam

« Viro. »

Et describit hunc virum a sexu, a genere, et a nomine.

A sexu quidem, quia dicit : « Viro, » qui a virore dicitur : quia viret omni virtute. Jerem. xvii, 7 et 8 : *Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas : et non timebit quum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet faceret fructum*. Gregorius : « Vir est qui contra bifformes fortunæ « insultus, uniformi constantia mentis « militat præmunitus. » De tali viro dicitur, Eccli. vi, 6 : *Unus de mille* : alii enim omnes effœminati sunt, et ad

mulierum illecebras et molliem resoluti.

« Cui nomen erat Joseph. »

Esse descriptio per nomen.

Quatuor autem legimus hujus nominis insignes viros : quorum primus in figura Salvatoris mundi præcessit, unus et *salvator mundi*, Genes. xli, 45, est vocatus : qui fuit Joseph, filius Jacob Patriarchæ. Secundus autem est iste qui obsequitur matri Salvatoris et parvulo. Tertius autem qui obsequitur sepulturæ Domino mortuo : qui fuit Joseph ab Arimathæa. Quartus autem Joseph, qui *Justus* cognominabatur, qui testimonium perhibuit a mortuis resuscitato. In primo horum commendatur prudentia, quia patriam salvavit ab imminentibus famis periculis : in secundo, continentia sive temperantia, quia ab amplexu abstinuit in matrimonii thoris : tertius, a fortitudine, quia audacter introivit, et immisit se furiis populi et præsidis, corpus Jesu petens sepulturæ tradendum officiis : quartus autem a justitia, quia a justitia cognominatus, testis fuit veritatis. Eccli. xlix, 17 : *Joseph, qui natus est homo princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi*. Et primus quidem fuit fratrum princeps : alius autem gentis fulcimentum in custodia Domini : Joseph autem ab Arimathæa nobilis decurio, rector fuit fratrum dispersorum in morte Domini : stabilimentum autem populi contra perfidiam negantium Resurrectionem, fuit Joseph justus.

« De domo David. »

Ecce descriptio a genere. Et dicitur referri ad Joseph et ad Mariam, quia uterque fuit de domo David. Domus autem hic vocatur genus, sicut, Psal. cxxxiv, 19 : *Domus Aaron, benedicite Domino*.

<sup>1</sup> Cf. Enarrationes in Matthæum, I, 18. Tom.

XX hujusce novæ editionis.



Isti autem conjuges de domo fuerunt David et familia per successionem hæreditariam. Infra, II, 4 et 5 : *Eo quod esset de domo, et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.*

David autem hic propter sex præcipue nominatur : quorum unum est, quod in expugnandis adversariis in populo Dei nullus eo fortior. Secundum, quia in exemplo conversationis in populo Dei quoad exemplum nullus fuit ad aspectu desiderabilior : ita ut etiam animam Jonathæ sibi conglutinaret<sup>1</sup>. Tertium, quia in altis nullus humilior. Quartum, quia ad inimicos in adversitatibus nullus mitior et mansuetior : et hæc quatuor habuit in seipso. Quintum, quia repromissionem expressius omnibus aliis Prophetis acceperat. Sextum, quod iste plus aliis peccatoribus, pro quibus salvandis Christus venit, spem salutis dare potuit.

De omnibus autem istis Scriptura dat testimonium. Quod enim iste propulsa- verit populi Israel adversarios, I Reg. xviii, 7, ubi præcinebat ei populus : *Percussit Saul mille, et David decem millia.* Unde et leonem et ursum et Goliath Gethæum interfecit<sup>2</sup> : et ideo *manu fortis* interpretatur figura ejus, scilicet Christus, qui leonem, id est, diabolum stravit : et ursum, id est, nostræ carnis illicébras : et gigantem, id est, mundum cum tentatione congregiens interfecit<sup>3</sup>.

Quod etiam ad aspectu desiderabilis sit suis in exemplo, II Reg. xxiii, 4 : *Sicut lux auroræ, oriente sole, mane absque nubibus rutilat* : significans eum qui pretiosus est præ filiis hominum et præ pulchritudinibus Angelorum. Et hæc habuit Christus ex matre filia David, de cujus fortitudine dicitur, Genes. iii, 15 : *Ipsa conteret caput tuum.* Et de pulchritudine, Cantic. vi, 9, quod præcessit

*quasi aurora consurgens, pulchra ut luna.*

In altissimis autem fastigiis regni erat humilis, sicut dicitur, II Reg. vi, 22 : *Ludam, et vilior fiam plus quam factus sum : et ero humilis in oculis meis.* Et hujus humilitatis erat beata Virgo, cum dixit, Luc. i, 48 : *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Et Christus, cum dicit, Matth. xi, 29 : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*

Quod autem inimicis in adversitatibus fuerit mitis et mansuetus, dicitur, II Reg. xvi, 11 et 12, ubi Semei maledicente sibi, et mittente contra ipsum lapides, dixit : *Dimittite eum ut maledicat juxta præceptum Domini : si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Et hujus hæres fuit beata Virgo, cum Simeon de ea dixit : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*<sup>4</sup>. Et Christus, quando dixit : *Pater, dimitte illis*, etc.<sup>5</sup>. Et ideo dicitur, quod ipse est quasi tenerimus ligni vermiculus<sup>6</sup> : qui adeo mollis est, quod tactu non sentitur.

De repromissione autem dicitur, Psal. cxxxi, 11 : *De fructu ventris tui ponam*, etc. Et, Isa. ix, 7 : *Super solium David, et super regnum ejus sedebit :... amodo et usque in sempiternum.*

Peccator autem fuit, adulter, homicida, et proditor fidelis militis sui : et tamen ad pœnitentiam receptus, nec propter suum peccatum evacuata est promissio, sicut ipse dicit, Psal. l, 6 : *Justificeris in sermonibus tuis*, etc. Hoc est, veri fiant sermones promissionis tuæ : et cum judicaverint homines quod casanda sit promissio propter peccata, vincas peccata mea et judicium illorum : ut omnis peccator speret de misericordia tua promissa. Luc. v, 32 : *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.*

<sup>1</sup> Cf. I Reg. xviii, 1.

<sup>2</sup> Cf. I Reg. xviii, 36 et 51.

<sup>3</sup> Cf. I Machab. iii 3, et Eccli. xlvi, 4.

<sup>4</sup> Luc. ii, 35.

<sup>5</sup> Luc. xxxiii, 34.

<sup>6</sup> II Reg. xxiii, 8.

tiam. In oratione Manassæ: *Non posuisti pœnitentiam his qui tibi non peccaverunt.*

Ecce quare dictum est: « *De domo David.* »

« *Et nomen Virginis Maria.* »

Ecce descriptio Virginis ex nomine.

Habet autem quatuor interpretationes: interpretatur enim illuminatrix, stella, amarum mare, et, syriaca lingua, Maria interpretatur Domina. *Illuminatrix* quidem, quia illuminat in dubiis: *stella poli*, quia ducit in deviis: *amarum mare*, quia compungit in illecebris: *Domina* autem, quia protegit in adversis. Sic ergo tenebras nostras illuminatrix illuminat, fluctuationes tentationum nostrarum in hoc magno mari stella tranquillat, noxias delectationes nostras ut amarum mare abundanter amaricat, adversitates nostras ut Domina comprimit et sedat. Si ergo circumdatus es tenebris, et abscondita est tibi via tua <sup>1</sup>, respice illuminatricem, invoca Dei genitricem, et nomina Mariam. Si autem surgunt venti suggestionum malarum, et eleventur procellæ tentationum: respice ad stellam, et nomina Mariam. Quod si illecebræ carnis te trahant, et superantes jam ad illicitas delectationes te propellant: baptiza te in amaritudine maris, et invoca intercessionem Dei matris, et nomina Mariam. Tandem etiamsi adversitates tribulationum te jactent, et jam superantes te quasi prosternant: leva oculos ad Dominam, et invoca Mariam. Et sic pro certo in teipso experieris, quam juste vocatum est nomen Virginis Maria <sup>2</sup>.

De illuminatrice enim habes, Apocal. XII, 1, ubi apparet in cœlo *mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus*, etc. Amicitur enim gloria solis conversatione sauctitatis. Lunam puram habet sub pedi-

bus, hoc est, Ecclesiam in gratiæ suffragiis. Coronam autem duodecim stellarum in capite in virtutum radiis, prudentia, temperantia, fortitudine, et justitia. Ex prudentia quidem lucent stellæ tres: ex prudentia enim siluit turbata, intellexit audita, sapienter et respondit ad proposita. Similiter ex temperantia fulgent stellæ tres: carnis pudicitia, sermonis modestia, cordis munditia. Nihilominus ex fortitudine tres: quia ex fortitudine votum et propositum virginitatis Deo obtulit, oblatum firmiter tenuit, et rei tam immensæ quantam promisit Angelus firmissime fidem adhibuit. Deinde etiam ex justitia micant tres stellæ: reddidit enim omnibus debita, duris quidem gessit morem in sua desponsatione, in filii circumcisione, in legali purificatione: afflictis autem exhibuit compassionem in nuptiis, vini multiplicationem petendo a filio <sup>3</sup>: Sanctis autem communionem, quia erat cum mulieribus et discipulis in oratione perseverans <sup>4</sup>.

De stella autem habes, Numer. XXIV, 17 et 18: *Orietur stella ex Jacob: et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumæa possessio ejus.*

De amaritudine ejus, Ruth, I, 20: *Nē vocetis me Noemi, (id est, pulchram): sed vocate me mara, (id est, amaram): quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.* Et hoc fuit, quia tempus partus natura in eam repetebat in passione cum usura gemituum, quos paritura naturæ detinuit.

De Domina autem habes in Canticis, VI, 8: *Viderunt eam filix Sion, et beatissimam prædicaverunt, reginæ et concubinæ audaverunt eam*, ut universitatis videlicet Dominam.

Sic ergo nomen Virginis est *Maria*.

<sup>1</sup> Job, III, 23.

<sup>2</sup> Hæc verba fere ad litteram trahuntur ex Homilia II S. Bernardi super *Missus est*, circa

finem.

<sup>3</sup> Cf. Joan. II, 3.

<sup>4</sup> Cf. Act. I, 14.

28

« Et ingressus Angelus ad eam, dixit. »

Ecce salutatio.

Et dicuntur hic quatuor. Primo enim ibi eulogium innuitur : secundo, salutatio ex ordine ponitur : tertio, Virgo saluta puellariter turbatur : et quarto, ab Angelo more bonorum Angelorum consolatur.

De primo horum dicit : « *Et ingressus.* » Per quod habetur Mariam in secreto fuisse, videlicet in conclavi : sicut adhuc specus quædam in monte demonstrat : in quam ingressus Angelus Virginem in secreto orantem invenit. Et in hoc patet, quod a mundi strepitu petivit orationis secretum : qualiter non ut vaga et vana, fugit fatuarum virginum spectaculum, quæ internæ consolationis solasitavit affatum. De primo, Matth. vi, 6 : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito* : tunc invocabis et Dominus exaudiet. Isa. xxvi, 20 : *Vade, populus meus, intra in cubacula tua, claude ostia tua super te.* De secundo dicitur in Judith, viii, 5, quod in superioribus domus suæ cubiculum secretum fieri fecit : in quo cum puellis suis clausa commorabatur, et non ivit vaga per plateas. Similiter autem, Tob. iii, 10 : *Perrexit Sara in superius cubiculum domus suæ, etc.* De consolatione autem divina sic est, quod non datur admittentibus alienam. Psal. xlv, 11 : *Audi, filia, etc., et tunc tandem concupiscet rex decorem tuum.* Cantic. iii, 4 : *Paululum cum pertransissem eos, inveni, etc.*

Ad interiora igitur penetralium suorum clausis ostiis, « *ingressus Angelus* : » Angelo enim ostia non obstant.

« *Ad eam,* » sicut ad Cornelium <sup>1</sup> : et sicut ad Petrum in solario orantem <sup>2</sup>. Angeli frequenter et libenter sunt cum orantibus. Aliquando prævenientes orationis tempus, Psal. lxxvii, 26 : *Præve-*

*nerunt principes conjuncti psallentibus.* Hæc autem Virgo beata nostra est tympanistria : quia sicut Maria soror Moysi sumpsit tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris quibus præcinebat <sup>3</sup> : sic et hæc B. Virgo præcessit cum tympano mortificationis carnalis voluptatis, ludens in choro Angelorum : quam multitudo magna virginum, quibus ipsa præcinit, est subsecuta. De qua dicitur, Jerem. xxxi, 4 : *Virgo Israel, adhuc ornaberis tympanis tuis, et egredieris in choro ludentium.*

Et inde aptum nostræ redemptionis initium. Sicut enim Angelus malus suasit Hevæ gustum perditionis, ita e contra Angelus bonus obtulit Virgini eulogium salutationis. Et est notabile quod in annuntiatione Joannis (qui plus habuit de patre quam de matre, quia senex plus aptus est generare quam vetula concipere) annuntiatio incepit a patre, et derivata est ad matrem : eo quod in talibus caput mulieris est vir, ut dicitur, I ad Corinth. xi, 3 : ita e contra in annuntiatione Christi (qui in terris est sine patre) annuntiatio incepit a matre : et deinde de multis præmonuit Angelus Joseph patrem putativum, sicut quod non timeret accipere eam, et propterea, quia quod in ea natum esset, de Spiritu sancto esset <sup>4</sup>. Et eodem ordine præcesserat in figura. In annuntiatione enim Isaac (qui *risus* interpretatur) incepit Angelus a patre et derivabatur in matrem : qui illum significat Isaac, in cujus nativitate multi gaudebunt. In annuntiatione autem Samsonis, Angelus primo nuntiat matri, et per mulierem venit ad patrem annuntiatio, quia Samson *sol fortis* interpretatur, et significat Christum, de quo dicitur, Malach. iv, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus.*

Sic ergo Angelus Gabriel ingressus in

<sup>1</sup> Act. x, 8.

<sup>2</sup> Act. x, 13.

<sup>3</sup> Exod. xv, 30.

<sup>4</sup> Matth. i, 20.

conclavis secretum ostio clauso et firmato ad beatam Virginem, dixit :

« Ave. »

Et, ut dicit B. Bernardus : « Hæc salutatio tanto est pretiosior quanto est « rarior, et bonis omnibus plenior aliis « salutationibus. »

In ista enim salutatione duo sunt : amotio universalis mali, et imprecatio omnis boni. Et amotio quidem mali tangitur per hoc quod dicitur, *Ave* : et hoc habet ista salutatio singulare. Numquam enim legitur aliquis salutatus ante hoc per mali amotionem, sed potius malum est intimatum omnibus, sicut, Genes. III, 16, 19 : *Mulier dixit : Multiplicabo ærumnas tuas : et viro : In sudore vultus tui vesceris pane : cum operatus fueris, terram, non dabit fructum, sed spinas et tribulos germinabit tibi : et ideo maledicta terra in opere tuo.* Per terram intelligitur potius terra quam gerimus, quod est corpus nostrum, quam terra quam terimus, quæ est possessio nostra : et ideo dicitur, Apocal. VIII, 13 : *Væ, væ, væ, habitantibus in terra !* concupiscentiæ væ in carne, culpæ væ in mente, et væ condemnationis in utroque. Quomodo ergo sine væ essent, qui tot væ subiacebant ? Apocal. XVIII, 10 : *Væ, væ civitas illa magna Babylon !* Et nulli pax in terra, sed omnia væ concludebat. Nunc autem cum prædicanda esset pax hominibus bonæ voluntatis, electa est Virgo stirpis davidicæ : ex cujus ave, etiam alii de posteritate Hevæ a væ purgarentur : quæ sicut canalis ad nos fluentia traducit gratiarum, quæ ante per omne tempus defluerunt. Canalis autem munda esse debet, ne aquam mundam turbet. Ezechiel. XXXVI, 23 : *Effundam super vos aquam mundam,* etc. De hoc aquæductu, Eceli. XXIV, 41 et 42 : *Sicut aquæductus exivi de paradiso. Dixi : Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo*

*prati mei fructum.* Sic igitur ut purus sit per eam ad nos transitus gratiæ, sine væ est concupiscentiæ, culpæ, et pænæ æternæ : quam nemo umquam meruit, et ideo sola ut canalis gratiæ sic digna fuit. Amos, V, 16 : *In omnibus plateis planctus, et in cunctis quæ foris sunt dicitur : væ, væ !* Planctus enim est tentationis concupiscentiæ : et cunctis qui foris sunt extra conclave et triclinium gratiæ, dicitur primo væ culpæ, et consequenter væ reatus pænæ æternæ. Propter quod et Dina egressa ad spectacula vanitatum, ut videret mulieres regionis illius, rapitur, et corrumpitur, et tristis blanditiis amatorum mundi delinitur<sup>1</sup>. Maria autem in conclavi sine væ fit conclave Verbi, et thalamus sponsi æterni, et vestibulum Filii Dei regis summi, et triclinium totius Trinitatis, et fabricatoris mundi fabrica : in quam ingressus Angelus, dixit : « Ave, » converso nomine Heva, notans quod et Hevam reducit ad benedictionem.

Fuit autem Hevæ triplex væ, quod hæreditario jure misit ad filias, in conceptione videlicet, et portatione, et parturitione.

In conceptione quidem est væ triplex : libidinis scilicet in tentatione, corruptionis in sexuum commixtione, et improbæ delectationis, in seminis susceptione.

In portatione etiam est triplex væ, scilicet, ponderis in onere, pressuræ in oneris portatione, et angustię in uteri impletione.

Triplex etiam in partu est væ : doloris scilicet in parturitione, destitutionis virium in generatione, et effractionis sigillorum in emissionem. Et post omnia hæc dubia benedictio in prolis susceptione.

Ab omnibus autem his libera est Virgo regia Davidica puerpera. Libidinem enim numquam habuit : quia in persona sua dicitur, Tob. III, 16 : *Mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia.* Deflorationis corruptionem non habuit,

<sup>1</sup> Genes. XXXIV, 3 et seq.

quæ dixit : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*<sup>1</sup> ? hoc est, non cognituram propono. A delectatione improba aliena fuit, in cujus persona dicitur, Tob. III, 17 : *Numquam cum ludentibus miscui me : neque cum his qui in levitate ambulant, participem me præbui*. Dicit enim Philosophus in VII *Ethicorum*, quod lusivus est incontinentens. Et Hieronymus : « Tactus et joci, risus et sibili, « morituræ virginitatis solent esse principia. » Et ideo significatur per fiscellam scirpeam<sup>2</sup>, in qua vagit noster Moyses verus legislator, et dux, et liberator populi : quæ bitumine linita fuit intus præsentia deitatis : extra, continentia perpetuæ castitatis : ne alicubi subintraret aqua, et rumperet, et submergeretur flumine noxiæ et illecebrosæ carnalitatatis.

Similiter tria væ quæ sunt in portatione non habuit. Onus enim nobile portavit sine sensu ponderis, quod de se dixit : *Onus meum leve est*<sup>3</sup> : non tantum in se, sed etiam allevians portantem. Pressuram etiam non sensit ex portatione : quia portavit eum, qui portat *omnia verbo virtutis suæ*<sup>4</sup>. Neque coarctationis angustiam : quia virtus Altissimi obumbravit ei<sup>5</sup>, ut ventris sui circulus sine coarctatione portaret, quem non continet ambitus cœli : et hoc significatur per vas illud, de quo dicitur, Exod. XVI, 33 : *Sume vas unum, et mitte ibi Man, quantum potest capere gomor : et reponere coram Domino ad servandum in generationes vestras*. Vas enim illud, neque pondere cœlestis panis est gravatum, nec oppressum : nec arctitudine aliqua coangustatum : et in miraculum omnium sæculorum conservatum. Gomor enim est mensura trium modiorum : quia nobile illud triclinium continebat corpulentam substantiam Christi, animam et deitatem, vetus, et novum, et æternum : vetus in materia corporis, novum in anima tunc

de novo creata, æternum autem in deitate.

In parturitione etiam nullum habuit væ aliarum matrum. Non enim habuit dolorem cum parturiret : quia dicitur, Isa. LXVI, 7 : *Antequam parturiret, peperit*, hoc est, antequam dolorem sentiret parturitionis : quem post sensit in passione, cum sentiret gladium quem promiserat ei Simeon. Nec viribus destituta est in generatione : quia, Isa. ibidem, v. 7 : *Antequam veniret partus ejus, scilicet per destitutionem virium, peperit masculum*. Similiter etiam in emissionem filii nihil claustrum pudoris effractum est : quia, Cantic. IV, 12, dicitur : *Hortus conclusus, fons signalus*. Et ideo merito exclamat Isaias, LXVI, 8 : *Quis audivit unquam tale ? et quis vidit huic simile ?* Et hoc significatur, Ezechiel. XLIV, 1, per portam templi orientalem, de qua dicitur, ibidem, v. 2 : *Porta hæc clausa erit, non aperietur, et vir non transibit per eam : quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam*.

Sic ergo merito dicitur ei et singulariter : « Ave. »

Isti sunt novem lapides pretiosi, de quibus dicitur, Ezechiel. XXVIII, 13 : *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum : sardius, topazius, et jaspis, chrysolithus, et onyx, et beryllus, sapphirus, et carbunculus, et smaragdus*. Decores enim, quos Angelus abiecit et ab Heva abstulit, Virgo beata assumpsit. Sic enim Deus posuit *in capite ejus coronam de lapide pretioso*<sup>6</sup>.

Sic igitur sine væ existens, merito sola sic salutatur per « Ave. »

« Gratia plena. »

Sequitur secunda pars salutationis, quæ est in omni boni imprecatione.

Colligit enim hæc salutatio id quod

<sup>1</sup> Luc. I, 34.

<sup>2</sup> Exod. II, 3.

<sup>3</sup> Matth. XI, 30.

<sup>4</sup> Ad Hebr. I, 3.

<sup>5</sup> Luc. I, 35.

<sup>6</sup> Psal. XX, 4.

bonam facit virginem in seipsa, et omne quod beatam facit ad Deum, et omne quod mirabilem facit ad Angelos et ad homines. Gratia enim bonam facit in seipsa : secum autem esse Dominum, beatam facit ad Deum : et benedictam esse in mulieribus, mirabilem facit ad Angelos et homines.

Attende autem quod hæc bona nullis simul imprecata sunt, et perpauca optata per partem. Vitam autem alicui per salutationem legimus optatam, Daniel. II, 4 : *Rex, in sempiternum vive*. Quibusdam etiam salutem, sicut, II Reg. XVI, 16 : *Salve, rex, salve, rex* : et hæc ab hominibus. Ab Angelis autem paucos legimus salutatos, et particulariter ista optata. Ad Gedeonem enim dixit Angelus : *Dominus teum, virorum fortissime*<sup>1</sup>. Et hoc quidem est pars horum honorum : sed a Gedeone excusatur, cum respondit : *Si Dominus nobiscum est, quare apprehenderunt nos hæc omnia* <sup>2</sup> ? Tobiam autem salutavit Angelus dicens : *Gaudium tibi sit semper*<sup>3</sup>. Et quamvis hoc sit gratiæ ejusdem, tamen nec ab eo receptum est. Quia respondit : *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo et lumen cæli non video*<sup>4</sup>. Hujus autem causa est : quia nisi væ absterse et purgato, benedictioni perfectæ nullus est locus. Primo ergo tollatur væ per ave : et postea optentur et prædicentur dona gratiarum in virgine.

Omittit autem Angelus interponere nomen, *Maria*, quod tamen Ecclesia nominat : quia ante est nominatum, vel in aliud tempus nominandum, postquam gratiæ ejus fuerunt explanatæ, sine quibus tam plenæ significationis nomen non intelligeretur. Quantum autem significet nomen, *Maria*, in parte superius est explanatum<sup>5</sup>.

Dicatur ergo ut digna tanto nomine in-

telligatur : « *Gratia plena*. » Gratia quidem virtutis, et gratia dignitatis. Gratia virtutis est in ejus sanctitate, gratia dignitatis in admiratione.

Gratia virtutis in septem gradibus virtutum consistit : fidei quidem, et spei, et charitatis.

Fidem enim habuit in excellentissimo, quæ tam immensæ rei sibi promissæ, fidem adhibuit, quæ etiam discipulis dubitantibus non dubitavit, quæ omnia possibilis esse credenti certissima fuit. De primo horum dicitur, Luc. I, 45 : *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino*. De secundo dicitur, Job. XIX, 20 : *Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum*. Consumptis enim carnibus, hoc est, mollibus discipulorum cordibus per dubitationem, adhæsit os solidum (cor Virginis gloriosæ) pelli (extensæ in cruce) per fidem. De tertio dicitur in figura sua : *Abraham in repromissione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo : plenissime sciens quia quæcumque promisit, scilicet ei Deus, potens est et facere*<sup>6</sup>.

Spem etiam in summo habuit : quæ vivam, certam, affligentem corejus spem tenuit. Viva enim est spes firmata per gratiam, operibus meritorum innitens : de qua, I Petr. I, 3 : *Regeneravit nos in spem vivam*. Certa autem est spes, jam habens arrhas rei speratæ et pignus : de qua, ad Hebr. VI, 18 et 19 : *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis*. Affligens autem spes est, quæ ex desiderio multo rei speratæ ad languorem inducit sperantem. Proverb. XIII, 12 : *Spes, quæ differtur, affligit animam*. Spe autem viva in rem speratam semper tetendit : spe certa cœlesti-

<sup>1</sup> Judicum, VI, 12.

<sup>2</sup> Ibidem. ŷ. 13.

<sup>3</sup> Tob. V, 11.

<sup>4</sup> Ibidem, ŷ. 12.

<sup>5</sup> Vide supra enarrationem in hæc verba : *Et nomen Virginis Maria*.

<sup>6</sup> Ad Roman. IV, 20 et 21.

bus continuo inhæsit : et spe affligente peregrinationem istam continuo finiri cupivit.

Charitas etiam ejus in summo fuit. Charitas enim quoad fervorem est languens, et vulnerans, et interficiens : languens, ex desiderio amati, vulnerans ex penetratione amantis in amatum, interficiens ex occisione omnium præter solum amatum qui in corde vivit amantis. Et talis fuit amor Virginis : ex amore enim amati in se destituta languet desiderio, ex penetratione amati vulnerata portat telum, ex interfectione amati non sibi sed tota vivit amato. De primo dicitur, Cantic. v, 8 : *Nuntiate dilecto quia amore langueo*. De secundo dicitur, Eccli. xxvii, 22 : *Vulnerata est anima ejus, quia charitate plena est*. De tertio, Cantic. viii, 6 : *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*. Sic ergo in summo has virtutes habuit.

De aliis autem quatuor cardinalibus supra dictum est<sup>1</sup>.

Sic igitur fidem ad magna habuit indubitata, et omnia omnipotentiae possibilia credidit : spem vivam, certam, et affligentem habuit : et charitatem languentem, vulnerantem, et interficientem.

His conjunge donum, quod est in adjutorium virtutum (ut dicit Gregorius) et beatitudinem, quæ est perfectus status operum : et fructum spiritus, qui est gustus dulcedinis beatorum : et habebis iterum duodecim. Donum enim adjuvat virtutes, ut attingant præmium : beatitudo autem perficit statum, ut attingat id quod est perfectum : et fructus dulcorem gustus, ut desideretur finiri exsilium. De donis, Isa. xi, 2 et 3. De beatitudinibus, Matth. v, 3-11. De fructibus spiritus, ad Galat. v, 22 et 23. De virtutibus divinis, I ad Corinth. xiii, 13.

Perfecta igitur in gratia est quæ habet virtutem in summo, donum in adjutorio, beatitudinem in perfectione, et

fructum habet in gustu. Et licet dona sint septem, una tamen est ratio adjutorii virtutum. Et quamvis beatitudines sint octo, tamen unum statum perficiunt perfectionis. Et licet fructus duodecim, tamen unum ingerunt gustum dulcedinis æternæ. Et ideo hæc in duodecim computantur, quia virtutes sic in uno non consistunt : sicut dona, et beatitudines, et fructus in unum tendunt.

Et isti sunt lapides duodecim qui internitentibus gemmis radiant in vestimento sacerdotis, et in plateis cœlestis civitatis. Sapient. xviii, 24 : *Parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta*. Quatuor enim ordines lapidum sunt ordines virtutum, donorum, beatitudinum, et fructuum. Apocal. xxi, 19 et 20 : *Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum, jaspis : secundum, saphirus : tertium, chalcedonius : quartum, smaragdus : quintum, sardonyx : sextum, sardius : septimum : chrysolithus : octavum, beryllus : nonum, topazius : decimum, chrysoprasus : undecimum, hyacinthus : duodecimum, amethystus*.

Talibus ergo fulta et repleta est gemmis virtutum. Fidei enim attribuuntur tres primi : magna enim fides virescit, ut jaspis : indubitata cœlicum colorem habet, ut saphirus : et omnipotentia nitens in calce est, quo non potest amplius, ut chalcedonius.

Similiter spes viva est virens intus virtute et meritis, ut smaragdus : spes certa solida est et lucens, ut sardonyx : spes affligens est rutilans et rubens sanguine Christi, ut sardius.

Charitas autem languens solis speciem habet intus splendore auri, ut chrysolithus in virore speculum est aurei solis. Et charitas vulnerans elicit ignem in oppositione solis posita, ut beryllus : quia, Cantic. viii, 6 : *Lampades ejus lampades ignis atque flammaram*. Et charitas interficiens est ut topazius, typus auri

<sup>1</sup> Cf. Supra, ad enarrationem super hæc ver-

ba : « *Et nomen Virginis Maria.*

fulvi perlucidi propter ardorem cordis et lucem veritatis.

Donum autem adjuvans virtutes est ut chrysoprasus, passionem auri primi sustinens et igniti : quia in ipso micant virtutes, sicut in adjutorio suo.

Et beatitudo, sicut hyacinthus, est cœlestis color perfectionis, in aqua hujus mortalis et fluxibilis vitæ.

Fructus autem est sicut amethystus, rubor scilicet cœlestis in obscuritate mortalitatis terrenæ. II ad Corinth. iv, 7 : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis.*

Hæc igitur Virgo fide fuit solidissima, spe certissima, charitate ferventissima, dono super omnes adjuta (plus enim omnibus donatum est ei), beatitudine perfectissima (quam *beatam dicent omnes generationes*<sup>1</sup>), quæ *gustavit et vidit quia bona est negotiatio ejus, non extinguetur in nocte lucerna ejus*<sup>2</sup>. Et ideo datum est *illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima*<sup>3</sup>.

Sic igitur gratia virtutis est plena : si virtus in dono, et donum in beatitudine, et beatitudo in fructu perfecta esse intelligatur.

Sic igitur est *gratia plena*.

Est etiam gratia dignitatis ejus, ut dicit Beatus Bernardus, in duodecim. Quatuor micant de cœlo, quatuor in carne, et quatuor in corde ipsius.

De cœlo enim micat Virginis hujus sanctificatio, Angelica salutatio, Spiritus sancti superventio, et veneranda Filii incarnatio. In carne autem micat pudor virginalis, et quod est sine corruptione fœcunda, sine gravitate gravida, et sine dolore puerpera. In corde vero micat devotio humilitatis, magnitudo credulitatis, munditia spiritualis, et martyrium cordis. Et de omnibus his jam in præmissis satis est dictum. Hi sunt duodecim

lapides, quos sustulit Josue de Jordanis alveo<sup>4</sup>, cum portaretur arca per Jordanem hujus labentis vitæ, et remanent in monumentum æternum. Hæc enim duodecim Matrem Dei ne concupiscentia deflueret, solidam esse fecerunt. Et ecce qualiter fuit gratia virtutis, et gratia dignitatis plenissima.

Est autem in his omnibus tripliciter plena, et signo plenitudinis duplici. Est enim in his plenitudo mentis, plenitudo ventris, plenitudo nostræ assumptionis. Plenitudo mentis communis est cum Sanctis : plenitudo ventris specialiter Virginis matris : plenitudo assumptionis est plenitudo Dei ad nos unionis.

De plenitudine mentis, quæ communis est omnibus sanctis in persona Stephani, Act. vi, 8 : *Stephanus plenus gratia et fortitudine*, etc.

De plenitudine ventris, Judicum, vi, 38, in plenitudine conchæ, quæ expressa est de vellere.

De plenitudine nostræ assumptionis, ibidem, in plenitudine roris in vellere. Ad Coloss. ii, 9 : *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*.

Prima plenitudine plena est gratia divina, secunda plenitudine plena est deitatis pluvia, tertia plenitudine plena partu divino. Ex prima est idonea, ex secunda delibationis massa, ex tertia delibationis et delibantis arca. Ad Roman. xi, 16 : *Quod si delibatio sancta est, et massa*. Ex prima est pura, secunda nitet ea qua sub Deo nequit similior inveniri puritate, ex tertia candet puritate divina. Ex prima est concha gratiæ, ex secunda, aquæductus gratiæ, ex tertia est vena fundens fontem misericordiæ. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia*<sup>5</sup>. Propter primam dicitur quod invenit gratiam, propter secundam quod fecit Dominus magna, propter

<sup>1</sup> Luc. i, 48.

<sup>2</sup> Proverb. xxxi, 18.

<sup>3</sup> Sapient. iii, 14.

<sup>4</sup> Cf. Josue, iv, 5.

<sup>5</sup> Joan. i, 16.



tertiam dicitur ei, « *Dominus tecum.* »

Sic igitur iterum est *gratia plena*.

Signa vero plenitudinis duo in ea non deficiunt : exuberantia videlicet, et quod aliud nihil capere potest. Exuberantia quidem, quia effluit ex ea gratia in omnes. Omni qui obtulit vas vacuum, mulier in figuram hujus infudit gratiæ et misericordiæ oleum <sup>1</sup>, non ex defectu copiæ, sed ex defectu vasorum offerentium. Oleum enim effusum nomen ejus <sup>2</sup>. De hoc autem quod aliud non recipit, dicitur, Sapient. vii, 24 et 25 : *Propter suam munditiam... nihil inquinatum in eam incurrit.* Bernardus : « Non est « quo se ingerat vanitas, ubi totum replevit charitas. » Sic ergo est quod dicitur, Proverb. xxxi, 29 : *Multæ filiæ congregaverunt gratiarum divitias : ipsa autem sola supergressa est universas.*

Sic igitur est *gratia plena*.

Sequitur :

« *Dominus tecum.* »

Et colligit hic omne, quod beatam facit hanc Virginem ad Deum. Unde quinque hic notantur. Primum est, quod *Dominum* et non Deum vocat, qui secum esse dicitur. Secundum, cum Deus sit ubique et in omnibus, qualiter dicatur esse cum ipsa? Tertium, quare ipsa non dicitur esse cum Domino, sed Dominus secum? Quartum, quid sui, vel de suo cum Domino in hoc opere incarnationis habuerit? Quintum et ultimum, si aliqua in hoc matri conferatur principalitas, quod Dominus esse secum perhibetur?

De primo ergo, quare dicitur *Dominus* et non Deus esse secum, notandum quod Dominus dicit tria : majestatis altitudinem, divitiarum honorabilium honorem, et virtutem, sive fortitudinem nullo modo aliqua impulsione nutantem. Et hæc tria dicit beatus Dionysius in libro de *Divinis nominibus*, his verbis : « *Domi-*

*nus* dicit non inferiorum excessum tantum et suppositionem : sed etiam omnium pulchrorum bonorum divitem possessionem, et veram, et non cadere vel nutare valentem virtutem, sive fortitudinem majestatis. » Et his tribus relevat nostrum casum humilitatis, paupertatis, et infirmitatis : humilitatis, quoad nostri status vilitatem : paupertatis, quoad gratuitorum et beatitudinis spoliationem : infirmitatis, quoad nostram vulnerationem. Et suam nobis largitur elevationem, ditationem, et fortitudinem : altitudinem quidem in dignitate, ut homo honore dignus sit : divitias, ut habeat unde mereri possit : fortitudinem autem, ut hosti resistere possit, et hæc tria simul non dicit aliud nomen, nisi Dominus. Quod enim Dominus sit, qui nos de statu in quem cecidimus sustollat, patet, I Reg. ii, 8 : *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem, ut sedeat,* etc. Psal. cxii, 5 et 6 : *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit,* etc. Sic ergo elevat ad statum pristinae et deperditæ dignitatis. Quod autem Dominus ditet nostram paupertatem, patet, ad Roman. x, 12 : *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* I ad Corinth. i, 5 : *In omnibus divites facti estis in illo,* etc. Psal. xxxiii, 10 et 11 : *Non est inopia timentibus eum,* etc. Luc. i, 53 : *Esurientes implevit bonis,* etc. Magnificatus est enim Dominus et noster verus Salomon divitiis et gloria super omnes reges universæ terræ<sup>3</sup>. Quomodo ergo aliquem de suis dimitteret pauperem, cum sit magnificus in sanctitate, et virtutum et gratiarum largitione? Esther, ii, 18 : *Dona largitus est juxta magnificentiam principalem.* Hoc significatum est, IV Reg. iv, 7, ubi a creditore diabolo liberat filios viduatæ Ecclesiæ, olei sui, hoc est gratiæ suæ multiplicatione. De fortitudine autem nos protegente et con-

<sup>1</sup> Cf. IV Reg. iv, 5.

<sup>2</sup> Cantic. i, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.*

<sup>3</sup> Cf. II Paralip. ix, 22.

tinente, Numer. xxiv, 8 : *Deus eduxit illum de Ægypto : cujus fortitudo similis est rhinocerotis.* Hujus ergo Domini altissimi locus est humilitas Virginis : theca thesaurorum, divinitas : benignitas Virginis, ligatio fortitudinis : ut ad nos veniant exempla castitatis Beatæ Virginis. Bene igitur dicitur quoad hæc tria, « *Dominus tecum.* » Hic enim simul in unum fuit sublimis et humilis, dives et pauper, fortis et imbecillis : sicut et Dominus.

Dicitur autem Dominus esse cum ipsa plusquam cum aliis. Oravit enim, ut dicunt Patres, redemptionem Israel, et ipse Dominus exaudivit orationem ejus, faciens redemptionem ipsam per humilitatem susceptæ carnis. Cum ipsa enim esse Dominum, significat consentire Dominum votis ejus, orationi, et operibus ejus : ita ut verum sit quod dicitur, II Reg. vii, 3 : *Omne quod est in corde tuo, vade, fac, quia Dominus tecum est.* Similiter dicitur, Josue, i, 5 : *Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum : non dimittam, neque derelinquam te.* Oportuit enim ut præ aliis votis ejus consentiret Dominus : quæ sic sibi eum attraxit, ut visceribus ejus se infunderet, et Emmanuelis in ipsa nomen acciperet, quod est *Nobiscum Deus.*

Dominus enim nobiscum quinque facit. Consensus enim ejus in nobis expeditas reddit virtutum operationes, confortat contra retrahentiam timoris, omnes antiqui et callidi hostis dissolvit machinationes, et prosternit et in fugam convertit hostium acies et congregationes, magnificas confert de victoria et liberatione præsumptiones. De primo horum, scilicet, quod expeditas reddit virtutum operationes, jam habitum est ex Prophetia Nathan ad David, II Reg. vii, 3 : *Omne quod est in corde tuo, vade, fac,* etc. Quasi dicat : Expeditus es in omnibus, et nihil habebis impedimenti. Quod confortet contra insurgentium machinationes, Ezechiel. ii, 6, et iii, 9 : *Ne timeas eos, quia ego tecum sum.* Isa. l, 7 : *Dominus Deus auxiliator meus,*

*ideo non sum confusus.* Ad Roman. viii, 31 : *Si Deus pro nobis, quis contra nos ?* Quod dissolvat omnis callidi hostis machinationes, Isa. viii, 10 : *Inite consilium, et dissipabitur : loquimini verbum, et non fiet, quia nobiscum Deus.* Quod in fugam convertat et prosternat hostium acies, Judicum, vi, 12, ubi Angelus dixit ad Gedeonem : *Dominus tecum.* In virtute sermonis (quod umbra et figura est verbi istius) prostravit, et in fugam convertit castra Madian. Quod in conceptu virginali spiritualiter est impletum : unde, Isa. ix, 4 : *Jugum oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian.* Quod magnificas de victoria et liberatione conferat præsumptiones, in Psalmo cxxv, 2, dicitur : *Tunc dicent inter gentes : Magnificavit Dominus facere cum eis.* Unde, I Reg. iv, 7 et 8, terribili hostes dicunt : *Venit Deus in castra... Væ nobis !* Ex adventu autem Domini in castra lætificatus est exercitus Israelis, et vociferatus clamores devotionis et gratiarum actionis.

Tertium (quod superius notandum esse diximus) est, qualiter etiam Beata Virgo sit cum Domino : quia, *cum,* præpositio notat associationem : si Dominus secum est, ipsa etiam est cum Domino. Profectus videlicet circa virtutem, consurrectio contra iniquitatem, et contemplatio et amor circa veritatem. De primo horum dicitur, Genes. v, 24 : *Ambulavit Henoch cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus.* De secundo, in Psalmo xciii, 16 : *Quis consurget mihi adversus malignantes ?* Quasi dicat : Rarus, sed tamen charus. De tertio, Joan. xvii, 24 : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum : ut videant claritatem meam.*

Quartum vero (quod superius notatum est) est, quod scire desideramus quid sui, vel de suo in hac operatione cum Domino habuerit. Et dicimus quod duo ; consensum videlicet humilis charitatis, et fidem indubitam promissæ veritatis.

De primo ipsa dicit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi*, etc. <sup>1</sup>. De secundo dicitur: *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur*, etc. <sup>2</sup>.

Quintum autem quod supra notatum est: quid principalitatis detur ei per hoc quod dicitur, « *Dominus tecum.* » Dicitur enim in sophisticis, quod cum unus dicitur esse cum alio, principalitas notatur esse in re ablativi, cui deservit præpositio *cum*: sicut dicitur miles esse cum rege: et non e converso, rex cum milite. Duas autem principalitates ex dignitate concedit Dominus Virgini, honoris videlicet, et subjectionis. Ille enim qui legem dedit de honorandis parentibus <sup>3</sup>, et qui *natus ex muliere, factus est sub lege* <sup>4</sup> legem non dissolvit, sed observavit in matre: maxime cum non venit legem solvere, sed adimplere <sup>5</sup>. Tobia, iv, 3: *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ*. Audi ergo nos, Virgo Beata: nam te Filius nihil negans, honorat. Subjectionis autem principalitatem notat, Luc. ii, 51: *Descendit cum eis, ... et erat subditus illis*. Quis, quibus? Deus, hominibus: filius, parentibus: doctor, discipulis. Ad Hebr. ix, 9: *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus et reverebamur eos*. Hoc autem fecit ut exemplo suo subjecti esse non dedignemur, etiam his qui nobis inferiores esse videntur.

Sed mirum admodum est de dictis Angeli: prævenit ad salutandam Virginem ex Domini sui parte: et innuit prævenisse Dominum, etiam ipsum celerem adventum nuntii. Quod etiam innuit, Cantic. ii, 8, dum alloquerentur eam sodales sponsi de amore: sponsus ipse aculeis amoris incitans, revelat adventum suum oculis sponsæ: et illa facibus et flammis et lampadibus amore sponsi succensa, clamavit dicens: *Ecce iste ve-*

*nit saliens in montibus, transiliens colles*. Sic et nunc prævenit nuntium suum Dominus, inventus a nuntio circa sponsam: ut fidem habeat sponsa de verbis nuntii, secum in cordis thalamo jam prohibet esse Dominum. Profecto est hoc quod dicit Isaias, ix, 7: *Zelus Domini exercituum faciet hoc*. Ut enim dicitur, Sapient. vii, 24: *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia*: et ideo Angelos veloces ipse prævenit. Exsultavit enim ut gigas ad currendam viam usque, non ad nos, sed in nos: a summo cælo, a summo Patris, a regalibus sedibus descendens, invisceravit se nobis in visceribus Virginis. Gregorius: « Nescit enim « tarda rerum molimina Spiritus sancti « gratia. » Amanti enim omnis velocitas tarda est: et ideo reditum nuntii non exspectat, qui renuntiet de consensu, decore virginis et lenociniis irretitus.

« *Benedicta tu in mulieribus.* »

Sequitur id quod est ad proximum: « *Benedicta tu in mulieribus.* »

Quatuor enim in hac salutatione dicuntur: *Ave* videlicet, quod debetur innocentiae Virginis: *Gratia plena*, quæ scilicet plenitudo debetur vacuitati humilitatis: quia dicitur, Jacob. iv, 6, quod *humilibus dat gratiam*. Et idem dicitur, I Petr. v, 5. Tertio, *Dominus tecum*, quod notat amorem Dei ad eam. Et quarto, benedictio, quæ debetur cœlibatui castitatis. Et in hoc est perfectio salutationis.

Dicit ergo: « *Benedicta tu.* » Et ne aliquid videatur vacare a mysterio et gratia speciali in verbo proposito, benedictionem notat, et excellentiam. Benedictionem cum dicit, *Benedicta*. Discretionem, in pronomine *tu*. Excellentiam cum dicit, *In mulieribus*. Vel, solam in-

<sup>1</sup> Luc. i, 38.

<sup>2</sup> Ibidem, i, 45.

<sup>3</sup> Exod. xx, 12.

<sup>4</sup> Ad Galat. iv, 4.

<sup>5</sup> Matth. v, 17.

<sup>6</sup> De Deo creatore et legislatore dicitur: Psal. xviii, 6 et 7: *Exsultavit ut gigas ad currendam viam: a summo cælo egressio ejus.*

telligens benedictam, vel benedictam præ omnibus.

Benedictio autem munit et tutat contra malum: multiplicat spirituale et verum bonum: et conciliat nobis Deum. Quod munit et tutat contra malum, Genes. xxxii, 28, benedixit Angelus Jacob in eodem loco, et dixit: *Si contra Deum fortis fuisti, quando magis contra homines prævalebis?* Adauget etiam omne bonum, sicut dicitur, Job, i, 10: *Operibus manuum ejus benedixisti.* Et statim sequitur: *Possessio ejus crevit in terra.* Quod Deum conciliat, Isa. lxxv, 16: *Qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo.* Dicit propheta: *Amen.* Et, Numer. vi, 27: *Invocabunt nomen meum super filios Israel: et ego benedicam eis.*

Sit igitur benedictio super caput Virginis.

Dicit autem, *tu*: discretionem notans, et significantiam. Discretionem quidem, quia est benedicta singulariter. Significantiam autem, quia benedictionem habet insignem. Discretive enim benedicatur, de qua canitur: « *Benedicta filia tu a Domino* <sup>1</sup>. » Signanter autem benedicatur, cui principalis et insignis datur benedictio. Deuter. xxxiii, 16: *Benedictio illius qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph, et super verticem nazaræi inter fratres suos.* Qui enim in rubo apparuit, Virginem incombustam per concupiscentiam designavit, desponsatam Joseph, cujus Jacob Patriarcha figura fuit: et hoc super verticem Nazaræi ejus, hoc est, Sancti sanctorum Christi descendit, et per ipsum in matrem. Hæc enim benedictio est omnium gentium, hoc est, in quo benedicentur omnes gentes: quod fit per Christum, qui solus est semen benedictum: sicut dicitur, Genes. xii, 3, et ad Galat. iii, 8.

Sic igitur discretive et signanter es *benedicta tu.*

<sup>1</sup> Cf. Ruth, iii, 10: *Benedicta es a Domino, filia.* Judith, xiii, 28: *Porro Ozias, princeps populi Israel, dixit ad eam; Benedicta es tu, filia,*

Subjungit autem: « *In mulieribus,* » hoc est, inter mulieres, ut præpositio in notet medium. Per participationem extremorum medium vocatur: optimum enim mulierum in honore est virginitas, et optimum utilitate est fœcunditas: quod utrumque Virgo gloriosa participavit. Gaudium enim matris habet cum virginitatis pudore: nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Virgo enim et mater est activæ vitæ in prole, et contemplativæ in specie, figura virginali. Hoc est enim castellum, in quod veniens Dominus majestatis in specie peregrini, apud nos primum susceptus est: Martha, hoc est, activa ejus vita administrante: et Maria, hoc est, contemplatione ejus assidente: in qua tamen felix et beatissima Virgo Maria, et beatissima mater optimam partem elegit, quæ numquam auferetur ab ea. Nobis enim adest per ministerium misericordiæ: Filio autem assidet per adspectum gloriæ: nec nobis deerit affectus misericordiæ: nec ipsa Filio subducitur in contemplatione gloriæ, fœcunditatem habens in plenissimo gaudio matris, pudorem autem in summo honore virginis: ut de ipsa tantum verum sit, quod *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* <sup>2</sup>.

Hæc igitur est salutatio Beatæ Virginis, et secundum præceptum Apostoli, ad Roman. xvi, 6: *Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis.* Sicut enim in sententia dicit Apostolus, II ad Corinth. v, 13, sive in contemplatione mente excedit Deo, sive in actione sobria est: totum pro vobis est: virginitatis præferens liliam, et fœcunditatis offerens Filium, et totum pro nobis impendens virtutis meritum. Salutemus ergo eam frequenter, et sapienter: frequenter, ut nec a corde, nec ab ore recedat: sicut suadet Isaias, xxiii, 16: *Bene*

*a Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram.*

<sup>2</sup> Luc. x, 42.

*cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit.* Frequenter etiam, ut in devotione salutemus: ne forte dicat nobis illud Isaïæ, xxix, 13: *Populus hic labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me*, id est, sine causa colunt me. Sapienter autem, ut salutans salutationi congruat: et salutatio concordet intentioni. Qualiter enim aut luxuriosus virginem, aut superbus humilem, aut maledictus benedictam salutare præsumit? Congruitas enim illa significatur in hoc quod cum salutationis hujus eulogium primum ipsa in Elisabeth propagaret, exclamavit Elisabeth, infra, y. 44: *Ecce ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit infans*, etc. Salutatur autem ipsa habentem in utero Joannem, hoc est, in corde gratiam: est enim de Sanctis, communionem sanctorum servans: non salutans neque resalutans eum, qui a Deo excommunicatus est, dicente Joanne in II canonica, yy. 10 et 11: *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communitur operibus ejus malignis.* Si ergo incongruus eam salutaverit, non resalutat: et tunc fiet quod dicitur, Eccli. xli, 25: *Erubescite a salutantibus de silentio.* Dicit enim Aristoteles, quod multas amicitias irresalutatio dissolvit. Salutemus ergo nos invicem in osculo sancto columbino: ut sicut ab ea volumus, ita nos eam salutemus. Tunc enim non compressione labiorum, sed conjunctione spirituum nostra perficietur salutatio.

« Quæ cum audisset. »

Ecce hic describit post inconsuetam salutationem turbationem verecundam.

Tangit autem tria: Virginis verecundæ turbationem, causam turbationis, et quam discrete se habuit in turbatione.

De turbatione autem dicit duo: lo-

quentis Angeli auditum, et occasionatum exinde turbationis affectum.

De primo dicit: « *Quæ cum audisset,* » hoc est, peraudisset, hoc est, proposita omnia auditu percepisset, et perfecte collegisset.

Et circa hoc secundo notantur virtutes audientis, et modus audiendi.

Virtutes audientis sunt tres: Virginis in susceptione verborum mansueta modestia, et patientissima in peraudiendo sapientia, et in gerendo morem puellarem Angelo mirabilis disciplina. Fecit enim jam de primo, quod longo tempore post præcepturus erat Jacobus, i, 21: *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Propter enim salutem quam promittebat verbum in modestia susceptum est: quia verbum solatii summi fuisset, si fuisset consuetum: sicut dicitur, ad Hebr. xiii, 22: *Rogo vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii.* Si enim verbum solatii est verbum Dei ab homine prolatum, quanto magis verbum maximæ consolationis fuit verbum ab ore Angeli auditum?

De patientissima in peraudiendo sapientia dicit Sapiens, Proverb. xiv, 29: *Qui patiens est, multa gubernatur sapientia.* Et de stulto per oppositum, Proverb. xviii, 13: *Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat.* Proverb. i, 5: *Audiens sapiens, sapientior erit: et intelligens gubernacula possidebit.* Proverb. xxix, 11: *Totum spiritum suum profert stultus: sapiens differt, et reservat in posterum.* Has enim fœminas Gennadius in libro de *Contemplatione* vocat ad loquendum catulas, quæ procaces sunt et protervæ: pro quolibet uno verbo multa respondententes, et numquam aliquid ad plenum audientes.

De disciplina vero dicitur, Eccli. xxvi, 17: *Disciplina mulieris datum Dei est.* Inurbanum viro est puellam virginem promptulam esse ad loquendum: maxime quæ amica est conscientiæ, et solitudinis in contemplatione æmula, Ange-

lorum cupiens frui colloquiis, et consolatione Spiritus sancti delectari. Dicit enim lex, quod incivile est, lege non prospecta, respondere de lege. Mos igitur puellaris est, ad omnem sermonem quiete audire, et cum disciplina rei exitum expectare: imitando in hoc Filium, de quo dicitur, Matth. xxvii, 14, cum de multis interrogaretur a Pilato: *Non respondit ei ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer*<sup>1</sup>. Unde potuit dicere illud Isaïæ, XLII, 14: *Tacui semper, silui, patiens fui*. Probat autem se esse puellam stirpis David, qui dixit, Psal. LXXVI, 5: *Turbatus sum, et non sum locutus*.

Sic igitur in suscipiendo verbum est modesta et mansueta, in peraudiendo sapiens et patientissima, in gerendo morem Angelo disciplinata.

Modus autem audiendi est, quod auditum referat ad intellectum, hoc autem est, auris corporis ad aurem cordis. Non enim fuit de illis de quibus dicitur, Isa. VI, 9: *Audite audientes, et nolite intelligere*. Sed in schola summæ sapientiæ edocta, sapienter et diligenter advertit: sciens quod *aurem audientem et oculum videntem, Dominus fecit utrumque*<sup>2</sup>. Hinc est quod ornamentum aureum, Cantic. I, 10, promittitur ei, quando dicitur: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*. Murenulæ enim sensui illabuntur vermiculi argentei dulcisono tinnitu. Ita Virginis auris illapsam Angeli vocem auræ lenis audivit: et dulcem tinnitum cordis auribus vermiculantem, motibus flexuosis per omnes vias cordis induxit. Eccli. xxxii, 12: *Audi tacens simul et quærens*. Psal. XLIV, 11: *Audi, filia, corpore, et vide, corde, et inclina aurem tuam*, scilicet per taciturnitatem et humilitatem.

Sequitur:

« Turbata est. »

Ista turbatio (sicut audivimus) nihil aliud est, nisi quod perstricta gloria luminis superioris et cœlestis visionis, et auditus in se, ut humilis recidit, et mixturem quamdam luminis rationis sensit: sed aliter quam Zacharias, et aliter quam Daniel<sup>3</sup>. Est enim turbatio, propassio, et est turbatio passio, ut dicit Augustinus. Turbatio quidem propassio est, quæ tangit et rationem non abducit: turbatio autem passio est quæ tangit, et cordis affectum suis tenebris cingit, et abducit, et attonitum aliquando prosternit. In Christo igitur fuit turbatio tangens tantum, Joan. XII, 27: *Nunc anima mea turbata est*. Turbatio autem tangens et cingens, ita scilicet quæ de modo impletionis nubilum et admirationem inducit, in beata Virgine fuit. Turbatio autem tangens, et cingens, et abducens in incredulitatem fuit in Zacharia. Turbatio tangens, et cingens, et attonitum prosternens fuit in Daniele. Et ideo Zacharias arguitur de incredulitate, Daniel erigitur a casu, et instruitur de ignoratis, et beata Virgo de modo impletionis expeditur.

Quatuor autem sunt, quæ hujusmodi turbationem in ipsa occasionabant: subita videlicet Angeli apparitio: verecundia quæ debetur pudori virginali ex adpectu viri: hoc etiam debetur inauditæ omnibus sæculis salutationi: et tandem etiam debetur magnitudini promissæ rei.

Quod autem hoc consueverit facere subita incogniti et insperati apparitio, patet, Luc. xxiv, 37, ubi apparente subito Domino, dicitur de Apostolis: *Conturbati vero et conterriti, existimabant se spiritum videre*. Idem cum appareret ambulans supra mare, clamabant conterriti et turbati: *Quia phantasma est*<sup>4</sup>. Job, iv, 14: *Pavor tenuit me, et tremor*, etc.

<sup>1</sup> Cf. Joan. xix, 9 et 10.

<sup>2</sup> Proverb. xx, 12.

<sup>3</sup> Cf. Daniel. x, 8 et 9.

<sup>4</sup> Matth. xiv, 26.

Quod etiam hoc debeatur pudori virginali, cui in conclavi in silentio orationis positæ contraria nimis est species viri, Tob. iii, 16, ubi in figura istius Virginis dicitur : *Tu scis, Domine, quia numquam concupivi virum.* Ambrosius : « Castæ virginis est ad omnem viri pa-  
« vere adspectum. » Unde, sicut dicitur de beato Job, xxxi, 1, quod *pepigit fœdus cum oculis suis, ut non cogitaret quidem de virgine* : quod non videret quod illicite concupisceret. Ita et ista pepigerat fœdus cum oculis suis, ut de viro numquam cogitaret. Psal. cxviii, 37 : *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.*

Hæc etiam fecit inaudita omnibus sæculis salutatio, quæ continebat omnis mali amotionem, et omnis boni in se, ad Deum, et ad proximum adeptionem, quasi numquam fuit ante audita. Ruth, ii, 10 : *Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, et nosse me dignareris peregrinam mulierem?*

Hoc etiam fecit promissæ rei magnitudo. Magna enim promisit in plenitudine gratiæ, in Domini susceptione, in sui super omnes benedictione : et ipsa in se non sensit nisi humilia, et ideo turbata. Ruth, ii, 13 : *Domine mi, consolatus es me, et locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis unius puellarum tuarum.*

Sequitur :

« In sermone ejus, »

Ecce causa turbationis. Turbatur enim *in sermone*, non de sermone : quia ea quæ sermo dixit, ipsa in oratione petivit. Sed quia *in sermone*, sermonem ad eam tam humilem convertit, ideo turbata est. Fuit enim sermo terribilis in auditu, profundus in sensu, et admirabilis in dictis.

Locutio enim Angeli ad Moysen terribilis fuit : quod dicit Apostolus, ad Hebr. xii, 21 : *Ita terribile erat quod videbatur, quod ipse Moyses qui primus inter homines fuit, dicit : Exterritus sum, et*

*tremebundus.* Et ideo dicitur in Psalmo lxxvi, 19 : *Vox tonitruum tui, Deus, in rota*, hoc est, sonus terribilis Angeli in Galilæa. Job, xxvi, 14 : *Cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Propter quod etiam dicitur, Joan. xii, 29, cum blande de clarificatione Pater loqueretur ad Filium, turbæ adstantes existimabant tonitruum factum esse. Et similiter, Act. ix, 4-7, cum de cælo Christus loqueretur Paulo, ipse Paulus corruit : et cæteri qui comitabantur cum eo stabant stupefacti. Ista autem Virgo omnibus constantior et fortior non cecidit, nec confusionem passa est : sed in sermone humanum et puellare aliquid passa, est turbata.

Fuit etiam iste sermo profundus sensu. Quia sicut dicit Salomon, Proverb. xviii, 4 : *Aqua profunda ex ore viri* : quanto magis ex ore Angeli? Ad Hebr. v, 11 : *De quo nobis grandis sermo, et ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.*

Iste sermo in dictis fuit mirabilis. Est enim omnibus mirabilibus mirabilius (quod cum dicat, Eccle. vii, 27, quod mulierem bonam ex omnibus non invenit : quin potius *invenit amariorem morte mulierem*) quod mulier sit aqueductus gratiæ, vas dulcedinis divinæ, et propagatio benedictionis in omnes : et ideo poterat dicere beata Virgo illud Sapientiæ, xvii, 1 : *Magna sunt judicia tua, Domine, et inenarrabilia verba tua.*

Sequitur :

« Et cogitabat. »

Ecce quam discrete se habuit in turbatione, vere felicissima. Sapiens enim dicit, quod felicis est decenter ferre fortunas.

Tangit autem hic tria : rationis scilicet actum, qui est cogitatio : et quid cogitabat : et qualiter. Rationis actus (ut dicit Augustinus) est cogitatio, quasi coagitatio dicta, propter collationem quam in ratio-

Et quia non emisti, gratis pro nobis accepisti. Legem tene Filii : *Gratis accepistis, gratis date*<sup>1</sup>. Et quia non meruisti, meritum non require : sed omnibus justis gratiam, peccatoribus veniam tribue, dicens, Genes. xxiv, 18 et 19 : *Bibe, domine mi :... quin et camelis tuis hauriam aquam*, etc. : homines, hoc est, rationabiliter viventes, salvans : et jumenta, qui jumentaliter vivunt. *Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*<sup>2</sup>.

« Apud Deum. »

Ecce ubi reposuit in tuto : quia qui hominibus placent *confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos*<sup>3</sup>. Qui enim gratiam non reponit apud Deum, fatuus est : sicut dicitur, Eccli. xx, 13 : *Gratiæ fatuorum effundentur*. Talis enim gratia fallax et vana est, pulchritudo virtutis popularis. Sed *mulier timens Dominum, ipsa laudabitur*<sup>4</sup>. II ad Timoth. i, 12 : *Scio cui credidi, et certus sum*, etc.

Hæc igitur dicta sunt de Salutatione.

31

« Ecce. »

Hic incipit agere de Annuntiatione.

Et facit duo : annuntiationem ponit, et præconium annuntiati.

De annuntiatione autem dicit tria : annuntiat enim conceptum, partum, et nomen.

De conceptu dicit : « *Ecce*. » Per adverbium demonstrandi notans invisibilem per naturam futurum esse visibilem : ut « dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilem amorem rapiamur »<sup>5</sup>. » Conceptum autem virginalem notat per verbum concipiendi, « *concupies*. » Per hoc quod dicit « *in utero*, » notat modum conceptionis. Demonstrans

igitur et in evidenti ponens invisibilem, dicit Isaias, xl, 9 et 10 : *Ecce Deus vester :... ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram illo*. Quomodo enim invisibilia esse persuaderet, vel nobis amorem in illa provocaret, nisi per visibilia, quæ argumentum de invisibilibus facerent? Baruch, iii, 38 : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*. Luc. ii, 30 : *Viderunt oculi mei salutare tuum*. Job, xxxi, 5 et seq. : *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te*, etc. Nam, sicut dicit Horatius :

Segnius irritant animum demissa per aures,  
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

De conceptu autem dicit :

« *Concupies*. »

Est autem hic difficultas. Conceptus enim est captio duorum seminum permixtorum ad generationem : quorum unum est agens, et alterum patiens. Hoc autem non est fas dicere de Virgine, de qua cantatur : « Quæ sine virili commixtione genuit Filium, qui suo mundum cruore redemit. » Si autem ad hoc dicatur, quod concepit corpulentam substantiam Virginis, et Spiritum sanctum qui illam substantiam formavit : incongruum est et illicitum : quia Spiritus sanctus eo quod est immensus non concipitur, nec includitur alicubi. Unde dicendum, quod cum sua corpulenta substantia concepit virtutem Spiritus sancti, quæ illam corpulentam substantiam primo decidit a sanguine Virginis, et postea convertit eam, et formavit, et figuravit, et in membra distinxit, et animavit.

Ex hoc autem arguunt Eutyches et Nestorius, quod Spiritus sanctus pater sit Filii secundum humanam generationem. Quod non sequitur : quia pater est, qui

<sup>1</sup> Matth. x, 8.

<sup>2</sup> I ad Corinth. ii, 14.

<sup>3</sup> Psal. lvi, 6.

<sup>4</sup> Proverb. xxxi, 30.

<sup>5</sup> Præfatio de Nativitate.



aliquid suæ substantiæ habet in filio, quæ in filium convertitur. Si autem Spiritus sanctus aliquid sui haberet in Filio, sequeretur quod sua substantia esset divisibilis, et ita ipse non esset simplex : quod absurdum est. Præterea, Si esset convertibilis substantia ejus, jam non esset Deus nec æternus, sed temporalis et corporeus : quod esset adhuc major absurditas : et ideo hoc non est dicendum.

Et ideo dicit Ambrosius, quod cum dicitur : Christus est conceptus de Spiritu sancto : illa præpositio, *de*, notat potestatem et non materiam. Christus enim conceptus est de potestate Spiritus sancti, et non de substantia ipsius genitus : sicut cultellus est de ferro, id est, de substantia ferri fabricatus : et Filius naturalis de Patris substantia : et ideo cum Filius non sit de substantia Spiritus sancti, non est Spiritus sanctus Pater Filii. Si enim Filius esset de substantia Spiritus sancti, oporteret quod esset de Spiritu sancto substantialiter : et cum etiam Spiritus sit procedens de Filio, oporteret quod uterque secundum substantiam esset de altero : quod est absurdum. Jam enim sequeretur duos patres esse in Trinitate, quod uterque esset pater secundum substantiam : quod est inconueniens et reprobatum in Nicæna synodo. Quod licet postea prædicaverit Leporinus monachus, tamen hoc in Concilio Episcoporum Galliæ revocavit.

Si autem quæatur, Unde Virgo concepit, utrum verbo Angeli, vel de quo ? Dicendum quod non verbo Angeli : quia verbum Angeli in aere sonuit, et non permansit : et ideo sanguinem ejus nec distinxit separando, nec convertit, nec formavit : id autem de quo concipitur, et separat sanguinem, et format, et figurat. Et ideo condemnatum est quod cantatur, Concipies per aurem : sed cantetur, « Concipies et paries Deum simul et hominem. » Sed « concepit de Spiritu sancto, » sicut dicit symbolum Apostolorum.

Quæritur, Utrum in conceptione Beata Virgo aliquid efficientis causæ contulerit ? Scitur enim et supponitur ab omnibus, quod ipsa contulit corpulentam substantiam, ex qua factum est corpus Jesu Christi. Et dicunt quidam, quod in materia generationis quæ fit ex commixtione sexuum, duplex est forma : una quarum dicitur *formativa*, et hæc est de substantia patris : alia autem est *informativa*, quæ est de substantia matris. Et dicunt quod formativa agit et operatur per se, distinguendo sanguinem, et convertendo, et formando, et figurando : informativa autem subagit et suboperatur per modum ministrantis : et ideo non agit nisi excitata, et tunc subministrat. Et hæc est sententia Galeni. Non tamen est hæc sententia Aristotelis, et Philosophorum, qui secuti sunt eum in scientia naturali : sed potius quod sola virtus informativa est in gutta patris, nec aliqua vis formativa vel informativa est in gutta matris, nisi sit forma confusa et indeterminata et indistincta : et ideo nihil agit penitus nec subministrat, sed agitur in eam per guttam viri : gutta enim viri intrat in guttam fœminæ, sicut spiritus in corpus : quia etiam gutta patris convertitur in spiritum, et intra viscositatem guttæ maternæ continetur : operans distinguendo, convertendo, formando, figurando, et cæteras operationes in ea faciendo. Ita in conceptu virginali totam operationem et actionem damus virtuti Spiritus sancti : et corpulentam substantiam, de qua operatus est Spiritus sanctus, Beatæ Virgini : et ideo ipsa est vere mater Dei, quia Deus ipse est de sua substantia factus homo. Nec tamen Spiritus sanctus est pater Christi, quia nihil de substantia Spiritus sancti est conversum in Filium. Hæc est fides Catholica circa conceptum Christi, quam « nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit <sup>1</sup>. »

<sup>1</sup> Cf. Symbolum S. Athanasii, in fine.

Hinc est etiam quod nescit tarda molimina Spiritus sancti virtus et gratia : ideo Spiritus sanctus non est operatus paulative ut natura : sed simul in uno momento corpulentam substantiam a corpore Beatæ Virginis divisit, et formavit, figuravit, animavit, et divinitati univit. Et ideo Virgo Beata simul in uno momento concepit virum perfectum in figura lineamentorum, et anima et gratia, et virtute, et sapientia : quia Christus numquam profecit in aliquo istorum, nisi sicut dicitur profecisse in facie hominum <sup>1</sup>, quando plus uno die ostendit sapientiæ et gratiæ coram hominibus quam alio, licet proficeret in utero et extra uterum in corporis et membrorum quantitate : et quidquid umquam meruit, nobis ab instanti meruit conceptionis. Et hoc est quod dicitur, Jerem. xxxi, 22 : *Creavit Dominus novum super terram : Fœmina circumdabit virum*, numero et figura lineamentorum, et anima, et deitate, et gratia, virtute, et sapientia perfectum : quod præ omnibus novis novius, et omnibus mirabilibus mirabilius. Deficiebat enim sola quantitas perfecta, propter uteri necessitatem. Et sicut primus Adam de manibus Dei existit perfectus, ita secundus de manibus Dei constitutus est perfectus : ut demus magnificentiam Deo nostro, quia *Dei perfecta sunt opera* <sup>2</sup> : et sciamus congruum esse nomen concepti, Isa. viii, 3 et 4 : *Et dixit Dominus ad me : Voca nomen ejus : Accelera spolia detrahere, festina prædari : quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci*. Adhuc enim intra viscera conceptus, detraxit et abstulit spolia naturæ nostræ : non solum ad deitatis reconciliationem, sed etiam ad unionem cum natura divina. Magnus prædator Christus, qui totum quod possederat diabolus, simul uno momento traxit ad seipsum.

<sup>1</sup> Luc. ii, 52 : *Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines.*

Hoc autem notatur per hoc quid dicit : « *Concipies.* »

« *In utero.* »

Præpositio, *in*, continentiam notans, vult quod intra uterum effectiva causa fuerit conceptus, et non ab extrinseco sicut in fœminis quæ lege naturæ concipiunt : in his ab extra immittitur unde concipiant, quod in isto conceptu impium est dicere, sed est Spiritus sancti virtute. Florens enim virtutum et honorum aromatibus hic uterus non defloret, sed florebit in æternum apud Dominum : et ideo horto florifero comparatur. Sicut enim virginem cum Angelo contemplati sumus in cubilibus dilecti salutata, ita nunc contemplemur eam in hortis aromatum in conceptu. Vere enim uterus ille hortus est, in quo ortus est flos campi de radice Jesse, flos in quo tota reffloruit salus nostra.

In decem autem hic uterus horto comparatur.

Est enim hortus conclusus sigillo castitatis perpetuæ, sicut dicitur, Cantic. iv, 12 : *Hortus conclusus, fons signatus* : cui numquam (ut dicit Origenes) communicavit alienus. Iste hortus est paradus Domini, eo quod omnia spirat propter aromata virtutum. Cantic. iv, 13 : *Emissiones tuæ paradus malorum puniceorum*, etc.

Secundo, hic hortus est fossus sarculo omnis disciplinæ. Isa. xxviii, 24 : *Proscindet, et sarriet humum suam*. Disciplina autem notatur virtutum et meritorum exercitium. Ad Hebr. xii, 11 : *Omnis autem disciplina in præsentibus quidem videtur non esse gaudii, sed mæroris : postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ*. Sic enim intelligimus Virginem euntem ire

<sup>2</sup> Deuter. xxxii, 4.

et flere, mittentem semina sua<sup>1</sup>: quæ postea in gaudio messuit in florentibus et benedictis aromatibus, quæ protulit in cœlum et in mundum.

Tertio, iste uterus est hortus per exercitium disciplinæ, adæquatus virtutum omnium æqualitate: omnis enim virtus in æqualitate quædam consistit. Isa. xxviii, 25: *Nonne cum adæquaverit faciem ejus, seret gith, et cyminum sparget?* Æqualis est enim tota superficies hujus agri, quæ numquam intumuit prosperitate, et adversitate non decidit, et in mirabilibus Dei sibi propositis numquam a mentis excidit æqualitate, eo quod extensa sit ad perpendicularum.

Quarto, est sicut hortus irriguus: undique fluente in eam fluminis impetum, qui totam lætificat civitatem Dei<sup>2</sup>. Isa. lviii, 11: *Eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum cujus non deficient aquæ.* Jerem. xxxi, 12: *Erit anima eorum quasi hortus irriguus.* Eccli. xxiv, 42: *Dixi: Rigabo hortum meum plantationum.* Et, quod mirum est, factus hortus est in ea fons vitæ irrigans universam superficiem paradisi.

Quinto, hortus ille est irroratus angelica salutatione, et omnium cœlestium virtutum familiaritate. Isa. xxvi, 19: *Quasi ros lucis ros tuus.* Osee, xiv, 6: *Ero quasi ros, Israel germinabit quasi liliium.* Isa. xlv, 8: *Rorate, cœli, desuper, etc.*

Sexto, complutus est pluvia Prophe-tarum. Isa. xlv, 8: *Nubes pluant justum.* Psal. lxvii, 10: *Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ.*

Septimo, evocata est terra istius calore et flatu Spiritus sancti. Psal. cxl, 6 et 7: *Audient verba mea, quoniam potuerunt, hoc est, efficaciter valuerunt: sicut crassitudo terræ erupta est super terram.* Sicut patet in vere, quando intima terræ evocantur et erumpunt ad superficiem ad

modum vermiculorum. Isa. xlv, 8: *Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.*

Octavo, est impinguatus adipe devotionis. Psal. lxii, 6: *Sicut adipe, etc.*

Nono, seminatus est verbi conceptione. Matth. xiii, 3: *Ecce exiit qui seminat seminare.* Et, Luc. viii, 11: *Semen est verbum Dei.* Genes. xxvi, 12: *Sevit Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum.*

Decimo, terra ista optima omni perfectione sanctificationis. Matth. xiii, 8: *Alia ceciderunt in terram bonam.* Psal. lxxxiv, 13: *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* Hic hortus numquam fuit a malis stirpibus purgatus, quia nulla penitus spina, et plantæ adulterinæ intraverunt in eam.

Sic ergo, Virgo gloriosa, concipies in utero florigero: concipies florem.

« Et paries filium, »

Qui habet in cœlo Patrem: in terra autem uteri tui habet matrem: sicut et alii omnes flores secundum Pythagoram solem habent in cœlo patrem, et terram matrem.

« Et vocabis nomen ejus Jesum. »

Ecce annuntiatio de nomine.

Et cum omne nomen habet rei proprietatem: hoc nomen præ omnibus a proprietate, et actu, et effectu, salutis est vocatum. Nomen vero mirabile, quod a Deo Patre per generationem æternam Filio datum est, a Patriarchis præsignatum, a Prophetis promissum, et ab Angelo vocatum, a matre Virgine impositum, a Joseph nutritio pueri promulgatum, ore omnium fidelium vulgatum, ab omnibus Sanctis desideratum, et a

<sup>1</sup> Psal. cxxv, 6: *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

<sup>2</sup> Psal. xlv, 5: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.*

beatis in patria in gaudium æternum glorificatum.

A Patre enim per generationem æternam est Filio datum, sicut habes, Isa. LXII, 2: *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit.*

A Patriarchis præsignatum: duo enim magnifici viri hujus nominis præcesserunt, et tertius qui nominis interpretationem magnifice exhibuit. Jesus sacerdos magnus qui populum a Babylonica servitute reduxit<sup>1</sup>. Et Jesus, filius Nave, qui populum in terram promissionis introduxit. Josue, 1, 6: *Confortare, et esto robustus: tu enim sorte divides populo huic terram, pro qua juravi patribus suis, ut traderem eam illis.* Tertius fuit Joseph filius Jacob, qui salvans mundum a periculis famis, Salvator mundi lingua Ægyptiaca appellatus est<sup>2</sup>.

Et hæc omnia veritate implevit noster Jesus, qui salvum fecit populum suum a peccatis eorum<sup>3</sup>, tamquam a confusione æternæ populum servitute liberans: et populum introduxit in cælum tamquam in terram promissionis, sicut dicit Moyses, Exod. xv, 17: *Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es, Domine: sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ.* Hic etiam a fame verbi Dei, gratiæ, et Eucharistiæ populum suum salvavit: dans panem et vinum qui de cælo descendit, ut det vitam mundo<sup>4</sup>. Sapient. xvi, 20: *Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.*

Hoc etiam nomen a Prophetis est promissum, Habacuc, III, 18: *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo.*

Ab Angelo etiam vocatum est concinentibus millibus Angelorum, infra, III, 11

et 13: *Natus est vobis hodie Salvator, qui interpretatur Jesus.... Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum.*

A matre Virgine impositum, Luc. I, 31: *Vocabis nomen ejus Jesus.* Infra, II, 21: *Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur.*

A Joseph patre putativo promulgatum, Matth. I, 21: *Pariet autem filium (dixit Angelus Joseph), et vocabis nomen ejus Jesum.*

Ab ore omnium fidelium est vulgatum: quia, Cantic. I, 2: *Oleum effusum nomen ejus super femur tuum, potentissime, quod salubriter omnibus salutarem profudit salutem.* Joel, II, 32: *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

Ab omnibus Sanctis desideratum, Isa. XXVI, 8: *Nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ.* Luc. II, 30: *Viderunt oculi mei salutare tuum, hoc est, Jesum.* Et quod ille justus in desiderio vidit, Jacob in desiderio expectavit, Genes. XLIX, 18: *Salutare tuum expectabo, Domine, hoc est, Jesum, qui salutare interpretatur.* Et omnis utriusque sexus in desiderio invocatur: « Jesus enim mel in ore, melos in aure, et in corde jubilus, » ut dicit Bernardus.

Hoc nomen etiam a beatis in gaudium æternum est glorificatum, ad Philip. II, 9 et 10: *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu, etc.*

« Hic erit magnus. »

32

Ecce præconium annuntiati.

Qualiter enim pariet filium, supra dictum est, et qualiter sine media parturitione peperit, et infra erit opportunum dicere quis filius sit.

<sup>1</sup> Cf. Zachar. III, 1.

<sup>2</sup> Cf. Genes. XLII, 43.

<sup>3</sup> Matth. I, 21: *Ipse enim, scilicet Jesus, salvum*

*faciet populum suum a peccatis eorum.*

<sup>4</sup> Cf. Joan. VI, 50 et seq.

In præconio autem isto tria continentur : dignitas ex magnitudine majestatis, hæreditas divinæ altitudinis, et regnum honoris.

Dignitas majestatis describitur cum dicitur : « *Hic erit magnus.* » Et videtur hoc contrarium esse prophetiæ Isaiæ, ix, 6 : *Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis.* Parvulus enim minor est parvo : parvum autem et magnum contrarias habent rationes circa quantitatem dictas : nisi forte dicatur, quod Propheta loquitur secundum tempus novitatis, et Evangelista de tempore futuro perfectæ ætatis : quod nihil est. Dominus enim noster non fuit enormis in quantitate corporis. Et ideo dicendum, quod parvus et magnus est : parvus humilitate, et magnus majestate : parvus assumpta humanitate, et magnus sive immensus majestate sive æternitate. Job, iii, 19 : *Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a domino suo.* Sicut et Psal. xlviii, 3, dicit : *Simul in unum dives et pauper.* Et in Proverb. xxii, 2 : *Dives et pauper obviaverunt sibi.* II ad Corinth. viii, 9 : *Propter vos egenus factus est, cum esset dives,* etc. Sic ergo magnus erit, et est magnus : erit quidem in notitia hominum, cum innotescet : est autem nunc in deitate occulta sub assumpta parvitate. Magnus ergo erit, et crescet super magnum Joannem : quia sub magno Deo, magnus Joannes parvus erit et minor minimo, qui futurus est in regno suo. Nisi enim diminueretur Joannes, ut ante diximus, non cresceret Christus et regnum ejus : et hoc maxime in ostensione est majestatis in miraculis : in his enim minimus in regno Christi major fuit Joanne : et hoc conveniebat Præcursori, ut ante diximus<sup>1</sup>.

Est autem hæc magnitudo in sex : quia magnus divinitatis ambitu, et magnus accepto præ aliis spiritu, magnus sui nomi-

nis effectu, magnus omnis virtutis propectu, magnus gloriæ et divitiarum spiritualium apparatu, magnus dignitatis excellentiæ fastu.

Quod enim magnus sit divinitatis ambitu, Psal. cxii, 5 et seq. : *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat,* etc. *Quoniam Deus magnus Dominus,* etc.<sup>2</sup> Hanc autem magnitudinem omnia ambientem comprehendit Apostolus in quatuor, ad Ephes. iii, 18 et 19, ubi dicit : *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum : scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* In hac enim magnitudine latitudo est potestatis, qua *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*<sup>3</sup>. Longitudo autem est extensio et immensitas æternitatis, qua includit et excellit omne ævum et tempus. Sicut enim nunc temporis includit omnem locum et quidquid est in loco, ita nunc æternitatis includit omne ævum et tempus in præteritis, futuris et in præsentibus. Sublimitas autem est celsitudo gloriæ et honoris. I ad Timoth. i, 17 : *Regi sæculorum immortalis, invisibilis, soli Deo, honor et gloria in sæculo sæculorum. Amen.* Luc. ii, 14 : *Gloria in altissimis Deo.* Profundum autem est abyssus sapientiæ et judiciorum Dei : *judicia enim Dei abyssus multa*<sup>4</sup>. Ad Roman. xi, 33 : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei* (altum enim et profundum idem sunt) ! *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus,* etc.

Est etiam magnus accepto præ aliis spiritu. Joan. iii, 34 : *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum, scilicet Filio : sed aliis dat ad mensuram, dividens singulis prout vult*<sup>5</sup>. Unde etiam Isaias, qui tamen spiritum ad mensuram accepit,

<sup>2</sup> Cf. supra enarrationem in v. 15.

<sup>1</sup> Cf. etiam. Psal. xlvii, 2 ; xcvi, 4 ; cxliv, 3 ; I Paralip. xvi, 23, et multoties alibi.

<sup>3</sup> Sapient. viii, 1.

<sup>4</sup> Psal. xxxv, 7.

<sup>5</sup> I ad Corinth. xii, 11.

dicitur spiritu magno vidisse ultima, et consolatus esse lugentes in Sion <sup>1</sup>.

Est etiam magnus nominis sui effectus, quod est Jesus, quod interpretatur *Salvator* : quia, Matth. I, 21 : *Salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Eccli. XLVI, 1 et 2 : *Magnus Jesus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei*. Exod. xv, 1, secundum aliam translationem : *Gloriose magnificatus est : equum et ascensorem dejecit in mare*, hoc est, in Jesum : quia Jesus *salvus*, vel *Salvator* interpretatur.

Est etiam magnus virtutis profectus. Cum enim omnis virtus sit vel humana, vel heroica, vel contemplativa : hic super omnes virtutem divinam accepit. Psal. CXLVI, 3 : *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus*, etc. Et cum laudabilium bonorum sit virtus, propter excessum suæ virtutis dicitur magnus et laudabilis nimis : et ideo, Exod. xv, 11 : *Magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis*, etc. Job, v, 9 : *Qui facit magna et inscrutabilia*, etc.

Est adhuc magnus divitiarum fastus, quo transgreditur omnes : unde, Proverb. VIII, 18 : *Mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ et justitia*. Superbum dicitur quasi super unum, quia transgreditur omnes divitias. Et hæ divitiæ sunt in possessione pulchrorum bonorum. III Regum, x, 23 et 24 : *Magnificatus est rex Salomon, super omnes reges terræ, divitiis et sapientia. Et universa terra desiderabat vultum Salomonis*, scilicet nostri veri pacifici. Psal. XLIV, 13 : *Vultum tuum deprecabantur omnes divites plebis* : ut de plenitudine ejus omnes accipiant gratiam pro gratia <sup>2</sup>.

Est tandem magnus magnitudine dignitatis regis. Psal. XCIV, 3 : *Quoniam Deus magnus Dominus, et rex magnus*, etc. Dii enim vocantur prælati, in dignitate super alios exaltati. I ad Corinth. VIII, 3 et 6 : *Siquidem sunt dii multi et domini multi : nobis tamen unus Deus*,

*Pater, ex quo omnia, et nos in illum : et unus Dominus, Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum*. Ideo dicitur, Jerem. x, 6 et 7 : *Magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o rex gentium ?*

Sic ergo erit magnus.

« Et Filius Altissimi vocabitur. »

Hic commendat ab hæreditate divinitatis : et refert futurum ad notitiam hominis, sicut ante dictum est. Dat autem Deus dona quædam alta, in quibus et ipse altus dicitur : et dat quædam altiora, propter quæ altior prædicatur : et dat altissima, quæ per superabundantiam dicta uni soli conveniunt. Alta sunt enim ea quæ vocantur *gratis data*, quibus tam corporalia quam spiritualia confert omnibus : quia nullus est quoad hoc, qui se abscondat a calore charitatis ejus. Sicut enim dicit, Psal. XCII, 4 : *Mirabilis in altis Dominus*, et sic habitat in altis : et humilia respicit in cælo et in terra, omnem imperfectionem et humiliationem donis suis relevans. Altiora autem dona sunt gratiæ *gratum facientes*, quibus sanctitatem in homine perficit : et altiores Sanctos ipse Dominus altos facit. Ad Ephes. IV, 8 : *Ascendens in altum Dominus captivam duxit captivitatem*. Ascendens autem in altum, altior efficitur, quo saltu plus exaltatur. Psal. LXIII, 7 et 8 : *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus*. De altissimo autem sui protulit dona Filii, cui dedit gratiam in dextera sua exaltari, in potioribus et potissimis bonis altissimum fieri. Unde, Luc. II, 14, Filio nato cantant Angeli : *Gloria in altissimis Deo : et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Hoc enim quod, Isa. XIV, 13 et 14, per rapinam concupivit diabolus, per hæreditatem datum est Filio : quod conscendat in cælum, et super omnia astra cæli in æqualitate Patris ponat sedem, et similis sit Altissimo.

<sup>1</sup> Eccli. XLVIII, 27.

<sup>2</sup> Joan. I, 16.

Hic ergo altissimus in se, et in donis gratiæ, non habitualis sed unionis est, cuius Filius per adeptionem altissimorum Jesus noster vocabitur. Filius (inquam) æterni Patris imago in divinis, eo quod secundum naturam Filius est hæres : Filius primogenitus et fratrum princeps : Filius primogenitus omnis creaturæ : Filius primogenitus mortuorum, solus inter mortuos liber : Filius unigenitus : Filius dilectus in quo Pater sibi complacuit, omni duritia in omnes modos depolita.

Æterni enim Patris est imago Dei indifferens : quia Apostolus dicit, quod est imago Dei invisibilis <sup>1</sup> : eo quod in Christo præfulget omnis decor sanctitatis Patris. Psal. cix, 3 : *Ex utero ante luciferum genui te, in splendoribus Sanctorum*, hoc est, ex fœcunditate protuli per generationem substantialem, ante omnem ortum lucis angelicæ cœlestis et humanæ, splendentibus in te omnibus radiis sanctitatis divinæ. Joan. 1, 3 et 4 : *Sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum*. Sicut enim dicit Psalmus xlv, 11 : *Pulchritudo agri mecum est*. Et Boetius :

Mundum mente gerens pulchrum, pulcherrimus  
[ipse.]

Nec umquam faceret mundum intellectualis Deus, nisi mentali verbo ab eodem genito prius apud se mundum gestaret : et similiter quantum unicuique est possibile, imagine formaret quæ producit in esse. Psal. xlv, 2 : *Eruclavit cor meum verbum bonum*. Sic enim Pater dixit ad eum : *Filius meus es tu : ego hodie genui te* <sup>2</sup>.

Hic est hæres paternæ gloriæ : sicut et impii Judæi profitentur, Matth. xxi, 38 : *Hic est hæres, venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus*. Sic enim dicitur, ad Coloss. 1, 13 : *Eripuit nos de*

*potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ*. Numquam enim possent esse filii adoptionis, nisi esset filius verus et naturalis : filius enim adoptionis, in jus filii est assumptus : st si nullus sit filius, in nullum jus assumeretur filius adoptivus. Propter quod etiam secundum leges humanas adoptare non potest, qui non habet filium, vel qui impotens est ad habendum filium. Adoptione igitur facti sumus filii et hæredes : *hæredes quidem Dei : cohæredes autem Christi* .

Est etiam hic Filius primogenitus, jus habens primogenituræ. Ad Hebr. iii, 6 : *Christus fidelis est in omni domo patris tamquam filius in domo sua : quæ domus sumus nos*. Psal. ii, 8 : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, etc.

Est etiam *primogenitus omnis creaturæ* <sup>3</sup>. Eccli. xxiv, 5 : *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam*. Non enim exiret in esse creatura, nisi ad imaginem et formam quam habuit in mente opificis, sicut dictum est. Et ideo verissime dicitur, quod si filius non dicatur ab æterno genitus a Patre, sequitur mundum per creationem a Deo non exivisse : quod est absurdum. Et hæc est sententia Basilii.

Hic etiam est primogenitus fratrum. Unde Apostolus, ad Roman. viii, 29 : *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*, qui omnes in adoptionem filiorum Dei per filium naturalem vocati sunt. Joan. 1, 12 et 13 : *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*, etc. Usque : *sed ex Deo nati sunt*. Joan. xx, 17 : *Vade ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum*. Ad Hebr. ii, 14 : *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipsi similiter participavit eisdem*.

Est etiam iste Filius unigenitus. Joan. 1, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam*

<sup>1</sup> II ad Corinth. iv, 4.

<sup>2</sup> Psal. ii, 7.

<sup>3</sup> Ad Roman. viii, 17.

<sup>4</sup> A Coloss. i, 15.

*quasi Unigeniti a Patre, etc.* Basilius : « Unigeniti, qui secundo genitum non « habet : et ideo cum altero paternam « gloriam non divisit, sed totum posse- « dit affectum paternum simul et glo- « riam cum nullo dividens. »

Hic est etiam Filius dilectus, in quo Pater sibi complacuit mundum reconciliare sibi et omnia, turbatione deposita. Matth. xvii, 5 : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

Sic ergo « *Filius Altissimi vocabitur.* » Et tu merito adoptionis Filius Altissimi vocaberis, si discordantes ad concordiam vocaveris, inimicos dilexeris, et pauperum misereberis. De primo horum dicitur, Matth. v, 9 : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* De secundo, ibidem, 33. 44 et 45 : *Diligite inimicos vestros, ... ut sitis filii Patris vestri qui in cælis est.* De tertio, Eccli. iv, 10 et 11 : *In judicando esto pupillis misericors ut pater, et pro viro matri illorum : et eris tu velut filius Altissimi obediens.*

Sequitur :

« Et dabit illi Dominus Deus sedem. »

Præconium est annuntiatum quantum ad potestatem honoris regalis.

Et dicit tria : collationem scilicet sedis regalis, actum regiminis, et durationem æternitatis.

De sede dicit quatuor : quis videlicet conferet, quia Dominus Deus : qualiter videlicet conferet, quia gratis dando : quid conferet, quia sedem : et quo jure, quia hæreditario ex David patre suo.

Dicitur igitur quod « *Dominus,* » qui potest, et « *Deus,* » qui scit idonee conferre, et vult omnibus per eum providere. Confert enim Dominus : quia (sicut jam ante habitum est) et præsidem nominat, et divitem, et non nutantem : et ex hoc quod præsidet, jus habet prævidendi : ex copia autem divitiarum habet unde provideat : et ex robore multi-

tudines regendas continente, suum est vocare eos qui secum regendo multitudines contineant. Deus autem, sicut dicit Damascenus, dicitur, vel quia providet et videt omnia : vel quia curat de omnibus : vel quia circuit omnia : θεός enim græce, vel videre vel ardere sonat. *Theaste* autem sonat circumire. Videt enim omnia : et ideo scit quis sit idoneus ad regendum. Ad Hebr. iv, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo.* Eccli. xxiii, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum.* Quod autem cura sit sibi de omnibus, et ideo nobis in tali providere velit, Sapient. vi, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit : et æqualiter cura est illi de omnibus.* Quod autem circumeat, et consideret, et diligentiam ponat ut utilem inveniat, Eccli. xxiv, 8 : *Gyrum cæli circuiivi sola.* Sic ergo scit quis sit utilis : et talem vult et ostendit, ut utiliter circumeat cum Jesu per vicus et castella et civitates, prædicans Evangelium regni <sup>1</sup>. Cantic. iii, 2 : *Circuibo civitatem : ... quæram quem diligit anima mea.*

Quid autem dabit, subjungit, quia « *sedem.* » Est autem omnis cathedra sedes, sed non convertitur : et omnis thronus cathedra et sedes, sed non convertitur. Thronus enim regum : et cathedra, sedes cathedizantium, hoc est, docentium. Thronus autem sedes regum : et ille tenetur docere jus, et in quiete promulgare : propter quod præcipitur iudicibus, ut sedendo pronuntient sententiam. Quies ergo iudicandis accipitur per sedem : doctrina autem justitiæ per cathedram : et thronus dicit dignitatem regiam. De sede, Apocal. iv, 2 : *Sedes posita erat in cælo.* De cathedra, Psal. cvi, 32 : *Exaltent eum in ecclesia plebis : et in cathedra seniorum laudent eum.* De throno, Psal. ix, 5 : *Sedisti super thronum qui iudicas justitiam.* Christus autem Dominus qui de se dicit, Joan.

<sup>1</sup> Cf. M h. iv, 23.



XIII, 13: *Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis: sum etenim: habet et thronum, et cathedram. Et cum dicat de eo Isaias, XLII, 2, quod non clamabit, neque accipiet personam, nec augetur foris vox ejus, sed quietus requiescet super humilem et quietum: habet etiam sedem. Vel forte omnia tria hæc comprehendens, dicit: « Sedem. »*

Hæc sedes significatur, III Reg. x, 18-20, ubi dicitur, quod *fecit rex Salomon thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis. Qui habebat sex gradus: et summitas throni rotunda erat in parte posteriori: et duæ manus hinc atque inde tenentes sedile, et duo leones stabant juxta manus singulas: et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde. Ebur enim candens innocentiam significat regis, qui talis est, de quo nullus umquam conquestus est. Aurum autem fulvum nimis, est sapientia Dei in rege nostro ad faciendum judicia.*

Sex autem gradus quibus ascenditur, sunt sex modi judiciorum, quibus regnum regitur et continetur: quorum unus gradus est justitia directiva operum in communibus: secundus est justitia solutiva et custoditiva legum in casibus emergentibus: tertius est præceptivus legum in communibus: quartus est ordinativus potestatum majorum et minorum: quintus præparativus acierum et tyronum ad contritionem insurgentium: sextus et ultimus est regitivus præsentium in regnantibus, penes quos summa consistit negotiorum et regiminis. Primus fit per justitiam duplicem, commutativam videlicet, et distributivam: secundus fit per eam quam Græci vocant ἐπιχριστιν, hoc est, superjustitiam; tertius per legislativam: quartus, per potestativam: quintus, per eam quæ de re militari pertractat: sextus autem, per eam quæ est dominativa vocata justitia. Numquam enim regnum est integrum, nisi sex ista contineat.

Et de prima quidem dicitur, Isa. xxxii,

1: *Ecce in justitia regnabit rex, et principes in judicio præerunt, reddendo videlicet in causis unicuique quod suum est, distributive, vel commutative.*

De secunda justitia expresse habetur, I Machab. II, 32-38, ubi populus legem tenens sabbati occisus est: Mathathias autem solvendam aliquando sabbati legem judicans populum salvavit.

De tertia justitia, Isa. xxxiii, 22, dicitur: *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.*

De quarta dicitur, ad Roman. xiii, 1 et 2: *Non est potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.*

De quinta, Jerem. xi, 20, dicitur Dominus Sabaoth, hoc est, exercituum, per quos potestates aeræ debellantur. Psal. xxiii, 10: *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ, hoc est, exercituum in virtute contrarias potestates conterentium.*

De sexta dicitur, Jerem. xxiii, 6: *Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Et qui hæc sex non habet, ascendere ad regendum non debet. Non enim rex est, qui in se rectus, ut Dominus, non est. Nec rex est, qui virtutem exercitus non habet. Nec item rex est, qui non habet ordinem potestatum in ducibus et comitibus et præsidibus, et aliis hujusmodi potestatibus. Nec iterum rex est, qui leges non condit. Rex etiam non est, qui ubi tenenda et solvenda est lex, ignorat. Nec iterum rex est, qui nec secundum æquale distributivum, nec secundum æquale commutativum justitiam conquerentibus reddit.

In his sex gradibus duodecim sunt leunculi hinc et inde: leo enim est animal terribile. Et sunt duodecim injuriæ, quæ contrariantur hujusmodi justitiis, deterrentes.

Primæ justitiæ quæ redditur in communibus, duæ injuriæ opponuntur: magis videlicet accipere, quam dedit in

commutatione: vel magis quam dignitati congruit in distributione. Et has injurias deterrent duo leones, hoc est, duæ æqualitates, a quibus inflexibilis est animus judicis.

Contra secundam justitiam duæ sunt injuriæ: dum aut indiscreta lex omnino judicatur esse tenenda: aut ex incuria de observantia legis nihil curatur. De prima dicitur, Eccle. vii, 17: *Noli esse justus multum, sed justitiæ tuæ pone modum.* De secunda, Osee, viii, 12: *Scribam multiplices leges meas, quæ velut alienæ reputatæ sunt.*

Contra tertiam justitiam duæ sunt injuriæ: impias videlicet leges scribere, aut calumniosas: de quibus dicitur, Isa. x, 1 et 2: *Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes, injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei.* In utroque gradu sunt duo leones: dum justus rex facit teneri legem, et solvi pro loco et tempore, et justas et æquas absque calumnia condit leges.

Contra quartam sunt duæ injuriæ: dum potestates imperant in acceptione personarum, aut in cupiditate munerum. Leones ista vitia deterrentes sunt: ita parvum ut magnum audire, et sine muneribus velociter exhibere quod justum est.

Contra quintam sunt duæ injuriæ: dum miles, aut violentiam infert, aut remissus miles fugit ab acie. Leones vero deterrentes sunt, strenuitas in hostes, et humanitas in cives.

Contra sextam sunt duæ injuriæ: ut dum dominatus aut vilipenditur propter perditionem auctoritatis, aut propter efferationem elationis. Leones autem hæc vitia deterrentes sunt, auctoritatis firmitas, et odium in malos subjectos, et mansuetudo in bonos. Quia et dominatus non nisi propter inferiores accipitur: et tamen Dominus per naturam illi cui præsidet similis invenitur. Et ideo dicit Petrus in I Canon. v, 3: *Non ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

XXII

Iste ergo est thronus in quo sedet per istos gradus ascendens: habens adhuc duos leones habentes brachia, et manus appodiatas ex latere. Quorum unus est dignitas regia, significata in leonis regali proprietate: et alter est majestas terribilis malis, significata in leonis majestate. Proverb. xx, 8: *Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Manus autem hominis retro recipientes, humanitatem lenitatis et rationabilitatis in occulto in corde significant in rege. Rotunditas vero throni similitudinem significat æterni regni, cui se bonus rex quantum potest conformat. Iste est ergo thronus sibi collatus, Jerem. xvii, 12 et 13: *Solium gloriæ altitudinis a principio, locus sanctificationis nostræ, expectatio Israel.*

Quo jure autem devolvitur ad ipsum thronus iste, sive sedes, subjungit, dicens:

« David patris ejus. »

Et hoc propter quatuor virtutes in rege David, (in quantum ipse rex est) existentes: una quarum est misericordia pauperum defendendorum, secunda est amor justitiæ regendorum, tertia est odium iniquitatis conterendorum, et quarta est clementia inimicorum pro injuria personali, non publica persequentium.

De prima dicitur, I Reg. xxii, 2: *Convenerunt ad David omnes qui erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno, et amaro animo: et factus est eorum princeps.* Isa. xvi, 5: *Præparabitur in misericordia solium, et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, judicans et quærens judicium, et velociter reddens quod justum est.* Misericordia enim pauperum defendendorum debet movere regem ad suscipiendum regnum, ut dicat in corde suo illud Psalmi x secund. Hebræos, 14: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.*

De secunda dicitur, I Reg. xxx, 22-25, cum dicerent viri procedentes ad bellum,

6

quod viri remanentes ad sarcinas non deberent accipere portionem in spoliis, sed deberet eis sufficere quod quilibet acciperet sua : dixit David, quod æqua deberet esse portio remanentis ad sarcinas, et procedentium ad bella, et similiter dividit. Et factum est hoc ex die illa, et deinceps constitutum et præfinitum quasi lex in Israel, usque in diem hanc. Deuter. xvi, 20, semper in corde debet dicere rex : *Juste quod justum est persequeris* : et nulla erit personarum distantia.

De tertia habetur, III Reg. ii, 32, ubi ex odio iniquitatis fecit interfici Joab filium amitæ suæ, qui occiderat proditiose duos viros justos et meliores se. Et de his duobus simile dicitur in Psalmo xliv, 8 : *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem*, etc.

De quarta habetur, I Reg. xxiv et xxvi per decursum, ubi bis traditus est Saul in manus ejus : et semper clementer pepercit eidem. Psal. cxix, 7 : *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus*, etc. Iste autem David pater Jesu dicitur, eo quod ab ipso descendit secundum corpulentam substantiam : et quia hæres suus erat secundum illud Matthæi, xv, 22 : *Miserere mei, Domine, fili David*. Matth. xxi, 9 : *Hosanna filio David*, etc.

Sequitur :

« Et regnabit. »

Præconium est ab actu regiminis.

Dicit autem duo : regnum, et super quos regnat. Regnare autem Jesum nihil aliud est, quam leges suas et potestatem indicere his super quos regnat.

Illas autem leges indicit suis tribus modis : in corde videlicet, et in aure, et in docendo quod lex impleatur ubi vacua esse monstratur. In corde scribit per spiritum : in aure per verbum prolatum. Implere autem legem docet per mysterium.

<sup>1</sup> Matth. vi, 9 et 10.

De scriptura cordis, Jerem. xxxi, 33 : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam*. Et, ad Hebr. viii, 10 : *Dando leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas*. Isa. viii, 16 : *Signa legem in discipulis meis*. Sic enim oramus ut adveniat regnum Patris, qui est in cœlis <sup>1</sup>. II ad Corinth. iii, 2 : *Epistola nostra vos estis*. Et subinfert, y. 4, quod est scripta *spiritu Dei vivi*. Intellectus autem et affectus in quibus leges regni sui scribit Deus, sunt duæ tabulæ scriptæ digito Dei <sup>2</sup>.

In aure autem scripsit, Luc. viii, 8 : *Qui habet aures audiendi, audiat*. Per aurem etiam scribitur : per auditum enim fidem accipit de regno. Ad Roman. x, 17 : *Fides ex auditu : auditus autem per verbum Christi*.

Implet autem legem, spiritualiter docens intelligi regnum et legem. II ad Corinth. iii, 6 : *Littera occidit, spiritus autem vivificat*. Matth. v, 17 : *Non veni solvere legem, sed adimplere*. Vacua enim est lex sine spiritu.

Hoc igitur est regnare Christum in his in quibus regnat, dum leges et mandata in corde suscipiunt, et audita pertractant, et quæ vacua sunt carnaliter, intellecta spiritualiter implent. Hi autem qui sic legibus suis contradicunt, nolunt eum regnare super se : et ideo inimici reputantur, et occidendi coram ipso. Luc. xix, 27 : *Inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, et interficite ante me*. Et, Apocal. xix, 6 et 7 : *Regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei*. Isa. ix, 7 : *Super solium David, et super regnum ejus*, etc. Et, Psal. xliv, 7 : *Virga directionis virga regni tui*.

Sic ergo regnabit

« In domo Jacob, »

<sup>2</sup> Cf. Exod. xxxii, 15 et 16.

Hoc est, in familia Jacob. Sed quare potius in familia Jacob, quam in familia Abraham, vel Isaac? Ad hoc dicendum, quod hoc est propter hoc quod domus Abraham numquam in toto benedicta fuit: et ideo Christi regni neque figura, nec veritas fuit: quia Ismael fuit de reprobatis et ejiciendis extra domum. Unde, Genes. xxi, 10: *Ejice ancillam hanc, et filium ejus: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Similiter autem et domus Isaac non tota ad benedictionem pertinebat, quia Esau cum omnibus ad se pertinentibus de reprobatis fuit. Malach. 1, 2 et 3: *Dilexi Jacob, Esau autem odio habui.*

Si autem quæretur, Quare non dicit: In domo David? Dicendum, quod David numquam habuit domum universalem: sed regnum habuit universale et domum particularem de domo Jacob, de tribu Juda, et de familia Jesse. Et ideo cum regnum Christi sit universale, non regnat in domo David, sed regnat in domo universali Jacob. Sedes autem David universalis fuit: et ideo sedet super sedem David, et in domo Jacob.

Quod autem regnat in domo Jacob, decem sunt causæ. Una quarum est propter vocantis electionem. Secunda est propter fratris supplantationem. Tertia, propter innocentiam simplicitatem. Quarta est propter primogenituræ adeptionem. Quinta, propter benedictionis surreptionem, Sexta, propter carnalis et mali fratris persecutionem. Septima, propter cœlestium visionum revelationem. Octava, propter eam quam ad Angelum habuit directionem. Nona, propter suæ familiæ ad statum totum Ecclesiæ significationem. Decima, propter benedictionis in totam familiam suam et domum propagationem.

Sic igitur Christus totam domum Ecclesiæ et regnum desponsavit: ut primo electos vocaret, hoc est, de massa perditionis separaret. Secundo, ut fratrem, carnem scilicet, supplantaret, hoc est, subvertere doceret, quod non carni et

sanguini acquiescere, sed contraire doceret. Tertio, ut simplicitatem se et innocentiam diligere doceret. Quarto, ut jura primogenituræ suos habere doceret, hoc est, ut principalia patris bona, et duplicia in hæreditate possiderent. Principalia autem sunt dona gratiarum, et secundaria sunt temporalia: unde, Matth. vi, 33: *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, etc.* Duplicia autem sunt dona gratiæ et gratiæ. Quinto, ut benedictionis hæredes suos demonstraret. Sexto, ut omnes bonos persecutiones pro Christo passuros demonstraret. Septimo, ut per visionem cœlestem ostenderet quidquid ad sanctitatem et cultum Dei pertineret. Octavo, ut qualiter Angelorum et cœlestium spirituum promeretur auxilium revelaret. Nono, ut per familiam domus Jacob ostenderet, quod in tota Ecclesia per ministros Ecclesiæ gignendo filios Ecclesiæ efficeret. Sicut enim dicit Augustinus in libro de *Baptismo parvulorum contra Donatistas*: « Jacob quatuor habuit uxores, duas liberas, et duas ancillas: et per uteros uniuscujusque earum genuit de semine suo: et per uterum alienum filios ad benedictionem pertinentes. Duæ liberæ significant statum activorum (quem significat Lia) et statum contemplativorum (quem significat Rahel): et sive sacramenta conferat activis, sive contemplativis in forma Ecclesiæ, semper sacramenta tamquam vulvæ liberarum generant filios Ecclesiæ ad benedictionem pertinentes. Duæ autem ancillæ significant duo genera ministrorum, qui peccatis serviunt: unum genus est minister, qui actu malus est, et tamen fidem tenet: secundum genus est minister hæreticus, qui et actu malus est, et fide caret. Uterque autem istorum dummodo formam Ecclesiæ et intentionem ejus quod facit Ecclesia teneat, filios spirituales generat in salutem tamquam ex Christi semine: generans et parvulas servituti, hoc est, peccato subjectas. »

Genes. xvii, 20 : *Super Ismael quoque exaudiui te : ecce benedicam ei, et au-gebo, et multiplicabo eum valde.* Decima causa est, quia Christus (sicut Jacob) benedictionem et in omnes Apostolos et in omnes eos qui credituri erant per doctrinam ejus propagavit.

De primo horum dicitur, ad Roman. ix, 12 et 13 : *Sed ex vocante dictum est ei : Quia... Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Genes. xxv, 23 : *Major ser-viet minori.* Malachiæ, 1, 2 et 3 : *Dilexi Jacob, Esau autem odio habui.*

De secundo dicitur, Genes. xxvii, 36 : *Juste vocatum est nomen ejus Jacob : supplantavit enim me en altera vice.* Osee, xii, 3 : *In utero supplantavit fratrem suum,* hoc est, evertit et machinationes exclusit. Genes. xxv, 25 : *Protinus alter,* hoc est, Jacob, *egrediens, plantam fratris tenebat manu.*

De tertio dicitur in Psalmo xxiv, 21 : *Innocentes et recti adhæserunt mihi,* etc. Psal. lxxxiii, 13 : *Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia.* I Paralip. xxix, 17 : *Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas.* Genes. xxv, 27 : *Jacob, vir simplex, habitabat in tabernaculis.*

De quarto, Genes. xxv, 31 : *Vende mihi primogenita tua.* Et, ibidem, v. 34 : *Abiit, parvipendens quod primogenita vendisset.* Quod autem potiora bona habiturus sit primogenitus, Genes. xlix, 3 : *Ruben, primogenitus meus... prior in donis, major in imperio.* Et quod duplicia accepturus sit, dicit Dominus quod pater dabit ei duplicia, Isa. lxi, 7 : *In terra sua duplicia possidebunt,* etc. Isa. xl, 2 : *Suscepit de manu Domini duplicia.* Proverb. xxxi, 21 : *Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus.*

De quinto, quod etiam benedictionem possessuri sunt, dicitur, I Petr. iii, 9 : *In hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis.* Genes. xxvii, 33 : *Benedixi ei, et erit benedictus.*

De sexto, scilicet de persecutione fra-

tris, II ad Timoth. iii, 12 : *Omnes qui pie volunt,* etc. Matth. v, 10 : *Beati qui persecutionem patiuntur.*

De sétimo autem, quod est visionum cœlestium revelatio, in quo certa docetur cultura Ecclesiastica, Genes. xxviii, 16 et 17, ubi Jacob vidit cœlum apertum, et scalam stantem super terram, et Dominum innixum scalæ desuper : et Angelos ascendentes et descendentes per eam, dixitque : *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Pavensque, Quam terribilis est, inquit, locus iste ! non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli.* Et, Exod. iii, 5 : *Locus in quo stas, terra sancta est.* Et, Josue, v, 16 : *Locus in quo stas, sanctus est.* Cœlum enim apertum significat sanguine Christi cœlum aperiendum : scala, descensum Angelorum ad custodiam, et ascensum ad oblationem votorum nostrorum, et intellectuum ad Dominum : locus sanctus sive terra sancta, Ecclesiam sanguine Christi sanctificandam : terribilis locus, venerationem sacrorum locorum : Dominus autem in loco, significat operationem Domini in sacramentis per gratiam : domus autem Dei, culturam Ecclesiæ universalem in laudibus divinis. Sapient. x, 10 : *Hæc profugum iræ fratris, Jacob scilicet, justum deduxit per vias rectas : et ostendit illi regnum Dei,* hoc est, Ecclesiæ culturam in qua regnat, *et dedit illi scientiam sanctorum* (neutri generis), hoc est, scientiam sanctitatis Ecclesiæ, *honestavit illum in laboribus, et complevit,* scilicet in omni perfectione sanctitatis, *labores illius.*

Octava causa, qua Jacob qualiter fideles in regno Christi existentes Angelorum auxilium promereantur revelat : et de hac secundum historiam, Genes. xxxii, 24 et seq., quod *vir luctabatur cum Jacob usque mane. Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit. Dixitque ad eum : Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Respondit : Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Et

lucta quidem significat luctam orationis per fletum et devotionem, cui resistere non valuit Angelus, eo quod devotos in oratione diligit, et ab eis recedere non potest: unde dicit Hieronymus, quod « duobus brachiis luctabatur, fletu » et devotione. » Benedictio autem tutat contra hostes dæmones, confortatio contra fratrem significat confortationem contra mundi tentationem, et tactus femoris significat concupiscentiæ carnalis extinctionem.

Non autem est, de qua dicitur, Isa. LXVI, 8: *Numquid parturiet terra in die una? aut patietur gens simul, quia parturivit et peperit Sion filios suos?* Matth. VIII, 11: *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cælorum.* Isa. XLIII, 5 et 6: *Ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni: Da: et Austro: Noli prohibere.* Oriens enim propter ortum lucis est minister bonus contemplativus: et Occidens in quo occidit lux fidei, est minister malus hæreticus, formam tamen Ecclesiæ tenens in sacramentorum collatione: Aquilo autem plaga frigida, est minister malus fidelis, cujus non occidit lux fidei. Aquilo enim, ut dicit Gregorius super *Job*, semper volvitur et numquam occidit. Auster autem plaga lucida et calida, significat ministrum bonum activum. Ad Hebr. III, 6: *Christus tamquam filius in domo sua: quæ domus sumus nos*, etc.

De decima autem, hoc est, in totam domum benedictionis propagatione, dicitur, Genes. XLIX, 3-28, ubi Jacob omnibus duodecim filiis benedixit singulis benedictionibus. Et, Deuter. XXXIII, 6-26, ubi Moyses similiter, sicut et Christus duodecim Apostolis<sup>1</sup>. Et oravit pro omnibus, qui credituri erant nomini ejus per ipsos<sup>2</sup>. Propter quod etiam universitas salvandorum signatur per Patriar-

chas<sup>3</sup>. Et universitas portarum, per quas intratur in regnum<sup>4</sup>. Hac igitur de causa regnat Christus in domo Jacob super solium David, et in throno Salomonis sedet. Regnare enim nihil aliud est, quam multitudines in regno continere sermone coactivo, vel promissivo, ut dicit Aristoteles: « Sermo enim persuasivus in legibus et in moribus non valet, quia leges non dantur sciendi gratia, sed ut boni fiamus. » Et ideo sermo syllogisticus in talibus non valet, sed coactivus per pœnarum comminationem: vel promissivus per præmiorum spem et expectationem, sicut dicit Isaias, I, 19 et 20: *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est.*

Regnabit autem.

« In æternum »

Isa. IX, 7: *Super solium David, et super regnum ejus sedebit: ut confirmet illud, et coroboret in iudicio et justitia, amodo et usque in sempiternum.* Quia claritas regni gratiæ continuatur ad regnum gloriæ: de quo dicitur, Matth. XIII, 43: *Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.*

Objicitur autem ex hoc quod dicitur, I ad Corinth. XV, 24: *Cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem.* Ubi dicit Glossa, quod usque ad diem iudicii et dæmones dæmonibus, et Angeli Angelis, et homines hominibus præsumunt: et post iudicium omnis cessabit prælatio. Ad quod dicendum, quod tam in cælo, quam in mundo, et in inferno cessabit in Angelis, hominibus, et dæmonibus prælatio, quoad curam et actum regiminis: sed in Deo numquam cessabit. Licet quoad curam

<sup>1</sup> Cf. Matth. X, 1 et seq.; Luc. VI, 13 et seq.

<sup>2</sup> Cf. Joan. XVII, 20.

<sup>3</sup> Cf. Apocal. VII, 5-9.

<sup>4</sup> Cf. ibidem, XXI, 12 et 13.

regiminis et exercitium cesset in omni creatura rationali, tamen quoad aliquid manebit in æternum. In prælatione enim duo sunt, honor, et onus. In desiderantibus igitur honorem ut præsent et non prosint, nec onus portent inferiorum : cessabit honor, et remanebit onus quod præessendo meruerunt. Ezechiel. xxi, 25 et 26 : *Tu autem, profane, impie dux Israel, cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita : hæc dicit Dominus Deus : Aufer cidarim, tolle coronam.* Cidarim est ornamentum sacerdotum : et corona ornamentum dignitatis regum. Isa. xxii, 18 : *Coronans coronabit te tribulatione, scilicet in onus, et non in honorem.* In his autem qui desiderant prodesse potius quam præesse, subeuntes onus potius quam fulgentes honore : sicut dicit Augustinus : « *Honore coram vobis prælatus sit : vobis timore coram Deo substratus sit pedibus vestris.* » Et, ad Hebr. xiii, 17 : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis : ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* In his (inquam) remanebit honor, et cessabit providentiæ onus. Proverb. xxvii, 23 et 24 : *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, gregesque tuos considera : non enim habebis jugiter potestatem, sed corona tribuetur in generatione et generationem.* In hoc enim quod dicit : *Non habetis jugiter potestatem,* cessationem oneris notat. In hoc autem quod dicit : *Corona tribuetur,* tibi scilicet, in generatione et generationem, hoc est, in regno (quæ corona est finis generationum eorum qui reguntur in gratia), notat permanentiam honoris. Eccli. xxxii, 1 et seq. : *Rectorem te posuerunt, noli extolli : esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe, et sic conside, et omni cura tua explicita recumbe : ut læteris propter illos, et ornamentum gratiæ accipias coronam, et dignationem consequaris corrogationis.*

« Et regni ejus. »

In quo ostendit istius regni durationem. « Est autem regnum, ut dicit Dionysius in libro de *Divinis nominibus*, « omnis finis et boni, legis et ordinis « distributio : » hoc est dicere : Distributio congruens dignitati personarum diversa, quæ ab Apostolo<sup>1</sup> vocantur personæ multarum facierum. Distributio, inquam, finis, quem intendit rex in personis regni efficere : finis enim non est tantum unus, neque omnes regni personæ ad unum finem duci possunt. Et est distributio boni diversi, quo frui debent personæ regni sub regimine regis. Et distributio legum, quæ etiam diversæ sunt secundum diversitates personarum, locorum, et temporum. Et distributio ordinum et graduum, quæ etiam variantur secundum status personarum. Omnis, inquam, talis secundum omnem diversitatem distributio, est et vocatur regnum.

Sic enim Christus in nobis regnat et regnabit, distribuens nobis fines gratiæ in quos tendamus perficiendo cursum nostrum. Act. xx, 24 : *Nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorum quam me, dummodo consummem cursum meum,* etc. II ad Timoth. iv, 7 : *Cursum consummavi, fidem servavi.* Matth. x, 22 : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Ad Hebr. iii, 6 : *Christus tamquam filius in domo sua : quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.*

Distribuit etiam nobis bona. Diversarum enim personarum in Ecclesia diversum est bonum : aliud enim bonum prælati, et aliud bonum subditi, aliud bonum militis, aliud bonum ejus quem miles defendit, aliud bonum religiosi, aliud bonum sæcularis, aliud bonum matronæ, et aliud bonum viduæ, et aliud virginis, et sic de aliis Ecclesiæ gradibus. De omnibus pro diversitate personarum

<sup>1</sup> Cf. II ad Corinth. i, 17 et seq.

dicitur, Isa. LV, 2 : *Audite, audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra.* Thren. III, 25 : *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Psal. XXIV, 13 : *Anima ejus in bonis demorabitur,* etc. Eccli. XLIV, 11 et 12 : *Cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta,* etc. Proverb. XXXI, 12 : *Reddet ei bonum et non malum, omnibus diebus vitæ suæ.* Hoc significatur, Matth. XXV, 14 et 15 : *Tradidit illis bona sua... unicuique secundum propriam virtutem,* hoc est, dignitatis suæ congruitatem.

Est etiam hæc distributio legum, quia non omnes ligat una lex, sed pro diversitate personarum, et locorum, et temporum leges diversificantur. Eccli. XXIV, 33 : *Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum,* hoc est, quæ distribuuntur pro uniuscujusque congrua dignitate. Deuter. XXXIII, 2 : *In dextera ejus ignea lex.* Et, ibidem, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ejus.* Psal. XVIII, 8 : *Lex Domini immaculata, convertens animas.* Psal. CXVIII, 33 : *Legem pone mihi, Domine,* etc.

Est etiam distributio ordinis uniuscujusque personæ in gradu suo. Daniel. X, 11 : *Sta in gradu tuo.* Sicut enim in ordinibus cæli nemo est qui mutat ordinem et gradum, in quo positus est, ita in terra quilibet in gradu suo, in quo vocat Deus eum, permanere debet. Psal. XLVII, 14 : *Distribuite domos ejus,* etc. I ad Corinth. VII, 20 : *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Sic igitur regnat super nos Dominus Deus noster, rex regum, qui *habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium*<sup>1</sup>.

Hoc autem regnum corrumpit tyrannus, qui non curatis finibus et bonis graduum diversitatis hominum, omnia statuit ad utilitatem propriam, et oppres-

siones et calumnias hominum. Isa. X, 1 et 2 : *Væ qui conduunt leges iniquas, et scribentes, injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei!* Osee, VIII, 4 : *Ipse regnaverunt, et non ex me : principes exstiterunt, et non cognovi.* Isa. XIX, 4 : *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium : et rex fortis dominabitur eorum.* Sed de regno Regis nostri dicitur quod est regnum omnium sæculorum. Psal. LXXI, 8 : *Dominabitur a mari usque ad mare, hoc est, in tota tribulorum multitudinem : et a flumine usque ad terminos orbis terrarum,* hoc est, ad descensum fluminis Spiritus sancti, usque ad extremos Ecclesiæ. Hoc est regnum Catholicum, hoc est universale, in quo regnabit Christus, *donec ponet inimicos suos scabellum pedum suorum*<sup>2</sup>.

Hujus autem regni

« Non erit finis. »

Et hoc jam in præcedentibus expositum est. Daniel. VII, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Isa. IX, 7 : *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis.*

« Dicit autem. »

Sciens beata Virgo quod dicitur, Isa. XXX, 15 : *In silentio et spe erit fortitudo vestra : cum orasset pro liberatione generis humani, spem posuit in exauditione.* Audiens autem Angelum de hoc loquentem, diu siluit : sciens quod dixit Moyses, Exod. XIV, 13 : *State, et videte quod Dominus facturus est hodie.* Et post hoc dicit, 3. 14 : *Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis.* Nunc autem audiens sapienter Angelum loqui, quem in specie viri apparentem vidit,

<sup>1</sup> Apocal. XIX, 16.

<sup>2</sup> Cf. I ad Corinth. XV, 25 ; Psal. CIX, 1.



vitans eos ad obediendum Filio ad gloriam Dei declarandam.

*Quantum* vero locuta est, delectabile est audire. Parum enim valde, et vix insonuit in quæstionibus dubiorum : sciens quod oportet mulierem in Ecclesia non docere vel esse clamorosam<sup>1</sup>. Similiter parum perlocuta est in salutatione, et necessariorum postulatione. Multum autem effluxit in Dei laude et gratiarum actione, decantans canticum novum : *Magnificat anima mea Dominum* : docens quod a laude Dei numquam esset cessandum.

Libet etiam advertere *quando* locuta : Numquam enim locuta est nisi (bis) non præventa : et tunc etiam quodammodo præventa fuit, et quasi coacta ad loquendum. Hic enim post longam deliberationem, cum ageretur quod mater futura esset, quæ castitatem voverat, et castitatis periculum timeret, locuta est cum Angelo bis. Materteram etiam salutat præventa sermone Angeli, qui eam concepisse nuntiaverat : et gratias agit præventa prædicatione materteræ de bonis in ea perficiendis a Domino. Filium perdere timens, reverenter inquirens : et ibi quodammodo præventa timore perditionis ipsius, et dolens, incitatur ad quærendum Filio qualiter se subtraxerit. Similiter et ministris loquitur præ angustia, et præventa necessitatibus proximi. Et sic absque causa nihil umquam legitur fuisse locuta. Eccli. xxxii, 10 : *Adolescens, loquere in tua causa vix*, id est, cum necesse fuerit.

*Quomodo* autem locuta est si scire consideras : Quam modeste, quam sapienter, quam silenter. Ita ut videatur verum esse de ipsa quod de Anna, I Reg. i, 13, legitur quod *tantum labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur*.

Sic ergo verecundiæ cedens, castitati autem cavens, « *Dixit*, » os silenter aperiens,

« Maria ad Angelum. »

In hoc præbens exemplum virgini Marthæ, Joan. xi, 28, quæ sub silentio vocavit sororem Mariam, dicens : *Magister adest, et vocat te*. Eccli. xxxii, 9 : *Audi tacens*, et simul quærens : *et pro reverentia accedet tibi bona gratia*.

Et castitati timens quærit, dicens :

« Quomodo fiet istud ? »

Glossa : « Liquet quod futurum credit, quæ de modo quæsivit. » Et ideo mirandum est de istius virginis pudore et sapientia. Modum enim sapienter quæsivit rei, quam per certitudinem nuntii et immutabilem prophetiæ enuntiationem futuram esse cognovit. Legerat enim, Isa. vii, 14 : *Ecce virgo concipiet, et pariet filium*. Et certitudinaliter scivit esse venturum. Qualiter autem futurum erat, sapienter dubitavit. Sicut etiam dicitur, ad Ephes. iii, 4 et 5, hoc mysterium est a sæculis in Deo absconditum. A Prophetis enim non fuerat plene enuntiatum, sed Angelo qualiter futurum esset ad explanandum reservatum : et ideo a Virgine sapienter, ab Angelo de modo est quæsitum. Et hæc est sententia cujusdam glossæ Ambrosii. Verificatum est in ea quod de bona muliere, Proverb. xxxi, 25, dicitur : *Fortitudo et decor indumentum ejus*. Fortis enim fuit in continentiæ proposito, et omni decore vestita in verecundia virginali : cui tamen cessit, vincens fortitudinem propositi virginalis : cum audiret mentionem fieri (ut sibi videbatur) fœcunditatis, quæ secundum legem naturæ non erat, nisi cum violatione virginitatis : et ideo tunc erumpens dicit cum reverentia pudoris : « *Quomodo fiet istud ?* » Vide nostram Hevam matrem omnium viventium per gratiam, omnino aliter esse affectam, quam Hevam matrem viventium per culpam et miseriam. Illa

<sup>1</sup> I ad Corinth. xiv, 35 : *Turpe est mulieri loqui in Ecclesia*.

enim audiens promissionem divinitatis et elata, dejecta est in illecebras concupiscentiæ carnis, quasi duobus funibus a beatitudine dejecta<sup>1</sup> : hæc summas promissiones audiens, in humilitate perstitit : et votum viriliter tenens, omnes abhorruit illecebras et carnalis concupiscentiæ delectationes. Solent homines ad laudes suas in elatione more pavorum efferri : sicut Herodes, Act. xii, 21-23, qui sibi in laudibus fecit acclamari voces Dei et non hominum : et consumptus a vermibus exspiravit, percussus ab Angelo Domini : experiens in sua putredine quod dicit Antiochus, II Machab. ix, 12 : *Justum est, scilicet hominem, subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire.* Solent etiam promissionibus exhibitis inaniter hilarescere : sicut Sara risit post ostium, et redarguta est ab Angelo<sup>2</sup>. Nonnulli etiam si contraria promissionibus divinis in se viderint, solent promissionibus per infidelitatem diffidere, sicut Zacharias. Hæc autem Virgo beata, nec elata, nec dissoluta, neque incredibilis effecta est, sed rem futuram credens modum quærit, et dicit : « *Quomodo fiet istud ?* »

Istius autem quæstionis duæ quidem possunt esse causæ ex parte Virginis : et quatuor ex parte promissionis.

Ex parte quidem Virginis profundum humilitatis, et votum perpetuæ castitatis.

Profundo enim humilitatis nihil tam magnum sibi reputavit idoneum et congruum, dicens in corde suo illud Ruth, ii, 13 : *Locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis unius puellarum tuarum.* Et illud I Reg. xxv, 41 : *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei.* Parvum enim parva decent. « Verus enim humilis, ut dicit Bernardus, vilis vult reputari, et non humilis prædicari. » Hoc sanet superbos quod laudes contemnit, et magna non de se credere potuit.

<sup>1</sup> Cf. Genes. iii, 15 et seq.

<sup>2</sup> Genes. xviii, 10.

Votum etiam perpetuæ obstabat castitatis : quod qualiter virgo permanens conciperet et pareret, videre non potuit.

Et hoc innuit, cum dicit :

« Quoniam virum non cognosco. »

Hoc est, me cognituram non propono. Tob. iii, 16 : *Tu scis, Domine, quia numquam concupiivi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia.*

Una autem causarum ex parte promissionis fuit immutabilis Dei æternitas, quæ eum novum et nasci non permittit : quia nasci mutari est. Et de hoc dicitur in Psalmo ci, 28 : *Tu idem ipse es, et anni tui non deficient.* Et, I ad Timoth. vi, 16 : *Qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem.* Super quem locum Augustinus : « Immortalitas est vera immutabilitas et vera æternitas : quia in his quæ mutantur, ipsa mutatio nonnulla mors est. » Jacob. i, 17 : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis, obumbratio.* Malach. iii, 6 : *Ego Dominus, et non mutator*<sup>3</sup>. Numer. xxiii, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.* Qualiter igitur de me nascetur ? « *Quomodo fiet istud ?* »

Secunda causa, est existentis in tanta perfectione inconsueta secundum naturam nativitas. Quod enim ille qui est et perfectus est, iterum nascatur, inconsuetum est : unde et Nicodemus qui fuit Magister in Israel, hoc impossibile reputans, a Christo (cui per omnia credit) modum istius sermonis inquisivit, Joan. iii, 4, sic dicens : *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex ? Numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, et renasci ?* Et tamen sicut Christus duas nativitates habuit, ita oportet quemlibet qui est Christi, habere duas nativitates.

Tertia causa, est ejus quod promitte-

<sup>3</sup> Cf. Isa. xliii, 11 ; xliiv, 6, 24 et xlv, 5 et seq.

batur insignis dignitas. Quomodo enim crederetur non abhorrere fœminæ uterum, qui *candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius*<sup>1</sup>? Isa. XL, 15 : *Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt.* Quam ergo imaginem infantilem in utero fœminæ acceptam ponemus ei? Et tamen iste tam dignus, Virginis uterum non abhorruit : videns quod tam congrue aliter generi humano succurrendum non fuit. Filius enim in æqualitate Patris existens, quodammodo remota occasio fuit casus per fœminam : eo quod ab æterno natus a Patre lusit in orbe terrarum, et deliciæ suæ esse cum filiis hominum<sup>2</sup>. In ordine igitur sapientiæ divinæ præordinatum est, quod creatura sessura erat in dextera Patris. Et hoc Lucifer qui mane oriebatur plenus sapientia et decore, in deliciis Paradisi existens, in spiritu vidit et invidit : et ad illam altitudinem ascendere cogitavit<sup>3</sup>. Dejectus autem ad terram, ne homo illuc ascenderet unde ipse deciderat, quantum valuit impedivit, persecutionibus tentationum insurgens. Videns autem Filius Dei se esse hujusmodi persecutionum occasionem : majestatis oblitus, dignanter misericordia motus, dolore cordis intrinsecus tactus<sup>4</sup> dixit illud Jonæ, I, 12 : *Tollite me, et mittite in mare*, hoc est, in amaritudinem et miseriam humanæ vitæ, *scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.*

Quarta vero causa potest esse, quod præsumptionis esset homini mortali cum immortalis Deo unum et eundem filium communicare. Isaïæ, LV, 9 : *Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris.* Job, IV, 18 : *Ecce qui serviunt ei non sunt stabi-*

*les : et in Angelis suis reperit pravitatem.* Et, ibidem, XXV, 5 et 6 : *Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus : quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis ?* Et, iterum, IV, 19 : *Qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tineæ.* Qualiter ergo ego debilis, ero parens Filii parentis Dei? Quomodo igitur fiet istud? Isa. LIII, 8 : *Generationem ejus quis enarrabit ?* Altissimum hujusmodi negotium, et longe a Virginis humilis investigatione, « *Quomodo fiet istud ?* » Ad Patrem enim loquens secum, Filium dicit esse principium, in die æternitatis genitum, in splendoribus sanctorum. Qualiter ergo et ego principium principii, per quod et ego et omnia facta sunt? Hæc est etiam causa, quod hæretici Nestoriani, et Eutychiani matrem Christi noluerunt vocari θεότοκος, sed Χριστότοκος eam vocaverunt : non videntes qualiter unius ejusdemque filii parens esset Virgo et parens æternus Dominus. « *Quomodo ergo fiet istud ?* »

Et allegat quod maxime in voto habuit, dicens : « *Quoniam virum non cognosco,* » hoc est, non cognituram propono. Non cognoscens enim virum, tamen proponens experiri quomodo concipere potest et parere. Ecce in veritate Rebecca, quæ multum a Deo accepit, servo summi Patriarchæ se ostendit quod sit *pulcherrima virgo, et incognita viro*<sup>5</sup>.

Per hoc autem quod est Virgo pulcherrima et incognita viro quinque habet. Est enim illibata, intacta, subtracta, abscondita, et incombusta : illibata lenociniis a proco, intacta ludentium joco, subtracta vanitatibus fatuarum puellarum choro, abscondita concupiscentium oculo, incombusta libidinis facibus et foco.

Procus enim libat, hoc est, tentat vir-

<sup>1</sup> Sapient. VII, 26.

<sup>2</sup> Proverb. VIII, 31.

<sup>3</sup> Cf. Isa. XIV, 13 et 14. De primo peccato Angeli accurate tractatum est in II Sententiarum,

Dist. V, Art. 2. Tom. XXVII hujus novæ editionis.

<sup>4</sup> Genes. VI, 6.

<sup>5</sup> Genes. XXIV, 6.

ginem : sed hæc illibata, ab alio amatore præventa est, ne procum possit admittere. Cantic. vii, 10 : *Ego dilecto meo : et ad me conversio ejus*. Qualiter enim alterius amatoris procum susciperet, quæ sui amatoris jam charitatis lampades ignis atque flammæ in desiderio accensa, æstuans, et anhelans ita inextinguibiliter senserat, quod vulnerata charitate et destituta amoris desiderio languebat ? Quippe fortis est ut mors dilectio, quæ nihil in corde ejus, nisi dilectum vivere permittebat. Erat dilectus suus, sicut signaculum profundatum, sigillatus in corde : fulta læva, et amplexata dextera ipsius, (inter cujus ubera tamquam fasciculus myrrhæ jugiter commorabatur), jam habens impressum osculum oris sui in labiis cordis, ut non alium reciperet procum vel amatorem : illibata est penitus. Et hoc figurate dictum est, Cantic. vii, 1 : *Juncturæ femorum tuorum sicut monilia*. Sicut enim dicit Isidorus : « Monile quasi munile dicitur : » eo quod munit sinum, ne procus inserat manum, et scrutetur castitatis secretum, et violet vel maculet pudoris sigillum.

Intacta est etiam jocis ludentium. Dicit enim Aristoteles, quod « lusivus est incontinenens. » Unde Sara ludos Ismael lascivos, quos filium suum Isaac docere tentavit, persecutionem reputavit, interpellans Patriarcham quod ejiceret ancillam cum filio ejus<sup>1</sup>. Dicit enim Hieronymus, quod « risus et joci, tactus et sibili, « morituræ virginitatis solent esse principia. » Unde in figura beatæ Virginis dixit Sara virgo, Tobia, iii, 17 : *Numquam cum ludentibus miscui me*. Et sic iterum fuit viro incognita.

Abscondita fuit a concupiscentium pelliciente oculo. Unde, Isa. vii, 14, ubi nostra habet littera : *ecce virgo concipiet* : hebræus sermo habet העלמה quod interpretatur *abscondita* : quæ tantum meruit recipere sacramentum. Esther, ii,

15 : *Esther erat virgo formosa valde, et incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur*. Esther autem *abscondita* interpretatur. Psal. xlii, 14 : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus*.

Erat autem choris puellarum in vanitate ambulantium subtracta, sicut dicitur, Tob. iii, 17 : *Cum his qui in levitate ambulant, numquam participem me præbui*. Ruth, iii, 10 : *Benedicta es a Domino, filia, et priorem misericordiam, propositæ scilicet castitatis, posteriore superasti, quia non es secuta juvenes pauperes sive divites, sicut vagæ, garrulæ, quietis impatientes, virgines fatuæ*.

Est etiam incombusta facibus libidinibus. Unde, Exod. iii, 3 : *Vadam, et videbo visionem hanc magnam : quare ardeat, et non comburatur rubus*. Rubum enim quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem, sancta Dei genitrix. Ista est in cujus figura dicitur, Genes. xxiv, 16, egrediebatur *puella decora nimis, virgoque pulcherrima, et incognita viro*.

Sic igitur « *virum non cognosco*. »

« Et respondens Angelus. »

35

Nota processum Angeli et Virginis. Primo ingreditur Angelus salutans, secundo consolans, tertio annuntians, quarto rei annuntiatæ modum explanans : per salutationem se ostendens Angelum pacis, per consolationem spiritum benignitatis, per annuntiationem fidelitatem suæ ostendens legationis, per explanationem modi se probans Angelum lucis. Angelus enim pacis probatur fuisse per hoc quod postea dixit : *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*<sup>2</sup>. Ecce columba cum ramo virentis olivæ re-

<sup>1</sup> Genes. xxi, 9 et 10.

<sup>2</sup> Luc. ii, 14.

versa ad arcam Domini<sup>1</sup>. Per consolationem Virginis se probat esse nuntium ejus, qui dixit: *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos*<sup>2</sup>. Per legationis fidelitatem ostendit quomodo vere de ea scriptum est, Proverb. XIII, 17: *Legatus fidelis, sanitas*. Per modum explanationis ostendit se esse Angelum lucis, sicut scriptum est: *Ecce Angelus Domini stetit circa illos, et claritas Dei circumfulsit illos*<sup>3</sup>. Angelus ergo iste erat Angelus lucis.

Sed non est prætereundum quod dicitur hic respondisse Angelus: ante hoc autem proposuisse et dixisse commemoratur. Et hoc ideo, quia Virgo ante hoc numquam aliquam proposuit quæstionem. Non enim est responsio, nisi ad quæstionem tacitam vel expressam. Omnis enim qui respondet, dicit: sed non omnis qui dicit, respondet. Hac igitur de causa, quia quæstioni respondet, hic respondisse perhibetur. Turbationem enim puellarem jam ante sedaverat: nunc autem etiam adhibet rei quæsitæ plenam explanationem. Virgo autem primum quidem turbata: postea de qualitate salutationis expedita, et de annuntiata rei altitudine et de proposito sui voto anxia, reverenter quæsit. Hic autem per responsionem Angeli certificata, consensum humiliter adhibuit: per turbationem ostendens virgineum pudorem, per quæstionem suam promens discretionem, et per consensum plenam probans fidem et humilem obedientiæ devotionem. Quærens enim ostendit quod nemo cordi suo in talibus confidere debet. Proverb. XII, 2: *Qui confidit in cogitationibus suis, impie agit*. Proverb. XXVIII, 26: *Qui confidit in corde suo, stultus est*. Hoc igitur sciens, quod non est in hominis potestate consilium Dei<sup>4</sup>, discrete quæsit, et votum firmiter tenendum allegavit: ostendens quod fortitudo et decor indumentum sunt laudabilis mulieris,

fortitudo propositi, et decor quæsitæ consilii. Bernardus: « Felix propositum in quo firmitas convenit puritati, et fortitudo propositi non obsistit inquisitioni consilii. Nam licet quantumlibet pura fuerit deliberatio, minus habet si defuerit puritatis fortitudo, et consilii firmitas. Ubi non est puritas, non virtutis obtinet gratiam, sed obstinationis incurrit offensam. » Hæc autem Virgo beata utrumque habuit, et propositi puritatem et firmitatem, et consilii discretionem: et ideo Angeli meretur responsionem. Unde etiam in Canticis, VII, 4, de ea dicitur: *Collum tuum sicut turris eburnea*. Turris enim firmitatem, ebur castitatem: collum autem (quod medium est capitis et corporis) significat consilii discretionem, caput mentis cum corpore aliarum virium animæ continuans.

Hac ergo tam discreta quæstione per modum inquisitionis consilii proposita, « *respondens Angelus*. »

« Dixit. »

Nec additur, Dixit illi: quia jam explanationem modi non in eam, sed in Deum reponit: omnipotentiae Dei nihil impossibile esse demonstrans. Ad auditum ergo Virginis verba protulit, sed totum modum in omnipotentia Dei demonstravit.

Dicit autem hic tria. Modum enim tantæ rei per causas ejusdem rei explicat: et ideo secundo, effectum mirabilem futurum enuntiat: et tertio, quod firmus sit sermo ipsius et velocius implendus per suasionem inductam, ostendit quid miraculi factum sit in Elisabeth, Virgini prædicans in gaudiorum accumulatione.

Ubi autem modum ex parte causæ efficientis inducit, duo dicit. Primo quidem ostendens hoc esse virtutem sancti Spiritus: secundo autem umbram virtu-

<sup>1</sup> Genes. VIII, 11.

<sup>2</sup> Isa. LXVI, 13.

<sup>3</sup> Luc. II, 9.

<sup>4</sup> Cf. Tob. III, 20.

tis Altissimi horum mirabilium efficere complementum.

De primo dicit quatuor. Dicit enim primo hoc operari Spiritum: secundo, sanctitatis suæ dicens non deesse effectum: tertio, tangit operationis modum, quia superveniendo hoc operatur: quarto, dicit tam sublimis operationis locum.

Dicit igitur:

« Spiritus. »

Sive Deus trinitas intelligatur Spiritus, sicut dicitur, Joan. iv, 24: *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Sive etiam Spiritus intelligatur tertia in Trinitate persona: semper proprietates Spiritus in hoc opere manifestantur.

Sunt autem duodecim Spiritus proprietates: et una tertia decima est quam servat in omnibus aliis, maxime tamen in isto. Prima est, quod Spiritus omne opus divinum ornat. Secunda est, quod omni operi divino virtutes advehit et invehit. Tertia est, quod omni operi divino vitam indit. Quarta est, quod omne opus divinum innovat et reducit ad novitatem. Quinta est, quod omni operi spirituali et divino dat intellectus illuminationem. Sexta, quod docet omnes tales ad veritatem. Septima, quod omnibus talibus filiorum confert adoptionem. Octava, quod omnes quos adoptat, agit ad opera. Nona, quod omnibus eis est magnificus largitor donorum. Decima est, quod omnes sic muneratos ducit in via. Undecima, quod accendit desiderio patriæ. Duodecima autem est, quod reducit in securitatem patriæ. Miscet autem unam cum omnibus, quod occultat in omnibus his a mundanis, modum suæ inspirationis.

Quod autem ornat omne opus divinum, patet, Job, xxvi, 13: *Spiritus Domini ornavit cælos: et obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus.*

Psal. xxxii, 6: *Verbo Domini cæli firmati sunt: et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Qualiter igitur qui speciosus est præ filiis hominum, et etiam præ vultibus Angelorum, in quem desiderant Angeli prospicere<sup>1</sup>, conciperetur sine ornante eum Spiritu?

Quod idem omni operi Dei virtutem advehit et invehit, Luc. xxiv, 49: *Sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto.* Et, Act. i, 8: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos.* Judicum, vi, 34: *Spiritus Domini induit Gedeonem,* ut in virtute contereret castra Madian. Et eum qui Dei virtus est, et Dei sapientia<sup>2</sup>, quomodo Spiritus Domini in conceptu negligeret, ut omnem suæ possibilitatis non ingereret virtutem? Et ideo dicit in operatione virtutum, Luc. viii, 46: *Ego novi virtutem de me exisse.* Et alibi, Luc. vi, 19: *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes.*

Adhuc, Hic Spiritus opus Dei vivificat, sicut dicitur, Joan. vi, 64: *Spiritus est qui vivificat.* Et, Ezechiel. xxxvii, 9: *Veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant.* Ezechiel. i, 20: *Spiritus vitæ erat in rotis.* Et hic illum in conceptu formavit, qui omnibus vitam indidit et reparavit, Eccli. iv, 12: *Sapientia filiis suis vitam inspirat.* Sapientia autem est Filius Dei incarnatus. Joan. x, 10: *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.*

Hic etiam Spiritus omne rectum in opere Dei innovat, Apocal. xxi, 5: *Dixit qui sedebat in throno,* Glossa interlinearis: « Spiritus sanctus: » *Ecce nova facio omnia.* Hic igitur Spiritus convenienter affuit, ubi omnibus novis novius fuit. Eccli. xxxvi, 6: *Innova signa, et immuta mirabilia.* Jerem. xxxi, 22: *Creavit Dominus novum super terram: Fœmina circumdabit virum.*

Quod autem hic spiritus illuminando dat intelligentiam, Job, xxxii, 8: *Ut vi-*

<sup>1</sup> I Petr. i, 12.

<sup>2</sup> I ad Corinth. i, 24.

*deo, Spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* Sapient. vii, 22 : *Est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus.* Hic autem spiritus in conceptione illius fuit, qui lux est vera illuminans omnem hominem.

Est etiam hic Spiritus omne opus Dei docens ad veritatem, Joan. xvi, 13 : *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem :... et quæ ventura sunt annuntiabit vobis.* Et ille Spiritus illi deesse non potuit, qui dixit, ibidem, v. 7 : *Ego veritatem dico vobis.* De quo dicit Apostolus, II ad Corinth. i, 19 : *Dei Filius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, ... non fuit Est et Non, sed Est in illo fuit.* Joan. viii, 31 et 32 : *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.*

Hic etiam Spiritus est adoptionis filiorum, sicut dicitur, ad Roman. viii, 15 : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, scilicet Dei, in quo clamamus : Abba (Pater).* Et qualiter iste Spiritus fontem suum in conceptione desereret, cum nullus adoptetur in filium nisi per Filium Dei naturalem ? sicut superius expressum est.

Quod autem agat ad operationem, eo quod primus motor est in eis, dicitur, ad Roman. viii, 14 : *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Et hic iterum Spiritus egit in conceptu Filii Dei, de quo dicitur, Isa. xxvi, 12 : *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine.* Et, Joan. xv, 5 : *Sine me nihil potestis facere.*

Magnificus etiam largitor munerum, sicut dicitur, I ad Corinth. xii, 11, enumeratis multis donis sapientiæ, scientiæ, fidei, operationis virtutum, interpretationis sermonum, subinfert : *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Et ideo hic in omnibus divitiis donorum in eo quie-

vit, qui *anscedens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*<sup>1</sup>. Matth. xxv, 14 et 15 : *Tradidit servis suis bona sua, ... unicuique secundum propriam virtutem.* Esther, ii, 18 : *Dona largitus est juxta magnificentiam principalem.*

Hic est etiam Spiritus, qui conducit in via, sicut dicitur, Isa. lxi, 14 : *Spiritus Domini ductor ejus fuit : sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ.* Psal. cxlii, 10 : *Spiritus tuus bonus, etc.* Et hic Spiritus incarnationem illius operatus est, qui dux est et via suorum : qui dixit, Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita : qui dirigit pedes nostros in viam pacis*<sup>2</sup>. Qui dicit, Joan. xiv, 2 : *Vado parare vobis locum.*

Hic etiam inflammat desiderio patriæ. Luc. xxiv, 32 : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, scilicet de Jesu, dum loqueretur in via, etc.* Luc. xii, 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ?* Et hic spiritus illum concipi fecit, qui totus illo igne excoctus dixit, Joan. xv, 13 : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ad Roman. v, 8 et 9 : *Commendat charitatem suam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.*

Hic etiam Spiritus est qui reducit ad patriam, unde Christus mittitur, et unde venit. Eccle. i, 6 : *Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur, hoc est, æternitatem Patris et Filii.* Et, ibidem, v. 7 : *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant,* hoc est, flumina gratiarum Spiritus sancti. Et hic cum ipso est, qui egreditur a summo cælo, et occurrit usque ad summum ejus : nec est qui se abscondat a calore ejus<sup>3</sup> : quia *nemo ascendit in cælum, nisi qui de-*

<sup>1</sup> Ad Ephes. iv, 8.

<sup>2</sup> Luc. i, 79.

<sup>3</sup> Psal. xviii, 7 : *A summo cælo egressio ejus.*

*Et occursus ejus usque ad summum ejus : nec est qui se abscondat a calore ejus.*

*scendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo*<sup>1</sup>.

Sic igitur nulla operatione Spiritus destituitur Filius: et ideo Spiritus fontem illum a quo fluit non deserit: sed in omni diligentia illi corpus in conceptione præparat, a quo ipse habet quod Deus et spiritus sit: et ideo ibidem testatur in eo hunc spiritum esse: ita quod ab ipso fluere demonstratur, et per ipsum omnem spiritum malignum ab obsessis ejicere, Luc. xi, 20: *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei*<sup>2</sup>. Digitus enim Dei, perspicua vocatur sancti Spiritus demonstratio: a quo quasi a tertio signo magi defecerunt dicentes, Exod. viii, 19: *Digitus Dei est hic*.

Adhuc autem, Cum in omni partu humano et naturali nihil operetur distinguendo, formando, figurando, nisi spiritus naturalis: qualiter posset stare, quod in partu divino non operaretur Spiritus divinus?

Hoc igitur dictum sit de *Spiritu*.

Sequitur:

« Sanctus. »

Sanctus est in quatuor interpretationibus, quæ omnes competunt Incarnationis sacramento. Sanctum enim idem est quod mundum. Sanctum idem est quod firmum. Sanctum est scientia eorum quæ ad Deum justa sunt secundum Aristotelem. Sanctum tandem idem est quod sanguine tinctum. De sancto quod est mundum, dicit Dionysius in libro de *Divinis nominibus*: « Sanctitas est ab « omni inquinamento libera et perfecta « munditia. »

Sanctitas quæ est confirmatio, est de qua dicitur, Eccli. xxiv, 16: *In plenitudine sanctorum detentio mea*, hoc est, in plenitudine firmitatis. Sanctitas quæ est scientia eorum quæ ad Deum justa

sunt est, quam diffinit Aristoteles in libello *Laudabilium bonorum*, dicens: « Sanctitas est virtus scire faciens ea quæ ad Deum justa sunt. » Sanctitas autem quæ est sanguinis tinctio vel tactus, est qua dicuntur *leges sanctæ*, quia sanguine confirmatæ sunt. Romulus enim in sanguine Remi fratris sui leges sancivit.

De prima harum sanctitatum, I ad Corinth. vii, 34: *Mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu*, hoc est, munda. Et, I Reg. xvi, 5: *Sanctificamini, et venite mecum ut immolem*.

De sanctitate secunda dicitur, Luc. i, 75: *In sanctitate et justitia coram ipso*. Exod. xv, 17: *Sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ*, etc.

De tertia, Sciendum quod scientia duplex est: contemplativa et practica: unde et Priscianus dicit, quod verba contemplativa construuntur cum accusativo, ut scio grammaticam, et scio logicam, et scio medicinam. Verba autem prohæretica, hoc est, practica, sive operativa desiderant infinitivum: sicut scio vigilare, scio molere. Et talis scientia est, qua sciuntur ad Deum justa facere, et talis virtus est sanctitas. Sicut sacerdotum est scire quæ pertinent ad templi sanctitatem: et hæc sunt quæ pertinent ad officium sacerdotum et ritum sacrificiorum. Et ad hanc scientiam sanctificantur sacerdotes, Isa. lxi, 6: *Vos autem sacerdotes Domini vocabimini: Ministri Dei nostri, dicetur vobis*, etc. II Machab. vi, 30: *Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis, quia cum a morte possem liberari, scilicet secundum corpus, propter te duos corporis sustineo labores*. Sapient. x, 10: *Dedit illi scientiam sanctorum*. Proverb. xxx, 3: *Non didici sapientiam, et non novi scientiam sanctorum*, hoc est, scientiam sanctitatis.

<sup>1</sup> Joan. iii, 13.

<sup>2</sup> Matth. xii, 28: *Si ego in spiritu Dei ejicio*

*dæmones, igitur pervenit in os regnum Dei.*



De quarta autem sanctitate dicitur, Apocal. vii, 14: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Ad Hebr. ix, 22: *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Alia translatio habet: « sanctificatio. »

Sic igitur « *Sanctus superveniet:* » quia sanctitatem omnimode in opere Incarnationis facit. Mundavit enim sanguinem, ad ampliorem munditiam deducendo, sicut dicitur in Psalmo l, 9: *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor.* Hyssopus enim herba est sanguinem purificans.

Confirmavit autem cor, ut crederet: et corpus, ut ista contineret. Unde cantat Ecclesia: « Confirmatum est cor Virginis, in quo divina mysteria Angelo nuntiante concepit. » Psal. lxxvii, 29 et 30: *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo,* hoc est, divinitatis tuæ excelso habitaculo: quia nisi ipse confirmaret, nec uterus Virginis nec mundus sustineret.

Similiter autem sanctitatem operatus est in scientia sacramentorum. Qualiter enim virgo simplex congruo ministerio in tanto sacramento ministraret, nisi scientiam sanctitatis haberet. Unde significata per Beseleel, quem replevit Deus sapientia, Exod. xxxi, 3-5: *Implevi eum spiritu Dei, sapientia, intelligentia, et scientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, et argento, et ære,* etc. Et sequitur, x, 11: *Omnia quæ præcepi tibi, facient.* Hoc enim maxime necessarium est in hoc Incarnationis opere, in quo est aurum deitatis, et argentum eloquii Angelici, et æs resonans in vocibus Prophetarum. Beseleel enim *umbraculum Dei mei* interpretatur: et significat virtutem Altissimi obumbrantem beatæ Virgini.

Quid vero magis sanguine tinctum vel tactum est quam uterus, qui ipso sanguine tingitur, qui de ea assumitur in deitatis unionem? Exod. iv, 25: *Spon-*

*sus sanguinum tu mihi es.* Ipse enim sanguine tinxit uterum, et candidavit, quem de ipso uteri sanguine assumpsit. Levit. iv, 7: *Omnem reliquium sanguinem fundet in basim altaris holocausti.* Reliquus autem sanguis est relictus, quem non assumpsit. Holocaustorum autem altare est corpus Christi, in quo omnia nostra incendimus et immolamus. Basis hujus est uterus beatæ Virginis, qui totus est infusus sanguine glorioso et consecrato et sanctificato.

Sic igitur omnem modum sanctificationis in Virgine Spiritus est operatus. Optime ergo dicit, « *Spiritus sanctus.* » Sequitur:

« *Superveniet.* »

Sicut enim in Spiritu totum ponit modum sanctitatis: et per hoc quod dicit, *sanctus*, totum ponit modum sanctitatis in opere: ita in superadventu totum notat modum operis. Non enim modo de subter venit, vel de juxta, sed de superius, sumens de potioribus suis unde operetur. Sumit enim de Patre et Filio, a quibus ipse procedit: et totum quod sumit in hoc expendit opere. Iste est enim Spiritus qui procedit de throno majestatis, Filio Dei corpus adaptans. Ad Hebr. x, 5: *Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Et, Psal. xxxix, 7: *Sacrificium et oblationem, supple, legalia, noluisti: aures autem perfecisti mihi.* Propter hoc, Joan. viii, 23: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum.* Joan. iii, 31: *Qui desursum venit, super omnes est.* Ita quod nihil habet nisi de sublimissimis gratiis Spiritus aptatum. Isa. lxi, 1: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: unctione pro certo Spiritus, præ omnibus participibus suis.* Sicut dicitur in Psalmo xliv, 8: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ,* etc. »

Et ideo etiam dicit: « *Superveniet,* » quia de sublimissimis Dei unctionibus veniet, et priori unctione superveniet:

quia in mente gratia plena prædita est, aliorumque sanctorum omnium unctionibus eminebat : hoc enim decebat ut qui aliis unctionem profluere debuit, præ cæteris omnibus abundaret in unctione. Psal. cxxxii, 2 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron : quod descendit in oram vestimenti ejus.* Caput enim Ecclesiæ Christus est : barba adhærens ori, Apostoli : vestimentum, Ecclesia : fimbria sive ora vestimenti, quilibet simplex de Ecclesia.

Sic igitur « *superveniet* » Spiritus : prius quidem in mentem, nunc autem propter sacramenti perfectionem etiam in ventrem, implens eum omni pinguedine gratiæ, et devotionis : et ideo dicitur, Cantic. vii, 2 : *Umbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis.* Tornatilis enim est volubilis, significans Spiritus operationem : infusus pinguedine gratiæ, ut nullis indigeat de cætero poculis, tamquam arefactus spiritus unctione.

Sequitur :

« In te. »

In quo modo loquendi tangitur locus istius tam mirabilis operationis. In aliis enim mulieribus, licet in ipsis factus sit conceptus, tamen non ab intrinseco sibi concipiunt, sed ab extrinseco semen recipientes, intus claudunt. Sicut dicitur in lege, Levit. xii, 2 : *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, etc.* Beata autem Virgo non nisi in ipsa concepit, quæ semen ab extrinseco non suscepit. Et hoc est, quod dicit : « *In te.* » Hoc enim mirum est et admirabile sacramentum : quod illius Spiritus (qui ubique est et nusquam deest) operatio in ipsa definitur : et sic operatur quod ad ipsam nihil ab extra recipitur, quia totum quod extra est, peccato est inquinatum. Genes. xiv, 22 et 23 : *Levo manum meam ad*

*Dominum Deum excelsum possessorem cæli et terræ, quod a filo subtegmis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas : Ego ditavi Abram.* Ecce verbum summi Patriarchæ, divitis et sufficientis sibi, ex his quæ habet in domo sua ad omne opus suum. Domus enim Dei Patris, uterus est Virginis. Quæ extra sunt : in aliquo possidet rex Sodomorum, concupiscentiæ fomes, et castitatis et munditiæ inimicus. Nihil horum quæ sua sunt assumit in opus Spiritus Patris a filo subtegmis, quod est minimus motus concupiscentiæ, usque ad corrigiam qua calcatur in venereis et peccatis. Apud enim Homerum, corrigia Veneris, *delectatio* vocatur : quæ aliquando trahit et ligat etiam sapientes in apostasiam. Unde Aristoteles dicit Homerum dicere, quod corrigia Veneris furatur aliquando, et ligat mentem valde sapientum. *Et ideo nihil inquinatum in eam incurrit*<sup>1</sup>.

Hoc igitur est quod dicit : « *Spiritus sanctus superveniet in te.* »

Sequitur :

« Et virtus Altissimi obumbrabit tibi. »

Postquam autem tetigit id quod operatus est ibi Spiritus, tangit id quod operata est ibi virtus Altissimi, quæ sive sit Deus trinitas, sive Deus (ut dicit Cassianus) fere redit in idem quoad expositionem.

Sunt autem tria hic notanda. Virtus scilicet, quæ est activa potentia tendens in hoc, ultra quod non poterit. Et quod dicit, *Altissimi*, quæ de altissimis Dei operationem sumit. Et in quid ipsam deducit operationem : quoniam in umbram quamdam divinæ majestatis.

De primo horum in præcedentibus nos dixisse meminimus : quia virtus est ultimum illud in quo stat potentia, non valens in amplius aliquid. Et sic virtus est

<sup>1</sup> Sapient. vii, 25.

potentia, vel potestas ultimata. Dei autem potentia ultimata infinita est et omnipotens, et plusquam omnipotens. Ut enim ita dicam, Deus plusquam omnia potest. Potest enim multa quæ numquam fuerunt, et tamen esse poterant secundum Dei potentiam infinitam. Et hoc ostendit in Filio : quia nihil majus facere poterat, quam hominem talem et tantum quantum est ipse. Unde loquens ad Moysen de mysterio incarnationis dicit : *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac et Jacob, in Deo omnipotente : et nomen meum Adonai non indivavi eis* <sup>1</sup>. Figuram enim corporis virtutis ejus indicavit ei, et non effectum. Sed Filius dicit ad Patrem de effectu totius virtutis Patris, in Psalmo cix, 2 : *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum*, etc. Virtutem enim suam totam ostendit Deus in die qua Filium in carne in utero Virginis concipi fecit, et intra carnem omnes Sanctorum splendores continere. Hic enim fuit infinitæ virtutis effectus : factura enim mundi respectu hujus nihil fuit : sed illud fuit infinitæ ultimatae virtutis ejus demonstratio. Eccli. xxxvi, 7 : *Glorifica manum, et brachium dextrum*. Manus enim et brachium, virtutem et virtutis opus significant. Glorificatio enim utriusque significat ejusdem generis ultimationem. Psal. cxliv, 6 : *Et virtutem terribilium tuorum dicent*, etc. Terribilia enim sunt ista propter suæ infinitatis admirationem. Supervaluit enim omnibus operibus suis hæc virtus in opere Incarnationis. Eccli. xliii, 34 : *Exaltantes eum, replemini virtute, ne laboretis, non enim comprehendetis*. Hæc igitur virtus incomprehensibilis est, et infinita.

Modum autem operis sumit de altissimis. Et hoc est quod dicit :

« Altissimi. »

<sup>1</sup> Exod. vi, 2 et 3.

<sup>2</sup> Cf. Deuter. xxx, 14.

Quæ enim altiora esse possunt his, quæ hic conveniunt ? Mater et Virgo ilibata uniuntur sibi invicem, ima et summa, ultima et prima : et quod omnibus altius est, cum corde humano ista mirabilia. Mater et Virgo per impossibilitatem distabant hactenus, ima et summa per infinitatem a se invicem discedebant, cor humanum ab his per irrationabilitatem. De duobus dicit quidam :

Partus et integritas discordes tempore longo,  
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

De conjunctione secundorum, Apocal. xxii, 13 : *Ego sum Alpha et Omega, primus et novissimus*. Isa. xliii, 10 : *Ante me non est formatus Deus, et post me non erit*. Ante me quidem non est, quia ego sum principium : post me non erit, quia ego sum finis. De tertiis autem duobus dicitur, ad Roman. x, 8 : *Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo*. Et addit Apostolus : *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus*. Quod enim irrationabile videbatur esse per rationem, fide factum est prope, in corde ipso conceptum. Ecce Altissimi modus operationis. Neque umquam ista perficeret, nisi Altissimus. Gloria ergo in altissimis Deo. Genes. xiv, 19 : *Benedictus Abram Deo excelso*, qui in apprehendendo semen Abrahæ, tam excelsa operatus est : et benedictus Deus excelsus, quo protegente nos, sic hostes sunt in manibus Abrahæ. Psal. xcvi, 9 : *Tu Dominus altissimus super omnem terram*. Hic enim ista faciens, in altissimis habitat : et thronus suus in columna nubis, quæ carnem significat conceptam Salvatoris <sup>3</sup>. Sic ergo omnes redempti *benedicant nomini gloriæ tuæ excelso in omni benedictione et laude*.

Hæc igitur *virtus Altissimi*.

<sup>3</sup> Eccli, xxiv, 7.

<sup>4</sup> II Esdræ, ix, 5.

« Obumbrabit tibi. »

Umbra in se habet quinque : refrigerium, visus temperamentum, lucis immissæ quamdam sibi temperationem, opacitatem, et ejus cujus est umbra habet imaginem et simulacrum. Et quantum ad hæc quinque reducuntur expositiones Patrum, qui ante nos exposuerunt locum istum.

Quoad hoc enim, quod umbra quoddam ponit refrigerium, sunt duæ Glossæ. Una quæ dicit, quod umbrare est ab incentivo vitiorum refrigerare : incentivum autem vitiorum est fomes : et sic virtute Altissimi Beata Virgo fuit a fomite purgata.

Sed dices : Hoc falsum videtur, quia ipsa fuit sanctificata in utero ab originali peccato. Ad quod dicendum, quod in utero fuit sanctificata a peccato, et ab omni sorde vitii originalis : sed ipse fomes non fuit in ea extinctus, sed ligatus, ut nec in actum venialis, neque mortalis posset moveri : et postea per exercitium bonorum operum fuit cum ligatione debilitatus, ita quod non sentiebatur : in ipsa autem conceptione Verbi fuit penitus extinctus, ut nullus esset omnino. Et hoc est quod dicit prima Glossa.

Secunda Glossa penes idem sumpta dicit, quod umbra dicit et refrigerium protectionis contra tempestatum (quæ sunt persecutionum) incursum. Quasi dicat : Ne tanto thesauro a te concepto, et ex te nato, vel ab Herode, vel a quovis alio priveris, erit tibi virtus Altissimi umbra protectionis, sive in Ægyptum fugienti, sive denuo inde huc revertenti.

Nos addimus ad has duas expositiones tertiam penes refrigerium umbræ sumptam, quæ est Chrysostomi, quod videlicet refrigerium umbræ in conceptu virginali commemoratur ; ne aliquid de incendio, vel ardore libidinis ibi esse cogitetur. Ideo enim et Verbum esse et Filius ille qui concipitur, dicitur : ut dum Verbum (quod non nisi spiritu concipitur)

annuntiatur, per spiritum sine libidine facta esse conceptio intelligatur. Dum autem Filius nominatur, expressa et indistans et essentialis Patri similitudo, et æqualitas concepta esse, fide certa credatur.

Prima harum expositionum confirmatur per illud Isaïæ, LI, 16 : *In umbra manus meæ protegi te*. Secunda, Isa. IV, 6 : *Tabernaculum erit in umbraculo diei ab æstu, et in securitatem et in absconsionem a turbine et a pluvia*. Æstas enim significat fervidam principum contra matrem et puerum iram : turbo autem, persecutionis et involutionis astutiam : pluvia autem tempestuosa, impetuosum tortorum incursum. Tertia probatur, Cantic. II, 3 : *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi : et fructusejus dulcis gutturi meo*. Unde etiam, Cantic. II, 9, conceptus parvulus hinnulo cervorum comparatur. Quod exponens Gregorius dicit, quod « hinnulus in meridie « umbram quærit, quia supercœlestis ille « sanctorum verus cervorum (hoc est, « patriarcharum) hinnulus, in utero ab « æstu concupiscentiæ refrigerato, debilitabiliter quievit. »

Habet etiam umbra visus temperamentum. In hoc enim quod lucem temperat, lucem visivam adunat, et adunando confortat. Propterea etiam, ut dicit Basiliius, « natura oculum sub profundo ciliorum locat, et supercilia nigra desuper ordinat et disponit, ut umbra ex hoc resultans, visum in se adunet, et sic virtutem visivam colligendo fortior rem reddat. » Hinc est etiam quod et nos, quando diligenter et longe videre nitimur, manum latam super cilia ponimus : ut ex objectu manus, sparsus visus colligatur radius, et in seipsum collectus fortior sit, et visum acuat ad diligentius et fortius discernendum quod videre desideramus.

Secundum autem proprietatem unam accipitur cujusdam Glossæ expositio. Quod enim hoc sacramentum in Virgine fieret, et Virginem lateret mysterium,

esset non satis congruum honori Virginis matris, et nobis esset periculum. Non enim ab Evangelista scriberetur, nec ab Ecclesia prædicaretur, nisi a Virgine doceretur. Nec a Virgine posset manifestari, quod a Virgine non posset cognosci. Sic igitur, o Beata, obumbravit tibi virtus Altissimi, ut visu mentis tuæ adunato, mysterium posset a te cognosci. Et hæc expositio est Beati Bernardi. Confirmatur autem per hoc quod dicitur, Zachar. 1, 8 : *Ecce vir stabat inter myrteta quæ erant in profundo*. Ibi enim habet alia translatio : « In medio myrteti umbrosi. » Myrtus enim temperantia est perpetuæ castitatis : vir autem ingressus ad eam, Angelus : umbrositas vero virtutis Altissimi, coadunatio visus intellectualis : ut tot et tantos mysteriorum absconditorum posset comprehendere globos lucis, et nobis salubriter revelare.

Umbra etiam dicit circumfusæ lucis temperamentum aliquantulum sibi per reflexionem immissum. Et secundum hoc una accipitur Ambrosii expositio, quod umbra videlicet dicat nubem carnis contemperantem virginitatem, divinitatem ut sustinere possit, quam aliter nullâ posset sustinere creatura. Isa. xxxiii, 14 : *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante ? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis ?* Ad Hebr. xii, 29 : *Deus noster ignis consumens est*<sup>1</sup>. Sic igitur umbram per modum nubis opponit, ut flamma deitatis portabilis efficiatur. Isa. xix, 1 : *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum*, hoc est, mundum. Et dicitur *nubes levis*, quia pondere peccati non est aggravata.

Item, Umbra dicit quamdam opacitatem, quæ est absconsiva eorum quæ in umbra latent. Et sic adhuc Dei Filii carnis pœnalitas et mortalitas vocatur *nubes*, sive *umbra*. Hæc enim opacitas fecit latere majestatis suæ perpetuam lucem, et quodammodo obumbrari. Ezechiel. xxxii,

7 : *Solem nube tegam*. Et, Isa. l, 3 : *Induam cælos tenebris*. Hoc est umbraculum culminis Lot, in quod ad hospitandum ingressi sunt Angeli : et cujus ostium nullus umquam reperit malignorum, concupiscentiæ carnali subjacentium<sup>2</sup>.

Umbra habet etiam ejus, cujus est umbra, figuram et simulacrum. Et secundum hoc, imago quæ resultat in speculo dicitur *umbra*. Sicut etiam sumitur umbra, ad Hebr. x, 1 : *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*. Umbram enim vocat configuratam similitudinem. Et quantum ad hanc umbræ proprietatem dicit Origenes, quod infiniti pelagi divinæ majestatis umbræ perfecte assimilatum est Verbum abbreviatum incarnatum. Sicut si infinitæ quantitatis gigantem (qui longitudine pedum excederet abyssum, et altitudine capitis excederet polum, et extensione brachiorum in infinitum extenderetur per ortum et occasum) imaginari velimus : opponamus ei speculum parvum, in quo quidquid ipse est, resultat totum. Vel dicamus eum generare parvissimum filium, qui ad similitudinem ejus totam configuraretur : in umbra enim illa exigua, cognosceremus quidquid in gigante totum.

Et sic majestas Dei infinita, in puritate Virginis tamquam in speculo sibi objecto refulsit, et umbram in ea suæ similitudinis reliquit, quæ conceptum divinum perfecit : quod nulla umbra alterius facere potuit. Sic ergo umbra similis virtute Altissimi in uterum Virginis immissa, vocatur *umbra*. Sicut enim natura hominis generantis umbram sibi similem relinquit in semine, quæ partum et conceptum format humanum, sic supermundana et divina illa Patris virtus, umbram suam produxit in Virginem, quæ conceptum et partum formaret divinum. Et hæc est omnibus aliis melior expositio ab Origene accepta. Magni enim quantumvis montis umbra in speculo

<sup>1</sup> Deuter. iv, 24.

<sup>2</sup> Cf. Genes xix, 3 et seq.

parvo resultat, maxime si speculum animatum sit : unde tota umbra montis resultat in oculo muris. Et hujus causam dicunt Geometræ, quod forma visibilis in puncto anguli tota recipitur, sed in quantitate anguli videtur. Sed utrum hoc ideo sit, vel non, non est præsentis speculationis.

Sed hoc tenendum, quod umbra est simulacrum ejus cujus est umbra : et quantumcumque sit quod umbram facit, forma tota illius per umbram in speculo cognoscitur parvissimo, si animatum sit. Sic igitur virtus Altissimi infinita in purissimo speculo virginalis claritatis effigiata refulsit, quæ divinum in ea conceptum formavit. Sapient. vii, 26 : *Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius* : in qua effulsit in imagine parva, ille qui est figura substantiæ Dei Patris, et splendor gloriæ <sup>1</sup>. Et hujus causa est quam dicit Isaias, x, 22 : *Consummatio abbreviata inundabit justitiam*, quia verbum abbreviatum faciet Dominus super terram. Ista est umbra de qua dicit, Psal. xvi, 8 : *Sub umbra alarum tuarum protege me*. Alis enim his (quæ sunt spiritus et virtus Altissimi) nobis advocans Dominus majestatis, in tali umbra et imagine nobis se configuravit : tantus existens quantus in speculo oculi nostri figurari posset : ut dum sic visibiliter Deum parvum cognoscimus, per hunc in invisibilium et infinitorum amorem rapiamur.

Sic igitur, o Virgo beata, *virtus Altissimi obumbrabit tibi*.

Sequitur :

« Ideoque et quod nascetur ex te. »

Infert ex præhabitis duo, interponens notam causalitatis. Quod enim nascetur erit *sanctum*, et *vocabitur Filius Dei*. Quid, ubi omni spiratione spirat Spiritus, et ubi omnem modum suæ perficit san-

ctitatis, nasci potest nisi secundum ? « *Ideo* » igitur, quia Spiritus sanctus superveniet in te, quod nascetur ex te erit sanctum. Quid item, ubi totam in umbra se virtus Altissimi effigiat, natum vocari poterit nisi Filius Dei ? Hac igitur de causa de prædictis duobus, duo causata eliciens, dicit : Et quod nascetur esse sanctum, et vocandum Filius Dei.

Vides, ut dicit Beda, qualiter undique obstruit rimas peccati : et sicut cataractas quasdam cœli, vias aperit gratiarum. Quid enim ex parte ejus, quæ gratia est plena, quæ pro omnibus nobis gratiam apud Deum invenit, in qua plenitudo deitatis habitavit, quæ fuit Spiritus sancti, virtutis Altissimi speculum purissimum, peccato daret ingressum ? Cantic. vii, 2 : *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis*. Tritici enim nostri corporis, et sanguinis Domini nostri Jesu Christi collecta in hoc ventre sunt grana, de purissimis guttis sanguinis ejus tamquam ex granis : et ideo vallatus undique sanctitatis est liliis (quibus diximus) tamquam custodibus perpetuæ castitatis. Per talia enim lilia non peccati aditus datur, sed occluditur, et virginitas consecratur. « *Ideoque, et quod nascetur ex ea sanctum.* »

Item, considera causas operantes in partu, Spiritum sanctum in superadventu, Filium in carnis assumptæ opere, Patrem in umbra virtutis Altissimi. Et videbis nullas rimas peccati, sed potius omnis gratiæ fontes uberrime manantes : justis quidem gratiam, et veniam pœnitentibus. « *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum* » est.

Adhuc, Nihil in concepto est, nisi vel Spiritu sanctificatum, antequam sit ad opus assumptum : aut a Deo creatum, et creando in vas mundum infusum : vel æternum, in quod nihil potest intrare imundum propter suam munditiam. Ibi ergo quidem peccatum omnino exclusum est. Sapient. vii, 1 et 2 : *Sum quidem*

<sup>1</sup> Ad Hebr. i, 3.

*et ego mortalis homo similis omnibus, et ex genere terreni illius qui prior factus est, et in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine.* Et, infra, Sapient. VIII, 19 : *Sortitus sum animam bonam.* Et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquatum. « *Ideoque et quod nascetur ex te,* » vocabitur et erit « *sanctum.* »

Dicit autem quod nascetur « *ex te* ». Non enim dicit, *a te*, quia tota causa efficiens Spiritui sancto, et virtuti Altissimi debetur. Sed supra dicens, *in te*, et notans locum conceptionis, hic dicit, *ex te*, notans concepti materiam. Causa enim efficiens datur Spiritui sancto, et virtuti Altissimi, sicut jam dictum est. Formans autem causa, est sapientia divina : dulcorans autem effectiva, est dulcedo divinæ bonitatis. Et materiam, et locum administrat Beata Virgo Maria. Hoc autem satis aperte significatur, Genes. XVIII, 6, ubi magnus Patriarcha dicit uxori suæ Sarai : *Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes.* Sara enim interpretatur *princeps*, et significat sapientiam divinam. Patriarcha autem summus pater multarum gentium Abraham, est Pater cælestis. Hic ergo dicit uxori suæ : *Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes,* scilicet azymos. Sata enim similæ sunt purissimi sanguines gloriosæ Virginis Mariæ. Tria sata tres mensuræ corporis, et animæ, et deitatis : corporis innovati de antiqua vetustate, animæ de novo creatæ, et deitatis æternæ. Commixtio autem horum, unio est. Quia hoc modo quo in naturis sumitur mixtio, nullam mixtionem passæ sunt tres naturæ corporis, et animæ, et deitatis. Ea enim quæ in natura miscentur, sic miscentur quod utrumque transit et cum altero confunditur : et tertium quoddam quod neutrum istorum est ex utrisque consurgit : sicut aqua cum vino ad æqualitatem mixta neutrum est, et argentum cum auro quoddam electrum nominatur. Sic non est commixtionem pas-

sus Dei Filius : sed deitate manente, virtus aliorum manifestabatur : sicut dicitur, Matth. VIII, 3, *Tetigit eum,* scilicet leprosum : *et confestim mundata est lepra ejus.* Ubi tactus, in eo quod extrema fuerunt simul, fuit corporis : in eo autem quod fuit sensus obviantis fuit animæ : sed deitatis erat quod leprosus sanabatur.

Sic ista tria sata similæ commixta, hoc est, unita sunt, et a divinitate assumpta. Matth. XIII, 33 : *Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.* Fermentem autem non significat hic corruptionem, sed virtutem Altissimi divinam, quæ atrahit ad se totum residuum : quia deitatem habet cujus ipsa est virtus : carnem penetrat, ut tactu carnis opus manifestetur deitatis : animam penetrat, ut claritas deitatis claritas sit animæ : deitatis quidem, ut causæ efficientis : animæ autem ut claritatis formam in profundum sui per totum recipientis. In omnibus autem his Virgo materiam ministrat, et virtus divina operatur.

Hæc est igitur causa quod non dicit *a te*, sed *ex te* nascetur. Nascetur autem, quod tamen jam in ea natum est, Matth. I, 20 : *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Quia duas nativitates singulares habuit Christus : primam in utero in qua conceptus est in virum perfectum secundum corporeorum lineamentorum figuram et numerum et animationem, et ad deitatem unionem, sicut superius docuimus. Et ideo ista nativitas est singularis. Aliam autem ex utero, ubi egreditur non dissoluto, neque confracto, neque remoto repagulo pudoris, sicut radius de stella. Psal. XVIII, 6 : *In sole posuit tabernaculum suum : et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Tabernaculum enim sui corporis in sole posuit : quando in utero Virginis, quæ sole amicta est, clausus fuit. De thalamo autem uteri tamquam sponsus progressus est : quando ex ea genitus

non ut matrem violavit, sed tamquam sponsam non habentem maculam neque rugam consecrans, dilexit.

Hoc igitur est quod dicit : « *Quod nascetur ex te.* »

Sequitur :

« Sanctum. »

Non addit quid sanctum : quia quidquid adderet, minus esset dictum, quam in sancto intelligatur. Neutri enim generis est hic *sanctum*. Neutrum enim genus informem dicit essentiam, et omni forma formabilem.

Est autem sanctitatis forma dupliciter informans. Est enim sanctum, quod per essentiam sanctitatis sanctum dicitur, sicut Deus, qui omnibus sanctis causa est sanctitatis. Apud enim Philosophum principium est et regula, quod quidquid est in pluribus per unam rationem, primo et principaliter est in uno, quod omnium aliorum est causa. Et sic sanctitas per essentiam dicta in Deo existens, causa est omnium eorum quæ sunt facta sancta.

Est etiam sanctum, quod dictum est sanctum, per sanctitatis informationem. Et hoc est dupliciter : habet enim aliquid ad sanctitatem perfectionem, ita quod de non sancto fit sanctum : et aliquid habet eam, non per motum, sed per donationem sanctitatis ejus, quod essentialiter sanctum est. Nos enim non sumus sancti, nisi de non sanctis sancti efficiamur, operatione Dei : propter quod dicitur de nobis, ad Ephes. 11, 3, quod omnes nascimur filii iræ<sup>1</sup>. Et ideo oportet quod per sacramenta et gratiam Dei, de non sanctis sancti efficiamur. Aliquid autem participat sanctitatem, quod numquam de non sancto fit, sed confertur ei cum esse sanctitas a sancto Deo : sicut sola caro Christi et anima, quæ numquam non sancta fuerunt. Et hoc est quod habet essentiam puram sanctitatis sine omni ad-

mixtione contrarii. Et hoc est sanctum sanctorum, quasi in demonstratione essentiae sanctitatis habens sanctitatem : ita quod aliorum quodlibet tantum habet sanctitatis, quantum accedit ad demonstrationem essentiae sanctitatis illius.

In his autem quæ fiunt sancta, adhuc duo sunt modi. Quædam enim fiunt sancta ad puritatem perfectam sanctitatis sine admixtione contrarii. Quædam vero non puram recipiunt sanctitatem, sed aliquid habent de contrario admixtum : sicut etiam fit in his quæ de nigro fiunt alba. Et quæ quidem ad purum fiunt sancta, sunt sanctissima, ad puram accedentia et primam nominis impositionem, sicut dicitur in *Sex principiis*. Alia autem non accedunt ad nomen purum, sed aliquid intermiserunt contrarium : sicut dicitur, Isa. LXIV, 6 : *Quasi pannus menstruatae universæ justitiæ nostræ*. Sanctissima igitur est caro Beatæ Virginis, quæ numquam admisit aliquid sanctitati contrarium. Omnes autem Sancti contrarium aliquid admiserunt.

Sic igitur, istud quod nascetur, multas et differentes habet rationes sanctitatis. Est enim ut Deus, sanctum essentialiter : ut homo autem, sanctum sanctorum : et ut sumptum de Virgine, sanctissimum. Et forte ideo est, quod non est determinatum, quid sit illud quod nascetur sanctum : quia una determinatione non poterat determinari. Si enim dixisset sanctum quod est Deus, non satis esset. Et iterum si dixisset, sanctus homo, minus satis esset. Et quidquid aliud dixisset, minus sibi dixisset videretur. Sed dicit indefinite : « *Sanctum,* » ut multis modis sanctitatis determinetur.

De sancto autem quod per essentiam est sanctum dicitur, Levit. XIX, 2 : *Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester*. De eo quod in demonstratione essentiae sanctum est, Daniel. IX, 24 : *Et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et unga-*

<sup>1</sup> Ad Ephes. 11, 3 : *Eramus natura filii iræ.*



*tur Sanctus sanctorum.* De sanctissimo, quod ad veram et ad puram accedit nominis sanctitatis impositionem, dicitur, II Machab. xiv, 31 : *Venit ad maximum et sanctissimum templum,* in quo habitavit divinitatis plenitudo corporaliter <sup>1</sup>. Et propter istas tres sanctitates in Christo quiescentes, dicitur ter Sanctus, Isa. vi, 3 : *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.*

Hoc autem sanctum est causa omnis sanctitatis : ut efficiens causa, ut formalis, et exemplaris, ut vas non materia, et ut finalis. Facit enim sanctitatem Christus : sicut dicitur, Joan. xvii, 19 : *Ego pro eis sanctifico meipsum,* sibi attribuens quod in membris perficit. Formam autem sanctitatis ut exemplar ostendit, quando, ibidem, v. 17, dicit ad Patrem : *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.* Quasi diceret : Formam sanctitatis eis tribue, quam verbis ostendi, et operibus comprobavi. Vas autem omnis sanctitatis est Christus, quod significatur in pyxide, cujus odor unguenti totam domum replevit <sup>2</sup>. Et hanc sanctitatem sacramentis infudit, ut in illis inveniatur et quæratur. Finalis etiam causa est, quia ad ipsum omnis sanctitas ordinatur et consummatur. Eccli. xlvi, 12 : *Viderunt omnes filii Israel, quia bonum est obsequi sancto Dei,* hoc est, Deo sanctos consummari. De isto sancto dicitur, Daniel. iv, 10 : *Vigil et sanctus descendit de cælo.*

Omnibus ergo his modis erit quod ex te nascetur, *Sanctum.*

Sequitur :

« Vocabitur Filius Dei. »

Ideo enim quod potentia Dei in se ultimatur, et ad virtutes se contrahit, sum-

mam et de altissimis Dei sumit operationem, et ad similitudinem Dei operationis educit effectum sola carne obumbratam. Ideo (inquam) quod nascetur, « *vocabitur* » et erit « *Filius Dei.* »

Vide nomen quod est super omne nomen. Filius enim Dei Deus est, et perfectus Deus est : quia Deus nihil generat imperfectum, Filius Dei perfectus Deus est : et quia perfectum in omni natura, tale alterum est, qualis est ipse qui genuit : ideo Filius Dei Deus est, et perfectus Deus est, et per omnia æqualis ei qui genuit : et ideo gignendo, dedit ei nomen quod est super omne nomen. In hoc enim nomine, omne nomen prophetiæ ad effectum suæ significationis deducitur : et quidquid in ipso speramus adimpletur.

Isaiæ, ix, 6, octo nomina signantur, quæ omnia in isto nomine suæ significationis sortiuntur effectum : *Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Et ante hoc, viii, 3 et 4 scilicet, vocatus est puer, *Accelera spolia detrahare* <sup>3</sup>. Et parum ante hoc, scilicet vii, 14, *Emmanuel* est vocatus. Hæc autem omnia nomina in hoc implentur nomine.

Quia in modo Incarnationis vocatur *Admirabilis,* in quo tam ex parte sui quam ex parte matris omnia mirabilia conjunxit. Judicum, xiii, 18 : *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile* <sup>4</sup>? Esther, xv, 17 : *Valde mirabilis es, domine, et facies tua plena gratiarum.*

In modo vero Redemptionis est *Consiliarius* : quia hoc consilium æternum fuit, ut hominem non per potentiam, sed convenientissimo modo liberaret Dei Filius. Isa. xlvi, 10 : *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* Dicitur enim *Consiliarius* a dante consilium,

<sup>1</sup> Ad Coloss. ii, 9 : *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

Joan. xii, 3.

Isa. viii, 3 et 4 : *Voca nomen ejus : Accelera spolia detrahare, festina prædari : quia antequam*

*sciat puer vocare patrem suum et matrem suam.* etc. Item, Isa. ix, 3 : *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis.*

<sup>4</sup> Cf. Genes. xxxii, 29 ; Josue, v. 13.

et non a consilium quærente. Est autem hoc consilium, immobilis definitio Dei de faciendis, ut dicit Gregorius.

Sic etiam dicitur *Deus* : sicut enim Dei Filius, Deus est : sic et hominis filius, homo est, idem ipse Deus Christus.

*Fortis* autem est in prostratione hostis. Luc. XI, 21 et 22 : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet*<sup>1</sup>.

*Pater* autem *futuri sæculi* dicitur ab effectu prudentissimæ et benignissimæ gubernationis. Isa. XXII, 21 : *Erit quasi pater habitantibus Jerusalem.*

*Princeps* autem *pacis* dicitur ab ea quam suis confert tranquillitatem mentis. Joan. XIV, 27 : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.*

Dicitur autem, *Puer*, *accelera spolia detrahere* : quia virtute deitatis suæ detraxit spolia, quæ hostis antiquus abstulerat. Ad Ephes. IV, 8 : *Captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*, hoc est, quos diabolus captivaverat, ipse reduxit : et spolia gratiarum quæ abstulerat, reddidit.

*Emmanuel* autem dicitur, in quantum est hominis et Dei Filius : nobiscum habens, quod homo est : et cum Deo, quod Deus est.

In hoc etiam nomine, omne habemus quod speramus. Voluimus enim habere Mediatorem, Redemptorem, Reconciliatorem, Pretium, et Sacrificium. Mediatorem, qui susceptione medius esset : Redemptorem, qui reducere deberet et posset : Reconciliatorem, qui audacter nos ad Deum introduceret : Pretium, quod damnum Deo illatum rependeret, et Sacrificium sive Hostiam, quæ reprobari non possit.

Quod *Mediatorem* non habuimus, Job, IX, 33, conquerebatur cum dixit : *Non est qui utrumque valeat arguere, et po-*

*nere manum suam in ambobus.* Nunc autem, hoc est, Sanctum ex Beata Virgine datum, Filius hominis, et ex Deo natus Filius Dei, ponit manum deitatis in Patre, et manum humanitatis in nobis. Et ideo dicit Apostolus, I ad Timoth. II, 5 : *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Ad Galat. III, 20 : *Mediator autem unius non est : Deus autem unus est.* Ad Hebr. VIII, 6 : *Melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.* Mediat enim inter nos et Deum, sicut bonus Pontifex futurorum honorum .

*Redemptor* etiam est, quia Deus per justitiam suam ab eo qui peccavit satisfactionem exegit : et quoniam unde satisfaceret non habuit, mortem interminavit. Angelus autem pro nobis satisfacere nec debuit, quia non peccavit : nec potuit, quia totum quod erat et potuit, sicut et omnis alia creatura, pro seipso debuit : et quod pro nobis de suo daret, nihil penitus habuit : et ideo non debuit, et non potuit, nisi qui Deus et homo fuit. Debuit enim, ut homo ex charitate superna pro nobis satisfaceret : et potuit, ut Dei Filius. Hic enim de suo pro nobis dare potuit, qui nulli quidquam debuit. Unde, Psal. LXXI, 14 : *Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum.* Iniquitas enim fuit nummus deceptionis et promissionis, quem serpens obtulit et in peccatum detrusit. Usura autem mortis debitum, quod quotidie accrescit.

*Reconciliator* etiam fuit per gratiam quam obtulit. Joan. I, 17 : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.*

*Pretium* etiam nostrum, damnum omne superabundanter restituens. Quod enim Deus in Adam perdidit, originalis justitia fuit, quam in omnes Adam (si stetisset) posteros transmisisset. Quæ quidem potentia et virtute fuit infinita : quia si mundus in infinitum stetisset, semper in omnes talem propagasset justitiam. Sed quod Filius Dei reddidit justi-

<sup>1</sup> Cf. Matth. XII, 29.

<sup>2</sup> Ad Hebr. IX, 14.

tiam, est pretium universorum. Et si in infinitum staret mundus, omnes essent redempti, quia ipse pretium est omnium. Genes. xxxi, 39 : *Ego damnum omne reddebam : quidquid furto peribat, a me exigebas.*

Est autem et irreprobabile *sacrificium*. Et hoc probat Augustinus in libro IV de *Trinitate*, per quatuor, quæ sunt in isto sancto, quod vocatur Filius Dei. Est enim unum cum eo qui offertur, et est unum cum eo cui offertur, et est unum cum eo quod offertur, et est unum cum offerente, et est unum cum eo pro quo offertur. Si ergo Pater non reprobat se ipsum, non reprobat oblatum, quia hoc est cum ipso sanctum. Et non reprobat offerentem, quia hoc est unum cum ipso sanctum. Et non reprobat eum pro quo offertur, quia oblatum est unum cum eo pro quo offertur sanctum. Job, xlii, 8 : *Job, servus meus, orabit pro vobis. Faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.*

Sic ergo *quod nascetur ex te*, o Virgo, *sanctum, vocabitur Filius Dei* : implens omne nomen prophetarum, et omnem gratiam conferens nostræ redemptionis.

36

« Et ecce Elisabeth, cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua. »

Miræ diligentiae est etiam iste Angelus in peragenda legatione nostræ salutis. Ecce enim quod pacificus fuit suus ingressus, ostendit in salutatione. Quod mirabilium sacrorum fuit nuntius, manifestavit in legationis suæ apertione. Quod secretorum Dei conscius, declaravit in hoc, quod tanti mysterii modum reseravit. Nunc autem etiam addit de Elisabeth conceptione, quod scivit eo majore desiderio audire Virginem : quo etiam audito, non sustinuit diutius quin iret ad salutandum novi præconis matrem. Probat se esse Legatum fidelem, qui sic undique sanat ejus ad quam missus est mentem.

Videtur autem quod ista interpositione,

vellet adstruere nihil eorum esse Deo difficile, quæ naturæ et humanæ rationi videntur obviare. Unde de Elisabeth tria proponit : quod videlicet *cognata*, et ideo Virginem debere ex affectu ejus bonis congratulari de conceptu præter vim ætatis : et inde debere Virginem admirari. Deinde, quod conceptum jam usque ad confortationem in utero tenuerit : et inde debere Virginem de aborsu cognatæ minime timere : quæ omni raro conceptui earum, quæ præter legitimam ætatem concipiunt, frequentius solent evenire. Innuit autem totum hoc virtuti divinæ esse attribuendum, per hoc quod subjungit, *nihil esse Deo impossibile*.

Hæc autem omnia sequens declaratio manifestabit.

Dicit igitur primo tria. Primo quidem in evidenti ponens miraculum dicens : « *Ecce.* » Quasi in evidenti est. Conceptus enim sex mensium occultari non potest. Isa. xliii, 19 : *Ecce ego facio nova, et nunc orientur, utique cognoscetis ea.*

Si forte quæritur, Quare de conceptu Elisabeth sermonem adducit in medium ? Non enim fas est credere virginem per hoc velle ad fidem inducere, quæ nunquam discredidit Dei sacramentum. Ad hoc quidam sancti ante nos plures et probabiles adduxerunt rationes, quarum prima est, ut dum nova et desiderata per Angelum novis adjunguntur, gaudium gaudio cumuletur. Isa. lxi, 10 : *Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo.*

Secunda est, ut Virgo sacramentum de nativitate præcursoris in proximo per homines divulgandum, non ab homine, sed a revelatione accipere cognosceretur. Hominum enim verba incerta sunt. Revelatio autem divina certissima. Ex hoc enim et certius Evangelistas et Apostolos docuit : et nos firmiter credimus, habentes de cælo testimonium veritatis. II Petr. ii, 16 : *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis.*

Tertia ratio est, ne Virgo a Deo electa, secreta Dei ignorare, et ab homine discere videretur. Genes. xviii, 17 et 19 : *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?... Scio enim quod præceptorus est filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini.* Amos, iii, 7 : *Non facit Dominus Deus verbum, nisi prius revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas.* Quomodo ergo faceret verbum, quod non prius revelaverit matri?

Quarta ratio est, ut puella juvenis et carne conjuncta, audiens vetulam jam pondere partus gravatam et doloribus vicinam, et ex verecundia aliis secretum non libenter aperiens, ad obsequium in tam secreto et sancto partu præpararetur. Ad Roman. xv, 1 : *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.* Et, ad Galat. vi, 2 : *Alter alterius onera portate,* etc. Ex hoc enim imitata est Filium, qui dicturus erat : *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat* <sup>1</sup>.

Quinta ratio est, ut opportunum tempus conceptus virginalis, ex instante natiuitate præcursoris ostenderetur. Matth. xxiv, 33 : *Vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis,* scilicet regnum Dei. Sicut enim astra matutina lucem præcurrendo ostendunt, et ad jubilum aves diem desiderantes excitant et præveniunt : ita signa ista vicina, ortum lucis gratiæ prævenierunt, et Sanctos in laudem evigilare fecerunt et gratiarum actionem. Job, xxxviii, 4 et 7 : *Ubi eras... cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei?*

Sexta ratio est, ut tanto gaudio (quod est in conceptu Virginis, quo Deum concepit) Elisabeth sicut gaudii particeps congratulans inveniretur : et ex hoc pondus uteri sui, et dolores mitigarentur. Et

hoc videtur ipsa innuere Elisabeth quando dixit : *Ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo* <sup>2</sup>. Sicut enim mulier cum pepererit puerum, non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum <sup>3</sup>, ita pro certo probabile est, quod ista non meminerit pressuræ propter gaudium : quia digna habita ut præsentem sibi sentiret Dominum per Beatæ Virginis et matris adventum. Unde in gaudio clamans dicit : *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me* <sup>4</sup>?

Septima causa est, quia dignum fuit ut Virgo præsentaret Joanni suum conceptum : ut ubique perageret suæ præcursoris officium. Et ideo nuntiatur Joannis ætas in utero, qui jam posset præcurrere Salvatoris conceptum. Et hoc dicit Ambrosius. Et idem dicit Hieronymus in *Hymnis*, dicens :

Ventris obstruso recubans cubili,  
Senseras regem thalamo manentem <sup>5</sup>.

Sensum enim hunc ostendit motu occurrence ad ipsum. Amos, iv, 12 et 13 : *Præparare in occursum Dei tui Israel. Quia ecce formans montes, et creans ventum, et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, et gradiens super excelsa terræ : Dominus Deus exercituum nomen ejus.* Format enim montes, in quibus fundantur Ecclesiæ, virtutes exercituum Ecclesiasticæ fidei et potestatis. Jam incepit afflare ventus sancti Spiritus. Jam per Gabrielem enuntiavit eloquium. Jam excelsa terræ conculcavit, exinaniens seipsum, formam servi in seipso accipiens <sup>6</sup>, et formam ancillæ in matre. Iste est Dominus exercituum Angelorum, cui a vero Israel est occurrendum.

<sup>1</sup> Luc. xxii, 27.

<sup>2</sup> Luc. i, 44.

<sup>3</sup> Joan. xvi, 21.

<sup>4</sup> Luc. i, 43.

<sup>5</sup> Ad I Vesp. Festi S. Joannis Baptistæ, Stroph. 4.

<sup>6</sup> Cf. ad Philip. ii, 6 et 7.

Octava ratio est, ut per Elisabeth conceptum sermo Angeli confirmaretur : non quidem ut dubius, sed sicut verum et certum aliquando rationibus adjuvatur, et sicut fides de credito divina juvatur ratione. Et hæc est ratio Bedæ in Glossa Genes. xli, 32 : *Quod autem secundo vidisti ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis iudicium est, eo quod fiat sermo Dei, et velocius impleatur.* Osee, xii, 10 : *Ego visionem multiplicavi, et in manibus Prophetarum assimilatus sum.*

Talibus igitur et tantis rationibus conceptus Elisabeth adducitur in medium.

Dicit igitur :

« Ecce Elisabeth. »

Elisabeth illa, quam non libido titillans incitavit, cui conceptum oratio Sanctorum impetravit, cui maritus incensum ponens fœcunditatem promeruit, cuius conceptum Angelus prænuntiavit, cuius partum magno præconio Angelus extulit, et gaudium toti mundo edidit et effudit.

Etenim si libido titillans conceptum extorsisset, in ea locum haberet, quod dixit Raphael Angelus, Tobia, vi, 17 : *Hi namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.* Et talis non fuit hæc sancta Dei saturitas.

Huic etiam sanctorum conceptum impetravit oratio : unde supra dictum est, x. 10, quod *omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi*, cum conceptus Joannis annuntiaretur. Simile, Genes. xxv, 21 : *Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis : qui exaudivit eum, et dedit conceptum Rebeccæ.*

Zacharias etiam incensum ponens huic fœcunditatem promeruit. Simile ei est

quod, I Reg. 1, 17, Heli sacerdos dixit ad Annam : *Vade in pace, et Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum.*

Hæc est cuius conceptum Angelus prænuntiavit. Simile fuit ei quod fecit, Judicum, xiii, 3 : *Sterilis es, et absque liberis : sed concipies, et paries filium.* Hoc enim dixit ei per maritum, supra, in eodem, x. 13 : *Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium.*

Partum etiam ejus magno præconio extulit : quasi diceret illud Ruth, iv, 14 et 15 : *Benedictus Dominus, qui non est passus ut deficeret successor familiæ tuæ, et vocetur nomen ejus in Israel : et habeas qui consoletur animam tuam, et enutriet senectutem.*

Hæc est demum quæ gaudium toti mundo edidit et effudit : unde illud Genesis, xxx, 13, dicere potuit : *Hoc pro beatitudine mea : beatam quippe me dicent omnes mulieres.*

Hæc igitur est ista Elisabeth.

« Cognata tua, »

Quæ non tam propinquitate sanguinis, quam affinitate gratiæ et virtutis se probat esse generosam. *Quicumque fecerit, (inquam) voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, et soror, et mater est*<sup>1</sup>. Beata consanguinitas ubi formatus in corde Christus matrem, ex uno patre generatio divina fraternitatem, et ordo charitatis totam perficit secundum diversos gradus generis propinquitatem. De primo enim horum, ad Galat. iv, 19 : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* In quo autem Christus formatur, mater est, et mater vocatur. De secundo, Joan. xx, 17 : *Vade ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum.* De tertio, Cantic. ii, 4 : *Ordinavit in me charitatem.*

Hæc igitur est Elisabeth cognata tua.

<sup>1</sup> Matth. xii, 30.

« Et ipsa concepit. »

Ecce conceptum proponit honorabilem, amabilem, et mirabilem. Honorabilem quidem, quia Spiritu sancto et virtute plenum. Supra, y. 15: *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.* Amabilem quidem, quia in gaudium mundi nasciturum. Supra, y. 14: *Multi in nativitate ejus gaudebunt.* Admirabilem quia ex utero matris suæ consecratus est Propheta. Eccli. XLIX, 9: *A ventre matris consecratus est propheta.*

« Filium. »

Quod mirabile est: quia etiam fœcunda, cum ex antiquitate virtus concipiendi delicere incipit, primo a filiis deficit in filias, et a filiabus in aborsum, et deinde deficit in totum secundum naturam. Hæc autem concepit filium qui totum possideret parentum effectum, et hæres esset sanctitatis. Tob. VII, 7: *Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni et optimi viri filius es.* Eccli. XLVII, 14: *Post ipsum surrexit filius sensatus, et propter illum dejecit potentiam omnium inimicorum.*

« In senectute sua. »

Hoc omni admiratione dignum est. Senectus enim secundum naturam corruptio est, in qua membra sunt intus sicca, destituta, et extra madida humiditate corrupta et viscosa. In qua ætate etiam si quid concipitur corrumpitur: et nunquam tamen aliquid concipi consuevit, maxime ex semine senis, et jam corruptione præpediti. Hoc igitur facit ad commendationem miraculi. Hoc enim illi non erat difficile qui suscitavit mortuos, sicut dicitur, Ezechiel. XXXVII, 9: *Veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant:* maxime ubi senectus non est tantum a canitie corporis, sed a canitie virtutis: sicut dicitur, Sapient. IV, 8 et 9: *Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computa-*

*ta: cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata.* Hic filius senectutis est ille de quo dicitur, Tob. V, 23: *Baculum senectutis nostræ tulisti et transmisisti a nobis.* Ruth, IV, 15: *Qui consoletur animam tuam, et enutriet senectutem, de nuru tua natus est, quæ te diligit, etc.*

Sequitur:

« Et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis:

« Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum: »

31

Miraculum commendat: quia si vetula aliquando concipiat propter destitutionem uteri a calido et humido subtili, vincentibus in ipsa frigido et sicco qualitatibus mortificativis, aborsum patitur. Nunc autem iste filius ad finem sexti mensis coaluit. Jam enim de Martio, qui erat sextus mensis non restabant nisi dies octo. Hæc enim octavo Kalendas Aprilis peracta sunt. Et ideo intelligit, quod ejusdem virtute infans in ventre coaluit, cujus virtute et oraculo conceptus fuit. Virtus enim vetulæ infantem non nutrit, sed destitutum dejicit. Unde et de Sara, Genes. XVIII, 11, dicitur, quod *desierant Saræ fieri muliebria.* Et, ad Roman. IV, 19, dicitur, quod emortua fuit vulva Saræ. Et hæc dicuntur in figura hujus.

Et addit:

« Illi quæ vocatur sterilis, »

Ut et impotentiam naturæ supra defectum accumulet ætatis. Non enim vocaretur *sterilis*, nisi a longo tempore fœtu fuisset privata. *Fœcunda* enim est, quæ absque impedimento concipit. *Conclusa* autem in Scriptura vocatur, quæ quidem impedita est ad susceptionem conceptus: sicut, I Reg. I, 5, de Anna legitur, quod concluderat Dominus vul-

vam ejus. Et, Genes. xx, 18, quod conclusit Dominus omnem vulvam domus Abimelech. *Sterilis* autem est, quæ naturale in obstructione venarum et pororum matricis habet impedimentum ad seminis susceptionem. Et hæc vocatur non vere sterilitas, nisi quando hoc post usum viri efficitur cognitum, et medicorum arte removeri non poterit impedimentum. Et ideo maledictioni subiacebat in lege. Et ideo, supra, v. 25, dixit: *Quia sic fecit mihi Dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.*

Sequitur hoc quod ex præhabitis intendit :

« Quia non erit impossibile apud, etc. »

Attende quod de his quæ fiunt, quædam dicuntur esse in natura, quædam esse apud Deum, et quædam in Deo abscondita.

In natura sunt, quorum causas seminales ut fiant Deus naturæ indidit : sicut dicitur, Genes. i, 11 : *Germinet terra herbam virentem.* Dicit Augustinus, hoc est, virtutem germinandi in causis seminalibus accipiat. Et hæc sola potentia sunt in elementis : quia generale principium Philosophi est, quod nihil est in potentia in aliquo, nisi quod in uno motore, et in unius speciei motore educitur de illo. Unde idolum non est potentia in cera, sed in arte. Et cuprum potentia in terra : quia cuprum uno motore educitur de terra, qui est calor solis : et non eodem, sed intellectu artificis educitur idolum de cupro.

Apud Deum autem sunt, quæ in natura non habent nisi causam obedientiæ, et perfectionem habent suæ generationis apud Deum. Et illa non sunt in natura ut fiant, sed ut de ipsis naturalibus fiant, administrante virtute divina : sicut est

conceptus vetulæ, et generatio senis : et quod in tali utero, et ex tali semine infans coalescat. Genes. xviii, 14 : *Numquid Deo quidquam est difficile ?*

In Deo autem absconditum est, quod omnino super naturam, et cujus potentia in natura contrarium est : sicut est conceptus virginis, quæ manet virgo, est sacramentum a sæculis in Deo absconditum <sup>1</sup>. Et hoc facere, in Deo est : et non conceditur hujus operatio aliqui creatæ naturæ. Et hoc est quod dicit, quia *non erit impossibile apud Deum.* Et ideo, Jerem. xxxii, 27 : *Numquid mihi difficile erit omne verbum ?*

Dicit autem : « *Omne verbum,* » et non omne factum : quia in omnibus quæ procedunt ab intellectu operativo, primum faciens, verbum mentis est. Sicut in eo qui facit arcam, primum faciens arcam, forma concepta in mente est, quia dicit arcam esse faciendam. Sic etiam omnis operatio intellectus divini est Verbum a quo procedunt facta omnia, et cujus formam induunt. *Omnia enim per Verbum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est* <sup>2</sup>. Unde minus diceret si dixisset, omne factum, sed totum dicit quando dicit, « *omne verbum.* » Verbo enim Domini cæli firmati sunt, quia sic dixit, et facta sunt <sup>3</sup>. Et sic, *Dixit Deus : Fiat* <sup>4</sup> : hoc est, Verbum genuit in quo erat, ut fieret.

« Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus. »

Illud est ad quod laboratum est. Primo enim audiens turbata est ad speciem viri, et inconsuetum modum salutationis. Deinde, quasi confortata, modum quæsivit annuntiationis. Modo autem certa de oraculo, nec dubitans de nuntio, jam quasi se totam dat, ut totum adipi-

<sup>1</sup> Cf. ad Ephe. iii, 9.

<sup>2</sup> Joan. i, 3.

<sup>3</sup> Cf. Psal. xxxii, 6.

<sup>4</sup> Genes. i, 3.

scatur. Et hoc est quod in ordine notatur verborum.

« *Dixit autem Maria* » Illa enim illuminata illuminatrix quid diceret, nisi quod mundo lucem pareret? Processit in dicto, quasi aurora consurgens solem conceptura supernum. Quid vero stella orta ex Jacob dicto suo panderet, nisi solum de stella nasciturum, vel lucis æternæ radium sine omni sui corruptione mundum illuminaturum? Quid item amarum pro salute generis humani mare, nisi consolationem toti mundo profuturam? Quid tandem Domina mundi (quæ omnibus gubernationis ex sua benignitate exhibet officium et subsidium defensionis) responderet, nisi quod ad suorum pertinet defensionis præsidium et prudentiam gubernationis? Lumen enim mundi est, sicut scriptum est: *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus*<sup>1</sup>. O Beata Virgo, ostende igitur te illuminatricem, et per consensum tuum illumina eos qui in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis<sup>2</sup>. Stellam te proba poli, ducens nos ad portum tuum et quietum, post tot tentationum jactationes. Nobis enim in te lux nova oriri visa est, et sol novus in conceptu, et fons parvus humilis gratiæ tuæ crevit in fluvium maximum: et *humiles exaltati sunt, et devoraverunt inelytos*<sup>3</sup>, qui hactenus de sua gloriabantur dejectione. Cum enim omnes in amaritudine essemus, tu quasi mare amarum, amaritudinem omnium tuam fecisti. Et pro nobis, dolens, et pro te Jonam illum in figura filii tui ad hoc induxisti, ut diceret: *Tollite me, et mitte in mare, ... scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos*<sup>4</sup>. Rursumque tu Domina omnium es, et Virgo virginum. Nisi ad

tuum florem declinet ille rhinoceros serviens tibi ad redemptionem (filius unicornium si es<sup>5</sup>) quis liberabitur de cornu potestatis ejus? Job, xxxix, 9: *Numquid volet rhinoceros servire tibi?*

Dic ergo, beata, et dic ad Angelum:

« *Ecce ancilla Domini.* »

Tria autem dicit: promptitudinem exsequendi, consensum sacramenti, et consonantiam verborum Angeli.

Promptitudinem exsequendi tangit, cum dicit: « *Ecce ancilla Domini.* » *Ancilla* enim dicitur ab ἀν, quod est *circum*: et κέλλω quod est *moveor, moveris*, quia ubique mobilis<sup>6</sup>. Prompta est ad obsequendum, humilis ad serviendum, et devota ad obediendum, et prudens in omni commisso, simul et fidelis.

Quod enim prompta sit, ex nomine probat, quia circummobilis est in omne quod jubetur. Unde, Proverb. xxxi, 27: *Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit*. De humilitate, Infra, in eodem, v. 48: *Respexit humilitatem ancillæ suæ*. De devotione ad obediendum dicitur in Psalmo cxxii, 2: *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum*. Oculi enim ancillæ adspiciunt ad nutum manus ut semper obediant, et devote subserviant. Prudens est etiam ista ancilla, Proverb. xxxi, 26: *Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus*. Sapienter enim sibi, et nobis clementer in hoc responso temporavit sermonem: quod in voto fuit et sermonem Angeli futurum expectabatur, in oratione ponens, et dicens:

« *Fiat mihi.* »

Præsumptionis enim videretur si di-

<sup>1</sup> Eccli. xxvi, 2f.

<sup>2</sup> Luc. i, 79.

<sup>3</sup> Esther, xi, 11.

<sup>4</sup> Jonæ, i, 12.

<sup>5</sup> Cf. Psal. xxviii, 6.

<sup>6</sup> Vel forte melius ab *ancus*, verb. antiq. pro *servus*.



ceret : Fiet mihi, quia hoc a gratia Domini quam nemo promeruit, speratur. Hoc ab Adam et a tota posteritate sua mirabiliter efflagitatur. Hoc ab Angelo exspectatur. Hoc ab omnibus fidelibus desideratur et oratur.

Quod enim a gratia Dei speretur, dicit Jeremias, Thren. III, 22 : *Misericordiæ Dei, quia non sumus consumpti.*

Quod autem ab Adam et posteritate sua efflagitetur, dicitur in Psalmo XII, 1 : *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem ? usquequo avertis faciem tuam a me ? Usquequo, id est, Cur.*

Quod ab Angelo exspectetur, patet : quia nuntium hoc egit, et omnia fecit quæ ad consensum Virginis pertinent inclinandum. Nunc autem exspectat salutare hoc responsum. Ac si diceret illud Genesis, XLIX, 18 : *Salutare tuum exspectabo, Domine.*

Omnes fideles hoc desideraverunt, dicentes illud Isaiaë, XXXIII, 2 : *Domine, miserere nostri : te enim exspectavimus.* Et illud ejusdem Isaiaë, XXVI, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigila- bo ad te.*

Hæc etiam attendens, et consensum præbens, orando cum aliis, dixit : « *Fiat.* » Non enim præsumpsit dicere, *fiet*, sed totam se divinæ dispositioni committens oravit, ut cunctis fieret salus quam Angelus nuntiavit. Scivit enim illud Jacob. IV, 6, quod *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Dicit autem :

« *Mihi,* »

Non ad me. Multifarie enim multisque modis factum est verbum Domini ad Prophetas : Abdiæ quidem ad aures, quando dixit Abdias, X, 1 : *Auditum audiivi a Domino.* Isaiaë ad visum, quando dixit Isaias, I, 1 : *Visio Isaiaë,* etc.

<sup>1</sup> Cf. Luc. X, 23.

<sup>2</sup> Cf. Luc. II, 30.

Et quidem : Beati oculi qui viderunt, et beatæ aures quæ audierunt quæ vos videtis et auditis<sup>1</sup>. Alicui autem ad manus, sicut Aggæo qui dixit, Aggæi, I, 3, quod *factum est verbum Domini in manu Aggæi.* Et sic diversimode diversisque modis, et pro diversis factum est. Sed non sibi. Beatæ Virgini Mariæ fit, ad aurem quidem in oraculo annuntiationis et eulogio salutationis : ad visum autem, quia viderunt oculi sui salutare Dei sui<sup>2</sup> : ad manum etiam fit contrectationis : et ad brachium oblationis : et ad gremium sustentationis : et ad ubera lactationis : et ad viscera incarnationis : et aliis modis infinitis sibi soli notis, nato Verbo de se incarnato. Luc. XI, 27 : *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti.*

Sic ergo *fiat mihi*

« *Secundum verbum tuum.* »

*Secundum* : præpositio, vel adverbium, vel nomen ordinale. Primo quidem modo sensus est : « *Secundum verbum tuum,* » hoc est, juxta verbum tuum : et hoc est, sicut dixisti. Et hunc puto esse sensum litteræ. Marc. XII, 31 : *Cælum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt*<sup>3</sup> : quinimo *iota unum, aut unus apex non præteribit*<sup>4</sup>. Isa. XXXIV, 16 : *Requirite diligenter in libro Domini, et legite : unum ex eis non defuit.* Isa. V, 4 : *Quid est quod debui ultra facere tibi, et non feci ?*

Potest etiam ly *secundum*, nomen esse ordinale, ut sit sensus : « *Secundum verbum tuum,* » quod in salutatione positum est inter ea quæ sunt de adipiscendis bonis. Hoc enim est, *Dominus tecum.* Primum autem, *gratia plena.* Gratia autem plena fuit ad sui sanctitatem. Dominus autem tecum ad nostram redemptionem. Sic enim *dicent inter Gentes : Magnificavit Dominus facere cum eis : siquidem magnificavit Dominus facere nobiscum :*

Cf. Luc. XXI, 33 ; Matth. XXIV, 35.

<sup>3</sup> Matth. V, 18.

*facti sumus lætantes*<sup>1</sup>. Hoc enim est illud magnum nomen Emmanuel et utile nobis, quod est, *Nobiscum Deus*: in quo omnes evacuatur insidiæ inimici. Per hoc enim continet in gremio cælum terramque regentem, quem habemus hostium terrorem, pignus nostræ redemptionis, et contra omnia quæ passi sumus Salvatorem.

« *Fiat* » hoc « *secundum verbum tuum* » mihi: sicut in aure auditum, et in corde creditum, et ore concessum: ita in visceribus incarnatum, ut possim læta nuntiare fidelibus, dicens: Habete fiduciam: *Verbum caro factum est, et habitavit nobis: et in proximo videbitis gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis*<sup>2</sup>. Hæc igitur vox ab ore Virginis exsultationis et salutis audita est in tabernaculis iustorum.

Sequitur:

« Et discessit ab illa Angelus, »

Officio peracto. Tempus enim erat, ut reverteretur ad eum qui eum misit. Nos autem benedicamus Deum, et enarremus omnia mirabilia ejus<sup>3</sup>. Discessus autem Angeli nihil aliud fuit, nisi quod visui humano se subduxit. Numquam enim ita ad obsequendum habuit Angelos, sicut ex quo Filium Dei Dominum Angelorum concepit. Ex tunc enim accesserunt ad eam Angeli, et ministrabant ei<sup>4</sup>.

39 « Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda.

40 Et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth.

Hic adhuc tria circa beatam Virginem

determinat Evangelista: quorum primum est, qualis fuit pietatis officio: secundum, quantæ gratitudinis in percepto Dei dono: tertium, quod continuo perseverans fuit in obsequio, quia permansit obsequens debili cognatæ tribus mensibus, donec cognata relevata fuit in utero.

De primo dicit tria: qualiter videlicet ad obsequendum se paravit, et qualiter festinavit, et quam benigne se exhibuit.

Præparatio autem commendatur in duobus: a modo, et a tempore.

A modo autem, quia

« Exsurgens. »

Decompositum est: quia notat quod extra sursum fuit se agens, sicut corpore ita et mente. Per mirabilia enim dona munerata fuit, et supra statum priorem elevata, accedens ad cor altum: et sciens cui plus donatur, ab eo plus exigitur: volens exaltari in se Deum, hoc est, altum ostendere: ex priori statu altius sursum se proficiendo egit, audiens vocem dilecti clamantis, Cantic. II, 14: *Surge, prope- ra, amica mea, ... et veni*. Nihil enim vacat a significatione in tanta Virgine et Dei Matre. Si autem ipsa de alto in altius se egit, pudeat nos a sorde vitiorum non exsurgere. Sicut etiam monet Apostolus, ad Ephes. V, 10: *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus*. Hæc enim Virgo et quieta, non vaga non garrula, non quietis impatiens, resederat in solitudinis et conscientia quiete. Sicut, Isa. LII, 2: *Consurge, sede, Jerusalem*. Nunc anima exsurgit in actionis utilitate et necessitate. Sedere autem eam fecit charitas veritatis, et recepit eulogium salutationis, et partum et conceptum divinæ annuntiationis. Nunc autem facit exsurgere eam veritas charitatis, quæ aliquando deliciis quietis

<sup>1</sup> Psal. CXXV, 2 et 3.

<sup>2</sup> Joan. I, 14.

<sup>3</sup> Cf. Tob. XII, 20: *Tempus est ut revertar ad*

*eum qui me misit: vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus.*

<sup>4</sup> Cf. Matth. IV, 11.

apponere cogitur necessitatem actionis. Psal. cxxvi, 2 : *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* Quamdiu enim pane isto arcto doloris sustentamur, necessitates proximi cogunt exsurgere in actionem obsequii. Exsurge ergo et tu primo quidem a stercore vitiatorum : secundo, de virtute in virtutem, ad statum altiore : et tertio, de contemplationis quiete ad actionem. Duobus autem modis Maria exsurrexit : de tertio autem non indiguit, sed ut tu exsurgere possis effectit.

« Maria. »

Cum conceptu virginali : quia qui portabatur, matrem portabat, et contra consuetudinem prægnantium fecit leviolem. Duobus enim temporibus gravidatis motus interdicatur a Physicis : in principio videlicet conceptionis, cum conceptus mollis est, facile a matrice solubilis : et in fine post quintum mensem vel sextum, quando gravis est et pondere suo per motum matris seipsum sua abrumpit gravitate. Ista autem ut divinum ostendat partum, statim primo exsurgit, et cum festinatione montana conscendit : quæ fieri non possent sine aborsu, si partus humanus et non divinus esset conceptus. Beatus ergo venter qui te, Christe, portavit, quia non humana sed divina virtute te tenuit et corroboravit <sup>1</sup>. Ista enim Domina vas admirabile fuit in opus excelsi <sup>2</sup>. Eccli. I, 10 : *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Ornatum quidem omni lapide pretioso virtutum. Solidum, quod humana virtute moveri non posset, in divini conceptus præjudicium. Et forte sic virtus Altissimi obumbravit ei, ne conceptus moveretur impulsu obsequii.

Tangit autem præparationem temporis, cum addit :

« In diebus illis. »

Illustrationes clarissimas hæc Virgo habuit, ut dicit Ambrosius, dum « non « incredula fuit oraculo, non incerta de « nuntio, non dubitans de exemplo : sed « læta proposito, voto religiosa, proprietatis officio exsurgens, et festina præ « gaudio, vadit visitare Elisabeth : » probans illud Proverbiorum, iv, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens*, et continuis incrementis *procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Hoc enim illi dies significant. Hæc enim est dies (quia isti incipiunt) quam fecit Dominus oriri super terram : exsulemus et lætemur in ea. Dies, inquam, qui non sicut umbra declinaverunt, sed potius de quibus dicit Habacuc, iii, 11 : *Sol et luna steterunt in habitaculo suo.* Et de ipso habitaculo uteri, *ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ* <sup>3</sup> : ut vere probent matrem esse lunam, et natum solem : quæ (inquam) luna concepit lumen solis, ut vere illuminatrix dici possit.

Deinde tangit modum itineris. Dicit enim quod abiit : et per quid : et qualiter.

Modus quidem eundi est, quod

« Abiit, »

Hoc est, a se recessit. Recessit enim a secreto orationis, a quiete contemplationis, a deliciis delectationis spiritualis : a secreto quidem orationis, procedens in publicum actionis : a quiete contemplationis, exiens in laborem necessitatis : a deliciis delectationis spiritualis, exsurgens in amaritudinem humanæ turbationis. « Abiit » ergo cum Sara filia Raguelis de secreto orationis <sup>4</sup> in publicum actionis. Cum Judith exivit de quiete contemplationis in laborem necessitatis <sup>5</sup>. Cum sponsa autem *Canticorum* processit

<sup>1</sup> Cf. Luc. xi, 27.

<sup>2</sup> Cf. Eccli. xliii, 2.

<sup>3</sup> Habacuc, iii, 11.

<sup>4</sup> Cf. Tob. iii, 10-24.

<sup>5</sup> Cf. Judith. x, 1 et seq.

de deliciis delectationis spiritualis in amaritudinem humanæ turbationis. Dicitur enim sic, Cantic. viii, 5 : *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum ?*

Sic ergo abiit.

Per quid autem abierit subjungit :

« In montana. »

Vide quod asperitas itineris non retardat in ea obsequium pietatis. Non enim dicit cum Lot, Genes. xix, 19 : *Non possum in montem salvari, ne forte apprehendat me malum.* Sed omnia potens in eo qui eam confortat, audacter conscendit montium culmina. Facta sunt enim ex amore obsequendi prava in directa, et aspera in vias planas<sup>1</sup>. Jam enim culmina virtutum mente conscenderat : et ideo juga montium transcendere leve reputabat. Culmina autem montium tria conscenderat : spiritus, virtutum, et intellectus : spiritus quidem in affectus altitudine, virtutum in honestatis sublimitate, intellectus vero in contemplationis summa arce. De primo dicitur, Psal. lxxxvi, 2 : *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, hoc est, spiritus elevationibus : quia in illa est spiritualis vitæ fundamentum. Si enim spiritus inclinatur, totum ruit spiritualis vitæ ædificium. De secundo, Jerem. xxxi, 23 : *Benedicat tibi Dominus pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* De tertio dicitur, Psal. lxvii, 17 : *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo : etenim Dominus habitabit in finem.* Genes. xix, 17 : *Non stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac.* De secundo adhuc, Josue, ii, 16 : *Ad montana conscendite, ne forte occurrant vobis revertentes.* De tertio, Ezechiel. xl, 2 : *Adduxit me in terram Israel, et dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi ædificium civitatis.*

<sup>1</sup> Cf. Isa. xl, 4.

Qualiter autem abiit dicit :

« Cum festinatione. »

Festinavit autem propter tria : ut videlicet cito publicum Virgo verecunda evaderet, ut obsequendi desiderio satisfaceret, ut cito dilectam videret. De primo, Proverb. iv, 12 : *Currens non habebis offendiculum*, quod vaga sæpe invenit evagando : sicut Dina, Genes. xxxiv, 1 et seq. De secundo, Isa. xl, 31 : *Current, et non laborabunt : ambulabunt, et non deficient*, scilicet præ desiderio perveniendi. De tertio, Jerem. li, 50 : *Venite, nolite stare : recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum.* Eccli. xxxvi, 10 : *Festina tempus, et memento finis.* Quasi dicat : Si finis memor fueris, citius festinabis. Dicit enim Augustinus quod « qui plus dilexit, velocius cucurrit, et « citius pervenit. »

« In civitatem Juda. »

Ecce quo abiit : ad locum templi, ubi cultus erat Dei. Civitas enim Juda hic vocatur Jerusalem, eo quod principalior erat inter civitates. Psal. cxxi, 3 : *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas.* Juda autem dicitur, non quod fuit de sorte Juda, sed potius in sorte Benjamin : sed quia Benjamin eam capere non potuit : ideo occupanti jure belli concessa fuit. Quia igitur David eam de manu Jebusæorum accepit, sibi data fuit, et sorti Juda adjuncta. In hanc igitur civitatem intravit, templum honorans auctore templi, quem in utero habuit. Malach. iii, 1 : *Statim veniet ad templum sanctum suum Dominator quem vos quæritis*, etc. Psal. cxxxvii, 2 : *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo, et confitebor nomini tuo.* Nos etiam cum conceperimus Deum, deceret ad civitatem pacis pergere, et non in mundo par-

<sup>2</sup> Cf. Psal. v, 8.

tum extinguere. Eccle. x, 15 : *Labor stultorum affliget eos qui nesciunt in urbem pergere* : ubi sunt muniti. Civitas enim Juda urbs est confessionis et glorificationis : de qua, Isa. xxvi, 1 : *Urbs fortitudinis nostræ Sion : Salvator ponetur in ea murus et antemurale.*

« Et intravit in domum Zachariæ, »

Sacerdotis senis et sancti : non secuta lascivias juvenum. Ruth, iii, 10 : *Benedicta es a Domino, filia, et priorem misericordiam posteriore superasti : quia non es secuta juvenes pauperes, sive divites.* Eccle. xvii, 23 : *In partes vade sæculi sancti, cum vivis et dantibus confessionem Deo.*

Quam etiam benigne se obsequio exhibuit subjungit, dicens :

« Et salutavit Elisabeth. »

Quam enim Dominus in benedictionibus dulcedinis prævenit, ipsa etiam omnes prævenit in salutis officiis. Et ideo quamvis major fuerit omni homine, et major a minore secundum illius terræ consuetudinem consueverit salutari, tamen ut perfecte humilis, inferiori se humiliat : et primo salutatur columbina simplicitate cognatam præveniens in obsequiis charitatis.

Trium autem est signum salutatio, et tribus modis peragitur : verbo scilicet pacis, ut pacificus signetur ingressus : occursu corporis, ut concors in omne bonum notetur affectus : et osculo oris, ut mixtio et unio spiritus in charitate designetur. De primo horum dicitur, Luc. x, 5 et 6 : *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui : et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra.* De secundo dicitur, ad Roman. xii, 16 : *Id ipsum invicem sentientes.* De tertio, Cantic. i, 1 : *Osculetur me osculo oris sui.* Ad Roman. xvi, 16, et II ad Corinth.

xiii, 12 : *Salutate invicem in osculo sancto.*

Sed quare non salutavit Zachariam ? Respondeo : quia adhuc erat propter incredulitatem mutus et surdus. Nec decebat pudorem virgineum cum viro nutibus signorum occupari. Talia enim lasciviam prætendunt.

« Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu sancto Elisabeth :

Et exclamavit voce magna, et dixit : Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.

Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me ?

Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo.

Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino. »

Exposito quam benignam se exhibuit ad obsequendum, deinceps ostendit quam grata fuit ad gratias agendum.

In hoc autem dicit tria. Primo enim narrat Evangelista, qualiter Elisabeth dona gratiarum matris Dei reserat : et secundo, qualiter eadem in congratulatione proposuit : et tertio, quam magnificas Virgo Beata gratias egit.

Adhuc circa primum innuit duo. Dicit enim, quod auditu salutationis Elisabeth prævenit infantem : et secundo dicit, quod sensu præsentiae Dei et matris ejus, infans prævenit matrem. Et hæc sunt Dei mirabilia, quibus magnificavit et mirificavit Joannem.

De primo igitur dicit :

« Et factum est, »

Non quidem casu, sed divina virtute.

Job, v, 6 : *Nihil in terra sine causa fit.* Sicut et Ezechiel, i, 1, exorsus est dicens : *Et factum est.*

« *Ut audivit,* » hoc est, statim postquam auditu sensit, « *salutationem,* » hoc est, salutationis eulogium a Salvatore concepto vim trahens. « *Mariæ Elisabeth.* » Jam enim intra viscera clausum habuit Jesum salutis auctorem, cujus spiritus corporeus cum suo spiritu mixtus, vehiculum fuit verbi et materia vocis : et sic vox illa melliflua influebat auribus Elisabeth. Cantic. ii, 14 : *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis.* Mixtus enim spiritus Filii cum spiritu matris, pro certo gratiam diffudit in labiis, et mel et lac faciebat sub lingua : gratiam quidem ad cor movendum, mel in dulcedine auditus, et lac in desiderio refectionis verbi quod proferebatur. Salutet igitur et loquatur, quia favus distillans sunt labia sua. Salutetur frequenter ut resalutet, quia a se salutantibus erubescit de silentio<sup>1</sup>.

Sic ergo « *ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth,* » miro modo ex virtute Christi in verbo matris factum est, quod in gaudio et sensu præsentiae Dei, « *infans,* » non fari potens, nec liberas vitæ capiens auras, « *exsultavit,* » quod motum corporis sonat ex gaudio cordis procedentem, « *in utero ejus,* » adhuc pendens a radicibus uteri anilis et sterilis.

Attende quam lætus fuit aure in auditu iste infans, qui præsentiam Dei sensit in voce Virginis per aurem suæ matris : et prævenit eam, quæ vocem ipsam ante eum susceperat. Job, iv, 16 et 12 : *Vocem ejus quasi auræ lenis audivi, ... et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.* Joan. iii, 8 : *Spiritus ubi vult spirat : et vocem ejus audis.* Et Joannes quidem scit unde veniat, aut quo vadat, licet hi qui sunt magistri in Israel hoc ignorent. Ex motu igitur exsultationis infantis ad gestum præcursoris, probavit

<sup>1</sup> Eccli. xli, 25.

quam verum sit quod dixit Angelus : *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ*<sup>2</sup>. Et ex hoc etiam uterus sensit qui præsens erat in utero contra quem infans gestivit præcursoris officio. Ecce sic præsentem Deum in utero Virginis cognovit Elisabeth. Non enim Virgo verecunda de se tanta dixisset, nisi ipsa Elisabeth hoc a Deo didicisset. Jerem. xxxi, 34 : *Non docebit ultra vir fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum : omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum.* Isa. lii, 6 : *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.*

Sequitur :

« *Et repleta est.* »

Ecce qualiter proponit, et quid.

Qualiter quidem, quia repleta Spiritu sancto, et clamans.

De primo horum dicit : « *Et repleta est.* » Modus iste repletionis est sicut quando aliquid habetur in habitu, et cum gaudio subito prorumpit in actum. Tunc enim gaudium spiritus diffunditur in corde simul et corpore, et replet pectus et coarctat, ut et ordinate populari non possit. Et hoc quidem aliquando facit anxietas, sed impetuosius facit hoc gaudium. Anxietas quidem facit, sicut Buruch, iii, 1 : *Et nunc, Domine omnipotens, Deus Israel, anima in angustiis et spiritus anxius clamat ad te.* Gaudium autem facit hoc impetuosius, ita quod ad modum jubili prorumpit in vocem. Isa. liv, 1 : *Decanta laudem, et hinni, quæ non pariebas.*

Hoc est ergo quod dicere intendit : « *Et repleta est,* » repletionem premente, « *Spiritu sancto Elisabeth.* » Psal. lxxxix, 14 : *Repleti sumus mane misericordia tua, et exsultavimus, et delectati sumus in omnibus diebus nostris.* Eccli. xxxvi, 16 : *Reple Sion inenarra-*

<sup>2</sup> Luc. i, 15.

*bilibus verbis tuis, et gloria tua populum tuum.* Psal. xv, 10 : *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo : delectationes in dextera tua usque in finem.*

« Et » ideo « exclamavit. »

*Exclamare*, hoc est, conceptum spiritum clamore valido excutiendo prodere : sicut Job, xxxii, 18 et 20 : *Coarctat me spiritus uteri mei.... Loquar, et respirabo paululum.* Sic etiam est quando proditur angustia in clamore : sicut, Daniel. xiii, 24, dicitur, quod *exclamavit voce magna Susanna.* Intensio enim clamoris notat intensionem maximæ devotionis : sicut, Matth. xxvii, 50 : *Jesus, clamans voce magna, emisit spiritum.* Et de clamore in deliciis amoris, Cantic. viii, 6, Dilectus meus clamat ad me : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio.*

« Voce. »

*Vox* dicitur quia cum imaginatione et intentione prolata. I ad Corinth. xiv, 11 : *Si nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus.*

« *Magna,* » quia de magnis. Psal. lxxvii, 34 : *Dabit voci suæ vocem virtutis.*

Mirabilis est virtus vocis, cui spiritus Jesu immixtus est, ut perveniat ad infantem, ut interius formet sermonem, ut extra proferat vocis virtutem, ut in auditu suam ostendat auctoritatem. Pervenit ad infantem hic. Et, Jerem. i, 5 : *Antequam exires de vulva sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te.* Prophetæ autem de Spiritu sancto Dei loquuntur. Quod intus formet sermonem, Psal. lxxxiv, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus,* etc. Et extra etiam profert vocis virtutem, etc. II ad Corinth. xiii, 3 : *An experimentum*

*quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Quod in auditu suam ostendat auctoritatem, Luc. x, 16 : *Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit.* Et ideo dicit ad Moysen, Exod. iv, 12 : *Ego ero in ore tuo.*

Videamus autem quid clamat. Clamat matris Dei benedictionem, honorem, admirationem, et beatitudinem.

Benedictionem quidem duplicem : in se, et in fructu.

Benedictionem in se, dicens :

« *Benedicta tu inter mulieres.* »

Hoc quidem dixerat Angelus : dicit et Elisabeth. Angelus in persona Ecclesiæ triumphantis quam Virgo reparavit : Elisabeth in persona Ecclesiæ militantis, quam mortuam sua benedictione Virgo resuscitavit.

Dicit ergo : « *Benedicta tu inter mulieres,* » hoc est, bonis mulierum præ omnibus addicta est et consecrata. *Mulier* autem dicitur a mollitie molliente herum. Et quia mollis est, rectore indiget sub quo sit. Et ideo virtus mulieris propria, secundum comparisonem ad virum, est humilitas qua subdita sit : in seipsa quia mollis est, virtus tuens mollitiem, est continentia ut casta sit. In comparatione autem ad domum est operositas, ut numquam otiosa sit. Unde Aristoteles dicit in *Rethorica*, quod « bonum mulieris est operositas. » Hæc tria bona præcunctis habuit Virgo Beata : et ideo in mulieribus benedicta. De humilitate quidem habes : *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*<sup>1</sup>. Et Filius, in Matthæo, xi, 29 : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* De castitate, Cantic. ii, 2 : *Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias.* Omnes enim aliæ mulieres spina sunt cruentatæ, sed ipsa sola spinæ nescia. De operositate, Proverb. xxxi, 27 : *Panem otiosa non comedit.* Matth. xx, 6, dicitur de aliis : *Quid hic*

<sup>1</sup> Luc. i, 48.

*statis tota die otiosi?* Multa enim mala docuit otiositas.

« Et benedictus fructus ventris tui. »

Et ideo venter benedictus. Ad Hebr. vi, 7 : *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, et germinans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo.* Hoc est enim germen Domini quod est in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis<sup>1</sup>.

« *Fructus.* » In quo solo fruendum est, hoc est, amore inhærendum propter seipsum. Fructus speciosus in visu, fragrans in olfactu, purissimus in contactu, dulcissimus in gustu, suavissimus in sumptu, pretiosissimus in valore, nobilissimus in munere.

De speciositate fructus, Psal. xlii, 3 : *Speciosus forma præ filiis hominum.* Unde lignum vitæ contra lignum Hevæ, quod erat pulchrum visu, et ad aspectu delectabile<sup>2</sup>. Hic enim fructus lignum vitæ est his qui apprehenderunt eum<sup>3</sup>. Cantic. i, 13 : *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.* Cantic. v, 10 : *Dilectus meus candidus, et rubicundus.*

Fragrans est olfactu, Genes. xxvii, 27 : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Ibidem : *Statim ut sensit vestimentorum fragrantiam illius, benedixit ei.*

De puritate tactus ejus et virtute, Luc. vi, 18 et 19 : *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* Nihil impuritatis est in ipso, sed totum sanum, totum sanans, et ad puritatem reducens.

De suavitate in gustu, Cantic. ii, 3 : *Fructus ejus dulcis gutturi meo.* I Petr. ii, 3 : *Si tamen gustatis quoniam dulcis est Dominus.* Psal. xxxiii, 9 : *Gustate, et videte, etc.*

De pretio valoris, quia datur omnibus

in pretium, Psal. cxxvi, 2 et 3 : *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii, merces, fructus ventris.* Hæreditas nostra est merces Filii intransitive.

Hæc merces quæ est Filius, qui est fructus ventris, nobilis est : quia, Cantic. v, 10 : *Electus est ex millibus.* Genes. xliii, 11 : *Sumite de optimis terræ fructibus, vel frugibus, in vasis vestris, et deferte viro munera, et erit vobis placabilis.* Terra enim uteri virginalis hunc fructum portavit : et ideo beatus uterus.

Sic ergo in medium protulit quod est benedictionis.

Et subjungit quod est honoris, dicens :

« Et unde hoc mihi, etc. »

*Hoc, quo pacto vel debito vel merito vel dignitate?* Prorsus nulla. Et non gloriatur omnis caro coram illa. Sed quod non tibi, o Elisabeth, hoc sibi debetur : quæ quanto major est, humiliat se in omnibus, sequens odorem et sentiens fructum sui ventris, qui dixit, Luc. xxii, 27 : *Nam quis major est qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.* Joan. xiii, 13 et 14 : *Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis : sum etenim. Si ergo ego lavi vestros pedes, Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes.*

Sic exhibens se ad obsequium, jam dicit mater. Ac si dicat illud I Reg. xxv, 41 : *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei.* Inde ergo tibi, o Elisabeth, ut veniat obsecutura mater Domini mei ad te, cujus tu es ancilla : dicente rege David, Psal. cxv, 16 : *O Domine, quia ego servus tuus : ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.* Et idem dicit magnificus Salomon, Sapient. ix, 5 : *Servus tuus sum ego, et*

<sup>1</sup> Cf. Isa. iv, 2.

<sup>2</sup> Cf. Genes. iii, 6.

<sup>3</sup> Cf. Proverb. iii, 18.



*filius ancillæ tuæ.* Si autem sumus servi filii tui, sumus et servi matris Domini nostri. Et quod venit ad nos, suæ humilitatis est, clementiæ, et dignationis.

Hoc igitur est præconium honoris, qui est præmium virtutum ejus apud nos. Honor enim est exhibitio reverentiæ in signum virtutis. Hæc est enim illa mater de qua dicitur, Eccli. xv, 2 : *Obviabit illi quasi mater honorificata.* Et de qua dicitur, Ruth, III, 14 : *Scit omnis populus, ... mulierem te esse virtutis.* Honorem igitur habebimus dominæ et matri nostræ omnibus diebus vitæ nostræ<sup>1</sup>, memores uberum, quibus uberibus fudit lac conceptæ dulcedinis, veniens ad nos in spiritu dulcedinis, veniens ad nos in spiritu humilitatis et in obsequiis pietatis, inebrians nos lacte puritatis et dulcissimæ suæ consolationis.

Et subjungitur id quod est præconium admirationis, dicens :

« Ecce enim ut facta est vox, etc. »

Mixta cum spiritu Verbi tui incarnati et inviscerati, « *salutationis tuæ.* » Hæc enim est vox turturis audita in terra nostra<sup>2</sup>. Cantic. II, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis.*

« *In auribus meis,* » quia vox tua est melos aurium mearum.

« *Exsultavit in gaudio infans in utero meo.* » Admiratione dignum est, quod infans applaudit in utero voci quam Adam timuit in paradiso : sicut dicitur, Genes. III, 10 : *Vocem tuam audivi, ... et abscondi me.* Ille de publico in absconditum fugit et latebras quærit : infans de abscondito in lucem gestit, et omnibus indicare gestit Agnum qui tollit peccata mundi. Ille enim reus formidat judicem cujus præsentiam ferre non potuit. Iste autem conscius sibi de Spiritu sancto, quo plenus fuit : et agnoscebat quod *non misit Deus Filium suum*

*in mundum ut judicet mundum, sed ut mundus salvetur per ipsum*<sup>3</sup>, omnes invitavit ad eum, ut vitam habeant in ipso. Quasi diceret illud Canticorum, II, 9 : *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Paries enim est compago corporis. Fenestra lucis, munditia Virginis. Cancelli rimæ, gratiæ per quas se manifestavit.

« Et beata quæ credidisti. »

Ecce adjungit quod est beatitudinis. Si beatitudo est actus secundum perfectam animi virtutem, ista maxime beata fuit, quæ virtutum et gratia fuit plena, quæ tam prudens, quæ tantæ fidei ut fide mereretur concipere, et fide totius Ecclesiæ fit fundamentum et columna. Credere autem, ut dicit Augustinus, est cum assensu cogitare, et tota devotione inniti credito. Assentiendo enim dixit : *Fiat mihi secundum verbum tuum* : cogitando autem quæsivit modum : devotione autem quæsivit creditum, quando in oratione ad se traxit Verbum, dicens in spiritu illud Canticorum, II, 16 : *Dilectus meus mihi, et ego illi.* Canticorum, VIII, 5 : *Inmixta super dilectum suum.*

Fides autem est, ut dicit Beatus Dionysius, lumen quod locat in credentibus veritatem, et veritas in ipsis locata. Ergo tota in prima veritate innitebatur sapientiæ Dei, quæ Filius ejus est : sicut dicitur, I ad Corinth. I, 24 : *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Sic igitur « *beata quæ credidisti,* » quoniam de veritate contemplando cum admiratione cogitavit : plena fide et veritati assensit, et hac charitate veritatis in oratione devotissime quæsivit, et per conceptum invenit : per cognitionem in ipsa locata fuit, et per assumptionem carnis veritas fuit locata in ipsa. Genes.

<sup>1</sup> Tob. IV, 3.

<sup>2</sup> Cant. III, 12 : *Vox turturis audita est in*

*terra nostra.*

<sup>3</sup> Joan. III, 17.

xxviii, 16 : Vere Dominus est in loco isto. Quia locus iste a Deo factus est inæstimabile sacramentum. Cum enim in corde omnium fidelium locetur veritas, in beata Virgine etiam in ventre locata est. Non demus ergo somnum oculis nostris, neque palpebris nostris dormitationem, donec inveniamus locum Domino, tabernaculum Deo Jacob <sup>1</sup>.

Ecce beata quæ credidit.

« Quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino.

Video quod fides est fundamentum rerum sperandarum <sup>2</sup>. Fundamentum autem in corde Mariæ nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus, ut dicit Ambrosius. Hæc est fides Christi Jesu. Eccli. xxvi, 24 : *Fundamenta æterna supra petram solidam*, scilicet immobilis veritatis. Quidquid desuper ædificatur stabit in æternum.

« *Perficientur igitur quæcumque dicta sunt ei a Domino.* » Quænam autem sunt illa? Quænam, inquam, quæ non sunt jam vere impleta? Ecce gratia plena est. Dominus secum est, et in mente, et in ventre. Benedicta in mulieribus benedictum fructum ventris bajulat. Quid igitur adhuc restat? Certe omnia restant sacramenta nostræ redemptionis. Quæ quamvis dicta non sunt ab Angelo, tamen a Prophetis sunt prædicta et ab Angelorum illuminatione comparata. Numer. xxiii, 19 : *Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? locutus est, et non implebit?*

Omnia ergo perficientur quæ dicta sunt ei a Domino. Perfectum autem est, cui nihil deest, ut dicitur in III *Physicorum* Nihil autem est quod locutus est, quod non factum sit. Isa. xxxiv, 16 :

*Requirite diligenter in libro Domini, et legite : unum ex omnibus non defuit, alter alterum non quæsit.* Matth. v, 18 : *Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Et, Mich. vi, 3 : *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi?* Et, Isa. v, 3 et 4 : *Habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam, quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei?* Perfecta igitur sunt omnia quæ dicta sunt ei a Domino de se, et de nobis, et de ipso. Et ideo, Joan. xix, 30, in cruce pendens dixit : *Consummatum est.*

Demus ergo magnificentiam Deo nostro, quia perfecta Dei sunt opera redemptionis, sicut perfecta sunt opera creationis. Et speramus quod ita perficientur opéra glorificationis : *ut occurramus omnes... in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi* <sup>3</sup>. Et cum ea cui dicta sunt perficienda, gratias agamus, dicentes :

« Et ait Maria : Magnificat anima mea Dominum. » 40

Tandem jam per multa victus est pudor virginalis, jam effluit tota in gratiarum actione. Cum enim jam in publicum propositum sit a cognata, de benedictione præ omnibus mulieribus recommendata, de benedictione fructus ventris omnibus Gentibus danda, de dignitate matris Domini omnium creaturarum, de effectu vocis mixtæ cum Spiritu Filii eum qui fere nondum fuit excitante ad gaudium et præcursum, de magnitudine fidei et beatitudine ipsius tam ulterius non ferens seipsam, ne ingrata reputetur ad Dei dona.

« *Et,* » ut exemplo suo excitet alios ad gratias agendum. Quasi dicat : *Ma-*

<sup>1</sup> Cf. Psal. cxxxv, 4 et 5.

<sup>2</sup> Ad Hebr. xi, 1 : *Est fides sperandarum sub-*

*stantia rerum, etc.*

<sup>3</sup> Ad Ephes. iv, 13.

*gnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum* <sup>1</sup>.

« *Ait Maria.* » Eccli. XLVII, 12 : *De- dit, scilicet in hoc cantico, in celebrationibus decus, et ornavit tempora usque ad consummationem vitæ.* Usque hodie enim et in æternum cantatur hoc canticum in honorem ipsius in laudibus vespertinis. Concinuit enim altera Maria canticum, quando transierunt filii Israel de manu Pharaonis liberati <sup>2</sup>. Concinuit Debora, quando liberati sunt de manu Sisaræ <sup>3</sup>. Hæc igitur non cantabit liberatorem enixa, qui per Mare rubrum eduxit in baptismo, de Pharaone, hoc est, de diabolo liberavit ? Cantabit certe et dignius aliis, qui figuram hujus sacramenti tantum decantaverunt. Cantavit item Moyses legem donans, et per canticum populum ad servantam legem contestans <sup>4</sup>. Cantavit et Anna Prophetam fidelem generans <sup>5</sup>. Dignius autem et cāntat Maria, quæ et legislatorem protulit et Dominum Prophetarum. Judic. v, 3 : *Ego sum, ego sum quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel.* Cogitavit enim quod dicitur, Eccli. xxxii, 14, quod est verecundia adducens gloriam <sup>6</sup>. Et hanc haec in taciturnitate tenuit. Et quod est verecundia adducens ignominiam, quæ claudit os a confessione laudis : et hanc ulterius tenere noluit.

« *Et* » ideo, aperiens os suum, « *ait Maria.* » Sapient. x, 21 : *Sapientia aperuit os mutorum, dum in corde conciperetur, et linguas infantiam fecit disertas.* Quanto magis sapientia Verbum in carne factum, reserabit os matris in laudem Dei decantantis ? Quæ umquam fuerunt nuptiæ tam solemnes, in quibus non cantaretur epithalamium ? Nubere enim non potuit caro gloriosius, maritari noluit Verbum Patris altius. Mater ergo

sponsi, quæ simul etiam thalamus est, digne cantabit.

Ait ergo Maria cantando :

« *Magnificat anima mea Dominum.* »

Duo autem facit in hoc cantico. Dicit enim modum laudis divinæ, et materiam.

Modum autem exprimit in duobus : in laude, et exultatione.

In laude quidem tangit tria : modum laudis, quid in ea potissimum laudet, et quid laudatur.

Modus autem laudis exprimitur, cum dicitur : « *Magnificat anima mea,* » hoc est, laude extollit magnifica. Eccli. XLIII, 33 : *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : major est enim omni laude.*

Magnificatur autem Dominus quinque modis : laude scilicet, opere, profectu virtutis in nobis, et membrorum augmentatione, et miraculis.

De magnificatione laudis est in excellentia suæ bonitatis, Psal. LXVIII, 31 : *Laudabo nomen Dei cum cantico, et magnificabo eum in laude.* De operibus, Eccli. xviii, 3 : *Quis investigavit magnalia ejus ? Non est minuere, neque addere, neque investigare magnalia ejus.* De profectu virtutis in nobis, ad Philip. I, 20 et 21 : *In omni fiducia sicut semper, et nunc magnificabitur Dominus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem. Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum.* Et hoc est quod dicit Ambrosius : « Magnificatur, non quod humana « vox ei aliquid adjungat, sed quia magnificatur in nobis. » De magnificatione, quæ est in membrorum augmentatione, dicit Isaias, xxxiii, 5 : *Magnificatus est Dominus, quoniam habitavit in*

<sup>1</sup> Psal. xxxiii, 4.

<sup>2</sup> Cf. Exod. xv, 20 et seq.

<sup>3</sup> Cf. Judicum, v, 1 et seq.

<sup>4</sup> Cf. Deuter. xxxii, 1 et seq.

<sup>5</sup> Cf. I Reg. ii, 1 et seq.

<sup>6</sup> Eccli. iv, 25 : *Est confusio adducens peccatum : et est confusio, scilicet verecundia, adducens gloriam et gratiam.*

*excelso : implevit Sion iudicio et justitia.* Hæc autem augmentatio fit, quando fideles et populus Deo serviens numero augetur et merito. Psal. xxxiii, 4 : *Magnificate Dominum mecum.* De magnificatione in miraculis est, quando mirabilia ejus prædicantur : maxime mirabilia quæ in Incarnatione. Daniel. iii, 99 et 100 : *Signa et mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa ejus, quia magna sunt : et mirabilia ejus, quorum non est numerus, quia fortia.* Job, v, 9 : *Qui facit magna, et inscrutabilia, et mirabilia absque numero.*

Igitur his quinque modis magnificat

« Anima mea. »

Anima autem est pars animæ quæ animat corpus vegetando et sensificando : a quo etiam dicitur *animalitas*. Hæc enim in gloriosa Virgine et beata principaliter magnificat : quia in animalitate illa, in visceribus ejus fovetur et nutritur et crescit secundum quantitatem corporalem. Et ideo etiam licet spiritus pars animæ dignior sit, tamen in hoc conceptionis sacramento, anima est conjunctio Verbo incarnato, et ideo plus inducitur laudans. Psal. cii, 1 : *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus : sanguis, viscera, et totum quod intrinsecus latet.* Anima enim est actus corporis, operans ut foveatur et nutriatur et coalescat et crescat sanctus iste conceptus. Isa. xxvi, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Hæc est enim anima principium vitæ et causa : sicut dicit Aristoteles in libro II de *Anima*, quæ jam vitam et fontem vitæ fovet et nutrit. Deuter. vi, 5 : *Diliges Dominum Deum tuum... ex tota anima tua, o Virgo beata : ut totum ad conceptum in te Deum referas vitam tuam.*

<sup>1</sup> Ad Philip. ii, 7.

Sic ergo, *Magnificat anima mea.*  
Et quem ?

« Dominum. »

Præter alias Domini proprietates duas tangit Dionysius, quod videlicet dominationis incessanter appetitivus, et quod numquam dominatio legitur missa ad exterius ministerium aliquod. Neque est ambitionis, quod dominationem vere Dominus existens appetit : quia dominatio sibi naturalis est : et caderet a natura, si scabellari appropinquaret subjectioni, vel servili conditioni se subjiceret. Adhuc autem si exterioribus ministeriis occuparet se, altero quodam superiore ad exteriora ministrando mitteretur : et sic Dominus non superponeretur. Si ergo hæc in angelicis dominationibus et hominum ita se habent, pensandum est quantæ dignationis sit, quod Dominus majestatis quasi dominationis oblitus, formam servi induit, et in extremis et humillimis servitiis servis suis ministravit. Omni laude profecto dignus est, *qui semetipsum exinanivit formam servi accipiens,...* et habitu inventus ut homo est <sup>1</sup>. Ultra quam lingua exprimere potest magnificandus, qui cum major esset, et ut Dominus recumbere deberet, erat in medio nostrum *sicut qui ministrat* <sup>2</sup>. Et forte magnalia hujusmodi humilitatis notans, dicit :

« *Magnificat anima mea Dominum.* »

Plus enim potest anima cogitatu quam lingua effatu. Lingua autem dignam laudem his magnalibus referre non potest, neque etiam anima. Sed efferentes anima, nihil habemus in nobis quod aliquid amplius possit. Quis enim digna laude efferat Dominum majestatis, carnis sacco indutum, obsequio humili humiliatum, morte mactatum, et corpore turpatum ? Eccli. xlvi, 29 : *Multa dicemus et deficiemus in verbis : consummatio autem sermonum ipse est in omnibus.*

<sup>2</sup> Luc. xxii, 27.

Sic igitur, « *Magnificat anima eam Dominum.* »

47 « Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo. »

Tangit hic modum laudis et cantici. In jucunditate enim hoc canticum editum est, et cum exsultatione spiritus prolatum : sicut dicit Apostolus : *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino*<sup>1</sup>.

Dicit autem et hic tria : modum videlicet laudis ex parte laudantis, et quid in ea laudat, et quid potissimum in Domino laudatur.

Laudis quidem modus est exsultationis, ut exsultatio sit quædam exsultatio in júbilo, cum cordis gaudium saltat in corporis jucunditatem. Tunc patet quod exsultare spiritum, est jucundari spiritum, etiam in tripudio corporis. Zachar. ix, 9 : *Exsulta satis, filia Sion : júbila, filia Jerusalem : ecce rex tuus veniet tibi justus, et salvator.* Psal. cxlix, 5 : *Exsultabunt sancti in gloria.* Et, infra, y. 6 : *Exaltationes Dei in gutture eorum.*

Et quid exsultabit? « *Spiritus,* » inquit, « *meus.* » « Spiritus, ut dicit Ambrosius, est pars mentis nostræ superior, « quæ ad imaginem Dei est insignita. » Hæc ergo pars merito exsultat, suscipiens eum qui *est imago Dei invisibilis*<sup>2</sup> : per quem cum imaginem nostram assumpserit, et ipsa spiritus imago erit reformanda. Sicut dicitur, Job, xxxiii, 23 et 24 : *Si fuerit pro eo Angelus loquens, unus de millibus, ut annuntiet hominis æquitatem : miserebitur ejus, et dicet : Libera eum, ut non descendat in corruptionem.* Et hanc auctoritatem jam superius exposuimus : et ideo transimus. Isa. lxi, 10 : *Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo.*

<sup>1</sup> Ad Ephes. v, 19.

« In Deo salutari meo. »

« *In Deo,* » inquit, « *salutari meo.* » Ac si diceret : In Deo Jesu meo : quia Jesus *salvator*, vel *salutaris* interpretatur. Ipse enim est qui imaginem reformando a peccatis salvat. Habacuc, iii, 18 : *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo.*

Sequitur :

« Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. »

48

Hic beneficia commemorat, quæ extollendo laudat.

Et primo quædam specialia, secundo generalia ponit, et tertio ponit ea quæ pertinent ad veritatem promissam de Incarnatione.

De se autem specialiter dicit duo. Unum quidem quod est in ipsa per humilitatis meritum : secundum autem, quod est in Domino per potentiæ divinæ effectum. Id autem quod est in ipsa per humilitatis meritum, est prædicatio suæ beatitudinis : secundum autem quod est in ea per potentiæ effectum, est operatio magnitudinis per nomen sanctitatis.

Circa primum dicit duo : respectum videlicet meriti, et per congruitatem adaptationem præmii.

De respectu meriti dicit : « *Quia respexit humilitatem.* »

Et dicit tria : respectum divini beneplaciti, et acceptationem meriti, et talis meriti devotissimam exhibitionem.

Sic continua : *Magnificat anima mea Dominum. Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo,* quia omnem sic contentem Deo excitat aliquod bonum divinum : ideo et ego cano.

« *Quia* » Dominus Deus salutaris meus « *respexit,* » oculo beneplaciti sui approbando. Sic, Genes. iv, 4 et 5 :

<sup>2</sup> Ad Coloss. i, 15.

*Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus. Ad Cain vero, et ad munera illius, non respexit, sed potius eum et munera ejus despexit.*

Attende, quod *respicere* est visum in id quod posterius relictum est reducere. Humana enim natura post tergum Dei relicta fuit post ejectionem Adæ de paradiso (ubi in præsentia Dei relicta fuit, et oculos suos ibi super ea posuit) : nunc autem per beatæ Virginis humilitatem visum super eam reduxit : misericordiæ primo, et gratiæ consequenter, et beneplaciti tertio, et deinde oculos quasi fixos super eam firmavit. Misericordia enim primo ad nos faciem Dei convertit. Gratia quæ gratos fecit, intueri nos fecit. Beneplacitum autem quod est placens voluntas, oculos in nobis ne iterum averterentur tenuit. Suffragium vero Virginis in nobis eos fixit et firmavit. De primo dicit David, Psal. xxiv, 16 : *Respice in me, et miserere mei.* De secundo, item in Psalmo lxxxiii, 10 : *Protector noster, adspice, Deus, et respice in faciem Christi tui,* hoc est, uncti chrismate gratiæ. De tertio, item in Psalmo lxxviii, 18 : *Ne avertas faciem tuam a puero tuo.* Et, Isa. lxiv, 9 : *Ecce, Domine, respice, populus tuus omnes nos.* De quarto, adhuc in Psalmo xxxi, 8 : *In via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.*

Aliter enim Dominus respicit communiter homines, aliter obstinatos, aliter pœnitentes, et aliter perfectos sive electos.

Communiter enim omnes respicit, gressus eorum discutiendo, Cantic. ii, 9 : *En ipse stat post parietem ostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Paries enim corpus est, post quem solus in rectitudine stetit. Cancelli sunt rimæ luminis, quibus conscientias illustrat. Fenestra, illustrationes apertæ quibus opera ponderat et manifestat.

<sup>1</sup> Apocal. i, 14.

<sup>2</sup> Luc. vii, 37.

Obstinatos autem respicit condemnando, iratum vultum ad eos convertendo. Exod. xiv, 24 et 25 : *Jamque advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum ; et subvertit rotas carruum, ferebanturque in profundum.* Et de hoc respectu dicit Habacuc, i, 13 : *Quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiore se ?*

Pœnitentes autem respicit respectu misericordiæ, dissolvendo glaciem cordis eorum, Luc. xxii, 61 et 63 : *Conversus Dominus respexit Petrum : ... et egressus foras Petrus, flevit amare.* Nec mirum quia oculi Domini sunt sicut flamma ignis <sup>1</sup>, et a facie ignis dissolvitur glacies. Psal. lxxvii, 3 : *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.*

Electos autem et perfectos respicit oculo beneplaciti sui, Sapient. iv, 15 : *Respectus ejus in electos illius.* II Reg. xix, 38 : *Mecum transeat Chamaan, hoc est, transmutatus, et ego faciam ei quidquid tibi placuerit, etc.*

« Humilitatem. »

Non dicit : Castitatem : quia sicut dicit Augustinus in libro de *Sancta virginitate* : « Plus humilitas virginis quam castitas placuit, quando cum humilitate ea quæ non casta fuit placuit : « sicut mulier quæ erat in civitate peccatrix <sup>2</sup>. » Numquam autem placuit castitas sine humilitate. Unde virgines latuæ vanitate superbiæ evanescentes displicuerunt <sup>3</sup>. Humilitas autem ab *humo* dicitur, eo quod se in humum in infimo prosternit. Spernit enim mundum, spernit nullum, spernit sese, spernit se sperni. Unde beatus Malachias versu :

<sup>3</sup> Cf. Matth. xxv, 12.

Spernere mundum, spernere nullum, spernere  
[sese,]  
Spernere se sperni : quatuor hæc bona sunt.

Et ideo dicit Beatus Bernardus : « Ve-  
« rus humilis vilis vult reputari, et non  
« humilis prædicari. » Hoc solo sane su-  
perbit quod laudes contemnit.

De contemptu mundi, Isa. xxxvii, 22 :  
*Despexit te, ... virgo filia Sion : post te  
caput movit, filia Jerusalem.*

De hoc quod nullus spernatur, Isa.  
lviii, 7 : *Carnem tuam ne despexeris.*  
Ad Roman. xiv, 10 : *Tu quare spernis  
fratrem tuum?*

De contemptu suiipsius, ad Philip. ii,  
7 : *Semetipsum exinanivit, formam ser-  
vi accipiens.*

Quod autem et contemnat se contem-  
ni, I ad Corinth. iv, 3 : *Mihi pro minimo  
est ut a vobis judicer, aut ab humano  
die.* Psal. lxi, 6 : *Qui hominibus placent,*  
hoc est, placere intendunt, *confusi sunt,*  
*quoniam Deus sprevit eos.* Ad Galat. i,  
10 : *Si adhuc hominibus placerem, hoc  
est, placere quærerem, Christi servus  
non essem.*

Hæc fuit gloriosæ Virginis humilitas,  
quæ mundum sprevit, et ideo cultum  
muliebrem non quæsit<sup>1</sup>. Quæ nullum  
sprevit, quia omnibus matrem pietatis  
se exhibuit. Psal. lxxxvi, 7 : *Sicut læ-  
tantium omnium habitatio est in te.*  
Quæ se sprevit, et ideo se inferiori ser-  
vituram exhibuit, I Reg. xxv, 41 : *Ecce  
famula domini mei.* Sprevit se sperni, et  
ideo castitatem vovit, quæ in lege impro-  
perio et maledicto subjacebat. Unde Eli-  
sabeth dixit : *Quia sic fecit mihi Domi-  
nus, in diebus quibus respexit auferre  
opprobrium meum inter homines*<sup>2</sup>.

Sic ergo « respexit humilitatem. »

Modus autem quo humilitatis meritum  
exhibuit jungitur, quando dicit :

« Ancillæ, »

Quæ ad omnem nutum parebat et cir-  
cummovebatur, ad omne obsequium Do-  
mini parata. Et hoc est quod dicitur,  
Cantic. v, 14 : *Manus illius tornatiles  
aureæ, plenæ hyacinthis.* Aurum enim in  
manibus splendorem divinæ sapientiæ si-  
gnificat in operibus : tornatilitas, obe-  
dientiam volubilem ad omne signum vo-  
luntatis : hyacinthi (qui cœlestis sunt) in  
omnibus his cœlestem intentionem. Ecce  
vere ancilla Domini, sapiens in ordine  
obsequii, volubilis in celeritate ministe-  
rii, et omnino cœlestis intentione.

Respexit ergo humilitatem ancillæ  
« suæ. » Pro certo in qua nihil juris in-  
venit alienus. Unde confidenter dicit il-  
lud Genesis, xxxi, 37, ad diabolum, et ad  
mundum : *Quid invenisti, scilicet in me,  
de cuncta substantia domus tuæ?* Et  
illud Joannis, xiv, 30 : *Venit enim prin-  
ceps mundi hujus, et in me non habet  
quidquam.*

Et ideo congruum hujus meriti sequi-  
tur præmium.

« Ecce enim ex hoc beatam. »

Tangit autem circa hoc quatuor : evi-  
dentiam, causam, præmium, et a quibus.

Evidentiam tangit cum dicit : « Ec-  
ce : » quia jam pignus et arrham in ute-  
ro clausit. Cantic. iii, 11 : *Egredimini  
et videte, filix Sion, regem Salomonem  
in diademate quo coronavit illum mater  
sua, hoc est, in carne coronata cum la-  
pide pretioso virtutis : in die desponsa-  
tionis illius, quando sibi nostram natu-  
ram desponsavit : et in die lætitiæ cordis  
ejus, quo in utero tam florifero tam de-  
lectabiliter quievit.*

« Ex hoc, » hoc est, ex nunc : vel,  
« ex hoc, » hoc est, ex isto humilitatis  
meæ merito. Cantic. i, 11 : *Dum esset  
rex in accubitu suo, nardus mea dedit  
odorem suum.* Nardus enim humilis est  
frutex, optimi odoris, et redolentiam sig-  
nificat humilitatis. Odorem enim secutus

<sup>1</sup> Cf. Esther, ii, 16.

<sup>2</sup> Luc. i, 25.

rex cœlestis in accubitu uteri delectatus est, ita ut seipsum exinaniret.

« Beatam me dicent, »

Hoc est, nominabunt. Et ideo, sicut secundum Poetas *tonans* nominatur Jupiter : et Paulus secundum Sanctos intelligitur, cum dicitur *Apostolus* : ita cum dicitur Beata Virgo, intelligitur *mater Dei*. Nec aliter est nominanda quam Beata Virgo, ex quo ipsa sibi hoc nomen dicit ab omnibus deberi.

*Beata* igitur dicitur : quia quatuor sunt *Beati* diffinitiones, quas omnes sibi Beata Virgo singulariter vindicavit. Dicit enim Tullius, ut dicit Augustinus, quod « Beatus est, cui omnia optata succedunt. » Augustinus autem dicit, quod « Beatus est, qui habet omnia quæ vult, et nihil mali vult. » Aristoteles autem dicit, quod « Beatus est habens actus secundum perfectam animi virtutem. » Boetius autem in libro de *Consolatione philosophiæ* dicit, quod « Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. »

*Beata* igitur hæc sola fuit, cui omne quod voluit, in uno solo volito et læto ad votum successit. Psal. LXXII, 23 : *Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram?* Quasi diceret : Nihil.

Hæc etiam fuit quæ nihil umquam mali voluit, et ideo numquam peccavit : quia voluntas mala causa est peccati, sicut dicit Augustinus. Et ideo, Cantic. v, 2, dicitur immaculata columba, et tota formosa<sup>1</sup>. Habens ergo omne quod vult, et nihil mali volens, beata est Virgo.

Hæc sola est etiam, quæ secundum perfectam animi virtutem semper operata est : quia aliter in vacuum plenitudinem gratiæ accepisset. Contra quod dicitur, II ad Corinth. vi, 1 : *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiamus.*

<sup>1</sup> Cantic. v, 2 : *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, etc.*

*Et ideo dicta est gratia plena, quia gratiam in omni virtute animi ad perfectum eduxit. Et ideo dictum est ei, quod perfecta sunt ea quæ dicta sunt ei a Domino.*

Hæc etiam sola fuit, quæ omnium bonorum congregatione statum habuit perfectum : quia præter bonam quæ clausit in utero, virgo fuit et mater, virgo et matrona sancto matrimonio juncta, quod sanctissimum fuit pari voto continentium et vidua : postea tamen commissa fuit Joanni Apostolo<sup>2</sup>. Proverb. xxxi, 29 : *Tu supergressa es universas.* Psal. XLIV, 10 : *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, fulgore divinitatis circumamicta. Beatificatur Virgo ab omnibus hominibus, varietate omnium bonorum congregatione perfecta.*

Merito igitur eam simpliciter et universaliter dicent *beatam*.

« Omnes generationes. »

Cum enim Dominus salutem nostram operatus sit in ipsa, tamquam in medio terræ operatus est eam. Ipsa enim medium terræ dicitur : proprietate illa medii, qua ad ipsam omnia extrema sicut ad reparatricem respiciunt. Cœlestium quidem generatio, quia per eam quæ in cœlo corruerant sunt restaurata. Terrestrium vero, quia omnes qui veniunt ab Oriente et Occidente et ab Aquilone et Meridie, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob in regno cœlorum<sup>3</sup>, sunt reconciliati. Infernorum autem, quia tam in his qui in limbo patrum Christum expectabant, quam in illis qui in purgatorio continuo purgantur, per ipsam sunt a captivitate reducti. Unde ipsa est mulier quæ in cœlo amicta sole apparuit in splendore divino, et coronam duodecim stellarum, hoc est, claritatis Sanctorum restauratæ ruinæ habuit in capi-

<sup>2</sup> Joan. xix, 26 et 27.

<sup>3</sup> Matth. viii, 11.



te<sup>1</sup>. Ipsa est item, quæ in mundo gratia plena effulsit: de qua dicitur, Ruth, III, 11: *Scit omnis populus, ... mulierem te esse virtutis*. Ipsa est, de qua ejulantes clamant apud inferos dæmones: *Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor*, qui diabololum significat<sup>2</sup>.

Vel adhuc, « *Omnes generationes* » virorum, mulierum, conjugatorum, virginum et viduarum, viventium, morientium, et mortuorum.

Virorum enim generatio dicit beatam: quia ad viros per eam propagata benedictio, sicut per primam matrem maledictio. Etenim sicut dixit vir: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno*, scilicet vetito, et comedi<sup>3</sup>: ita nunc dicat: *Mulier quam dedisti mihi dominam, dedit mihi lignum vitæ, et maledictum primum ademit*. Sic enim dicitur, Eccli. xxvi, 1: *Mulieris bonæ beatus vir*. I ad Corinth. vii, 14: *Sanctificatus est vir infidelis*, scilicet nimium incredulus verbis conjugis, *per mulierem fidelem*, in qua perfecta sunt quæcumque dicta sunt ei a Domino.

Mulierum autem generatio beatam dicit, quia per eam liberata est a maledictionis opprobrio. Genes. xxx, 13: *Hoc pro beatitudine mea: Beatam quippe me dicent mulieres*.

Virginum generatio dicit beatam: quia Virgo virginum est, et flos florum, florem servans pudicitiae, quæ numquam emarcuit. Cantic. vi, 8, secundum antiquam translationem: « *Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt*<sup>4</sup>. »

Viduæ autem prædicant beatam in Annæ persona, Luc. II, 38: *Anna confitebatur Domino, et loquebatur de illo*.

Conjugatæ autem in persona Elisabeth clamant: « *Beata quæ credidit, quoniam perficientur a Domino quæ-*

*cumque sunt dicta*<sup>5</sup>. » Omnes enim fuerunt filiae suæ per gratiam, quas visceribus charitatis progenuit, et visceribus carnis redemptorem edidit.

Beatam dicent, Proverb. xxxi, 28: *Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt*: ecce generatio morientium. Generatio enim viventium est, de qua dicitur in Psalmo xxvi, 13: *Credo videre bona Domini in terra viventium*. Hæc ergo beatam dicit, quia decus cæleste et similitudinem immortalis vitæ in terra moriens cœlibatum ostendit. Matth. xxii, 30: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cælo*.

Generatio autem mortuorum beatam dicit, quæ suæ beatitudinis fructum et gustum etiam in inferno gustavit: cum Christus in plenitudine divinitatis descenderet ad inferos. Isa. ix, 2: *Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis*. Unde hæc est mulier de qua dicitur, Proverb. xxxi, 18: *Gustavit, et vidit quia bona est negotiatio ejus: non exstinguetur in nocte lucerna ejus*.

Unde, Judith, xv, 10 et 11, dicitur: *Tu gloria Jerusalem*, et hoc dicunt hi qui sunt in patria: *Tu lætitia Israel*, et hoc dicunt qui adhuc sunt in via: *Tu honorificentia populi nostri*, et hoc dicit generatio mulierum: *Quæ fecisti viriliter*, et hoc dicunt qui redempti sunt ab inferis, quos a captivitate absolvit: « *Eo quod castitatem amaveris*, et hoc dicunt virgines: *Et post virum tuum alterum nescieris*, et hoc dicunt viduæ.

Vel sic: Dixit Dominus ad Abraham, quod servituum sit genus suum quadringentis annis in terra non sua: *generatione autem quarta revertentur huc*<sup>6</sup>. Reductores de servitute Ægyptiaca fuerunt de tribu Levi: Moyses, et Aaron. Et ideo quatuor generationes secundum

<sup>1</sup> Cf. Apocal. xii, 1.

Judith, xiv, 16.

<sup>3</sup> Genes. III, 12.

<sup>4</sup> Vulgata habet, Cantic. vi, 8: *Viderunt eam*

*filiae, et beatissimam prædicaverunt*.

<sup>5</sup> Cf. Luc. I, 45.

<sup>6</sup> Cf. Genes. xv, 16.

tribum Levi computatæ, significant omnes generationes de servitute diaboli liberatas. Levi ergo genuit Chaat. Chaat genuit Amram. Amram genuit Aaron. Aaron genuit Eleazar. Intravit autem in Ægyptum Chaat cum patre suo Levi : et Aaron cum filio suo Eleazar exivit de Ægypto. Erant ergo generationes quatuor, Chaat, Amram, Aaron, Eleazar. Chaat vero *dolens* interpretatur, qui significat pœnitentes : Amram *pater excelsus*, qui significat innocentes : Aaron *montanus*, qui figura est Prælatorum : Eleazar *separatio Domini*, qui significat jam beatos a miseria separatos. Et hæ omnes generationes beatam dicunt. Ipsa enim est spes veniæ dolentium et expiantium peccata in mundo. Et in inferno ponent exemplum, miraculum Theophili, quem per veniæ gratiam reformavit. Excelsi autem in gratia innocentes, habent eam canalem gratiæ, qua a peccato custoditi sunt. Eccli. xxiv, 41 : *Sicut aquæductus exivi de paradiso*. Prælati venerantur ut Dominam, cui nihil negatur a summo pastore Filio. III Reg. ii, 20 : *Pete, mater mea : neque enim fas est ut avertam faciem tuam*. Beati refundunt in eam, sicut in causam suæ beatitudinis, gloriam. Psal. viii, 2 : *Elevata est magnificentia tua*, hoc est, magnificata mater tua, *super cælos, Deus*.

Sic ergo *beatam me dicent omnes generationes*, dicit Virgo Beata.

49 « Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. »

Hic tangit quod est in ipsa per divinæ potentiæ effectum.

Dicit autem tria. Primo, tangit effectum : secundo, potentiæ facientis modum : tertio, laudem secundum nomen Dei sanctum.

Sic ergo continua : *Magnificat* ideo

*anima mea Dominum*, « *Quia fecit mihi magna.* »

Vel, ideo *beatam me dicent omnes generationes*, « *Quia fecit mihi magna.* » II Machab. i, 11 : *De magnis periculis a Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi*. Et hoc quantum ad continuationem primam. Quantum autem ad secundam, Psal. xcvi, 4 : *Magnus Dominus, et laudabilis nimis*, scilicet in civitate Dei nostri : quæ tota matrem veniæ, gratiæ, et gloriæ beatam dicit.

Hic ergo qui potens est, fecit mihi magna. Et quænam magna fecit in humili ancilla ? Magna quidem quantitate gratiæ, majora vero per administrationem virtutis angelicæ, maxima autem per mirabilia virtutis divinæ.

Magna autem in quantitatem gratiæ perfecit quatuor. Perfecit in utero sanctificationem, in virtute perfecit vitæ puritatem, in voto primam virginitatis oblationem : et quod omnibus majus est, in tot bonis humilitatis profunditatem.

Secundum primum est ipsa arca de lignis setim perfecta<sup>1</sup>, quæ sunt ligna spinæ albæ imputribilia et incombustibilia, sicut dicunt Sancti. Spina enim alba, est compungens pœna sine culpa. Nigra enim spina, est pœna cum culpa. Quamvis enim culpam traxerit, tamen ante ortum ejus ex utero, spina per sanctificationem dealbata fuit, imputribilis per libidinem contractam, incombustibilis per concupiscentiam alienam.

Quantum autem ad vitæ puritatem, dicitur, Cantic. iv, 11, quod odor vestimentorum ejus est sicut odor thuris quo thurificatur Deo : quia tota conversatio ejus in odore Domini fragrabit cultus et devotionis.

De voto autem virginitatis intelligitur hoc quod dicitur in Psalmo xlv, 15 : *Adducentur regi virgines post eam* : quia ipsa prima fuit : et exemplo ejus post eam secutæ sunt aliæ quæ se offerunt in templum regi Domino.

Cf. Exod. xxv, 40.

De profundo humilitatis in tot bonis, intelligitur hoc quod dicitur, Cantic. II, 1, sicut lilium convallium<sup>1</sup>. Valles enim humiles sunt: convalles autem profundæ et humiles. Psal. LXIV, 14: *Valles abundabunt frumento*, quia in vallibus multiplicavit humilitatem ipsius: seminatum est granum illud frumenti quod de cælo descendit: et sicut germen Domini in omnem justitiæ frugem abundavit, ita quod omnes Ecclesiæ jam albæ sunt ad messem.

Per angelicam etiam administrationem fecit quatuor magna, vel etiam majora: magnum videlicet salutationis, magnum confortationis, magnum annuntiationis, et magnum expeditionis suæ quæstionis. Salutationis quidem, quando ingressus Angelus salutavit eam in signum pacis: confortationis, quando trepidantem confortavit in signum specialis amoris: magnum annuntiationis, in signum sublimis honoris: magnum expeditionis quæstionis, in signum altissimæ admirationis.

Primum significatur per olivam speciosam in campis<sup>2</sup>. Sic enim fundit pinguedinem pacis in omnes, in tota latitudine campi habitantes.

Quoad secundum, exaltata est quasi palma in Cades<sup>3</sup>. Cades autem *sancta* interpretatur. Palma autem viatorum est signum, quia confortata et vicit, et sanctitatem perpetuæ gratiæ invenit. Quod signum fuit specialis amoris.

Quoad tertium, exaltata est *quasi plantatio rosæ in Jericho*<sup>4</sup>, quia per illud jam rosa fulgoris æterni rubens sanguine plantari jam incipit in defectibus nostris. Jericho enim interpretatur *defectus*.

Quoad quartum, exaltata etiam est *quasi platanus juxta aquam in plateis*<sup>5</sup>. Platanus procera et celsa est ar-

bor: et significat, quia omnes transeuntes plateas Scripturarum latas, juxta aquas intelligentiæ Spiritus sancti, altitudinem mirantur hujus mysterii (quod auditum et cognitum est) in exemplo quæstionis Virginis. Unde Augustinus non satiabatur illis diebus præ dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilii divini super salutem humani generis<sup>6</sup>.

Magna igitur et alta, et ideo majora fecit ei Dominus.

Maxima autem fecit sibi per seipsum, in Spiritus divini superventione, in virtutis Altissimi obumbratione, in Filii incarnatione, in sui in omnibus his in integritate conservatione. Magnum enim est, quod Spiritus quoad dona gratiarum in aliquem venit: majus, quod per seipsum: maximum autem, quod de supernis mirabilibus venit ad istius sacramenti effectum.

Quantum ergo ad primum, quod est in Spiritus superventione, dicitur, Eccli. XXIV, 21: *Quasi balsamum non mistum odor meus*. Per balsamum enim quod in toto redolet, significatur sancti Spiritus unctio, quæ in toto redolentiam ponit unctionis spiritualis. Isa. LXI, 1: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me*.

Quantum autem ad umbrationem virtutis Altissimi, dicitur, Eccli. XXIV, 21: *Quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam*. Habitatio enim illa fuit uterus ipsius, numquam incisus, sed integer et intemeratus Libanus, qui *candidatio* interpretatur. Umbra enim illa in candore custodivit, et virtus evaporans suavitatem in fragrantia.

Quantum ad tertium dicitur, ibidem, v. 23: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*. Ipsa enim est terra, in qua vitis illa plantata est, quæ dicit:

<sup>1</sup> Cant. II, 1: *Ego flos campi, et lilium convallium*.

Cf. Eccli. XXIV, 19: *Quasi oliva speciosa in campis*.

<sup>3</sup> Ibidem, XXIV, 18: *Quasi palma exaltata sum*

in Cades.

<sup>4</sup> Ibidem, XXIV, 18.

<sup>5</sup> Ibidem, XXIV, 19.

<sup>6</sup> Cf. S. AUGUSTINUM, Lib. X Confessionum.

*Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est*<sup>1</sup>. Et addit Ecclesiasticus, ibidem : *Et flores mei fructus honoris et honestatis* : quia omnes boni et honesti sunt palmites et flores et fructus vitis hujus : palmites in spiritu, flores in virtutibus, et fructus in operibus.

Quantum ad quartum vero, comparatur myrrhæ electæ, quæ dedit odoris suavitatem<sup>2</sup>. Myrrha enim conservativa est corporis a putredine. Et hæc est gratia divina, quæ in maternitate conservavit virginitatem, in gravitatione levitatem conservavit, in puerperio conservavit sine omni dolore maximam jucunditatem.

Sic ergo *fecit mihi magna* : et hoc nemo facere potuit nisi

« Qui potens est. »

Sunt autem quatuor modi potentiæ imperfectæ : privata videlicet potentia, obligata, determinata, et limitata. Quas potentias sequitur quinta, quæ sola est perfecta, quæ plena est, et absoluta. Privata est materialis. Obligata est addicta materiæ, et extra congruentiam illius nihil agens penitus. Determinata est quæ extra terminos suos nihil agit vel poterit. Limitata vero est illa cui superior potentia modum præfigit et limitem.

Privata quidem et materialis est, quæ nihil expedite poterit : sicut claudicantis potentia ad gressum. Et talis est potentia ejus quod peccato vulneratum est, sicut in libro de *Libero arbitrio* dicit Augustinus. De qua dicitur, Matth. vii, 18 : *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Luc. x, 30 : *Plagis impositis abierunt, semivivo relicto.* Jerem. xiii, 23 : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas : et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.*

Obligata est quæ quidem non saucia,

vel privata, sed tamen non potest aliquid ultra proportionem naturæ suæ : sicut visus potentia in oculo non potest aliquid, nisi ad quod complexionatus est : potentias multas Deus posuit in corpore, ut pro invicem sollicita sint membra. I ad Corinth. xii, 15 : *Si dixerit pes : quoniam non sum manus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore ?* Et sic sunt potentiæ gratiarum in membris corporis mystici : ubi quod potest Doctor, non potest Procurator vel Præpositus, et sic de aliis. Et quod potest sapiens, non potest ille, qui accepit gratias curationum. Et de omnibus subditur, I ad Corinth. xii, 11 : *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* I ad Corinth. vii, 7 : *Unusquisque proprium donum habet ex Deo : alius quidem sic, alius vero sic.* Et hoc potest ad quod accepit donum ut possit.

Sunt autem potentiæ determinatæ, quæ licet in multa possint, et universaliter possint in illa ad quæ acceperunt potentiam, tamen determinatas habent potentias : sicut in naturis intellectus qui potest in omnia intelligibilia, sed tamen in alia non potest, quæ non sunt intellectualia, et his potentibus similia. Sunt autem gratuita, quæ sunt sicut capita, quæ potestatem in multa alia membra acceperunt. Psal. xvii, 44 : *Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium.*

Potentia autem limitata est potentia potestatum ordinarum a Deo, quæ limitata sunt, nec possunt ultra quam sibi concessum est. Ad Roman. xiii, 1 : *Non est potestas nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt.* Et secundum hoc dicit Apostolus, II ad Corinth. xiii, 8 : *Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate.*

Potentia autem absoluta est, quæ nec privatione, nec obligatione, nec termino,

suavitatem odoris.

<sup>1</sup> Joan. xv, 1

<sup>2</sup> Eccli. xxiv, 20 : *Quasi myrrha electa dedi*

nec limite a quoquam posito vel ponendo potest coarctari. Et ista est potentia Dei. Et ideo simpliciter dicit sine determinatione adjuncta : « *Qui potens est.* » Numer. xxiii, 22, et xxiv, 8 : *Cujus fortitudo similis est, scilicet potentia, rhinocerotis, in uno cornu potestatis, omnia quæcumque vult facientis.* Psal. cxxxiv, 6 : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cælo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis.* Luc. xxiv, 24 : *Potens in opere et sermone coram Deo et omni populo.*

Hic est ergo *qui potens est.*

« Et sanctum nomen ejus. »

Meminimus nos in expositione Evangelii secundum Matthæum dixisse<sup>1</sup>, quod nomen quoddam imponit natura : quoddam autem est ab impositione. Natura quidem imponit nomen cujus formam donat : sicut hoc nomen *homo* a natura imponitur, quantum ad causam impositionis. Sic etiam nomen divinum imponitur ei, cui Deus suam largitur deitatem, secundum quod de quibusdam, in Psalmo lxxxvi, 6, dicitur : *Ego dixi : Dii estis, et filii excelsi omnes.* Joan. x, 35 : *Illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est.*

Hoc est nomen, quod nomen a Deo imponitur, clarificatur, et sanctificatur. Imponitur autem, ut dictum est, in prima participatione : clarificatur in depuratione : sanctificatur in consummatione.

De primo dicitur, Jerem. xiv, 9 : *Tu in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos.* Per hoc enim invocatur, quod in nos vocatur, et participatur a nobis. Isa. lxii, 2 : *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.*

De clarificatione nominis, Joan. xii, 28 : *Pater, clarifica nomen tuum.* Hoc enim intelligitur non in se, sed in mem-

bris : in quibus depuratur, ut in eis auferatur quidquid contrarium est nomini.

Et sanctificatur, quando mundum et sine omni terrenitate confirmatur. Et consummatur ut sit Deus in nobis, omnia in omnibus : sicut dicitur, I ad Corinth. xv, 28 : *Erit Deus omnia in omnibus.* Matth. vi, 9 : *Sanctificetur nomen tuum.*

Et sic fuit in Beata Virgine, in qua nihil fulsit nisi divinum. Anselmus : « Decebat ut ea puritate Virgo illa niteret, quam Deus Pater Filio suo (quem « de corde suo genitum tamquam se ipsum diligebat) matrem præparaverat : « et quam Spiritus sanctus ei (de quo « ipse secundum dignitatem procedebat) « in matrem sanctificavit : et quam Filius (qui est speculum sine macula Dei « majestatis, et imago bonitatis illius) « sibi in matrem elegit. »

Hoc ergo nomine in ipsa sanctificato, effectum est quod magna cum ipsa fecit qui potens est.

« Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. »

50

Hic tangit beneficia communia Sanctorum, et duo tangit : primo quidem beneficia misericordiæ : secundo autem beneficia potentiæ.

Beneficia quidem misericordiæ dicit continua esse, et timentibus eum debita.

Dicit igitur : « *Et misericordia.* » Quasi diceret : Sic fecit mihi qui potens est : et hoc fecit maxime nomen sanctum ejus, cui debetur omne quod Deus facit nobis. Ezechiel. xxxvi, 22 : *Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum.* Propter idem autem nomen, « *misericordia ejus, etc.* »

Attende quod secundum Joannem Chrysostomum, duplex est misericordia : liberans videlicet, et relaxans. Liberans

<sup>1</sup> Cf. Enarrationem in Evangelium Matthæi,

1, 21. Tom. XX hujusce editionis.

est quæ in toto dimittit: relaxans autem est, quæ absolvit in parte. Relaxans igitur est in omnibus operibus Dei, sicut dicitur: *Misericordia ejus super omnia opera ejus*<sup>1</sup>. Quia secundum illam punit, quos punit, citra condignum. Et illa est de qua dicit, Jacob. ii, 13: *Superexaltat autem misericordia iudicium*. Misericordia autem liberans illa est absolvens in totum. Psal. LVIII, 11: *Misericordia ejus præveniet me*, scilicet omnibus diebus vitæ meæ. Prima igitur misericordia est a progenie in progeniem omnibus timentibus, et non timentibus Deum. Exod. xx, 5: *Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem*: tamen cum dulcore misericordiæ relaxantis partem pœnæ, et faciens misericordiam in millia his qui timent nomen meum.

Hæc igitur misericordia Dei magna est, continua, et multa, suavis, et discreta.

Magna, quia magna remittit, sicut dicitur in Psalmo L, 3: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam*. Et iterum, Psal. LXXXV, 13: *Misericordia tua, Domine, magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori*.

Continua autem est, quia numquam deficit: proprium enim non derelinquit subjectum suum. Dicit autem Gregorius quod « natura Dei dulcedo est, proprium autem misereri et parcere. » Unde, Thren. iii, 22: *Misericordiæ Dei quia non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes ejus.* »

Multa vero est, quia multis et multa remittit: et ideo dicitur suavis et mitis et copiosus in misericordia omnibus invocantibus. Psal. L, 3: *Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam*. Isa. LV, 7: *Multus est Dominus ad ignoscendum*.

Suavis autem est misericordia sua: quia dulciter ignoscit sine impropera-

tionem. Psal. CVIII, 21: *Tu, Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua*. Sapient. VIII, 1: *Disponit omnia suaviter*. Psal. XXXIII, 9: *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus*.

Discreta autem est misericordia paterna, quæ per flagella corripit et corrigit, ne gladio extremi iudicii interficiendo sævire cogatur. Isa. LIV, 7 et 8: *Ad punctum in modico dereliqui te: et in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, in misericordia sempiterna misertus sum tui*, hoc est, ad tempus tribulationibus te exposui, ut in æternum misericordia sempiterna te colligerem. II Machab. vi, 13: *Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium*. Sapient. XII, 1 et 2: *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus! Ideoque eos qui exerrant partibus, corripis, et de quibus peccant admones et alloqueris, ut relicta malitia credant in te, Domine*. Dicitur autem hic *spiritus ira*, quia irati sufflant spiritum per nares. Et ille bonus est in nobis: quia partibus, hoc est, particulariter corrigit et admonet, ut relicta malitia credamus in Deum fide operante per dilectionem.

Sic igitur misericordis Domini est proprium.

Proprium autem misericordis est, expectabilem esse, patientem, longanimem, præstabilem, et benignum. Expectabilem, in non statim ulciscendo. Patientem, in non statim irascendo. Longanimem, in diu cum æquanimitate dissimulando. Præstabilem, in facile condonando. Benignum, in dulciter suscipiendo.

De expectatione habes, Isa. xxx, 18: *Expectat Dominus ut misereatur vestri*, hoc est, ut misericordia locum habeat in vobis.

<sup>1</sup> Eccli. XVIII, 12: *Misericordia Dei super om-*

*nem carnem.*

De patientia, Isa. XLII, 14 : *Tacui semper, silui, patiens fui.* Ad Roman. IX, 22 et 23 : *Sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

De longanimitate, ad Roman. II, 4 : *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis ?*

De præstabilitate, Joel, II, 13 : *Benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia.*

De benignitate, ad Roman. II, 4 : *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adduxit ?* Exemplum de filio prodigo, quem pater cum adhuc longe esset cum amplexibus et osculo suscepit, prolato annulo, et stola prima, et calceamentis in ornatum <sup>1</sup>.

Est autem misericordia differens a miseratione : quia misericordia dicit habitum, et miseratio dicit actum. Misericordia autem habitus, non est sine passione, et ideo non cadit in Deo nisi metaphorice, et non proprie. Et cum dicitur Deus *miserans*, intelligitur per humanam similitudinem, hoc est, quod habet se sicut homo in opere misericordiæ, in hoc quod afflicto condescendit et subvenit. Osee, VI, 6 : *Misericordiam volui, et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta.* Et hac similitudine dicitur in Psalmo CXI, 4 : *Misericors, et miserator, et justus Dominus.* Et iterum, Psal. CXXIX, 7 : *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.*

Hæc igitur copia divitiarum misericordiæ apud Deum est.

« A progenie in progenies. »

A progenie videlicet cœlesti, in progenies terrestres : et a progenie Judæorum, in progenies Nationum sive Gentium : et a progenie patrum, in proge-

nies filiorum : et a progenie Sanctorum, in progenies peccatorum.

De progenie cœlestium et terrestrium dicitur, ad Ephes. III, 14 et 15 : *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur.* Est enim prima progenies, hoc est, generis sive naturæ propagatio ex Patre in Filium per æternam generationem : et a Patre et Filio in Spiritum sanctum per æternam charitatis spirationem. Et est secunda progenies in cœlo a Trinitate beata, et luminis, et beatitudinis in angelicam naturam propagatio. Et tertia cœlestis progenies, ab Angelo in Angelum, luminis a Deo accepti per assimilationem illuminationis et transfusionem informatio, et in Deum reductio. Sic enim, ut dicit Dionysius, fiunt dii, et deorum patres, et deorum filii. Dii quidem per acceptam illuminationem a Deo : deorum autem patres, per illuminationis transfusionem : deorum autem filii, per similem unius ex altero ad lumen informationem. I ad Corinth. VII, 5 : *Etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra (siquidem sunt dii multi et domini multi).* Ibi Glossa, « quod sunt qui participative dii sunt, et dicuntur. » Et hæc participatio est per dictum modum.

Quia igitur hæc participatio a Deo et Angelis etiam in homines, ad similem utcumque luminis informationem descendit, et hoc ex Dei misericordia nobis in hoc subveniente : est misericordia Dei « a progenie » cœlestium « in progenies » terrestrium. Job, XXXVIII, 33 : *Numquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra ?* Apocal. XXI, 2 : *Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo.* Et ut de aliis taceam, in hoc sacramento sic per misericordiam Dei factum est : quia a Deo in Gabriele, et a Gabriele in Beatam Virginem, et a Beata Virgine in omnem mundum sic

<sup>1</sup> Cf. Luc. xv, 20 et seq.

est propagatum. Psal. LXVII, 9: *Terra mōta est: etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.* Sic rorant cœli desuper, et nubes pluunt justum: aperitur terra et germinat Salvatorem<sup>1</sup>. Sic efficitur et nos Dei progenies, Act. XVII, 28 et 29: *Ipsius et genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis et cogitationis hominis, Divinum esse simile.*

Est etiam « a progenie » Judæorum « in progenies » Nationum sive Gentium. Isa. II, 3: *De Sion exhibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Et præcedit ibi, quod ex hoc fluent ad montem Domini omnes Gentes. Ad Roman. XV, 8 et seq.: *Dico Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis... ad confirmandas promissiones patrum: Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: ... Lætamini, Gentes, cum plebe ejus.* Act. XI, 18: *Ergo et gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.*

Est etiam « a progenie » patrum « in progenies » filiorum. Psal. XXI, 42: *Annuntiabitur Domino generatio ventura.* Et adjungit de progenie cœlestium dicens: *Et annuntiabunt cœli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus:* per hujus gratiæ informationem. Deuter. XXXII, 7: *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi: majores tuos, et dicent tibi.* Psal. LXXVII, 6 et 7: *Filii qui nascentur et exsurgent, et narabunt filiis suis, ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei, et mandata ejus exquirant.* Sic etiam reputantur filii legitimi, qui in timore et fide Dei suscipiuntur, et in timore Dei nutriuntur.

Est etiam « a progenie » justorum « in progenies » peccatorum: quia sic peccatores efficiuntur justis, et justorum filii. Ad Galat. IV, 19: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Isa. LX, 21 et 22: *Populus*

*tuus omnes justis, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. Minimus erit in mille, et parvulus (hoc est, humilis) in gentem fortissimam.*

Unde subdit:

« Timentibus eum. »

Eccli. I, 28: *Qui sine timore est, non poterit justificari:* et ideo non valet ei hæc propagatio. Timentes autem Deum, multis modis timent: qui omnes modi boni sunt ex misericordia Dei. Sunt timentes magnitudinem ejus, et sunt timentes ejus justitiam. Magnitudo ejus timetur timore admirationis, et timore reverentiæ. Admirans enim Deum timet, stupens in seipso: eo quod fugit in impotentiam suam: eo quod non valet in id quod non videt, cognoscendo causam, vel operando aliquid simile. Et de hoc dicitur, Job, XXV, 2: *Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis.* Exod. XX, 18: *Perterriti, ac pavore concussi, steterunt procul.* Non enim aliquid mali, sed multum de magnitudine viderant sic pavore concussi. Facit enim magna et incrustabilia et mirabilia, quorum non est numerus: et ideo parvum cor humanum credens hoc stupet, et pavet in seipso, et suspenditur cogitando magnitudinem ejus. De timore autem reverentiæ dicitur, Malach. I, 6: *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Reverentia enim Domino debetur majestatis.

Timor autem mali est servilis recedens ab actu peccati ex concussionem creditæ pœnæ. Et timor initialis simul ex timore pœnæ et amore justitiæ. Et timor filialis qui timet iram non occidentis, sed corrigentis patris. Et timor sponsalis, quo sponsa timet differri sponsi amplexus.

De primo horum dicit Beda: « Cum judex sic timetur, quod facies judicis non amatur, timor ex timore est, et

<sup>1</sup> Cf. Isa. XLV, 8.



« non ex charitate. » Et de hoc habes, I Joan. iv, 18 : *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* De hoc dicitur quod introducit sapientiam, sicut seta introducit filum, de filo nihil existens. Sic enim iste timor nihil est de sapientia. Genes. xxi, 10 : *Ejice ancillam hanc, et filium ejus : non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Filius enim manet in domo in æternum. Joan. xv, 15 : *Servus nescit quid faciat dominus ejus.*

De initiali autem dicitur, Eccli. i, 27 : *Timor Domini expellit peccatum.* Iste enim timor non actum solum peccati, sed cum actu formidat peccandi affectum.

De tertio dicitur in Psalmo xviii, 10 : *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi.* Item, Psal. xxxiii, 10 : *Timeate Dominum, omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum.*

De quarto dicitur, Proverb. xxxi, 30 : *Fallax gratia, et vana est pulchritudo : mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.*

Omnibus igitur sic timentibus Deum concessa est ista misericordia, sicut dicitur, Malach. iv, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus.*

51 « Fecit potentiam in brachio suo. »

Hic tangit effectus potentiæ.

Et tangit primo quidem potentiam efficientem : secundo autem, quinque effectus tam in bonis quam in malis.

Primo quidem tangit dispositionem potentiæ efficientis per metaphoram cum dicit : « *Fecit.* » Dicitur autem Deus facere, cum se fecisse demonstrat. Potentia sicut supra dictum est, est potentia absoluta, de quam jam ante dictum est.

Hanc autem potentiam fecit « *in brachio suo.* » Brachium enim Filius incar-

natus est : quia sicut brachium de corpore, et de brachio manus, sic Filius de Patre, et de Patre et Filio est Spiritus sanctus. Unde cum adjutorium bonorum fecit in Filio, tunc potentiam fecit in brachio. Propter quod etiam superior pars brachii, quæ est inter cubitum et humerum, apud Naturales vocatur *adjutorium*, quia in illo est fortitudo adjutorii. Isa. li, 9 et 10 : *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini : consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem ? Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis : qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati ?* Bis dicit, *Consurge*, et tertio quod *induat fortitudinem*, et quarto quinque ponit effectus fortitudinis ejus. Consurgit enim hoc brachium adversus diabolum fortem, et adversus mundum. Contra carnem enim Christus in se non pugnavit. Contra diabolum, Matth. iv, 3-11, et Luc. iv, 3-14, ubi in tentatione vicit diabolus. Contra mundum, Joan. xvi, 33 : *Confidite, ego vici mundum.* Fortitudinem autem exercuit in reducendo captivitatem, Luc. xi, 21 et 22, et Matth. xii, 29, ubi intravit in domum fortis fortior, et omnia vasa ejus distribuit in quibus confidebat.

Quinque autem effectus ejus sunt. Primus quidem, quod percussit superbum in statu et pompa sæculi, per humilitatem sui et suorum. Matth. xi, 29 : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Habacuc, iii, 13 : *Percussisti caput de domo impii, hoc est, superbiam.*

Secundus est, quod vulneravit, non exstinxit draconem, hoc est, pectore et ventre repentem concupiscentiam per abstinentiam et carnis austeritatem. Unde non legitur delicatis usus, sed pane hordeaceo et pisciculis, qui minores sunt quam parvi pisces, et paucis. I ad Corinth. ix, 27 : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.*

Tertius est, quod siccavit mare fluctibus ambitionis hujus sæculi per contemptum mundi : quia cum quæreretur ad regnum, abscondit se<sup>1</sup>. Et coram Pilato dixit : *Regnum meum non est de hoc mundo*<sup>2</sup>.

Quartus est, quod siccavit aquam abyssi vehementis, quæ est aqua avaritiæ hujus sæculi : quæ sunt aquæ de fontibus Tantali.

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ :

sicut dicit poeta. Matth. v, 3 : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matth. viii, 20 : *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*<sup>3</sup>.

Quintus est, quod in mari, hoc est, in mundo, dedit viam omnibus suis ut transeant liberati : et hoc per viam studii spiritualis, cui nihil adhæret de cogitationibus seculi. Psal. cxxxv, 13 : *Qui divisit Mare rubrum in divisiones.* Habacuc, iii, 15 : *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* Equi enim quibus insidet Dominus ut prælietur in fortitudine brachii sui, sunt viri spiritualis vitæ studium habentes.

Est autem hoc brachium formans nos in forma Dei, adversarios expugnans, suos liberans, liberatos protegens, protectos congregans et portans, portatos autem gubernans et regens, et quos rexerit amplexans.

De formatione, Eccli. xxxviii, 32 et 33 : *Figulus sedens ad opus suum, ... in brachio suo formabit lutum, et ante pedes suos curvabit virtutem suam.*

De brachio expugnationis, Isa. lxiii, 3 : *Salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea auxiliata est mihi.*

De brachio liberationis, Psal. xcvi, 1 : *Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus.*

De brachio protectionis, Psal. xvii, 16 : *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me : dextera Domini fecit virtutem.*

De brachio congregationis et portationis, Isa. xl, 11 : *In brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit : fætus ipse portabit.*

De brachio gubernationis et regiminis, in Psalmo cxxxv, 11 et 12 : *Eduxit Israel de medio eorum, in manu potenti et brachio excelso : in quo rexit eos quos eduxit et deduxit.* Psal. lxxxviii, 22 : *Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.*

Duobus autem brachiis amplexatur dilectos, Cantic. viii, 3 : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.*

Omnia hæc fecit Dominus, postquam *fecit potentiam in brachio suo*, hoc est, in Filio suo incarnato : cui Pater vitæ et mortis et omnium dedit potestatem. De potestate vitæ et mortis, Sapient. xvi, 13 : *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem.* Joan. x, 18 : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Quod autem omnium habeat potestatem, Matth. xxviii, 18 et 19 : *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos,* etc.

Sic ergo *fecit potentiam in brachio suo*. Et hoc præsciens Propheta oravit, dicens, Psal. cxliv, 7 : *Emitte manum tuam de alto, eripe me, et libera me.*

« Dispersit superbos mente cordis sui. »

Quinque tangit effectus potentiae brachii : quorum primi duo sunt contra superbos : duo autem in humilibus, et unus in divitibus hujus sæculi.

Primus est quod « *Dispersit,* » hoc

<sup>1</sup> Joan. vi, 15.

<sup>2</sup> Joan. xviii, 36.

<sup>3</sup> Cf. Luc. ix, 58.

est, in diversa sparsit : quia non sunt unius voluntatis ambitiosi, sicut nec luxuriosi, et sicut nec avari. De ambitiosis quidem dicitur, Genes. xi, 9 : *Inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum gentium*, evellens eos de campo, scilicet, Sennaar, qui ædificaverunt turrim Babel : et illi fuerunt superbi. Sic dispersi sunt luxuriosi : quia non unum diligunt, sicut dicitur in Psalmo LXXXII, 11 : *Disperierunt in Endor : facti sunt ut stercus terræ*. Endor enim interpretatur *fons generationis*. Sapiens autem, Eccli. ix, 10, dicit quod mulier quæ est fornicaria, quasi sicut stercus in via, ab omnibus prætereuntibus conculcabitur. Avari etiam dispersi sunt in diversa volita, sicut habetur. Exod. v, 12 : *Dispersus est populus... ad colligendas paleas*, hoc est, temporalia.

Sic ergo dispersit « *superbos*, » hoc est, supervios, hoc est, super alios in omnibus viam excellentiæ habere quærentes.

Superbia autem triplex est : specialis, generalis, et generalissima.

*Specialis*, ut dicit Augustinus, est improba voluntas excellendi alios in dignitatis honore et potestate. *Generalis* est improba voluntas excellendi in laude cujusque rei. *Generalissima* est voluntas, sive fastus efferens se extra præceptum et præcipientem : cui tamen subesse tenetur.

Prima est Luciferi et suorum, qui dicit, Isa. xiv, 13 et 14 : *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum : sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis :... similis ero Altissimo*. Hoc enim adhuc dicunt hi qui præter vocationem et merita cathedras et gradus dignitatum concupiscunt. In cælum enim conscendere quærit, qui ad domum Dei quærit ascendere. Super astra solium locare, est super bonos quærere dominari. In monte testamenti sedere, est in eminente dignitate quiescere.

In lateribus Aquilonis (quæ plaga est frigida et tenebrosa) exaltari, est ad modum dæmonis (cum sit zelo animarum, et charitatis destitutione frigidus) quærere dignitate excellere. Hos dispersit Dominus de loco dignitatis ejiciens, et in infimum sempiterni opprobrii projiciens. Ezechiel. xxviii, 17 : *In terram projicite : ante faciem regum dedi te*, hoc est, in exemplum superborum. Isa. xiv, 13 : *Ad infernum detraheris in profundum lacu*.

*Generalis* est, quæ vocatur excellentia sive in nobilitate, sive in victoriis, sive in scientiis, sive in quibuscumque aliis. Et hi sunt qui volunt sibi acclamari vocibus Dei et non hominum, in omni laudabili facto. Et ideo significantur per Herodem<sup>1</sup>. Et hos dispersit Deus. Unde, ibidem, 22 et 23, populo acclamante voces Dei, et non hominum, Angelus Domini percussit Herodem, *et consumptus a vermibus exspiravit*. Psal. xxxv, 12 et 13 : *Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem : expulsi sunt, nec potuerunt stare*.

*Generalissima* superbia proprie vocatur tumor vel inflatio cordis. Job, xv, 13 : *Quid tumet contra Deum spiritus tuus?* Gregorius : « Timor mentis obstaculum « est veritatis. » Isti significantur, Exod. ix, 9, ubi dicitur, quod erant in hominibus et jumentis ulcera et vesicæ turgentes. Et, ibidem, 10, dicitur, quod steterunt turgentes in conspectu Pharaonis. Hæc superbia est initium omnis peccati. Eccli. x, 15 : *Initium omnis peccati est superbia*. Quia statim ut homo peccare proponit, voluntatem præcepto Dei et Deo non subjicit. Tob. iv, 14 : *Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas : in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio*. Hos dispergit Deus, sicut beato Job loquitur, dicens : *Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem*

<sup>1</sup> Cf. Act. xii, 21 et seq.

*humilia. Respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo*<sup>1</sup>.

Hos igitur omni modo superbos dispersit

« *Mente cordis sui.* »

*Mens* autem, ut Joannis Damascenus, dicit, a metiendo dicitur : quia mente ea quæ corde tractamus mensurantur. Mens igitur superborum mensura est eorum, qualiter fastum et altitudinem quam corde tractant, ad effectum perducant. A mente autem cordis dispersi sunt, quando inique conceptum et tractatum perficere non possunt. Job, v, 12 : *Dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant.* Isa. viii, 10 : *Inite consilium, et dissipabitur : loquimini verbum, et non fiet.* II Reg. xv, 31 : *In fatua, quæso, Domine, consilium Achitophel.*

52

« *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* »

Hic tangit secundum effectum brachii Domini in superbis. Et continuatur sic : Dispersit enim superbos : et modus quidem dispergendi est, quia « *Deposuit potentes de sede.* »

Tria autem notantur in hoc effectu. Primum est, quod dejiciuntur inviti. Secundum autem est, quod scilicet obnitantur, tamen nihil perficiunt per potentiam sæculi. Tertium est, confusio prioris honoris indigne accepti.

Dicit igitur : « *Deposuit,* » quod sonat dejectionem involuntariam : non enim per se cedunt, sed contra voluntatem deponuntur. Isa. xxii, 19 : *Expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te.* Hi significantur per Saul, qui contra voluntatem depositus est, I Reg. xv, 28 : *Scidit Dominus regnum Israel a*

*te hodie, et tradidit illud proximo tuo meliori te.* I Machab. ii, 62 et 63 : *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis est : hodie extollitur, et cras non invenietur : quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus perit.*

« *Potentes,* »

Hoc est, in potestate glorientes, et potestate abutentes : de quibus dicitur, Sapient. vi, 5 et 6 : *Cum essetis ministri regni illius, non recte judicatis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende et cito apparebit vobis : quoniam iudicium durissimum his qui præsumunt, fiet.*

Sunt autem hujusmodi potentes, qui non nisi potentia utuntur ad pauperum oppressionem : de quibus dicitur, Sapient. ii, 11 : *Sit fortitudo nostra lex justitiæ : quod enim infirmum est inutile invenitur.*

Et isti sunt qui proprie vocantur *tyranni* : quia potestas est quæ stat circumterminata limitibus justitæ et æqui : sicut dicitur, ad Roman. xiii, 1 : *Non est potestas nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt.* Hi ergo potentes sunt in tyrannide potentiam exercentes : qui nomine usuali *potentes* vocantur, et potentia ad voluntatem, non ad rationem utuntur. Potentia autem tali etiam utuntur, quia perversa potestate contra Deum in peccatis abuntur. Isa. lvii, 10 : *Vitam manus tuæ invenisti,* hoc est, perversæ potestatis ad peccandum. Isa. v, 22 : *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem,* scilicet usque ad vesperam, ut vino æstuetis, hoc est, sæculari gaudio.

Hos igitur *potentes* deponit Dominus. Job, xii, 21 : *Effundit despectionem super principes, eos qui oppressi fuerant relevans.*

<sup>1</sup> Job, xl, 6 et 7.

« De sede »

Honoris : ut ultimum genus miseriam eorum infelicitatis sit, recordari de pristino statu suæ gloriæ. Eccli. x, 11 : *Omnia potentatus brevis vita.* Et, Infra, Ibidem, x. 18 : *Radices gentium superbarum arefecit Deus.* Et, Ibidem, x. 17 : *Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis.* Ibidem, xx 19 et seq. : *Terras gentium evertit Dominus, et perdidit eas usque ad fundamentum. Arefecit ex ipsis, et disperdidit eos, et cessare fecit memoriam eorum a terra. Memoriam superborum perdidit Deus.*

« Et exaltavit humiles. »

Humiles sunt ab humo cui prostrati sunt, dicti : eo quod nihil inferius se reputant nisi humum, et se conculcandos omnibus exhibent : et isti exaltari propter hoc merentur. Isa. xl, 4 : *Omnia vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur.* Placet enim Deo ut quælibet creatura sibi congruentia cogitet. Et ideo qui factus est de humo, humiliari debet : et exaltatio sibi non debetur, nisi per humilitatis meritum. I Petr. v, 6 : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.*

Debentur autem humili quatuor præmia per quatuor quæ sunt ipso. Est enim in eo sui depressio, sensus suæ vacuitatis, exiguitas, et abjectio. Per depressionem, debetur ei exaltatio : per vacuitatem, impletio : per exiguitatem, gratia : per abjectionem autem sui, gloria.

De primo dicitur, Luc. xiv, 11 : *Omnia qui se humiliat, exaltabitur.* De secundo dicitur, IV Reg. iv, 5 et 6, quod mulier offerentibus sibi filiis implevit vasa vacua, non pauca. De tertio, Jacob. iv, 6, et I Petr. v, 5 : *Humilibus dat gra-*

*tiam.* De quarto, Proverb. xxix, 23 : *Humilem spiritu suscipiet gloria.*

Sic ergo *exaltavit humiles.* Ad Philip. ii, 7 : *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Et sequitur, x. 9 : *Propter quod et Deus exaltavit illum, etc.*

« Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes. »

53

Ecce secundus effectus brachii in bonis : quia « *Esurientes, etc.* »

Est autem esuries, ut dicit Aristoteles in libro II de *Anima*, appetitus desiderii naturalis : et est appetitus refectionis secundum naturam : quod est calidum et siccum quod reficit et restaurat substantiam. Unde esurientes sunt, qui appetunt cibum qui non perit<sup>1</sup>, quem Pater cælestis dat petentibus se.

Est autem hæc esuries gratiæ, Eucharistiæ, sapientiæ, et consolationis Spiritus sancti.

De esurie gratiæ, Matth. v, 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* I Reg. ii, 5 : *Famelici saturati sunt.* Et, I ad Corinth. iv, 11 : *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus.*

De esurie Eucharistiæ dicitur, Jerem. xxxi, 14 : *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine, et populus meus bonis meis adimplebitur.* Anima enim ibi dicitur desiderium animale, quod desiderat refectionem. Psal. lxxii, 2 : *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea, supple, desiderat, esurit et sitit.* Sapient. xvi, 20 : *Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.* Et sequitur, x. 21 : *Deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod*

<sup>1</sup> Joan. vi, 32 : *Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus*

*dat vobis panem de cælo verum.* Et de hoc loquitur fere in toto capite.

*quisque volebat convertebatur. Voluntas enim hic dicitur esuries.*

De esurie sapientiæ dicitur in Psalmo lxxx, 11 : *Dilata os tuum, hoc est, desiderium tuum, et implebo illud.* Eccli. xv, 3 : *Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* Isa. xxi, 14 : *Occurrentes sitienti ferte aquam :... cum panibus occurrere fugienti.* Cum panibus (inquam) gratiæ, Eucharistiæ, et sapientiæ. Luc. xi, 5 et 6 : *Commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum.* Qui de via venit, propter viæ laborem, refectionem esurit.

De esurie consolationis Spiritus sancti, Eccli. xxiv, 29 : *Qui edunt me adhuc esurient.* Dulcedo enim illius consolationis semper excitat desiderium ut iterum accipiatur, et amplius infundatur, et etiam ut habita continuetur.

Sic igitur *esurientes* implet Deus.

Et hoc est quod dicit :

« Implevit, »

Hoc est, intus plenos fecit. Ut in hoc notet, quoniam mentem reficit, non ventrem, neque esurientem avari crumenam. Psal. lxxxix, 14 : *Repleti sumus mane misericordia tua, etc.* Act. ii, 14 : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Hoc enim implet, quod desiderium satiat et quietat. Psal. lxxvii, 29 et 30 : *Manducaverunt et saturati sunt nimis : et desiderium eorum attulit eis Dominus : non sunt fraudati a desiderio suo.*

Taliter ergo *esurientes* implevit

« Bonis. »

*Bonum* quidem in tria dividitur : quorum tamen primum est in secundo, sed non convertitur : et secundum et primum sunt in tertio, sed non convertitur. Hæc autem tria sunt : utile, delectabile, et honestum. Omne igitur vere delectabile

est utile, sed non convertitur : et omne vere honestum est delectabile et utile, sed non convertitur. Primum horum est adminiculans ad meritum, secundum trahens desiderium. tertium autem perficiens ad virtutis actum. Primum est sicut instrumentum quo utimur, secundum autem sicut dulcedo qua provocamur, et tertium sicut quoddam præmium ad quod vocamur. Primum est quod ad aliud referimus, ut quod appetendum est obtineamus : sicut necessaria ad vitæ sustentationem, vel ad morum emendationem, vel ad peccati per pœnam emundationem, sive expiationem : sicut, Isa. xlviii, 17 : *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas.* Ad Hebr. xii, 9 : *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, reverebamur eos : non multo magis obtemperabimus Patri spirituum ?* Et illi quidem in tempore paucorum dierum erudiebant nos secundum suam voluntatem : hic autem ad id quod utile est, in recipiendo sanctificationem ejus. Sapient. viii, 7 : *Sobrietatem, et prudentiam docet, et justitiam et virtutem : quibus utilius nihil est in vita hominibus.* De bono delectabili dicitur in Psalmo xv, 10 : *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Psal. xxxv, 9 : *Inebriantur ab ubertate domus tuæ : et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* De bono honesto (quod optimum est), Eccli. xxiv, 23 : *Flores mei fructus honoris et honestatis.* Fructus enim est quo fruimur. Dicit autem Augustinus, quod « fruimur « cognitis, in quibus voluntas delectata « conquiescit. » Eccli. xxiv, 12 : *Rami mei honoris et gratiæ.*

Hæc bona duplicem habent saporem animæ secundum naturam delectabilem : dulcem videlicet, et pinguem : qui soli saporibus sunt secundum naturam delectabiles. Dulce solum nutrit, et pingue facile resolvitur in spiritum.

De dulci, Sapient. xvi, 21 : *Substantia tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat.* Eccli. xxiv, 27 : *Spi-*

*ritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.*

De pinguedine dicitur in Psalmo LXXII, 6: *Sicut adipe et pinguedine repletur anima mea.* Isa. LV, 2: *Audite, audientes me, et comedite bonum: et delectabitur in crassitudine anima vestra.* Hos esurientes ut sic esuriant esurit Deus, et comedens et bibens incorporat eos sibi. Matth. XXV, 35: *Esurivi, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere.* Joan. XIX, 28 et 30, cum penderet in cruce dixit: *Sitio.* Et statim postea: *Consummatum est.*

Sunt autem alii esurientes, quos numquam replet Deus. Et isti sunt triplices: esurientes videlicet pompam sæculi, res hujus mundi, et lacerationem famæ proximi. Prima est esuries vana, secunda avara, tertia detractoria. Vana, est ambitiosorum: avara, cupidorum: detractoria, est canum. De prima dicitur, Isa. XXIX, 8: *Sicut somniat esuriens et comedit, ... et sicut somniat sitiens, et bibit: et postquam fuerit expergefactus. lassus adhuc sitit, et anima ejus vacua est: sic facti sumus.* De secunda, Isa. LXV, 13: *Ecce servi mei comedent, et vos esurieretis: ecce servi mei bibent, et vos sitiatis.* Et causa redditur, Eccle. V, 9: *Avarus non implebitur pecunia.* De tertia dicitur, Isa. LVI, 11: *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem,* quia detractor non ponit finem detractionibus. Hi ergo numquam saturabuntur: sed alii boni implentur bonis Domini, sicut dictum est.

« Et divites dimisit inanes. »

Tertius effectus brachii divini in malis.

Dicit autem tria. Primum est circa quos est iste effectus: secundum, efficiendi modus: et tertium, est ipse effectus: qui tamen potius defectus est appellandus.

Hi autem circa quos est iste brachii potentis effectus, sunt « *divites.* » Divites, inquam, qui hujus sæculi sunt divi-

tes. Et divites hypocritæ qui se divites ostentant in spiritualibus.

De divitibus sæculi, I ad Timoth. VI, 17: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum.* Nam, ibidem, supra, 9: *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.*

De divitibus qui sola ostentatione divites sunt, sicut Judæi et hypocritæ, dicitur, Apocal. III, 17: *Dicis: Quod dives sum, et locupletatus, et nullius ego: et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.* I ad Corinth. IV, 8: *Jam divites facti estis: sine nobis regnatis.* Hos divites extollit divitiarum jactantia, Sapient. V, 8: *Divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Unde, Luc. XVI, 19, legitur de divite qui epulabatur quotidie splendide, et induebatur purpura et bysso. Bysso quidem, propter resolutam mollitiem: et purpura, propter divitiarum jactantiam et ostentationem.

De his dicit, quod brachium Domini « *Dimisit inanes.* » Non dicit fecit, sed *dimisit*: quia etiam ante inanes fuerunt. Quando enim bona intus implentia non contulit, tunc inanes relinquit: sed apparentem ad tempus plenitudinem in eis divitiarum jactantia præterdit: sicut sol tenebrosam relinquit, quod suo non implet lumine. Psal. LXXX, 12 et 13: *Non audivit populus meus vocem meam: et Israel non intendit mihi. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis.* Sic dimissus, est a Deo derelictus, et a Sanctorum bonis satiantibus derelinquendus. Osee, IV, 17 et 18: *Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum. Separatum est convivium eorum.* Dives enim idololatra, sicut dicitur, ad Ephes. V, 5: *Avarus, quod est idolorum servitus.* Iste a veri boni possessoribus præcipitur dimitti, quia separatum ab eis habet convivium: sicut,

Luc. xvi, 19 et seq., dives purpuratus a Lazaro paupere. Et ideo sicut boni veri possessor primum ab eo dimissus est, ita postea in inferno dives a Lazaro absque consolatione dimissus est vacuus, cum Lazarus jam sederet in mensa convivii regalis : de quo dicitur, Luc. xxii, 30 : *Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.*

Unde sequitur ille qui est ex tali dimissione defectus : fiunt enim « inanes » sive vacui. Job, xxvii, 19 : *Dives cum dormierit, nihil secum auferet : aperiet oculos suos, et nihil inveniet.* Psal. lxxv, 6 : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Divites enim hujus sæculi nihil habent in futuro sæculo, quia hic receperunt bona in vita sua. Et ideo si divitiis suis non mercantur cœlestia a pauperibus, quorum est regnum, nihil invenient in futuro sæculo. Unde dicitur, Luc. xvi, 9 : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Simul enim taliter divites defraudantur incerto divitiarum, et spe quam habent in ipsis : quæ est spes sufficientiæ ex divitiis. Et ideo dicitur, Psal. lxi, 11 : *Divitiæ si affluent, nolite cor apponere.*

Et causa redditur, Sapient. v, 15 : *Spes impij quasi lanugo est, quæ a vento tollitur : et tamquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur : et tamquam fumus, qui a vento diffusus est.* Tria enim sunt in divitiis, et tria in iudicio divitis. Tria in divitiis, flos sæculi qui arescit ut lanugo : fastus jactantiæ, qui in ampullas surgit ut spuma : amaritudo sollicitudinis, quæ est sicut fumus excæcans oculos. In divitiis autem sunt aculei spinarum in difficultate acquirendi, et timore perdendi : quæ significantur per carduum ferentem florem, qui arescit in lanuginem. Instabilitas quæ significatur per aquam, quia dives undique persequitur fugientes divitias : et ignem in æstu cupiditatis, qui

elevat fumum quemdam instabilem et amarum tetraarum divitiarum.

Tria iudicia divitis sunt : ventus iræ Dei, procella, impetus in eum insipientis pœnæ. Ventus autem diffundens fumum est vapor debilis vitæ separatus ab omni consolatione, Jacob. iv, 15 : *Quæ est vita nostra ? Vapor est ad modicum parens : et deinceps exterminabitur.* Sic igitur divites dimisit inanes. Genes. i, 2 : *Terra erat inanis et vacua,* hoc est, terrenorum cupidus affectus. Jerem. iv, 23 : *Adspexi terram, et ecce vacua erat, et nihili.* Quia etiam seipsum dives eviscerat, Eccli. x, 10 : *Nihil est iniquius quam amare pecuniam : hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua.* Job, xx, 15 : *Divitias quas devoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus.*

Et ergo dimittitur inanis talis dives.

« Suscepit Israel puerum suum. »

54

Tertia pars est hujus Cantici, propter quam totum introductum est canticum.

Et dicuntur in ea tria. Primum est humanæ naturæ in divinam personam susceptio : secundum est, Dei ab antiquo irascentis nunc ad misericordiam conversio : tertium est, promissorum omnium in hoc verificatio.

Sed attende primo ad litteræ constructionem : quia sicut jacet non habet congruam grammaticam. Ordina ergo sic : Deus ipse « *suscepit Israel puerum suum, sicut locutus est ad patres nostros.* » Et hoc fecit, « *recordatus misericordiæ suæ Abraham,* » hoc est, Abrahæ exhibendam, « *et semini ejus usque in sæculum.* »

Revertamur ergo nunc ad primum, dicentes :

« Suscepit Israel. »

Tria dicit : unionis videlicet modum, et assumptum, et assumpti actum.



In unionis modo duo sunt : unum quidem ex verbi supposito subintellecto, quod est assumens : et secundum ex verbi significatione, quod est assumptionis modus.

Suppositum verbi est, quod primo in Cantico inductum est, cum dixit : *Magnificat anima mea Dominum* : quia Dominus est assumens, vel brachium Domini, in quo Dominus fecit hanc potentiam.

Dicamus igitur : Ipse Dominus in brachio suo potente « *suscepit*, etc. » Non enim hoc facere poterat nisi Dominus : nec conveniens erat facere nisi in brachio, quod est Filius. Non enim Pater ab alio est : et ideo neque æternaliter, neque temporaliter nascibilis est. Spiritus autem sanctus quamvis ab alio sit, tamen nascibilis non est, et ideo Filius inconvenienter esset. In brachio ergo quod est Filius, qui et ab alio est, et nascibilis, ut dicit Hilarius, hanc perficit potentiam operationis. Isa. XL, 11 : *In brachio suo congregabit agnos*. Joan. I, 14 : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*. Ad Hebr. II, 14 : *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem*. Frater enim non esset, qui per nativitatem non processisset ex eodem patre, nec participavit naturam fratrum. Et ideo Pater in se non suscipere debuit, nec Spiritus sanctus : sed Filius ut frater esset, et fratres reconciliaret, et in regnum Patris introduceret susceptos. Psal. XXIX, 2 : *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me : nec delectasti inimicos meos super me*.

Hic est ergo assumens sive suscipiens.

Susceptionis autem modus est in compositione quærendus. Quod verbum componitur a *sursum* et *cepit*, quia assumendos nos, sursum erexit. Suscepit enim in naturam, in gratiam, in defensionem, in gubernationem, et in beatitudinem.

Per assumptionem quidem in naturam, erexit nos extra mortem, et Dei Patris iram : per assumptionem autem in gratiam, extraxit nos extra culpam : per assumptionem in defensionem, nos erexit extra hostis victoriosam impugnationem : per assumptionem in gubernationem, nos eduxit extra viæ periculosam dubitationem : per assumptionem in beatitudinem, nos extraxit extra miseriam.

De assumptione autem in naturam, ad Hebr. II, 16 : *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*. Jerem. XIII, 11 : *Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel*. Jerem. XXXI, 3 : *In charitate perpetua dilexi te : ideo attraxi te, miserans*.

De susceptione in gratiam, dicitur in Psalmo CVI, 17 : *Suscepit eos de via iniquitatis eorum : propter injustitias enim suas humilitati sunt*. Et ipsa humana natura dicit : *Non discedimus a te : vivificabis nos, Domine, et nomen tuum invocabimus*<sup>1</sup>.

De susceptione autem in defensionem contra hostis impugnationem dicit, Psal. CXVIII, 122 : *Suscipe servum tuum in bonum : non calumnientur me superbi*. Psal. XXIX, 2 : *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me : nec delectasti inimicos meos super me*. Job, XVII, 3 : *Pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me*.

De susceptione in gubernationem, Genes. XLIII, 9 : *Ego suscipio puerum : de manu mea require illum, nisi reduxero et reddidero eum tibi*. Psal. CXVIII, 116 : *Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam : et non confundas me ab expectatione mea*.

De susceptione in beatitudinem dicit, Psal. LXIV, 5 : *Beatus quem elegisti et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis*.

Per primam assumptionem homo est unctio deitatis inunctus. Per secun-

<sup>1</sup> Psal. LXXIX, 19.

dam autem est per gratiam sanctificatus. Per tertiam, per virtutem deitatis defensus. Per quartam, per lucem divinam secure deductus. Et per quintam, omni beatitudine glorificatus. Primam fecit Deus per seipsum : secundam, in quantum gratia plenus : tertiam, in quantum est virtus Patris : quartam, in quantum veritate plenus et sapientia Patris : quintam, in quantum est solus beatus qui solus habet immortalitatem. et habitat lucem inaccessibilem <sup>1</sup>.

Sic igitur

« *Suscepit Israel.* » Quidam voluerunt *Israel*, hic esse nominativi casus, ut sit sensus : Israel plebs Judæorum suscepit puerum suum sibi promissum in lege. Isa. ix, 6 : *Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis.* Sed ista expositio non videtur esse conveniens. Sed dicamus quod *Israel* accusativi casus est, ut sit sensus : *Suscepit Israel*, hoc est, Israelem. Israel enim suscepit, quando semen Israel suscepit. Ad Roman. xv, 7 : *Suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei.* Ad Philip. iii, 12 : *Sequor, si quomodo comprehendam in quo et comprehensus sum a Christo Jesu.*

Et hoc est assumptum.

« Puerum suum. »

Ecce tangit assumpti actum. Et secundum consuetudinem hebraici sermonis, *puerum* ponit pro servo. Ad Philip. ii, 7 : *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Matth. xx, 28 : *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.* Isa. liii, 13 : *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde.*

Iste autem puer a puritate dictus est :

quia purus puro corde, et pure implevit omne genus servitutis ad salutem nostram pertinens. Unde, Act. iv, 27 et 28, dicunt discipuli in oratione ad Deum : *Convenerunt vere, in civitate ista, adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus, ... facere quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri.*

Sequitur :

« Recordatus misericordiæ suæ. »

Videbatur enim Dominus diu oblitus generis humani ex ira primi peccati. Sed tandem pietate victus, « *recordatus est,* » hoc est, ad modum recordantis se habuit, « *misericiordiæ suæ.* » Habacuc, iii, 2 : *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Est enim prima promissio redemptionis facta ex misericordia. Sed impletio promissionis est ex veritate. Infra, in eodem, y. 78 : *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.*

Et subjungit de veritate, dicens :

« Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in sæcula. »

55

Ad Hebr. i, 1 : *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.* Locutus est enim per seipsum <sup>2</sup>. Locutus est per Angelos <sup>3</sup>. Locutus est per Moysen <sup>4</sup>. Locutus est per ora omnium Prophetarum <sup>5</sup>. Locutus est nobis tandem in Filio <sup>6</sup>. Osee, xii, 10 : *Ego visionem multiplicavi, et in manu Prophetarum assimilatus sum.* Psal. lxxxviii, 20 : *Tunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti : Posui adjutorium meum in potente, et exaltavi ele-*

<sup>1</sup> I ad Timoth. vi, 16.

<sup>2</sup> Cf. Genes. xii, 1 et seq.; xv, 1 et seq.; xviii, 1 et seq.

<sup>3</sup> Cf. Genes. xviii, 9 et seq.

<sup>4</sup> Cf. Exod. v, 1 et seq.

<sup>5</sup> Cf. Act. iii, 21.

<sup>6</sup> Ad Hebr. i, 2.

*ctum de plebe mea.* Locutus est etiam in corde per Spiritum sanctum. Psal. LXXXIV, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus : quoniam loquetur pacem in plebem suam.*

Ecce sic « *locutus est ad patres nostros,* » quorum nos sumus hæredes. Nec tantum locutus est, sed sicut dicitur ad Hebr. vi, 17 et 18 : *Consilii sui interposuit jusjurandum, ut per duas immobiles res quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum habeamus solatium.* Infra, in eodem, 73 : *Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.*

Sequitur :

« Abraham. »

Hoc continuatur ad hoc quod dixit. Recordatus misericordiæ suæ exhibendæ Abraham, hoc est, Abrahæ. Hunc igitur specialiter nominat, quia illi primo misericordia ista promissa est. Et quia ipse pater est promissionis filiorum, sicut dicitur, ad Galat. iii, 6 : *Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Unde dictus est *pater multarum gentium.* Data est autem promissio Abrahæ, primo quidem in præputio <sup>1</sup> : deinde etiam in circumcissione <sup>2</sup>. Et dicit Apostolus, ad Roman. iv, 11 et 12 : *Et signum accepit circumcissionis, signaculum justitiæ fidei quæ est in præputio, ut sit pater omnium credentium per præputium :... ut reputetur et illis ad justitiam, et sit pater circumcissionis.* Sic enim pater est multarum gentium.

Unde sequitur :

« Et semini ejus in sæcula. »

Apostolus, ad Roman. ix, 8 : *Non qui filii sunt carnis, ... sed qui sunt filii promissionis, æstimantur in semine.* Semen enim hoc est de quo dicitur, ad Galat. iii, 16 : *Semini tuo, qui est Chri-*

*stus.* Hoc est enim est semen in quo benedicendæ sunt omnes gentes. Isa. LXV, 23 : *Semen benedictorum Domini est : et nepotes eorum coram eis.* Eccli. XLIV, 12 : *In testamentis stetit semen eorum.* Isa. LX, 21 : *Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.*

« *In sæcula,* » hoc est, usque in æternum : quia hoc est sæculum, finis horum temporalium sæculorum. Exod. xx, 6 : *Faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea.* Non enim est finis misericordiæ quamdiu durat nostra miseria. In sæculo autem futuro finitur miseria : et ideo usque in illud sæculum fit misericordia.

« Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus : et reversa est in domum suam. »

Hic significatur quare ad montana conscendit, ut videlicet vetulæ prægnanti obsequeretur. Cum enim tres quartæ anni sint tempus imprægnationis mulieris secundum naturam : in primis duabus quartis, mulier prægnans non multum est gravis : et ideo in illis fere per totum occultavit Elisabeth. In ultima vero gravidatur de die in diem, plus et plus. Et ideo tunc revelatus est partus ejus ab Angelo juvenulæ matri Domini, ut veniat ad obsequendum : et ideo per totam illam quartam mansit cum ea mater Dei usque ad partum.

Et hujus sunt quatuor causæ. Prima quidem, ut non otiositatis causa discursisse videatur. Secunda autem, ut quamdiu durat necessitas proximi, ab ipsa exemplum obsequendi præbeat. Tertia autem, ut virtus matris Joannis et nati augeatur ex mansione sua. Quarta tandem, ut hæc quæ ab Angelo dicta sunt de præcursore, oculis fidelibus ab ipsa conspiciantur.

<sup>1</sup> Genes xii, 2 et seq.

<sup>2</sup> Genes. xvii, 10 et 11.

Otiose enim discurrentes non diu valent in uno loco pedibus suis consistere <sup>1</sup>. I ad Thessal. iv, 11 : *Operam detis ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis*. Inquietudo enim tam in viris quam in mulieribus vituperatur. II ad Timoth. iii, 5 et 6 : *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus penitus abnegantes. Et hos devota : ex his enim sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis*. Talis enim discursus non est, nisi ut hauriantur undique libidinis fomenta. Sapient. ii, 9 et 8 : *Ubique relinquamus signa lætitiæ :... nullum præteritum sit quod non pertranseat luxuria nostra*. Mansio autem talis significatur, Genes. xviii, 2 et seq., ubi etiam in adventu Angelorum sancta fœmina Sara inventa est in tabernaculo.

Dat etiam exemplum non parumper, sed tamdiu obsequendi, donec finiatur indigentia proximi. Sic enim probat verum esse quod dixit : *Ecce ancilla Domini* <sup>2</sup>. Sunt enim oculi ancillæ semper in manu dominæ <sup>3</sup>. Talibus enim obsequiis non indiget in se, sed in membris et necessitatibus suorum. Proverb. xxxi, 27 : *Consideravit semitas domus suæ, non platearum, et panem otiosa non comedit*. Domus enim congregatio conjunctorum ibi vocatur : unde de domo sua fuit cognata ejus Elisabeth. I ad Timoth. v, 8 : *Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior*. Isa. lviii, 7 : *Carnem tuam ne despexeris*.

Ex hoc etiam profecit virtus tam Elisabeth quam Joannis. Unde Beda in Glossa : « Nec sola causa familiaritatis « tamdiu mansit, sed ut toto tempore « Elisabeth et Joannis cresceret profectus. » Nam si in primo adventu Mariæ Spiritu sancto sunt repleti, multum est illis superadditum tanta mora mansionis.

<sup>1</sup> Cf. Proverb. vii, 11.

<sup>2</sup> Luc. i, 38.

<sup>3</sup> Psal. cxxii, 2 : *Sicut oculi ancillæ in manibus*

Genes. xxx, 27 : *Inveniam gratiam in conspectu tuo : experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te*.

Quarta causa etiam in Glossa est, ubi dicit : « Tamdiu mansit ut videret præcursoris nativitatem, propter quam maxime venerat. » Job, xlii, 5 : *Auditu auris audivi te : nunc autem oculus meus videt te*. Simile, Genes. xlv, 28 : *Sufficit mihi, ... vadam, et videbo illum*.

His ergo de causis mansit Maria

« Cum illa quasi mensibus tribus. »

Quasi dicit temperando locutionem propter parvas dieculas, quibus forte plus vel minus mansit. In mensibus autem tribus, tres sunt lunæ renovationes ex mutuato lumine solis : quæ significant tres ex illuminatrice (quod sonat Maria) mutuatas illuminationes, quas Glossa attribuit fidei, spei, et charitati. « Fides « enim, ut dicit Augustinus, ad lumen « oculos aperit, spes erigit, charitas figit. » Eccli. xliii, 4 : *Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans*. Inde dicitur, Proverb. xxxi, 18 : *Non extinguetur in nocte lucerna ejus*. Omnes enim irradiat : eo quod ipsa est amicta sole, et luna sub pedibus ejus <sup>4</sup>. Omnes irradiat pietatis officio, sanctitatis merito et exemplo, et plenæ illuminationis verbo : nihil in tenebris permanet, ubi illuminatrix intravit. Isa. lviii, 10 : *Orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies*.

« Et reversa est in domum suam. »

Genes. xxx, 30 : *Justum est ut aliquando provideam domui meæ*. Mansit igitur quietam se demonstrando, tribus mensibus. Mansit obsequium pietatis usque in finem perficiendo. Reversa est, non semper circa alia, sed aliquando cir-

dominæ suæ, etc.

<sup>4</sup> Apocal. xii, 1.

ca propria intendendo. Exivit in pietatis actionem, et reversa est ad familiaria in veritatis contemplatione. Ezechiel. i, 14: *Animalia ibant, et revertabantur in similitudinem fulguris corruscantis.* Cantic. vi, 12: *Revertere, revertere, Sulamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.* Sulamitis (quæ *captiva* interpretatur) est anima capta jam amore et dulcedine contemplandæ veritatis, inter quas regina fuit anima Beatæ Virginis. Huic sodales sponsi clamant: Revertere ab occupatione curæ familiaris, revertere ab obsequio pietatis, revertere ab actione exercendæ virtutis, revertere ad limpidam speculationem veritatis, ut in lumine divino radiantem intueamur te.

Sic ergo reversa est « *in domum suam.* » Sapient. viii, 16: *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa,* scilicet sapientia: *non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius.*

Istud tamen dictum est per anticipationem, quia non rediit nisi Joanne jam nato: sed Evangelista anticipat, ut continua sit historia de nativitate præcursoris.

57 « Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, et peperit filium. »

Hic incipit Evangelista agere tam de nativitate præcursoris, quam de nativitate Salvatoris, infra, cap. ii.

Et primo, sicut congruit, de nativitate præcursoris, de qua tria scribit. Primo enim de nativitatis ortu: secundo, de sacramento et sanctitatis et opinionis progressu: tertio vero, de conversationis profectu describit.

De nativitatis quidem ortu describit duo: ordinem videlicet generationis, et modum congratulationis: ordinem generationis quo editus est ad lucem, modum congratulationis in omnibus sibi conjunctis per loci confinitatem vel per sanguinem.

Ordo autem generationis est descriptus in quatuor: nam in parente ex nomine ad tantum natum significatur idoneitas: in tempore, congruitas: in parturitione, virium ad enitendum integritas: in nato vero nobilitas.

Parentis quidem ad tantum vatem pariendum ex nomine idoneitas prænotatur, cum dicitur: « *Elisabeth,* » quod interpretatur *Dei mei saturitas.* Quam quidem saturitatem quidam fastidiunt, quidam esuriunt, quidam saporant, quidam gustant, quidam non ad satietatem sumunt, quidam autem ea saturantur, et quidam usque ad eructationem et ebrietatem replentur.

Eandem fastidiunt quidem desides, Numer. xi, 6: *Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man.* Et, ibidem, Numer. xxi, 5: *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* Et isti sunt mali, palatum cordis infectum habentes.

Esuriunt autem jam ad satietatem redeunt, de quibus dicitur, Matth. v, 6: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Unde dictum est ab Augustino: « *Cibus sum grandium: cresce, et manducabis me.* »

Saporant autem qui per saporem spiritualem hujus cibi aliquantulum sentiunt dulcedinem quasi per odoratum, Cantic. i, 3: *Memores uberum tuorum super vinum.* Unde dicitur, Cantic. iv, 11: *Mel et lac sub lingua tua.*

Gustant autem qui jam ipsam sentiunt dulcedinem, I Petr. ii, 3: *Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus.* Et isti sunt parvuli quibus in primis rudimentis instillatur veritas, I ad Corinth. iii, 1 et 2: *Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.*

Comedunt qui plus profecerunt, de quibus dicitur, Cantic. v, 1: *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* I Reg. xiv, 29: *Illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto.*

Saturantur autem quibus omne desi-

derium suum facit Deus. Proverb. XIII, 25 : *Justus comedit, et replet animam suam*. Psal. LXXVII, 29 : *Manducaverunt et saturati sunt nimis, et desiderium eorum*, etc. Isa. XXII, 13 : *Comedamus et bibamus*, etc.

Eruçant autem istius saturitatem, de quibus dicitur in Psalmo CXLIV, 7 : *Memoriam abundantiae suavitatis tuæ eructabunt*. Psal. XLIV, 2 : *Eruclavit cor meum verbum bonum*. Cantic. V, 1 : *Inebriamini, charissimi*.

Talis igitur fuit ista parens, et ideo dicta est Elisabeth.

Et dicit temporis congruitatem, cum subdit :

« Impletum est tempus pariendi. »

Glossa : « Verbum impletionis sacra Scriptura in bonorum tantum ortu, vel obitu, vel actu, ponere consuevit : quorum vitam plenitudinem perfectionis habere significat : ut ibi, Luc. II, 6 : *Impleti sunt dies Mariæ ut pareret* : et hoc est de ortu. Implevit Salomon ædificare domum<sup>1</sup> : et hoc de actu. Defunctus est Abraham plenus dierum<sup>2</sup> : et hoc est de obitu. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*, etc.<sup>3</sup>. Econtra dies impiorum sunt inanes et vacui. » Et hæc quidem sunt verba Glossæ.

Et videntur habere instantiam per illud Genesis, xv, 16 : *Necdum enim impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum*. Et, Isa. I, 15 : *Manus vestræ sanguine plenæ sunt*. Et ad hoc dicendum secundum Glossam, quod omnis plenitudo, perfectionis est et boni. Sed cum dicitur impleta est iniquitas, est plenitudo quæ non est in iniquitate vel peccante, sed potius in sententia justitiæ. Impleta enim est iniquitas, quæ non est amplius toleranda, sed præscindenda per sententiam. Et ideo impletio iniquitatis non est in ip-

sa, sed potius est in ea quæ dicitur justitia judicis : et ideo ab eo potius est justitia plena quam iniquitas : sicut dicit Psalmus XLVII, 11 : *Justitia plena est dextera tua*.

Istud autem tempus pariendi non est plenum secundum periodum spatii naturalis imprægnationis, sed potius secundum impletionem sacramentorum istius nativitatis. Hujus enim initium fuit annuntiatio angelica et supermundana. Decursus autem habuit quinque : conceptum videlicet sterilis et anus ex sene, supernaturalem formationem partus, divinam sanctificationem in utero, privilegiatam exultationem ad præsentiam Christi in utero existentis, singularem sensum vocis salutantis Beatæ Virginis mirabilem : quem sensum vocat Ambrosius *intellectum*. Primum fuit Angelicum ministerium : secundum fuit super naturam et ætatem existens miraculum : tertium fuit rarus effectus prædestinationis : quartum, privilegiatæ sanctificationis : quintum, singularis inspirationis. In primo horum notatur Joannis dignitas : in secundo, divina potestas : in tertio, Dei bonitas : in quarto, divina gratitudo : in quinto, sapientiæ divinæ fortitudo.

His ergo sacramentis tot et tantis additur ad complementum nativitas ex utero ante illuminationem mundi, ne ante tempus pariens abortivum faciat imperfectum. Hæc est plenitudo temporis pariendi quam præfinivit Deus, et de qua supra dixit Angelus, *quæ implebuntur in tempore suo*<sup>4</sup>. Eccle. III, 1 et 2 : *Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cælo. Tempus nascendi, et tempus moriendi*.

« Et peperit. »

Hic notatur virium ad pariendum per-

<sup>1</sup> III Reg. VI, 14. Vulgata habet : *Igitur ædificavit Salomon domum, et consummavit eam*.

<sup>2</sup> Genes. xxy, 8.

<sup>3</sup> Ad Galat. IV, 4.

<sup>4</sup> Luc. I, 20.

fectio, et integritas supra impotentiam ætatis, quæ frigida erat et sicca. Ex frigiditate quidem conserens carnes, corrugans pellem, et per consequens impotentiam faciens pariendi. Ex siccitate autem mortificans fœtum, sicut de quibusdam dicitur, Isa. xxxvii, 3: *Venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi.* Propter quod et Rachel, Genes. xxxv, 18: *Vocavit nomen filii sui Benoni, id est, filius doloris mei.* Similiter etiam, I Reg. iv, 19 et seq., uxor Phinees sacerdotis periclitata est in partu cum capta esset arca, et moriens vocavit filium inglorium, quod interpretatur Ichabod. Hæc autem cui vires non natura, sed gratia ministrat, « *peperit,* » integra manente virtute. Isa. xxvi, 17 et 18: *A facie tua, Domine, concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum.*

Rachel autem periclitata in terra promissionis, imprægnata ex semine Patriarchæ, significat religiosos sive clericos viribus propriis ad superna nitentes, quos deficere est necesse: quia ratio humana deficit in lumine divino, quod humanam virtutem transcendit. Uxor autem Phinees qui interpretatur *os mutum*, significat eos qui os a divinis laudibus claudunt: et ideo in divinis moriuntur per dubitationem, vel errorem: et filium inglorium per errorem morientes gignunt. Hæc autem divina virtute prædita parit, quæ divina virtute concepit.

Sequitur:

« *Filium.* »

Quamvis enim, sicut dicitur, Eccli. xxxvi, 23, *Filia sit aliquando melior filio*<sup>1</sup>, tamen, ut dicit Philo in libro suo Exodi: « *Imperfecta generatio est filia.* » Aut enim bona est, aut mala: si bona est, est facta in adjutorium viro, Genes. ii, 18: *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Idem, Tobia, viii, 8: *Tu fe-*

*cisti Adam de limo terræ, dedisti que ei adjutorium Hevam.* In quantum enim homo animal conjugale est, facta in adjutorium viri est, et non propria intentione facta: et sic est imperfecta generatio. Si autem mala est filia, est exemplum dissolutionis, fomentum libidinis, conturbatio cognationis, et excidium patriæ. Omnia hæc probantur in Dina, filia Jacob<sup>2</sup>: et in historiis Gentilium de Helena. Hæc igitur virtutem partus a Deo habens, nihil imperfectum protulit, sed filium peperit: exemplum habens ubi Ecclesia sub specie mulieris parturientis inducitur, Apocal. xii, 1 et 5, quæ amicta sole peperit filium masculinum, qui raptus est ad Deum, et ad thronum majestatis divinæ.

Sic ergo explicat ordinem generationis.

« *Et audierunt vicini et cognati ejus quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei.* »

58

Modum autem congratulationis ponit in quatuor: quorum primum est, facilis tanti miraculi auditus: secundum autem, omnium conjunctorum hilaris et lætambundus concursus: tertium, est auditus lætus et jucundus: quartum autem, congratulationis modus.

De primo dicit: « *Et audierunt.* » Quatuor sunt facientia auditum facilem, quorum primum, quod sit auris audiendi, et non auris non habens auditum. Matth. xiii, 43: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Hoc autem fit per vitalem et sensibilem et intellectualem spiritum diffusum in auribus, qui diffunduntur in auribus spiritualium virorum. Apocal. ii, 7: *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

<sup>1</sup> Vulgata habet, Eccli. xxxvi, 23: *Omnem masculinum excipiet mulier: et est filia melior filia.*

<sup>2</sup> Cf. Genes. xxxiv, 1 et seq.

Secundum autem est, quod auris lenis sit, quæ de facili locutione spiritus immutetur. Job, iv, 16 : *Vocem quasi auræ lenis audiui*. Secundum naturam autem duris fit dura, frigiditate indurante et spiritu averso, cum quo calor et vita retrahitur. E contra per spiritum et calorem in aurem protensa lenis efficitur auris. Unde, ibidem, x. 12, dicitur : *Et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus*.

Tertium est quod sit zelus, hoc est, amor contendens ad audiendum. Sapient. i, 10 : *Auris zeli audit omnia*.

Quartum est quod sit patula et intendens ad auditum porrecta, hoc est, auscultans. Cantic. viii, 13 : *Quæ habitas in hortis, amici auscultant*. Joan. iii, 29 : *Amicus sponsi qui stat, et audit eum*, hoc est, auscultat ad vocem sponsi et sponsæ.

Ex his igitur causis facile audierunt omnes qui tunc spirituales erant, et venturum in carne Christum per præsentiam desideraverunt. Et ideo de præcursore quidquid poterant libenter audierunt.

« Vicini et cognati ejus. »

Eccelætus omnium amicorum concursus. *Vicini* enim sunt nobiscum in eodem vico commorantes. *Cognati* autem ex uno progenitore nobiscum per generationem egredientes.

Vicini ergo nostri sunt nobiscum unius vici, hoc est, unius civitatis habitatores. Et hoc quidem sunt *convicanei* in terra vocati. In cælo autem habitant nobiscum Angeli supernam civitatem. Ruth, iv, 17 : *Vicinæ mulieres congratulantes ei, et dicentes : Natus est filius Noemi*. Cantic. iii, 2 : *Per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea*.

Cognati vero nobiscum ex uno progenitore Deo. Malach. ii, 10 : *Numquid non pater unus omnium nostrum ?* Joan.

i, 12 et 13 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. I Joan. iii, 9 : *Qui natus est ex Deo peccatum non facit*, sed generatio Dei conservat illum. Psal. xxiii, 6 : *Hæc est generatio quærentium Dominum*. Isti ergo sunt vicini et cognati. Ad Ephes. ii, 19 : *Non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei*, hoc est, de domo Dei nati.

Ecce venerabilis amicorum concursus.

Sequitur lætissimus auditus :

« Quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa. »

« *Dominus*, » inquam, qui potuit, sicut jam ante dictum est : *Qui potens est, et sanctum nomen ejus* <sup>1</sup>.

« *Magnificavit*, » hoc est, magnifica liberalitate fecit. Ipse enim est *magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia* <sup>2</sup>. Sic enim per magnifica dona elevata est magnificentia sua super cælos, supercælestibus donis ditans Elisabeth, ut patet per ante dicta.

« *Misericordiam suam*, » quæ per effectum nostram aufert miseriam : opprobrium sterilitatis recompensans uno plurimos valente filio, et impotentiam anilem divino supplens fœcunditatis miraculo. Isa. lxvi, 9 : *Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus ? Hanc misericordiam opprobrium tollentem notavit superius, ubi dixit : Sic fecit mihi Dominus, in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines* <sup>3</sup>. Misericordia enim ista prævenit annuntiando et fœcundando : subsequuta autem est formando, et sanctificando, et ad lucem luciferum perducendo. Thren. iii, 22 : *Non defecerunt misera-*

<sup>1</sup> Luc. i, 49.

<sup>2</sup> Exod. xv, 41.

<sup>3</sup> Luc. i, 25.



*tiones ejus. Isa. LXIII, 7 : Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus.*

Sequitur congratulationis modus, cum dicit :

« Et congratulabantur ei. »

Congratulatio est jucunda gratiarum actio de gratis accepto dono. Luc. xv, 6 : *Congratulamini mihi, quia inveni ovem quæ perierat.* Attende ergo, quod congratulari non poterant, nisi et ipsa gratularetur. Et ideo licet tristitiam in partu habuit, quia venit hora ejus <sup>1</sup>, tamen jam non meminit pressuræ, sciens per Spiritum quia talem et tantum genuit filium. Isa. LIV, 1 : *Lauda, sterilis, quæ non paris : decanta laudem, et hinni, quæ non pariebas.*

59 « Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum. »

Sequitur de sanctitatis istius Præcursoris progressu.

Et hoc est quod dicit : « *Et factum est in die octavo.* »

Tangit autem hic duo, quæ significant sanctitatis ejus progressum : quorum unum est congruentia legis, secundum autem per multa indicia fama sanctitatis.

Ut enim legi congrueret, Joannes suscepit circumcisionem. Circumcisio autem quatuor de causis suscipiebatur : quarum una est, ut præceptum circumcisionis impleatur. Genes. xvii, 14 : *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo : quia pactum meum irritum fecit.*

Secunda est, ut remedium ex circumcisione contra peccatum acquiratur. Beda : « Idem salutiferæ curationis conferebat in veteri lege circumcisio, quod

« tempore revelatæ gratiæ baptismus « conferre consuevit. » Isa. LI, 1 : *Non adjiciet ultra ut pertranseat per te incircumciscus et immundus.*

Tertia est, ut circumciscus legi congruat. Et sic Joannes jam in utero sanctificatus circumciscus erat : non ut remedium acciperet, sed ut legi congrueret. Sicut enim dicitur, Matth. xi, 12 : *Omnes Prophetæ et Lex usque ad Joannem.* Et, antea, x, 11 : *A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Et ideo Joannes medium est inter Legem et Evangelium. Medium autem participat utriusque extremi aliquid. Et ideo sicut per simile elementum, et similem actum baptismatis sui, baptismo Christi et Evangelio congruebat, ita per susceptionem circumcisionis congruebat legi et circumciscioni : et ideo circumciscus est.

Quarta causa est, ut susceptio circumcisionis circumcisionem et legem terminaret. Et sic Christus accepit circumcisionem. Ad Roman. x, 4 : *Finis legis, Christus, ad justitiam omni credenti.* Et ideo post Christum circumcisio nihil conferebat. Ad Galat. v, 2 : *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* Dabatur autem circumcisio in signum justitiæ cordis. Ad Roman. iv, 11 : *Signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei.* Signum enim erat quod sicut superfluum pelliculæ circumciditur in corpore ubi viget concupiscentia, ita superfluum concupiscentiæ circumcidi deberet in corde. Ad Roman. ii, 28 et 29 : *Non enim qui in manifesto, Judæus est, neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio : sed qui in abscondito, Judæus est, et circumcisio cordis in spiritu, non littera : cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* De taliter circumciscis dicitur, Deuter. x, 16 : *Circumcidite igitur præputium cordis vestri, et cervicem vestram durissimam ne induretis*

<sup>1</sup> Cf. Joan. xvi, 21.

*amplius. Jerem. iv, 4 : Circumcidimini Domino, viri Juda, et auferte præputia cordium vestrorum.*

Fiebat autem « *in die octavo* » propter octavam resurrectionis, in qua præceditur ab electis omnis corruptio. Vel forte melius dicitur, quod quia res significata et causata in circumcissione, est circumcissio superfluitatis concupiscentiæ et delectationis : concupiscentia autem et delectatio nihil penitus habens superfluum est admirabilis, pura, et firma, ut docet Aristoteles : tunc quando omnia alia præciduntur, homo spiritualiter est circumcissus. Delectatio autem admirabilis est, per hoc quod est alta. Pura autem, per hoc quod contrario nullo est admixta. Firma vero, per hoc quod est certa et essentialis secundum seipsam delectans.

Tria autem faciunt altissimam. Primum quidem restrictio carnalis voluptatis in complexione : secundum autem, cohibitio passionis sive tentationis in voluntate : tertium autem, custodia cordis sive exaltatio cordis in sancti Spiritus illustratione.

Et de primo quidem horum dicitur, I ad Timoth. iv, 12 : *Nemo adolescentiam tuam contemnat*, hoc est, fac ut non contemptibilem habeas adolescentiam. Unde alibi, scilicet II ad Timoth. ii, 22 : *Juvenilia desideria fuge*. Nomen enim incontinentiæ, ut dicit Philosophus, ad puerilia et juvenilia peccata transfertur. Hæc igitur illustratio gratiæ super voluptatem carnis est prima dies.

De secundo habes, Eccli. xviii, 30 et 31 : *Fili, post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis*. Et hæc est secunda illustratio super passionem in cogitatu et voluntate.

De tertia dicitur, Proverb. iv, 23 : *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit*. Et hoc fit cum continetur in alta spiritus consolatione. Psal. lxi, 7 et 8 : *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus*.

Hæc igitur tria faciunt delectationes altissimas et mirabiles. Psal. xv, 10 : *Delectationes in dextera tua usque in finem*.

Duo autem sunt quæ faciunt puras delectationes, quorum primum ad rationem conversio sensualitatis sive brutalitatis : quia si ad sensuum oblectamenta convertatur, statim inducit impuritatem. Secundum autem est, ut ratio sive spiritus in simpliciter spiritualibus exercentur.

De primo, Proverb. xxvii, 23 : *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera*. Vultus a *volendo* dicitur, hoc est, per rationis intentionem quid velit sensualitas discute, et motus pecorinos tuos cohibe. Psal. lxxii, 23 : *Ut jumentum factus sum apud te : et ego semper tecum*. Jumentum enim apud Deum est jumentinus motus per spiritum relatus in Deum. Et hæc est illustratio quarta, et dies quartus.

De exercitio autem spiritus in spiritualibus dicitur, I ad Corinth. ii, 15 : *Spiritualis homo judicat omnia, et ipse a nemine judicatur*. Et hæc est illustratio quinta. Licet enim animalis motus sit naturalis, tamen est communis et non purus, nisi ad spiritum purum referatur.

Hæc igitur duo puram et non habentem contrariam faciunt delectationem.

Tria autem sunt quæ faciunt eam firmam, quæ sunt separatio a tribus : ut ipsa quidem nulla sit species mali, nulla species insipidi, nulla species imperfecti. Et hæc tria notantur, ad Roman. xii, 2 : *Probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta*. Bona, simplicem formam habens boni, nihil mali admixtum. Beneplacens autem est voluntas pascens, quæ pascitur in volito. Et hoc non potest esse transitorium, quia hoc est insipidum. Perfecta autem est, cui nihil deest. Et hæc nihil habet imperfectum. Delectatio igitur nihil habens carnalitatis, nihil passionis inordinatæ, sed multum habens altitudinis. Item, in qua animalitas tota conversa est

ad spiritum, et spiritus exercitatus in Deum, quæ est de delectabili bono beneplacente et perfecto, facit optimam delectationem.

Et hi sunt octo dies, in quibus circumciditur a delectatione id quod est superfluum.

« Venerunt, »

Supple, vicini et cognati ejus, de quibus jam dictum est. Isa. LX, 4 : *Fili tui de longe venient, et filia tuæ de latere surgent.* Psal. CXXI, 4 : *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini : testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini.*

« *Circumcidere,* » superfluum concupiscentiæ et delectationis deponendum significare. Genes. XXXIV, 22 : *Unum est quo differtur tantum bonum : si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes.*

« *Puerum,* » a puritate dictum : quia si expectaretur ad ætatem adultam, circumcisio de se peccatum actuale non curasset : sed si dimissum fuisset, hoc esset de misericordia Domini. Genes. XVII, 12 : *Infans octo dierum circumcidetur.*

« Et vocabant eum nomine patris sui Zachariam. »

60

Et respondens mater ejus, dixit : Nequaquam, sed vocabitur Joannes. »

Ecce indicium futuræ sanctitatis ex nomine.

Et dicuntur hic duo, quorum primum est impositio nominis, secundum autem nominis impositi effectus et prodigium.

Impositio nominis quatuor habet diversitates : unam quidem patris nomen imponere volentium : secundam autem, matris contradictionem : tertiam, patri ut nomen promulget innuentium : quartam autem, patris cum matre consensum.

Dicit igitur :

« *Et vocabant,* » hoc est, vocandum

censebant, « *nomine patris sui,* » ut sicut imago patris profusa est in filio, ita nomine ipsius prænotaretur : et hoc judicabant legi divinæ esse consonum, Deuter. XXV, 5 et 6, ubi sic dicitur : *Quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubat alteri : sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris suis : et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel.* Ex hoc enim argumentati sunt, nomine patris primogenitum esse multo magis appellandum, ut non deleatur nomen ejus ex Israel. Et hoc quidem satis rationabiliter existimabatur ab ignorantibus mysterium, quod de nova gratia et novo populo Angelus revelavit. Si enim lex mansisset debuisset, et Israel populus antiquus, congruum esset et nomen sacerdotis in populo remanere. Sed quia sacerdotium jam erat transferendum : et, sicut dicitur, ad Hebr. vii, 12 : *Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat :* ideo nec puer sacerdotio patris successerat, nec nomen ab ipso remanendum accipere debuit, sed nomen erat delendum sicut et sacerdotium. Psal. xv, 4 : *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Quamvis enim pater fuerit venerabilis et omni honore dignus, tamen nomine suo et statu significat transferendum esse sacerdotium : quod non nisi in memoria, et non in observatione debuit remanere.

« *Zachariam.* » Et ideo etiam *memor Domini* interpretatur. Jerem. LI, 50 : *Recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum.* Isa. XLIII, 18 et 19 : *Ne memineritis priorum, et antiqua ne intueamini : ecce ego facio nova, et nunc orientur.*

« Et respondens mater ejus, dixit. »

Ecce secunda diversitas : contradictio matris per maritum edoctæ mysterium novæ gratiæ, quod præfiguratur in novo nomine.

Et ideo etiam contradicendo respondet : « *Nequaquam.* » Simile, Genes. xxxv, 10 : *Non vocaberis ultra Jacob, sed Israel erit nomen tuum*, quod rectissimus est in quo est gratia Dei, scilicet, Joannes in quo est gratia.

Et hoc est quod sequitur :

« Sed vocabitur Joannes. »

Hoc enim est nomen aliud, nomen novum, nomen quod os Domini nominavit, nomen gratiæ, et nomen amicum, nomen ea quæ sunt legis novæ prætendens sacramenta. Aliud enim est quod notam facit melioris status. Nomen mandatorum novorum et innovantium est figura. Nomen quod os Domini nominavit, qui solus hanc gratiam dare potuit. Nomen gratiæ quam lex vetus non contulit. Nomen amicum quod reconciliatis et amicis competit.

Quod enim aliud sit, Isa. lxxv, 15 et 16, dicit : *Servos suos vocabit nomine alio, in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo amen.*

Quod autem sit novum, Isa. lxxii, 2 : *Vocabitur tibi nomen novum.* Et subjungitur : *Quod os Domini nominabit.* Quia solus Deus hoc nomen ad initium nostræ salutis invenit.

Nomen etiam est gratiæ, quia Joannes sonat *gratia Dei*. Exod. xxxiii, 12 : *Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me.*

Nomen etiam amici ad amicum. Joan. iii, 29 : *Amicus sponsi qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.*

Sequitur :

61 « Et dixerunt ad illam : Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine.

62 Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum. »

Tertius paragraphus, matri obniventium, et patri de nomine innuentium. Et ideo iste paragraphus duo continet.

Obtinuntur enim voluntati matris, dicentes : « *Quia nemo est.* » Pleonasmus est more hebraici idiomatis, et abundat conjunctio, *quia*. Vel, sic legatur : *Volumus nomen patris imponere, et non tibi consentire, « quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. »*

Et ideo secundum legem præinductam, hoc nomen puero non esse imponendum videtur. Significant autem isti, sicut dicit Glossa, eos qui paternas æmulantur traditiones, et zelant statum veteris legis : de quibus dicitur, ad Galat. i, 14 : *Proficiebam in Judaismo supra multos cœtaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.* Ad Roman. x, 3 : *Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*

Significant autem et illos qui antiquas antecessorum suorum consuetudines æmulantur, et ad nova meliora suis transire dedignantur : contra hoc quod dicitur, Levit. xxvi, 10 : *Comeditis vetustissima veterum, et vetera novis supervenientibus, projicietis.* Quando est error, vel perversitas, vel imperfectio in veteribus, deserenda sunt : quia quanto mala consuetudo diutius tenetur, tanto miserabilius miseram animam tenet obligatam. Ad Hebr. viii, 13 : *Quod antiquatur et senescit, prope interitum est.* Baruch, iii, 10 et 11 : *Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es? inveterasti in terra aliena.* Isti ergo sic vetera æmulantes dicunt : « *Quia nemo est in cognatione tua,* » quæ tota est perditorum generatio : quia, ad Hebr. vii, 19 : *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Ad Roman. iv, 15 : *Lex iram operatur.* Iterum, ad Roman. v, 20 : *Lex subintravit ut abundaret delictum.* Nemo ergo est in cognatione eorum qui sunt sub lege, qui vocetur hoc nomine divinæ gratiæ. *Lex enim per Moysen data est, scilicet in onus et figuram : gratia autem et veritas per*

*Jesum Christum facta est* <sup>1</sup>. Ad Ephes. II, 3, omnes nascimur filii iræ <sup>2</sup>.

Amplius autem adhuc zelantes,

« Innuebant patri ejus. »

Ex isto patet, quod pater factus fuit surdus et mutus : quia si surdus non esset, locuti fuissent, et non nutibus innuissent eidem. Fuit autem ista innuitio per nutus, vel per scripturam, vel per alium quemcumque modum in quo vis nulla.

Et per nutus illos interrogabant, « quem vellet vocari eum, » quia pater potior est quam mater, et magis est de filio interrogandus. Isa. XLV, 11 : *Ventura interrogate me, super filios meos, et super opus manuum mearum mandate mihi*. Præsumebant enim quod pater in filio zelaret permanentiam sui nominis, sicut et in natura filium protulit vice pignoris.

**63** « Et postulans pugillarem scripsit, dicens : Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi.

**64** Apertum est autem illico os ejus, et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum. »

Ecce quartus paragraphus, de patris cum matre consensu.

Et tangit duo : consensum, et effectum in aliis.

De primo dicit : « *Et postulans*, » nutu quo poterat, « *pugillarem*, » a pugno dictum (et est tabula pugno clausa) « *scripsit, dicens*, » quia voce non poterat, nec expressum determinati nominis signum dare poterat.

« *Joannes est*, » jam ante ab Angelo impositum, non ab alio imponendum, « *nomen ejus*, » non mutandum.

<sup>1</sup> Joan. I, 17.

<sup>2</sup> Ad Ephes. II, 3 : *Et eramus natura filii iræ*,

Attende autem tria esse in facto patris. Scripsit enim, et in pugillari scripsit, et jam existere non imponendum nomen significavit. Scripsit quidem ob æternam novæ legis memoriam. Apocal. III, 12 : *Scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei, novæ Jerusalem* : quia civitas a Joannis nomine per gratiam prædicatam incepit. Scripsit autem in pugillari, ut semper in pugno ad manum paratum habeatur : ut pro tanta gratia semper agatur gratiarum actio. Habacuc, II, 2 : *Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum*. Significat autem nomen præexistere, quia non dicit, *erit*, sed, *est* dicit. Isa. XLIX, 1 : *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei*.

Sequitur de effectu cum dicit :

« Et mirati sunt universi, »

De patris et matris in uno nomine consensu. Cum ante pater matri nihil de hoc potuerit esse locutus. Eccli. XXV, 1 et 2 : *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene consentientes*. Hic enim ex consensu viri et mulieris nata est concordia fratrum, et cognationis vis, et amor proximorum in omnibus vicinis.

« Apertum est autem illico os ejus, etc. »

Ecce nominis effectus in patre. Et causatur effectus duplex : sanitas videlicet in corpore, et prophetiæ in mente.

De effectu quidem sanitatis in corpore tangit duo : miraculum videlicet in corpore, et stuporem in adstantibus.

De miraculo quidem dicit duo : miraculum scilicet, et miraculi probationem.

*sicut et cæteri.*

Circa miraculum tangit duo : oris videlicet apertionem, et linguæ solutionem. Apertio oris dicit instrumentorum loquelæ reserationem in se. Linguæ autem solutio dicit resolutionem eorundem in comparatione ad auditum. Dupliciter enim ligata fuerunt : in seipsis enim habebant ligamen quod movere non poterant ad loquelæ modulos formandos : et in comparatione ad auditum impedimenta habebant, ita quod spiritus qui est in aure non advexit eis formas auditorum. Habent enim collimitationem instrumenta oris cum aure, quia aliter non esset obedientia auditui. Et hujus signum est, quia stridor acutus et durus excitatus in auribus dissolutivum dolorem excitat in dentibus. Et sic dupliciter solvuntur instrumenta oris.

De primo dicit : « *Apertum est autem,* » per gratiam quam sonat Joannes, « *illico,* » hoc est, statim. Quia si non statim esset reseratum « *os ejus,* » putaretur ex alia quadam causa provenisse, quando statim sic impletur verbum Angeli qui dixit : *Non poteris loqui, usque in diem quo hæc fiant, ... quæ implebuntur in tempore suo*<sup>1</sup>. Gratia enim inchoata per Joannem statim diffudit sanitatis effectum. Jerem. xvii, 14 : *Sana me, Domine, et sanabor : salvum me fac, et salvus ero ; quoniam laus mea tu es.*

Et tangit secundam reserationem in comparatione ad auditum : « *Et lingua ejus.* » Marc. vii, 35 : *Statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte.* Luc. xi, 14 : *Locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ.*

Et ideo sequitur signum duplex, naturæ, et gratiæ.

Naturæ quidem, quia

« *Et loquebatur benedicens Deum.* »

Gratiæ quidem, quia benedixit Deum. Dicit igitur : « *Loquebatur.* » Marc.

vii, 37 : *Bene omnia fecit : et surdos fecit audire, et mutos loqui.* Isa. xxxv, 5 et 6 : *Aures surdorum patebunt, ... et aperta erit lingua mutorum.* Isa. xxxii, 4 : *Lingua balborum velociter loquetur et plane.*

Et subjungit effectum gratiæ : « *Benedicens Deum.* » Tob. xii, 20 : *Vos, benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus.* Gratia enim accepta exigit quod gratiæ agantur. Tob. xii, 7 : *Sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est.* Gratia enim aperit os in gratiarum actione.

Attende quod moraliter quidem sex sunt quæ claudunt os, et sex per antidotum quæ aperiunt os. Claudunt peccati conscientia, Scripturæ ignorantia, labia per nugas sæpe polluta, potestas terrenis tyrannica, malitia audientium obstinata, immemoria de accepta gratia.

De primo horum dicitur, Ezechiel. xvi, 62 et 63 : *Scies quia ego Dominus : ut recorderis, et confundaris, et non sit tibi ultra aperire os præ confusione tua.*

De secundo dicitur, Isa. lvi, 10 : *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi : canes muti non valentes latrare.*

De tertio dicit Bernardus : « *In ore « idiotæ nugæ sunt : in ore autem sacerdotis nugæ sacrilegia sunt.* » Job, xxxix, 34 : *Qui leviter locutus sum, respondere quid possum ? manum meam ponam super os meum.* Psal. lxii, 12 : *Obstructum est os loquentium iniqua.* Isa. vi, 5 : *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito.*

De quarto dicitur, Isa. x, 14. in persona diaboli et tyrannorum : *Universam terram ego congregavi : et non fuit qui moveret pennam, et aperiret os, et ganiret.* Et hoc impropere Dominus, Ezechiel. xiii, 5, dicens : *Non ascendistis ex*

<sup>1</sup> Luc. i, 20.

*adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini. Psal. xxxvii, 14 et 15: Sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.*

De quinto, Ezechiel. iii, 26: *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans: quia domus exasperans est.*

De sexto, Psal. cxxxvi, 6: *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, hoc est, quia non fui memor ex multis beneficiis mihi collatis. Matth. xxv, 24 et seq., dicitur de servo pigro, qui donum domini ad lucrum non convertit: cum sustineret de hoc increpationes, quod respondere non potuit. Et de illo qui intravit absque veste nuptiali quod obmutuit, quia gratus non fuit invitanti<sup>1</sup>.*

Sex autem quæ e contrario aperiunt os sunt: in Spiritu sancto conscientiæ testimonium, sacræ Scripturæ cor armarium, os in bonis et magnis exercitatum, contra tyrannos cor imperterritum, populi audientis devote collegium, honorum acceptorum semper os gratum.

De primo horum, II ad Corinth. vi, 11: *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est. Cum enim cor in conscientiæ bonæ testimonio dilatatum est, os ad prædicandum et ad redarguendum est patulum.*

De secundo habes, Sapient. x, 21: *Sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas. Ezechiel. iii, 2: Aperui os meum, et cibavit me volumine.*

De tertio, Matth. v, 2 et 3: *Aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati, etc. Ibi Glossa: «Aperuit os magna locutus, non scurrilia.»*

De quarto, Act. x, 34: *Aperiens Petrus os suum, dixit: In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus. Eccli. xlviii, 13: In diebus suis non pertimuit principem.*

De quinto, Eccli. xxiv, 2: *In ecclesiis Altissimi aperiet os suum, et in conspectu virtutis illius gloriabitur. Quia ecclesiæ libenter audiunt.*

De ultimo dicitur, Tob. xiii, 1: *Aperiens Tobias senior os suum, benedixit Dominum, et dixit: Magnus es, Domine, in æternum, et in omnia sæcula regnum tuum.*

Sequitur:

«Et factus est timor super omnes vicinos eorum, et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc:

Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.»

Ecce hic ponitur id quod est effectum gratiæ consequens in cordibus eorum qui tantum viderunt prodigium.

Sunt autem effectum hunc signa quatuor consequentia: timor videlicet admirationis, divulgatio tantæ operationis, repositio rei in memoria cordis, et omnium qui ista viderunt, de futuro statu pueri stupor inquisitionis.

De primo horum dicit: «*Et factus est timor,*» hoc est, motus secundum systolem cordis ex magna apparitione. Psal. liv, 6: *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ.* Quia, ut dicit Psalmus xxxix, 13: *Non potui ut viderem,* scilicet causam ipsorum quæ apparuerunt per effectum. Isa. xxi, 3 et 4: *Corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem. Emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me.*

«*Super omnes vicinos eorum,*» quia illi visu prodigiorum percussi sunt, et illi magis territi sunt quam hi ad quos tantum fama pervenit. Videbant enim patrem propter incredulitatem horum præ-

<sup>1</sup> Cf. Matth. xxii, 12.

dictorum acriter punitum : et ideo se si discredere his qui in præsentia viderunt, timuerunt acrius esse puniendos. Job, IV, 14 et 15 : *Pavor tenuit me, et tremor :... et cum spiritus me præsentem transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.* Job, XXXVII, 1 : *Super hoc expavit cor meum, et emotum est de loco suo.*

« Et super omnia montana Judææ, etc. »

Ecce facti divulgatio. Montana enim Judææ sunt, in quibus habitabant illi qui fuerunt de sorte Judæ, ubi fuit regnum Judæorum. Psal. LXXXVI, 2 : *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Significant autem montana ista vertices Ecclesiarum, in quibus ista miracula divulgata sunt. Ezechiel. XXXVI, 8 : *Vos autem, montes Israel, ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo Israel.*

« *Divulgabantur,* » hoc est, ore vulgi prædicabantur : quia in ore eorum omnium erant ista magnalia.

« *Omnia verba hæc,* » hoc est, digna relatu, de quibus sunt verba. Isa. XII, 5 : *Cantate Domino, quoniam magnifice fecit : annuntiate hoc in universa terra.* Psal. XCVII, 7 : *Moveatur mare et plenitudo ejus, orbis terrarum, et qui habitant in eo.* Jerem. XXXI, 10 : *Audite verbum Domini, gentes, et annuntiate in insulis quæ procul sunt.*

« Et posuerunt. »

Ecce tantæ rei positio in memoria cordis.

Et hoc est quod dicit : « *Et posuerunt.* » Positio firmam notat in corde locationem : sicut, Isa. XXVIII, 16 : *Ecce ego ponam<sup>1</sup> in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem.* Ipsa enim rei magnitudo et raritas facit ad firmam in memoria locationem. Dicit

enim Tullius in fine *secundæ Rhetoricæ*, quod « rarum et magnum firmiter locatur in memoria. »

Sic ergo posuerunt « *omnes in corde suo.* » Cantic. VIII, 6 : *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Psal. CXVIII, 11 : *In corde meo abscondi eloquia tua.*

« *Dicentes :* »

« *Quis, putas, puer iste erit ?* »

Ecce quæstio admirationis, quam vel quilibet quærit intra ipsum in corde : vel mutuo a seipsis in admiratione. Et non est quæstio ignorantium, sed stupentium de hoc, quid portendant hæc magnalia in futurum. Ista enim apparentia in puero, flores quidam sunt, mirabiles in futuro fructus portendentes. Et ideo dicitur, Zachar. III, 8 : *Audi, Jesu, sacerdos magne, tu et amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt.* Inter amicos autem Domini nostri Jesu Sacerdotis magni. præcipuus est Joannes, et ille præcipue magna portendit : et ideo dicunt omnes : « *Quis, putas, puer iste erit ?* »

Huic autem quæstioni a quatuor personis quadruplex aptatur responsio. Respondetur enim ab Angelo, a patre Joannis, ab ipso Joanne, et a Christo.

Ab Angelo, in præhabitis : *Hic erit magnus coram Domino, et vinum et siceram non bibet, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ<sup>2</sup>.* A patre Joannis, infra in eodem, ̄. 76 : *Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.*

Ab ipso Joanne, Joan. I, 23 : *Ego vox clamantis in deserto.*

A Christo, Matth. XI, 9 et 10 : *Quid existis in desertum... videre? Prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam Prophetam. Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto Angelum*

<sup>1</sup> Vulgata habet, *mittam.*

<sup>2</sup> Luc. I, 15.



*meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.*

In prima istarum responsionum notatur vitæ sanctitudo : in secunda, sapientiæ perfectio : in tertia, officii et obsequii promptitudo : in ultima, dignitatis celsitudo.

Et ideo quærent : « *Quis, putas, puer iste erit ?* »

Et subjungunt rationem quæstionis, dicentes :

« Etenim manus Domini erat cum illo.

Manus plasmans, et formans, operans, protegens : plasmans quidem in conceptione, formans in sanctificatione, operans in virtutum perfectione, protegens in asperrima Sacerdotum et Phariseorum et Scribarum redargutione.

De prima dicitur, Jerem. xviii, 6 : *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel.* Job, x, 8 : *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu.*

De manu formante, Jerem. i, 5 : *Priusquam te formarem in utero, novi te : et antequam exires de vulva, sanctificavi te.* Et intelligitur de forma gratiæ. Psal. cxviii, 73 : *Manus tuæ fecerunt me, hoc est, formaverunt me.*

De manu operante dicitur, Isa. lxiv, 8 : *Opera manuum tuarum omnes nos : quia sine eo nihil possumus facere.*

De manu autem protegente, Isa. xlix, 2 : *In umbra manus suæ protexit me.*

His igitur modis, quia « *manus Domini erat cum illo,* » ad mirabilia ostendenda, sicut dicitur, I Esdræ, vii, 6 : *Et dedit ei rex, secundum manum Domini Dei ejus super eum, omnem petitionem ejus.* Et in eodem, infra, v. 28 : *Et ego confortatus manu Domini Dei mei, quæ erat in me, etc.*

est Spiritu sancto : et prophetavit, dicens. »

Sequitur de effectu hujus nominis quoad gratiam, cum infert : « *Et Zacharias, pater ejus,* » qui sciens translationem sacerdotii futuram, noluit nomen suum imponi puero, sed nomen gratiæ : ut sicut non transmisit sacerdotium, sic nec nomen transferret ad posteros, sciens in priori statu non esse plenum gratiæ nomen. Hic, inquam, merito nomen filii quod gratiam inchoat, licet Christus eam perficiat.

« Repletus est Spiritu sancto. »

Spiritus sanctus hic non quoad habitum accipitur, sed quoad actum : secundum habitum enim prius habuit Spiritum sanctum, sed hic secundum actum tetigit eum, et incepit diffundi in ipso. Ad Roman. v, 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Cum enim audiret, et videret, et sentiret in eo tot mirabilia, tum ex oraculo Angeli, tum ex visitatione Beatæ Virginis, tum etiam ex gestu et exultatione pueri, tum ex congratulatione cognatorum et vicinorum, tum etiam ex vaticinio uxoris, quasi multis psaltibus concrepantibus tactus est spiritu prophetico : sicut Eliseus, IV Reg. iii, 15, qui dixit : *Adducite mihi psaltem. Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, et ait.* Psal. xlix, 23 : *Sacrificium laudis honorificabit me : et illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Omnibus enim psallentibus impossibile est donum sancti Spiritus non tangere cor ad novam devotionem.

Et ideo dicitur quod « *repletus est Spiritu sancto,* » quando Spiritus sanctus diffudit in eo donum devotionis.

« Et prophetavit. »

Spiritu sancto, et postea prophetet. Sic enim accidit in Apostolis, Act. II, 4: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui*. Sic etiam præcepit Dominus, Luc. XXIV, 49: *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto*. Et cum acceperint Spiritum sanctum missi sunt ad prædicandum.

Hoc etiam notandum est, ut dicit Glossa, quod magna largitas est divinæ pietatis. Ecce enim loquela quæ sola ablata est diffidenti, cum spiritu prophetiæ restituta est credenti. Quod enim Zacharias in præmissis et surdus dicitur fuisse, hoc etiam falsum est, in quantum auditus ordinatur ad loquelam, quia sine auditu non valet locutio. « Locutio enim, ut dicit Basilius, est ut nobis « invicem affectus et intentiones nostras « pandamus. »

Et ad hoc idem est locutio: « *Dicens,* » in gratiarum actione, et cunctis ea quæ credidit nota faciendo. Ad Roman. X, 17: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*. Psal. CXY, 10: *Credidi propter quod locutus sum*. Ad Roman. X, 10: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*

Est autem attendendum, quod Elisabeth repleta Spiritu sancto paucis prophetavit, sed Zacharias repletus Spiritu sancto plura dixit. Et hoc congruit, I ad Corinth. XIV, 34 et 35: *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui:... si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent*. I ad Timoth. II, 11: *Mulier in silentio discat cum omni subjectione*. Unde Glossa: « Elisabeth paucis, Zacharias multis prædicat vel prophetat. Uterque Spiritu sancto repletus loquebatur: sed disciplina servatur, ut mulier magis discere studeat quæ divina sunt quam docere. »

« Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, etc. »

Istud canticum in duo dividitur: in quorum primo beneficia generalia gratias agens commemorat: secundo, tangit specialia facta circa puerum.

Circa generalia duo facit: primo enim enumerat, secundo tangit finem.

In enumeratione iterum tangit duo: gratiarum videlicet actionem, et gratias de quibus grates agit.

Gratiarum actio ponitur in hoc quod dicit:

« Benedictus, etc. »

Benedictus, inquam, cum in ipsum per relationem bonum suum est dictum. Sic enim fluminis impetus bonitatis Dei large fluens in nos, lætificat civitatem Dei<sup>1</sup>. Et sicut dicitur, Esther, X, 6: *Parvus fons qui crevit in fluvium, ... in aquas plurimas redundavit*, scilicet gratiarum: ut in ipsum per gratiarum actionem, et nostri reductionem revertatur. Tob. XII, 20 et 18: *Vos benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus. Ipsum benedicite, et cantate illi*. Eccli. XLIII, 32 et 33: *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc: et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: major enim est omni laude*.

Sic ergo sit benedictus

« Dominus, »

Qui possidet omnia humilia, solus altus omnibus superpositus. Proverb. VIII, 22: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*. Sapient. IX, 5: *Servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ*.

« Deus, » qui creavit. Eccli. XLIII, 37: *Dominus fecit, et pie agentibus dedit sapientiam*. Psal. CXXXV, 3 et 4: *Confitemini Domino dominorum, ... qui facit mirabilia magna solus*.

« Israel, » Cujus non est, nisi per be-

<sup>1</sup> Cf. Psal. XLV, 5.

neficiam. Exod. III, 15 : *Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob misit me ad vos : hoc nomen mihi est in æternum.* Semper enim est benefactor Deus, et beneficentia largitatis ejus non finitur. Deuter. XXXII, 6 : *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te?* Est autem Dominus servi volentis percipere et observare legem Domini sui, sicut dicit Augustinus. Et ideo ab initio non dicitur *Dominus* nisi formatione hominis : quia bos, vel asinus non est servus. I ad Corinth. IX, 9 : *Numquid de bobus cura est Deo?* Glossæ ibidem : « De bobus et cæteris brutis non est cura Deo, ut eis legem imponat : sed de homine talem curam gerit. »

Legem ergo ponens est « *Dominus Deus,* » aut observationes legis discutens. Ad Hebr. IV, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo.*

« *Israel* » autem est per benedictionem, quia ejus totum semen est in benedictione : cui populo etiam notitiam suam ostendit. Baruch, IV, 4 et 5 : *Beati sumus, Israel, quia quæ Deo placent manifesta sunt nobis. Animæquior esto, populus Dei, memorabilis Israel,* quia et hic notitiam novæ gratiæ exhibuit. Psal. CXLVII, 20 : *Non fecit taliter omni nationi : et judicia sua non manifestavit eis.*

Sic ergo : « *Benedictus Dominus Deus Israel.* »

« *Benedictus Dominus Deus Israel.* »

Quare autem benedictus sit, subjungit, quinque beneficia commemorans : visitationis per carnis assumptionem, redemptionis per passionem, erectionis potestatis per Ecclesiæ exaltationem, veritatis promissæ per promissorum impletionem, salvationis per periculorum evasionem.

De primo dicit :

« *Quia visitavit.* »

Glossa : « Apparens in carne, quos longius a se recedentes justificata carne curavit. » Ergo visitavit sicut medicus infirmum, sicut largus benefactor pauperem tribulatum, sicut magister discipulum, sicut sponsus sponsalem amplexum, sicut prælatus subditum, sicut pastor gregem desolatum, sicut vinitor suam vineam, sicut paterfamilias operarium. Medicus quidem in infirmo quærit sanitatis signum, beneficus in paupere tribulato subventionis solatium, magister in discipulo professionis studium, sponsus in sponsa amoris amplexum, prælatus in subdito disciplinæ moralis profectum, pastor in grege fœcunditatem et utilitatem pecorum, vinitor in vinea jucunditatis fructum, paterfamilias in operario sive servo sive filio sive mercenario actum operosum.

De visitatione infirmi præcipitur, Matth. XXV, 36 : *Infirmus fui, et visitastis me* Augustinus : « Magnus advenit « *medicus, quia magnus ubique jacebat ægrotus.* » Matth. IX, 12, dicit de se : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Et ideo tulit corpus suum et animam tamquam pyxidem gratiarum : quod Maria significavit, Joan. XII, 3, quæ fracto alabastro fudit unguentum super caput ejus, et domus impleta est ex odore unguenti. Pyxis enim, corpus : unguentum, gratia : domus impleta, Ecclesia. Eccli. XXXVIII, 1 et 2 : *Honora medicum propter necessitatem : etenim illum creavit Altissimus. A Deo est enim omnis medela.* Et, ibidem, §. 7 : *In his curans mitigabit dolorem, et unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis.*

De visitatione benefactoris, Jacob. I, 27 : *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est : Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, t immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Exod. III, 7 et 8 : *Vidi afflictio-*

*nem populi mei in Ægypto : et clamorem ejus audivi :... et sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum.*

De visitatione magistri dicitur, infra, in eodem, xxx. 78 et 79 : *Visitavit nos oriens ex alto : illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent.* Isa. l, 4 : *Dominus erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum.* Joan. xiii, 13 : *Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis : sum etenim.* Et, Matth. xxiii, 10 : *Magister vester unus est.* Joan. iii, 2 : *Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister.*

De visitatione sponsi, Judicum, xv, 1 : *Post aliquantulum autem temporis, cum dies triticeæ messis instarent, venit Samson, invisere volens uxorem suam, et attulit ei hædum de capris.* Samson, sol fortis, Christum significat : uxor autem, genus humanum, cui tulit hædum sacrificium pro peccatis offerendum : de capris, de similitudine peccatorum sumptum. Genes. l, 24 : *Deus visitabit vos : asportate ossa mea vobiscum.* Voluerunt enim patres esse in illa copula, qua Deus sponsam sibi humanam naturam visitavit, et non cum Ægyptiis sepulti manere.

De visitatione prælati, Job, x, 12 : *Visitatio tua custodivit spiritum meum.* I Petr. v, 6 : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.*

De visitatione pastoris, Ezechiel. xxxiv, 12 : *Sicut visitat pastor gregem suum, ... sic visitabo oves meas.* Proverb. xxvii, 23 : *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.*

De visitatione vinitoris, Psal. lxxix, 15 et 16 : *Respice de cælo, et vide, et visita vineam istam : et perfice eam quam plantavit dextera tua.* Proverb. xxiv, 30 et 31 : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ.*

De visitatione patrisfamilias, I Reg. xvii, 18 : *Fratres tuos visitabis, si recte agant : et cum quibus ordinati sunt,*

*disce.* Genes. xxxvii, 14 : *Vade, et vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, et pecora : et renuntia mihi quid agatur.*

Primum fecit Christus ut medicus per gratiam sacramentalem : secundum, ut dives magnificus per dona virtutum : tertium, ut sapientia Patris per doctrinæ verbum : quartum, ut Ecclesiæ sponsus per amoris osculum et amplexum : quintum, ut Ecclesiæ caput per motus et sensus in corpus Ecclesiæ influxum : sextum, sicut pastor bonus per pastorale officium : septimum, sicut plantator cælestium gaudiorum : octavum et ultimum, sicut cultor meritorum honorum. I ad Corinth. iii, 9 : *Dei agricultura estis.*

Attende autem, quod in visitatione sunt consideranda septem : quorum primum est, ut sine verbo corda præparare non veniat. Secundum, ut seipsum primo discutiat, et secundum se visitet alios. Tertium, ut finem debitum visitationi contingat. Quartum, ut spiritus eorum quos visitat semper custodiat. Quintum, ut sciat quid corrigat. Sextum, ut sicut pater corrigibiles puniat. Septimum, ut sicut judex gladio incorrigibiles præcidat.

De primo dicitur in Psalmo lxiv, 10 : *Visitasti terram, et inebriasti eam : multiplicasti locupletare eam.* Quod de irrigatione doctrinæ intelligitur.

De secundo, Job, v, 24 : *Visitans speciem tuam, non peccabis,* hoc est, considerans teipsum. Ad Galat. vi, 1 : *Vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris.*

Finis autem visitationis est triplex : quorum primus est in moribus, ut visitati effulgeant in moribus inter electos Dei. Secundus, ut de emendatione lætentur in plebe Dei. Tertius, ut in eis accrescat laus Dei. Et hæc notantur in una auctoritate, in Psalmo cv, 4 et 5 : *Visita nos in salutari tuo : ad videndum in bonitate electorum tuorum : ecce primum. Ad lætandum in lætitia gentis*

*tuæ*: ecce secundum. *Ut lauderis cum hæreditate tua*, etc., ecce tertium.

De quarto, scilicet de custodia spiritus, Job, x, 12: *Visitatio tua custodivit spiritum meum*. Unde etiam Apostolus etsi fornicatorem tradidit Satanæ, I ad Corinth. v, 5, tamen fecit hoc *in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi*.

De quinto, quod scilicet sciat quod non nisi iniquitatem corrigat, et non aliquid aliud persequatur. Psal. LVIII, 6: *Intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem*. Non dicit: Quia operati sunt, quia illi forte pœnitent, sed qui nunc in præsentem operantur: illi enim non sunt correcti.

Sextum est, ut sciat qualiter corrigat corrigibiles qui sunt filii, ut dicit Psalmus LXXXVIII, 33 et 34: *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo*.

Septimum, ut sciat qualiter præcidat incorrigibiles, Isa. XXVII, 1: *Visitabit Dominus... super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum, et occidet cetum qui in mari est*. Vectis, rigidus est et inflexibilis: tortuosus, est dolosus et in astutiis ambulans; cetus autem in mari, est arrogans, qui se magnum reputat, et in amaritudine seditionum confidit.

Omnibus his modis in se, et suis *visitavit nos*.

« Et fecit redemptionem plebis suæ. »

Per suæ crucis passionem, et pretii solutionem. Pretium autem redimens debet esse pretiosum, abundans sive copiosum, dapsile non refutabile, damnum solvens, et pignus recuperans. Et hæc quinque fecit pretium redemptionis nostræ.

De pretiositate ipsius habetur, I Petr. I, 18 et 19: *Non corruptibilibus auro,*

*vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi*.

De copiositate, in Psalmo CXXIX, 7: *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio*.

Dapsile autem sive non refutabile est, sicut id quod de gazophylacio Dei sumptum est, Psal. CX, 9: *Redemptionem misit, scilicet Dominus, populo suo, mandavit in æternum testamentum suum*.

Damnum etiam solvit et restituit, sicut dicitur, Genes. XXXI, 39: *Ego damnum omne reddebam: quidquid furto peribat, a me exigebas*.

Pignus etiam recuperat, hoc est, captivitatem liberat, Infra, XI, 22: *Si autem fortior eo supervenens vicerit eum, scilicet fortem, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat*, etc. Ad Ephes. IV, 8: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*.

Sic ergo fecit redemptionem « plebis suæ, » quæ paupercula fuit. Psal. X sec. Hebr. 14: *Tibi derelictus est pauper, orphanus tu eris adjutor*. Plebeii enim sunt pauperes de vulgo. Jacob, II, 5: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se?*

« Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui. »

Ecce tertius effectus gratiæ de erectione potestatis.

Et hoc est quod dicit: « *Et erexit,* » hoc est, exaltavit, hoc sursum erigendo, « *cornu,* » quod signum est ecclesiasticæ potestatis, « *salutis,* » quia salus est in ecclesiastica potestate, « *nobis,* » hoc est, ad nostram utilitatem.

In *cornu* autem notantur natura, positio, usus, et collatio quam confert animali.

Natura est, quia mollificatur caliditate,

et riget frigido, et non liquescit umquam. Et sic potestas regni Christi quæ mollicatur charitate sicut igne, et perlucida est veritate, et non liquescit remissione, nec frangibilis est terrore : sed rigescit contra eos qui frigidi sunt charitate. II ad Corinth. XIII, 8 : *Non possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate.* Et, ibidem, parum infra, γ. 10 : *Secundum potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, et non in destructionem.* Sic ergo charitate mollescit, et veritate lucet, et contra frigidum cor et tenebrosum riget.

Positione autem est altum, quod non inclinatur vilibus intus vel affectu carnali, I Reg. II, 1 : *Exaltatum est cornu meum in Deo meo.*

Usus autem cornu est in arma. Ecclesiastica etiam potestas est arma quibus vincuntur hostes Ecclesiæ. Psal. CXXXI, 17 et 18 : *Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. Inimicos ejus induam confusione, super ipsum autem effloreat sanctificatio mea, hoc est, fortitudo mea.*

Confertur autem animali cornu gratis a Deo, contra eos qui dicunt, Amos, VI, 14 : *Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua ?* Psal. LXXIV, 11 : *Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justorum.*

Dicitur autem *cornu* singulariter, et non *cornua* : quia principatus ecclesiasticæ potestatis unus est, licet particulares potestates eorum in partem sollicitudinis vocatæ, sint multæ. Et ideo mitra episcoporum duo habet cornua propter duo testamenta, vel propter duas potestates clavium. Mitra autem summi Pontificis, qua coronatur quando electus est, non habet nisi unum : sicut sacrum diadema monarchæ non habuit nisi unum cornu. Psal. XCI, 11 : *Exaltabitur sicut unicornis cornu meum.* Et ideo dicitur Christus *filius unicornium*, hoc est, pa-

triarcharum potestatem unam habentium, quæ est regni Christi. Hoc cornu regni Christi ventilat inimicos, sicut dictum est <sup>1</sup>.

Sic ergo crexit nobis cornu salutis, et hoc « *in domo,* » hoc est, in familia « *David,* » de qua carnem assumpsit, « *pueri sui.* » Hoc enim regnum infrangibile et incomminuibile est : sicut dicitur, Daniel. VII, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Et in signum hujus David cornu olei inunctus est<sup>2</sup> : Saul autem, cujus regnum corruptibile est, inunctus est lenticula olei<sup>3</sup>. Lenticula autem est vas fictile, comminuibile. Sic enim David fuit puer suus, quia secundum cor Dei electus est. I Reg. XIII, 14 : *Quæsiuit Dominus sibi virum juxta cor suum, scilicet qui faciet omnem voluntatem suam.*

« Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum ejus. »

Ecce tangit hic quartum effectum gratiæ qui est veritatis, dicens : « *Sicut locutus est.* » Quasi dicat : *Erexit nobis cornu salutis, « sicut locutus est, »* enuntiatione immobilis veritatis, « *per os.* » Singulariter dicit, quia omnes Prophetæ uno ore, hoc est, uno Spiritu sunt locuti. II Petr. I, 21 : *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Isa. I, 30 : *Os Domini locutum est.*

« *Sanctorum* » prophetarum, quia prophetæ quidam fuerunt non sancti : sicut Balaam, Numer. XXII, XXIII et XXIV : et Sedecias, III Reg. XXII, 14, qui Spiritu sancto sæpe locuti sunt falsa : et ideo talibus non in omnibus creditur. III Reg. XXII, 22 : *Ero spiritus mendax in*

<sup>1</sup> Psal. XLII, 6 : *In te inimicos nostros ventilabimus cornu.*

<sup>2</sup> Cf. I Reg. XVI, 13.

<sup>3</sup> Cf. I Reg. X, 1.

ore omnium prophetarum ejus. Sed sancti prophetæ non dixerunt nisi verum. Eccli. xxxvi, 18 : *Da mercedem sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur.* Et, ibidem, v. 17 : *Suscita prædicationes, quas locuti sunt in nomine tuo prophetæ priores.* Deuter. xviii, 15 : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies.*

« Qui a sæculo sunt, prophetarum ejus, » hoc est, ab initio sæculi : quia licet non prophetaverunt patriarchæ ab initio sæculi verbis, factis tamen prædicaverunt. Sicut Adam, Abel, Henoch, Noë, Seth, et cæteri. Osee, xii, 10 : *Ego visionem multiplicavi, et in manibus prophetarum assimilatus sum,* hoc est, in operibus. Ad Hebr. i, 1 : *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis.*

71 « Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos. »

Tangit quintum effectum gratiæ, qui est evasio periculi inimicorum. Inimici autem sunt duplices : homines, et dæmones. Dæmones antiqui sunt hostes : homines autem novi, qui dæmonibus concitati nos persequuntur.

Et hoc est quod dicit : « *Salutem,* » in nomine Jesu qui *salus*, vel *salvator*, vel *salutaris* interpretatur. Act. iv, 12 : *Non aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* « *Salutem* » ergo periculi evasione habemus in Jesu nos visitante, qui erexit cornu salutis nobis. Psal. cv, 47 : *Salvos nos fac, Domine Deus noster : et congrega nos de nationibus.* Jerem. xxxi, 11 et 12 : *Redemit Dominus Jacob, et liberavit eum de manu potentioris. Et venient, et laudabunt in monte Sion : et confluent ad bona Domini,* etc. Psal. xxxvi, 39 et 40 : *Salus justorum a*

*Domino : et protector eorum in tempore tribulationis. Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos : et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos, quia speraverunt in eo.*

Et hoc est quod subdit : « *Ex inimicis nostris,* » quia multi sunt. Psal. iii, 2 et 3 : *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me ? multi insurgunt adversum me. Multi dicunt animæ meæ : Non est salus ipsi in Deo ejus.* Singula enim vitia persuadentes, singulæ sunt acies inimicorum. Isti sunt exercitus regis Syriæ, missus ad capiendum Eliseum <sup>1</sup>. Isti sunt etiam exercitus Ægypti, egressus ad persequendum filios Israel <sup>2</sup>.

Et tangit inimicos veteres :

« Et de manu, »

Hoc est, de potestate, « *omnium,* » qui tamen multi sunt, « *qui oderunt nos.* » Odium est inveterata ira, ut dicit Gregorius. Et isti dæmones inveteratam iram contra nos habentes, Apocal. xii, 12 : *Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam.* Ad Ephes. vi, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequititiæ in cælestibus.* Sic ergo sunt inimici et odientes, ex quibus salvamur, sicut dicit Psalmus xlvi, 8 : *Salvasti nos de affligentibus nos, et odientes nos confundisti.* Sunt autem inimici, caro et mundus. Odientes autem nos, dæmones. Caro quidem ut domesticus hostis movet seditiones. Mundus autem insurgens facit conturbationes et impeditiones. Dæmones aperti hostes insurgunt ad bella. Unde dictum est :

« Mundus, caro, dæmonia,  
Diversa movent prælia.  
Incursu tot phantasmatum  
Turbatur cordis sabbatum. »

<sup>1</sup> Cf. IV Reg. vi, 14.

<sup>2</sup> Cf. Exod. xiv, 6 et 7.

Caro autem per quatuor oppugnat, et quatuor nos perficientia impugnat. Quatuor quibus oppugnat sunt ponderositas, opacitas, infirmitas, et fomitis malignitas. Ponderositate oppugnat ad bonum habilitatem, opacitate oppugnat intellectum ad veritatem, infirmitate oppugnat robur ad virtutem, fomitis mala igneitate oppugnat ad honestum et expediens naturalem voluntatem, qua quis condelectatur legi Dei secundum interiorem et naturalem hominem <sup>1</sup>.

De pondere dicitur, Isa. LVIII, 6 : *Omne onus dirumpe*. Et, ibidem : *Solve fasciculos deprimentes*, qui sunt in carne ex malo contracto per originale, et ex malo contracto per actuale. Psal. XXXVII, 5 : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me*. Ad Hebr. XII, 1 : *Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen*.

De opacitate dicitur, Sapient. IX, 15 : *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*. Job, III, 23 : *Viro cujus abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris*. Thren. III, 2 : *Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem*.

De infirmitate, Matth. XXVI, 41, et Marc. XIV, 38 : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Daniel, X, 16 : *Solutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium*.

De mala fomitis igneitate, ad Roman. VII, 23 : *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati quæ est in membris meis*. Ibidem, v. 18 : *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum*.

Propter istas quatuor cohortes inimicorum in corpore existentium exclamat Apostolus, ad Roman. VII, 24 et 25, dicens : *Infelix ego homo ! quis me libera-*

*bit de corpore mortis hujus ?* Et respondet : *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*. Ac si dicat : *Ille qui erexit cornu salutis nobis*, ille et non alius liberabit.

Mundus etiam nos impugnat per quatuor, et oppugnat in nobis quatuor. Quatuor quibus oppugnat, sunt excellentia dignitatum, divitiæ cupiditatum, deliciæ voluptatum, et spectacula vanitatum. Excellentia dignitatis expugnat in homine humilem sui status cognitionem. Divitiæ cupiditatum expugnant naturalem Dei donorum communionem. Deliciæ voluptatum expugnant necessitatis humanæ sufficientiam. Spectacula vanitatum per occupationem animæ in vanis, expugnant honorum studiorum diligentiam.

De primo dicitur, Isa. XIV, 13 : *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti*. Sicut enim dicit Psalmus LXXIII, 23 : *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper* : et nusquam ponit terminum.

De secundo dicitur, Eccle. V, 9 : *Avarus non implebitur pecunia*. Psal. LXI, 11 : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*.

De tertio dicitur, ad Philip. III, 19 : *Quorum Deus venter est : et gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt*. Daniel, XIV, 5 : *Non videtur tibi esse Bel vivens Deus ? An non vides quanta comedat et bibat quotidie ?* Et de luxuria, Numer. XXV, 3 : *Initiatus est Israel Beelphegor* : et ita deceperunt nos insidiis per idolum Phegor. Phegor est idolum tentiginis, et pingebatur extenso veretro ad coeundum : in cujus templo sacerdos fuit Maacha, mater Asa regis <sup>2</sup>.

De his tribus simul dicitur, I Joan. II, 16 : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, quoad voluptatem, et concupiscentia oculorum, quoad cupidi-*

<sup>1</sup> Ad Roman. VII, 22 : *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem, etc.*

<sup>2</sup> Cf. II Paralip. XV, 16.



tatem, et *superbia vitæ*, quoad honoris dignitatem. Proverb. xxx, 13 et 16 : *Tria sunt insaturabilia, et quartum quod numquam dicit : Sufficit. Infernus, et os vulvæ, et terra quæ non satiatur aqua : ignis vero numquam dicit : Sufficit.* Infernus hic dicitur *superbia diaboli* : per metonymiam enim continens ponitur pro contento. Os autem vulvæ est voluptas deliciarum. Terra quæ non saturatur, est avaritia quoad actum retentionis illicitæ acquiritorum. Ignis autem qui numquam dicit : Sufficit, eadem avaritia est quoad secundum actum ipsius, qui est acquisitio injustorum lucrorum.

De vanitate autem spectaculorum in ludis, et aliis multis, dicit Ecclesiastes, 1, 2 : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Et dicit quinquies vanitatem : quia quinque sunt vana ab omni studio retrahentia. Vana enim exercitia sunt choreæ, et torneamenta, et hujusmodi : ludi vani, sicut musica vana, et hujusmodi : societates vanæ cum hominibus vanis : pulchritudines vanæ ut pratorum et mulierum : et sollicitudines vanæ de non conferentibus ad bonam vitam.

Similiter autem et dæmones qui nos oderunt, movent bella quadruplici odio : odio gratis inflictio, odio iniquo, odio pro amore debito reddito, et odio pertinaci. Odium gratis inflictum, est odium cum invidia quæ persequitur bonum. Odium iniquum, est odium contra naturam, quam æquum est diligere. Odium pro amore inflictum, est odium contra gratitudinem quæ debetur benefactori. Odium pertinax, est iræ implacabilis.

De primo dicitur in Psalmo cxix, 7, et Joan. xv, 25 : *Odio habuerunt me gratis.* Psal. cxix, 7 : *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus : cum loquebar illis, impugnabant me gratis.*

De secundo dicitur in Psalmo xxiv, 19 : *Odio iniquo oderunt me.* Psal. cxviii, 161 : *Principes persecuti sunt me gratis.* III Reg. xix, 14 : *Derelictus sum ego solus, et quærent animam meam.*

De tertio dicitur in Psalmo cviii, 4 et

5 : *Pro eo ut me diligerent, hoc est, diligere deberent, detrahebant mihi : ego autem orabam. Et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.* Jerem. xviii, 20 : *Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ ?* Psal. xxxiv, 12 : *Retribuiebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.*

De quarto dicitur, Habacuc, ii, 5 : *Dilatavit quasi infernus animam suam : et ipse quasi mors, et non adimpletur.* Non enim ponit finem malis. Job, xvi, 3 : *Numquid habebunt finem verba ventosa ? aut aliquid tibi molestum est si loquaris ?*

Sic ergo fecit salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos.

Sequitur :

« Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti. »

Hoc est secundum primæ partis cantici, in quo ponit usum sive utilitatem præcedentium quinque quæ fecit.

Dividitur autem in duo. Fecit enim præcedentia, ut perficeret in nobis inchoatam in illis nostris patribus misericordiam, et ut ostenderet promissæ gratiæ immobilitatem.

De primo quidem dicit sic : « *Ad faciendam.* » Sic continua : *Erexit nobis cornu salutis visitando et redimendo, « ad misericordiam, » inchoatam per promissa, « cum patribus nostris faciendam, » hoc est, perficiendam in nobis.* Sic enim dicitur Ecclesiæ in Psalmo xlv, 17 : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, hæredes solvendæ promissionis factæ patribus.* Misericordia enim fuit, quod nullis nostris meritis promisit, et multis nostris obstantibus demeritis exhibuit. Deus enim nulli obligatur, et nulli aliquid debet, ut dicit Hieronymus, sed sibi omnis creatura debet totum quod est, et quod

habet, et quod potest : quia ipse fecit nos, et non ipsi nos. Unde nihil habemus dicere nisi illud Threnorum, III, 22 : *Misericordiæ Domini quia non sumus con-sumpti : quia non defecerunt miserationes ejus.* Et illud Psalmi xxxii, 3 : *Misericordia Domini plena est terra.* Et si aliquando propter demerita iratus est, tamen misertus est nobis. Unde unus patrum dixit, Genes. xxxii, 10 : *Minor sum cunctis miserationibus tuis, et veritate.* Istæ sunt enim misericordiæ de quibus dicit David, Psal. lxxxviii, 2 : *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Et, Psal. xxiv, 10 : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas.*

Unde subjungit :

« Et memorari testamenti sui sancti. »

Et hoc est secundum istius particulæ : et habet duos paragraphos, quorum primus est de veritate simplicis promissionis.

Dicit ergo : « *Et memorari,* » hoc est, ut memor sit « *testamenti sui,* » immobilis ordinationis voluntatis suæ, « *sancti,* » hoc est, firmi et immobilis. Ad Hebr. ix, 17 : *Testamentum in mortuis confirmatum est : alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est.* Sed hoc est ideo quod humana voluntas mobilis est, et nulla est immobilis nisi ultima, quia illi non supervenit alia : non autem fit ultima (nisi per mortem). Sed omnis voluntas beneplaciti in Deo est immobilis, quia beneplacitum Dei mutari non potest : et ideo voluntas beneplaciti in Deo testamentum est.

Et hoc est quod dicit : « *Memorari,* » hoc est, ut memoretur, quia diu fecerat ac si esset oblitus. Unde, Psal. xliii, 23 et 24 : *Exsurge, quare obdormis, Domine ? exsurge, et ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ ?* Psal. xii, 1 : *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem ?* Isa. xlix, 14 : *Dixit*

*Sion : Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei.* Ut hoc ergo amoveat, dicit : *Et memorari testamenti sui sancti,* » hoc est, firmæ et confirmatæ promissionis suæ. Quod enim primum est misericordiæ divinæ, hoc per promissionem exhibitam factum est veritatis : quia sic justificatur, hoc est, verificatur in sermonibus suis. Ad Titum, i, 2 : *Quam promisit qui non mentitur, Deus.* Ad Roman. iii, 4 : *Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax.* Hoc est quod perit, Eccli. xxxvi, 17 : *Suscita prædicationes, quas locuti sunt in nomine tuo prophetæ priores.*

Quia autem dupliciter loquitur Deus, scilicet, secundum sententiam verborum, sumens causam locutionis ex opere nostro. Et hoc aliquando mutat. Loquitur etiam et ex consilio suo quod est immobilis prædestinatio futurorum. Mutat autem Deus aliquando sententiam quam verba faciunt, eo quod illa est comminatio sumpta ex opere vel promisso : sicut patet in hoc quod dicit, Jonæ, iii, 4 : *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur.* Et illud Isaïæ, xxxviii, 1 : *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives.* Quod tamen mutatum est. Et ratio additur, Jerem. xviii, per totum : ubi dicit Dominus, quod si mala comminatur alicui genti, et illa gens poenitentiam egerit, quod et ipse Dominus poenitebit de verbo suo, et non inducet malum. Et si bona promittit, et illa gens perversa egerit malum, revocabit verbum suum, et inducet malum. Quia sicut lutum est in manu figuli, sic nos sumus in manu Domini. Quamvis enim figulus incipiat vas facere super rotam in honorem : si lutum est nodosum et malum lutum, ex figulo confringitur, et facit vas in contumeliam. Et e contra : si incipit facere vas in contumeliam, si præter spem aptatur lutum, et exhibet se ad honorem, conversus figulus facit inde vas ad honorem. Sed quando loquitur Dominus non ex opere nostro, sed ex suo æterno consilio, numquam mutatur. Ho-

mo autem nescit, utrum ex sententia tantum, vel ex consilio loquatur: et ideo dubitat utrum sermo Dei immobilis sit: propter quod propter infirmitatem dubitationis hominis, Deus apposuit verbo suæ simplicis promissionis jusjurandum. Et hæc fuit causa quare Deus juravit.

Et hoc est quod dicit:

73 « Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis. »

Attende autem, quod juramentum nihil aliud est, nisi confirmatio veritatis mobilis, de qua dubitari potest, per invocationem veritatis immobilis. Et cum immobilis veritas non sit nisi in Deo, non potuit Deus jurare nisi per semetipsum. Homines mobilem habentes veritatem in semetipsis per majorem sui jurant: sed cum Deus jurat per semetipsum, tunc super veritatem sententiæ invocatur veritatem sui consilii, quæ est immobilis. Unde, ad Hebr. vi, 16 et 17: *Homines per majorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem, est juramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis suæ hæredibus immobilitatem consilii sui, quia non habuit per quem juraret majorem, interposuit jusjurandum, scilicet juravit per semetipsum. Et hæc fuit causa quare opportunum fuit quod Deus juraret, et quod juraret per semetipsum.*

Attende iterum, quod duo sunt in substantia juramenti: dicta veritas mobilis, et confirmans veritas immobilis. Et hæc duo sunt de per se bonis. Et ideo juramentum est per se bonum et optimum. Est autem frequentia ejus prohibita propter incautelam. Hominis enim dictum est valde mutabile, cum omnis homo sit mendax, quando loquitur ex propriis. Et ideo valde timendum est, ne invocetur ad confirmandum divina veri-

tas super hoc, quod divinæ veritati non congruit. Et ideo dicitur, Eccli. xxiii, 9: *Jurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa.*

Adhuc autem, sicut dicitur, Jerem. iv, 2, tres sunt comites juramenti: judicium, veritas, et justitia. Judicium quidem quo discernat quid, quando, qualiter, et quare de causa jurandum sit. Veritas autem scita quæ est ita sicut res habet. Justitia autem quam ordo causæ et juris expostulat: quando videlicet judex exigit juramentum propter incredulitatem agentis, tunc etiam homo meritorie jurat. De hoc autem et similibus multa notata sunt a nobis super illud Matthæi, v, 34: *Ego autem dico vobis non jurare omnino*<sup>1</sup>.

Hoc ergo est quod dicit:

« Jusjurandum. »

Et hoc est secundum illius partis, in quo tangit suæ veritatis plenitudinem.

Tangit autem tria: juramenti confirmationem, et quid juravit, et propter quid.

De juramento autem dicit sic: « *Jusjurandum quod juravit.* » Psal. cix, 4: *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum.* Quid autem Abrahæ juravit, habes, Genes. xii, 2 et 3, et xv, 5, et xxii, 16 et 17: *Per memetipsum juravi, dicit Dominus; quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi.* Jerem. xi, 4 et 5: *Ero vobis in Deum, ut suscitem juramentum quod juravi patribus vestris, daturum me eis terram fluentem lacte et melle.* Et in hoc falluntur hæretici dicentes, quod Deus sicut omnipotens jurare potuit, sed nobis jurare interdixit. Quia omnis actus quem nobis communicabilem Deus fecit, non facit Deus nisi exemplum nobis dando: sed incommunicabiles nobis actus, sicut miracula, facit ut nos in sui trahat admirationem.

Sic ergo *jusjurandum* habuit.

<sup>1</sup> Cf. Enarrationem in cap. v Matthæi, § 34.

« Ad Abraham patrem nostrum, »

Et redditum. Ad Hebr. vi, 17 et 18 : *Consilii sui interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.* Duæ autem res immobiles sunt promissionis veritas, et jurisjurandi. Abraham ideo nominat, eo quod ipse primus fuit cui ista promisit, licet non primus fuerit cui juraverat. Ante eum enim juravit Noe, sed non de promissione seminis. Dicitur autem Abraham in hoc *pater noster*, quia promissionem acceperit ante circumcisionem in præputio, et post circumcisionem. Ante quidem, Genes. xii, 2 et 3, et xv, 5. Post autem, Genes. xviii, 10 et xxii, 18. Et reddit Apostolus causam, ad Roman. iv, 11 et 12 : *Ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur et illis ad justitiam : et sit pater circumcisionis,* etc.

Hoc est igitur quod dicit : « *Ad Abraham patrem nostrum.* »

Sequitur quid juravit :

« Daturum se nobis, »

Hoc est, quod daret se nobis, quia dando se nobis, omnia nobis secum donavit. Ad Roman. viii, 32 : *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Isa. ix, 6 : *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis.* Dedit autem se nobis in medicamentum, in cibum, in refugium, in redemptionis pretium, in laboris præmium.

De primo horum, Eccli. xxiv, 41 : *Ego quasi fluvii Dioryx, et sicut aquæductus exivi de paradiso.* Dioryx interpretatur *medicamentum generationis.* Et quatuor fluvii sicut flumina paradisi de corpore Christi exiverunt : sudores sanguinei, fluvius sanguinis de vulneribus quinque, fluvius aquæ de latere Christi, fluvius lacrymarum in oratione. Ad Hebr. v, 7 :

*In diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.*

De cibo, Joan. vi, 56 : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.*

De refugio, Psal. lxxxix, 1 : *Domine, refugium factus es nobis.*

De redemptionis pretio, I ad Corinth. vi, 20 : *Empti estis pretio magno : glorificate et portate Deum in corpore vestro.*

De laboris præmio, Genes. xv, 1 : *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.*

Medicamen quidem est in peccati infirmitate, cibus in spiritualium virium ex longa famis squalore destitutione, refugium in tentationis tribulatione, merces in reatus obligatione, præmium autem in meritorum lassitudine.

« Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi. »

74

Ecce hic tangit propter quid juravit se daturum nobis : quia scivit quod sine ipso nihil potuimus facere <sup>1</sup>. Causa ergo est, ut serviamus illi.

Et ideo tria dicit : primum est modus servitutis, qui est in liberatione ab impediens, et retrahentibus a servitio : secundum est ipsa servitus qua servimus : tertium est modus serviendi per expedientia ad serviendum.

Modus autem qui est per liberationem ab impediens, est ut sine timore et sine causa timoris serviamus.

De primo dicit :

« Ut sine timore, »

Supple, mundano, humano, et servili. Timor *mundanus* est quo aliquis deserit

<sup>1</sup> Joan. xv, 5 : *Sine me nihil potestis facere.*

veritatem timore perdendarum rerum humanarum : unde de Sanctis hunc timorem postponentibus dicitur, ad Hebr. x, 34 : *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam.*

Timor *humanus* est quo aliquis propter timorem corporis deserit veritatem. Luc. xii, 4 et 5 : *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam*<sup>1</sup>. De utroque istorum timorum simul dicitur Job, ii, 4 : *Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.*

De timore *servili* qui est, ut dicit Beda, cum pœna judicis sic timetur, quod facies judicis non amatur : in quo vivit peccandi voluntas, et sequeretur in quo opus, si speraretur impunitas. Et de hoc dicitur, I Joan. iv, 18 : *Timor non est in charitate : sed perfecta charitas foras mittit timorem.*

Sic ergo *sine timore*, sed non *sine timore casto et sancto, filiali*. De his enim dicitur, Psal. ii, 11 : *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore.* Proverb. xxviii, 14 : *Beatus homo qui semper est pavidus.* Ad Roman. xi, 20 : *Noli altum sapere, sed time.* Beatus Bernardus : « Experimento didici quod nihil tantum valet ad gratiam Dei acquirendam, retinendam, recuperandam, quam numquam altum sapere, sed timere. »

« De manu. »

Tangit causam timoris ablatam.

« *De manu.* » Duæ sunt manus « *inimicorum* » dæmonum : quarum una est potestas nocendi, altera potestas malum suggerendi sive tentandi. Potestas utraque justa est : quia a Deo propter pro-

fectum justitiæ promissa et ordinata est.

De prima dicit, Job, i, 12 : *Ecce universa quæ habet in manu tua sunt.* Hæc manus composita est ex quinque, quasi ex digitis. Est enim nocendi potestas in rebus, in corpore, in fama, in proposito boni, et vexandi animas in inferno vel purgatorio post mortem. Et hæc omnia facit aliquando per se diabolus : et aliquando per malos homines, sicut per membra sua. Unde, Job, ix, 24 : *Terra data est in manus impii, vultum judicum ejus operit.* Potestas tentandi est, de qua in Psalmo xxxv, 12 : *Manus peccatoris non moveat me.* Prima est manus tenens, et secunda est manus impellens. Et hæc etiam componitur ex quinque quasi digitis : est enim tentatio levis et aperta, et levis occulta, et gravis et aperta, gravis et occulta : et ea quæ judicatur non esse tentatio, quæ tanto periculosior quanto non sentitur, et ideo non cavetur.

De hac igitur manu inimicorum sumus « *liberati.* » Joan. viii, 36 : *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.*

Sequitur :

« *Serviamus illi.* »

Hoc enim dignum est et justum, æquum et salutare. Dignum quidem, quia Pater : justum, quia Dominus : æquum, quia beneficus : salutare, quia servire Deo est regnare. Dignum enim quod Pater a quo sumus, et quidem de suo in nobis habet imaginem, videlicet in qua creati sumus. Dominus autem, cujus nati sumus, quia nos emit. Beneficus autem qui omnia nobis dedit, et qui nobis cum non teneretur, servivit. Salutare, quia suum servitium non facit servitutem, sed de servo facit liberum, et de libero dominum, et de domino regem in honore regio fulgentem. De primo horum dicitur, ad Hebr. xii, 9 et 10 :

<sup>1</sup> Cf. Matth. x, 28 : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt oc-*

*cidere : sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.*

*Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, et reuerbamur eos: non magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundum voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus. Luc. xv, 29: Dixit filius patri suo: Ecce tot annis seruo tibi, et numquam mandatum tuum præterivi.*

Justum autem est seruire Domino. Psal. cxv, 16: *O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.* Judith, iii, 6: *Veni nobis pacificus dominus, et utere servitio nostro.*

Æquum est seruire benefico, qui nos suis donis et obsequiis prævenit. Donis quidem per sua omnia, et per suos seruiens nobis. Per sua quidem, Matth. v, 45: *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Per suos Angelos custodes, ad Hebr. i, 14: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis?* Isa. lxii, 6: *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt.* Prævenit etiam obsequiis. Isa. xliii, 24: *Seruire me fecisti in peccatis tuis.* Ad Philip. ii, 7: *Formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Psal. lxxx, 7: *Manus ejus in cophino servierunt.* Unde æquum est seruire sibi. Sic enim dicit, Isa. xlix, 3: *Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor.* Sic enim beneficiis et donis format nos ex utero servos sibi<sup>1</sup>.

Salutare etiam est: quia non servitur ei nisi in usu virtutum intellectualium et moralium. Et quanto sumus magis in usu illarum, liberiores efficimur, de servitute vacuati, et de liberis efficimur domini, et de dominis reges. Et hoc patet: dicit enim Aristoteles, quod servus est qui impeditis viribus et operationibus

impotens est regere seipsum, sed indiget regimine alieno. Liber autem qui in regimine causa sui est, et sufficit sibi: sed nullo bono habitu regiminis supponitur alteri. Dominus autem qui possessione bonorum et pulchrorum supponitur multis, et sibi sufficit et subjectis. Rex autem in quo clarent tam divina bona quod suis bonis sufficit genti. Cum igitur, Joan. viii, 34, dicatur: *Qui facit peccatum, servus est peccati,* et deprimitur pondere servitutis: per servitium Dei deposito peccato redditur liber. Ad Galat. v, 13: *Vos in libertatem vocati estis, fratres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.* De liberis autem, bona gratiarum cumulando, efficimur domini et principes. Isa. xxxii, 5: *Non vocabitur ultra is qui insipiens est, princeps, neque fraudulentus appellabitur major,* hoc est, dominus. Et infra, y. 8: *Princeps vero ea quæ digna sunt principe cogitabit.* De dominis autem et principibus efficimur reges, adveniente in nos regno cælorum. Apocal. v, 10: *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes.* Isa. xlix, 7: *Reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt propter Dominum quia fidelis est, et Sanctum Israel qui elegit te.*

Sic ergo serviamus illi.

Etiam tangit modum serviendi per informationem ad bonum dicens:

« In sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris. »

75

Tangit autem quatuor. Tangit quoad se, sanctitatem: quoad proximum, justitiam: quoad Deum, intentionem rectam: quoad acquirendam beatitudinem, perseverantiam.

De primo dicit: « In sanctitate, » hoc est, corporis et cordis munditia. Levit. xix, 2: *Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester.* Ad Hebr.

<sup>1</sup> Isa. xlix, 5.

XII, 14 : *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Matth. v, 8 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Quoad proximum dicit : « *Et justitia.* » Unde justitia dicitur lux. Proverb. iv, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens.* Matth. v, 16 : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.*

Quoad rectam intensionem dicit : « *Coram ipso,* » hoc est, coram Deo : ita, ut dicit Gregorius, « quatenus opus « nostrum sit ad ædificationem proximi « in publico, intentio autem qua soli « Deo placere desideramus, maneat in « occulto : ut et de bono opere proximis « præbeamus exemplum, et tamen per « intensionem qua soli Deo placere quæ- « rimus, semper optemus secretum <sup>1</sup>. » Matth. vi, 22 et 23 : *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosus erit.* Vide ergo ne lumen quod in te est tenebræ sint. Et propter hoc dicunt quidam, quod intentio nomen operi imponit. Et hoc est verum in per se bonis et indifferentibus. In his autem quæ mox nominata conjuncta sunt malo, et per se mala sunt, verum est quod numquam possunt bona intensione fieri : sed semper fiunt aut mala intensione, aut stulta. Et ideo peccat qui diviti furatur ut det pauperi, et tenetur ad restitutionem. Et condemnatur lex Atheniensium, quam in commento *Ethicorum* recitat Eustratius, quod scilicet semper punitur adulterium, nisi quando matrona civis admittit tyrannum adulterum ut in sinu suo capiatur : sicut Dalila admisit Samsonem in sinu suo <sup>2</sup>. Adulterium enim numquam alicujus boni prætextu est faciendum.

De perseverantia autem adjungit cum dicit : « *Omnibus diebus,* » hoc est, il-

lustrationibus gratiæ, « *nostris,* » id est, vitæ nostræ : quia in gratia vivimus, in peccato autem mortui sumus. I ad Timoth. v, 6 : *Quæ in deliciis est, vivens mortua est.* Matth. x, 22 : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Ideo, Levit. iii, 9, præcipitur in sacrificio Dei cauda offerri, quæ ultima pars est animalis. Ad Hebr. xii, 7 : *In disciplina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus.*

Sequitur :

« Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. »

76

Ecce secunda pars cantici divisa contra præcedens totum, ubi apostrophat convertendo sermonem ad puerum. Cum enim beneficia communiter mundo impensa recitaret, et gratias ageret : subito ne de propriis in filio receptis per ingratitudinem tacere videretur, convertit sermonem ad puerum. Nec puerum alloquitur tamquam non intelligentem. Eodem enim spiritu quo in utero matris sensit sermonem Beatæ Virginis, sentit et sermonem prophetantis patris.

Dicit autem duo in parte ista : in quorum primo mentionem facit de dono et ministerio et officio pueri : in secundo autem de omnium bonorum auctore misericordia Domini, referens in eam quidquid boni est in puero.

In horum primo tangit tria : donum videlicet pueri, officium, et officii finem et doni.

De dono quidem dicit sic : « *Et tu,* » qui per discretionem et significantiam singulariter, « *puer* » es a puritate dictus : quia purior aliis. I ad Corinth. xiv, 20 : *Malitia parvuli estote : sensibus autem perfecti estote.* I Petr. ii, 2 : *Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite.*

<sup>1</sup> S. GREGORIUS, Homil. XI in Evangel.

<sup>2</sup> Cf. Judicum, xvi, 4 et seq.

« Tu » ergo, singulariter sic « puer » existens : adhuc puer existens

« Propheta. »

Jerem. I, 5 : *Antequam exires de vulva sanctificavi te, et Prophetam in Gentibus dedi te.* Cum enim propheta dicatur, quia fatetur circa ea quæ procul sunt super nostram cognitionem, iste plus quam Propheta est, qui antequam nasceretur, ea quæ humanam vincunt cognitionem effatus est per Spiritum sanctum. Fatur enim Propheta in præteritum quæ procul sunt : sicut Moyses facturam mundi cognovit, et lucide descripsit <sup>1</sup>. Fatur in procul quæ præsentia sunt : sicut Eliseus, IV Reg. v, 26, dixit : *Nonne cor meum in præsentem erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui ?* Fatur procul in futurum : sicut, Isa. I, 1 : *Visio Isaiæ, filii Amos, quam vidit super Judam et Jerusalem.* Hæc omnia fecit Joannes in ventris obstruso positus cubili : in præterito Deum concepisse cognovit Beatam Virginem, cujus vocem implente Deo sensit per aures matris : in præsentem futurum suum officium præsignans in gestu gaudiorum et exultationum.

Sic ergo congrue dicitur, « Tu, puer, propheta. »

« Altissimi vocaberis : »

Quia ejus quem formandum prævenit obumbrando virtus Altissimi, et ejus qui accepit donum altissimum, hoc est, gratiam secundum esse facientem Filium Dei, et qui Spiritum habuit non ad mensuram : et ideo, Luc. II, 14, Angeli canunt gloriam in altissimis Deo. Altissimum enim posuit iste puer refugium suum, sic existens « *Propheta Altissimi.* » Et ideo non additur comparatione quorum sit altissimus, quia simpliciter est Altissimus, Altissimi virtute perfectus, et Spiritu immenso ditatus, et

in Altissimis Dei glorificatus. Joan. I, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.*

« *Vocaberis,* » ore omnium celebratus : quia tantum bonum commune, ore omnium celebrari debuit. Aliter enim officium suum inutile foret. Isa. XLIX, 1 : *Audite, insulæ, et attendite, populi de longe.* Vicini autem et cognati, et habitantes super montana Judææ, audiverunt et attenderunt hæc de prope. Et sic ore omnium prope et longe positorum « *Propheta Altissimi vocaberis.* » Et hoc est donum pueri.

Sequitur :

« Præibis enim ante faciem Domini. »

Hic tangit officium.

Tangit autem duo : officium, et officii modum.

Officium cum dicit : « *Præibis ante faciem Domini,* » hoc est ante præsentiam Domini. Supra, I, 17 : *Ipse præcedet ante illum in spiritu, et virtute Eliæ.* Hinc consuetudinem accepit Ecclesia in profestis diebus ante Evangelium utendi uno cereo : in festis autem ante Evangelium utitur duobus cereis : quia dies profesti pertinent ad laborem eorum qui in sexta ætate ab adventu primo Christi sunt usque ad finem mundi : in quo adventu solus Joannes ut lucerna Verbum Patris præcessit. Psal. CXXXI, 17 : *Paravi lucernam Christo meo.* Joan. V, 35 : *Ille erat lucerna ardens et lucens.* Dies autem festi referuntur ad quietem quiescentium in septima, et ad beatitudinem resurgentium in octava : et hoc post secundum adventum Christi, quem præcedent Elias et Henoch tamquam duo luminaria. Apocal. XI, 4 : *Hi sunt duæ olive, et duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes.* Sic ergo, « *præibis ante faciem Domini.* » Malach. III, 1 :

<sup>1</sup> Genes. I et seq.



*Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam.*

« Parare vias ejus, »

Ut faciles Domino, ad eundem ad cor hominum. Psal. xxiv, 4: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.* Parantur autem viæ, cum pœnitentia et charitate dilatatur et præparatur cor, ut ad ipsum sine offensione perambulet. Psal. cxviii, 32: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Præparantur viæ Domino per amotionem impedimentorum, et per appositionem ad viam expedientium.

Per amotionem impedimentorum præparantur viæ octo modis: tortuosa scilicet et flexuosa dirigendo, et montuosa et valliculosa complanando, saxosa pedibus obviantia æquando, lutosa cœnulententa siccando, spinosa et vepribus consita evellendo, periculosa a latronibus obsessa ad securitatem reducendo, prolixitate tædiosa ad brevitatem compendiosam convertendo, et dubia compita ad certitudinem signando. Est enim via flexuosa per perplexitates, montuosa per ambitiones, lapidosa per scandalorum exempla, lutosa et lubrica per libidines luxuriosorum, spinis et vepribus consita per sollicitudines avarorum, periculosa per occasiones tentationum, tædiosa prolixitate sæcularium negotiorum, incerta et dubia propter dubietatem non determinate bonorum operum. Quæ omnia a via Christi sunt removenda.

De primo, Isa. xxx, 21: *Hæc est via, ambulate in ea, et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Numer. xx, 17: *Gradiemur via publica, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes.* Isa. lx, 3: *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.*

De secundo, Isa. xl, 4 et 5: *Omnis*

*vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur: ... et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.* Vallis est inordinate depressus per desperationem, et mons inordinate elatus in superbiam.

De tertio, Eccli. xxi, 11: *Via peccantium complanata lapidibus, et in fine illorum inferi.* Psal. cxxxix, 6: *Juxta iter scandalum posuerunt mihi.* Scandalum est obex in via recta pedi objectus ut cadat. Isa. lxii, 10: *Planum facite iter, eligite lapides.* Jerem. l, 26: *Tollite de via lapides.*

De quarto dicitur, Habacuc, iii, 15: *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* Psal. lxxviii, 15: *Eripe me de luto, ut non infigar.* Psal. xxxiv, 6: *Fiat via illorum tenebræ et lubricum: et Angelus Domini persequens eos.*

De quinto, Proverb. xxiv, 30 et 31: *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti: et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ.* Istæ sunt viæ Sion plenæ vepribus, quæ lugent quod non sunt qui veniant, depositis curis temporalium ad solemnitatem jucunditatis spiritualis<sup>1</sup>.

De sexto dicitur, Luc. x, 30: *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones.* Gregorius: « In via sumus, qua ad patriam tendimus. Maligni autem spiritus quasi « quidam latrunculi iter nostrum obsident: » et ideo vita eligenda est occasiones tentationum minus habens.

De septimo dicitur, II Reg. xviii, 23, quod Achimaas cucurrit per viam compendii, et citius venit ad David. Et hæc est semita consiliorum. Isa. xxvi, 8: *In semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuumus te: nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ.* Econtra, Numer. xxi, 4: *Tædere cœpit populum itineris.*

De octavo, Proverb. xiv, 12: *Est via*

<sup>1</sup> Cf. Thren. i, 4.

*quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem.*

Expeditur autem via, ut sit recta per justitiam, luminosa per litterarum studium et scientiam, speciosa per virtutis pulchritudinem, segura per conductus securitatem, secreta per paucorum frequentationem, nimis arcta, ne impediatur pedum ordinatam mobilitatem.

De primo horum, Isa. xxvi, 7: *Semita justis recta est, rectus callis justis ad ambulandum.*

De secundo, Proverb. iv, 18: *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.*

De tertio et quarto, Proverb. iii, 17: *Via ejus via pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ.*

De quinto, Matth. vii, 14: *Arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam.*

De sexto, Proverb. iv, 11 et 12: *Ducam te per semitas æquitatis: quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui.*

Sic puer debet « *parare vias ejus.* »

77

« Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum. »

Ecce tangit modum præparationis viæ et præcursionis. Hoc enim est ad hoc, quod detur scientia salutis plebi.

Sic ergo continua: Præibis ante faciem ejus, o puer, « *ad dandam,* » non vendendam. Isa. lv, 1: *Qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite.* Ibidem: *Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac,* hoc est, pastum rudis infantia in facibus Scripturæ, potum inebriantis lætitiæ in subtilium penetratione. Hoc emite fide et devotione, non auro neque argento, quibus emitur humana sapientia. Matth. x, 8: *Gratis accepistis, gratis date,* scilicet scientiam, non pecuniam.

Est autem hic scientia communiter accepta ad omne donum quod cum ratione divina est illuminativum, ad verum intelligendum, vel ad bonum faciendum, vel appetendum. Proverb. iii, 13 et 14: *Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia: melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, et auri primi et purissimi fructus ejus.* Sapient. xiii, 1: *Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei.*

Vult autem beatus Dionysius, quod scientia sit duplex: quamdam enim scientiam vocat discursivam, et quamdam vocat intellectivam et divinam. Illam vocat discursivam, quæ ratione conferente præmissa ad invicem, et hæc ad conclusionem, accipitur: sicut ea scientia quæ est per studium, et ea quæ est ex conjecturis allegoriarum vel moralitatum et hujusmodi. Intellectivam vero vocat simplicem captum intelligentiæ per lumen infusum per Spiritum sanctum in revelatione. Ad primam hortatur Apostolus, I ad Timoth. iv, 16: *Attende tibi, et doctrinæ.* De secunda, Joan. vi, 45: *Scriptum est in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei.* Et ista est certior et melior: et illam habuit, ideo et dedit populo. Osee, iv, 6: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Isa. v, 13: *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Augustinus et Beda: « Scientia donum est Spiritus sancti, docens nos bene conversari in medio pravæ et perversæ nationis. » Docet autem practice: sicut molendinarius nesciens speculative subjectum et passionem molendini, tamen scit molere, et scientiam demonstrat per actum. Practicæ enim scientiæ stant ad opus, sicut dicitur in primo de Anima. Ad Titum, i, 1 et 2: *Secundum agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est, in spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur, Deus.* Et, infra, x. 9: *Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhor-*

tari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.

Hanc igitur scientiam dat, non quidem sæculi, vel carnis, vel diaboli. Jacob. III, 15: *Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.* Baruch, III, 23: *Filii Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, negotiatores Merrhæ et Theman, qui interpretatur Auster, et significat mundi pulchritudinem, quam multi inquirunt, fabulatores et exquisite prudentiæ et intelligentiæ: viam autem sapientiæ nescierunt.*

Hanc ergo scientiam non dat, sed « salutis, » in qua est vera salus. Ad Hebr. XII, 10: *Pater spirituum erudit nos ad id quod utile est, in recipiendo sanctificationem ejus.* Eccli. XXX, 15: *Salus animæ in sanctitate justitiæ melior est omni auro et argento.* In hac enim requiescit spiritus scientiæ et pietatis<sup>1</sup>.

Hanc igitur scientiam salutis non dat altis et ambitiosis, neque immundis, sed humilibus, scilicet « plebi, » iis qui per humilitatem sunt de plebe, et per devotionem sunt « ejus. » Matth. XI, 25: *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Matth. VII, 6: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Eccli. XXXVII, 26: *Vir sapiens plebem suam erudit.*

Hanc autem scientiam salutis dat « in remissionem peccatorum eorum » qui sunt de plebe ejus. Ad Roman. IX, 25: *Vocabo non plebem meam, plebem meam: et non dilectam, dilectam: et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam*<sup>2</sup>. Isa. XLIII, 25: *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.*

Hoc autem totum fit

« Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. »

78

Tangit hic gratiam Dei, ne sibi aliquid attribuere videatur. Et tangit tria, quorum primum est motivum ad istud donum, secundum in quo perfecta misericordia quæ movet, tertium autem est opus ipsius proprium.

De primo horum dicitur: « Per viscera misericordiæ Dei nostri, » hoc est, per intimam pietatem et misericordiam Dei nostri, quæ ad hæc quæ dicta sunt movet et inclinatur. Ad Coloss. III, 12: *Induite vos sicut electi Dei sancti, et dilecti, viscera misericordiæ.* Isa. LXIII, 15: *Ubi est zelus tuus, et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum? Super me continuerunt se.* Genes. XLIII, 30: *Commota fuerant viscera ejus super fratre suo.* Jerem. XXXI, 20: *Conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor ejus.*

« In quibus visitavit nos. »

Ecce in quo perfecta est misericordia viscerosa. In visceribus enim illis visitavit nos, assumpta nostra cum pœnalitibus carne. Et de hoc supra dictum est satis. Exod. IV, 31: *Audierunt quod visitasset Dominus filios Israel, et quod respexisset afflictionem illorum: et proni adoraverunt.* Et ex hoc invaluit usus in religionibus in die Annuntiationis et Navitatis, adorare in terra in gratiarum actionem, cum ex kalendario annuntiat visitatio Domini. Exod. III, 7 et 8: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus audivi propter duritiam eorum qui præsumunt operibus: et sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum.*

<sup>1</sup> Isa. XI, 2.

<sup>2</sup> Cf. Osee, II, 24; I Petr. II, 10.

Iste autem visitationis modus magnificus est, quia « *visitavit nos* »

« Oriens, »

Nobis, « *ex alto* » sinu Patris. Non quidem dimittens quod erat, sed assumens quod non erat: non commixtionem passus in assumente et assumpto, neque divisionem in unione assumentis et assumpti, sicut dicit Nicæna Synodus. Zachar. vi, 12: *Ecce vir Oriens nomen ejus, et subter eum orietur*. Psal. xviii, 7: *A summo cælo egressio ejus*. Sapient. xviii, 13: *Omnipotens sermo tuus de cælo a regalibus sedibus venit*. Et hoc magnum fuit tantæ majestatis Dominum, de summis cælorum ad carnis susceptionem, ad obsequii servilis humiliationem, ad crucis ignominiosæ ire turpationem. Jerem. xii, 7: *Reliqui domum eam, dimisi hereditatem meam, dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus*.

Sic enim et in hoc ortus est nobis *ex alto*.

Tertio autem tangit actum sive opus visitatoris. Et hoc est quod dicit:

« Illuminare his quis in tenebris et in umbra mortis sedent. »

Sic continua: Ortus est, dico, « *illuminare*, » hoc est, ad illuminandum.

Tangit autem hic quatuor: beneficium scilicet illuminationis, quibus datur hoc beneficium, beneficii necessitatem, et utilitatem.

Beneficium quidem est: « *Illuminare*, » hoc est intus in eis lumen accendere. Joan. i, 9: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, hoc est, lumen notitiæ suæ et voluntatis suæ dare. Isa. lx, 1: *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est*. Ad Hebr. i, 3: *Cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus*.

Joan. viii, 12: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*. Psal. xxxv, 10: *In lumine tuo videbimus lumen*.

Hoc enim lumen est similitudo lucis æternæ, dissipans tenebras, dissolvens cordis gelicidium, movens ad germina, formans ad pulchritudinem illuminata.

De primo horum, Sapient. vii, 26: *Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula*.

De secundo dicitur, Joan. i, 5: *Lux in tenebris lucet*. Dicit Chrysostomus, « ad dissipationem tenebrarum. » Isa. lviii, 10: *Tenebræ tuæ erunt sicut meridies*.

De tertio dicitur, Eccli. xliii, 4: *Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans*. Et, ibidem, 3: *In meridiano exurit terram*. Isa. lxiv, 1 et 2: *Utinam dirumperes cælos, et descenderes: a facie tua montes (superbiæ) defluerent. Sicut exustio ignis tabescerent*, etc.

De quarto dicitur, Eccli. xliii, 2: *Sol in adspectu annuntians in exitu, vas admirabile opus Excelsi: totam enim bonitatem cæli deponit ad terram*. Job, xxxviii, 33: *Numquid nosti ordinem cæli, et pones rationem ejus in terra?*

De quinto dicitur in Psalmo lxvii, 9: *Terra mota est, etenim cæli distillaverunt*, scilicet per illuminationem. Isa. xlv, 8: *Rorate, cæli, desuper, et nubes pluant justum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem*. Hic enim ros lucis est vehiculum. Isa. xxvi, 19: *Ros lucis ros tuus*.

De sexto, II ad Corinth. iv, 6: *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Jesu*, in quo sunt omnes formæ pulchritudinis divinæ. Propter hoc ministri Novi Testamenti lucent formis divinis plusquam Moyses, cujus lumen vultus in scientia legis evacuatur. II ad Corinth. iii, 18: *Nos omnes revelata facie gloriam Domini specularantes, in*

*eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.* Ecce quantam lucem lucifer Joannes post se surgere ostendit. Unde Dominus ad eum dicit, Job, xxxviii, 12 : *Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo, et ostendisti auroræ locum suum?* Quasi dicat : Hoc non erit ex te, sed ex me fecisti.

Sic ergo ortus est « *illuminare his,* » scilicet nobis. Luc. ii, 32 : *Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.* Eccli. xlili, 10 : *Mundum illuminans in excelsis Dominus.*

Et subdit hujusmodi illuminationis necessitatem, dicens :

« Qui in tenebris et in umbra mortis »

Conclui « *sedent.* » Tenebræ Ægypti sunt ignorantiae intelligendorum, credendorum, appetendorum, et faciendorum. Genes. i, 2 : *Tenebræ erant super faciem abyssi,* hoc est, super faciem non stabilem in Deo cordis. Jerem. xvii, 9 : *Pravum est cor omnium et inscrutabile.* Et sic est abyssus. Job, iii, 23 : *Viro cujus abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris.* Tob. v, 12 : *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cæli non video?* Super faciem enim cordis hominis sunt tenebræ intelligendorum ex peccato : abscondita autem est ab eo via lucis per ignorantiam credendorum : sedet in tenebris appetendorum. *Et una catena tenebrarum omnes erant colligati,* sicut dicitur, Sapient. xvii, 17, per ignorantiam agendorum.

Umbra autem mortis triplex est. Ex morte enim peccati primi objecta est primo umbra divinæ oblivionis : secundo, umbra ignorantiae qualitatis mortis, et status sequelæ mortis : et umbra tenebrarum claustrum infernalis.

De prima dicitur, Isa. ix, 2 : *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.*

De secunda in Psalmo xxii, 4 : *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala : quoniam tu mecum es.*

De tertia, Job, iii, 5 : *Obscurent eum tenebræ, et umbra mortis.*

Omnibus autem his illuxit : primis per verbum et exemplum, secundis per sepulturam, tertiis per descensum ad inferos.

De primorum illuminatione dicitur, Isa. lx, 2 : *Ecce tenebræ operient terram, et caligo populos : super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur.* De secundorum illuminatione dicitur, Eccli. xxiv, 45 : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino.* De tertiorum illuminatione dicitur, Isa. lviii, 10 et 11 : *Orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit.* Et ideo hoc capitulum Isaïæ in quibusdam ecclesiis legitur in obsequiis mortuorum.

« Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. »

Congruus ordo ut primo illuminetur intus, et postea dirigatur extra.

Tangit autem tria : directionem, et pedum directionem, et quo dirigantur.

Directionem, Psal. lxxxix, 16 : *Respice in servos tuos, et in opera tua : et dirige filios eorum,* per illuminationem tuam. Psal. xlii, 3 : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.*

« Pedes nostros. »

Duo sunt pedes animæ : intellectus tendens in verum, et affectus tendens in bonum. Ad Hebr. xii, 13 : *Gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.*

Psal. xvi, 5 : *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.*

« In viam pacis, »

Hoc est, securitatis et tranquillitatis. Malach. ii, 6 : *In pace et in æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate.* Psal. lxxv, 3 : *Factus est in pace locus ejus.* Hæc est *pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum* <sup>1</sup>. Hæc est pax ubi vera quies est animæ. Psal. iv, 9 : *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* « Hæc enim pax est, ut dicit Augustinus, in civitate concordia fruendi Deo, et invicem in Deo qui est pax cœlestis civitatis. » Baruch, iii, 14 : *Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus : ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum, et pax.*

Hæc autem omnia in cantico isto invenire poteris.

80

« Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu : et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel. »

Post nativitatem istius pueri agit de incremento et conversatione juventutis ejus usque ad tempus prædicationis.

De incremento autem dicit : « *Puer autem crescebat* » corpore. Genes. xxi, 8 : *Crevit igitur puer, et ablactatus est.* Et secundum incrementa ætatis fuit incrementum intellectus ipsius et gratiæ. Ad Ephes. ii, 21 : *In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.*

« Et confortabatur spiritu. »

Tripliciter : per radicationem spiritus,

<sup>1</sup> Ad Philip. iv, 7.

per augmentum virtutis in virtutem, et per profectum humanæ virtutis ad divinam.

De radicatione quidem, Isa. xxxvii, 31 : *Et mittet id quod salvatum fuerit de domo Juda, et quod reliquum est, radicem deorsum, et faciet fructum sursum.*

De augmento de virtute in virtutem, Psal. lxxxiii, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion.*

De profectu in virtutem divinam, Joan. x, 35 : *Illos autem dixit deos, ad quos sermo Dei factus est.* Psal. lxxxii, 6 : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.* I Joan. iii, 2 : *Cum apparuerit, similes ei erimus.* Divinam autem dico virtutem quando fit, ut dicit Apostolus, II ad Corinth. v, 16 : *Nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.*

« Et erat in desertis »

Agens. Dicit autem Beda quod viginti annis fuit in deserto : et tunc intravit desertum decem annos habens, et exivit habens triginta annos : sicut patet, Infra, iii, 1. Dicit tamen Evangelium Nazaræorum, quod Herode quærente pueros ad perdendum, pater quidem Zacharias, eo quod noluit perdere puerum, interfectus est : mater autem fugit cum puero in desertum : et cum a persequentibus angustiaretur de puero abscondendo, aperuit se lapis montis scissus, et eum intra se cum puero clausit : et sic evacuata sollicitudo quærentium. Et ex tunc matre post aliquos paucos annos mortua, puer in solitudine remansit : et ex usu puerilis ætatis locustas comedere didicit, et mel silvestre, quod super folia in desertis invenit. Dicitur etiam quod sanguis patris in vasis a sacerdotibus receptus, in

templo servatus, continuo bullivit quoties aliquis de familia Herodis in templo apparuit.

Quare autem in desertis fuit, dicit Hieronymus :

Antra deserti teneris sub annis  
Civium turmas fugiens, petisti,  
Ne levi posses maculare vitam  
Crimine linguæ <sup>1</sup>.

In deserto enim tumultus frequentantium fugitur. Marc. vi, 31 : *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.* Ibi etiam Moyses magnam vidit hujus salutis visionem <sup>2</sup>. Ibi Dominus agebatur a Spiritu, et perfecit jejunium quadraginta dierum. Ibi Elias fugiens Jezabel, invenit Angelum se cibantem; et Dominum se alloquentem. Ibi populus pastus mannate accepit le-

gem. Requiescitur enim ibi a tumultu impedientium. Revelantur ibi mysteria secretorum. Cibus ibi ministratur consolationis Angelorum. Ibi est refugium a turmis persequentium. Ibi in cordis quiete percipitur Dei eloquium. Ibi auditur a Domino suarum æquitas legum. Sicut patet in auctoritatibus per ordinem inductis.

Et ideo erat ibi Joannes « *usque in diem ostensionis suæ* : » quando a Spiritu sancto cognovit, quod in verbo prædicationis ostenderet se « *ad Israel.* » Luc. iii, 2 et 3 : *Factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum penitentiae.*

Sic igitur finita sunt quæ dicenda sunt de Joannis nativitate.

<sup>1</sup> Ad Matutinum festi S. Joannis Baptistæ.

<sup>2</sup> Cf. Exod. iii, 3.



## CAPUT II.

*Ex Augusti decreto Joseph cum Maria ascendit in Bethlehem : ubi illa peperit Salvatorem : cujus nativitate ab angelo audita, pastores festini veniunt illum visuri : puer circumciscus vocatur Jesus; quem post dies purificationis in Jerusalem delatum ut Domino sisteretur, Simeon senex benedixit, ac de matris in passione doloribus prophetat : Annaque prophetissa vetula Domino confiteatur : Jesus duodecim annorum plenus sapientia et gratia, perditus a parentibus, in medio doctorum invenitur; descenditque Nazareth factus illis subditus.*

1. Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.
2. Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino.
3. Et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem.
4. Ascendit autem et Joseph a Galilæa, de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem<sup>1</sup>, eo quod esset de domo et familia David,
5. Ut profiteretur cum Maria, desponsata sibi uxore prægnante.
6. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.
7. Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio.
8. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vignias noctis super gregem suum.
9. Et ecce angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno.
10. Et dixit illis angelus : Nolite timere : ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo :
11. Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.
12. Et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.
13. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, et dicentium :
14. Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.
15. Et factum est, ut discesserunt ab eis angeli in cœlum, pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.
16. Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio.
17. Videntes autem, cognoverunt de

<sup>1</sup> Mich. v, 2 ; Matth. ii, 6.



- verbo quod dictum erat illis de puero hoc.
18. Et omnes qui audierunt, mirati sunt : et de his, quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos.
19. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.
20. Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum, in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.
21. Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer<sup>1</sup>, vocatum est nomen ejus Jesus<sup>2</sup>, quod vocatum est ab angelo prius quam in utero conciperetur.
22. Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi<sup>3</sup>, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino,
23. Sicut scriptum est in lege Domini :
29. Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace :
30. Quia viderunt oculi mei salutare tuum,
31. Quod parasti ante faciem populorum :
32. Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel,
24. Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum<sup>4</sup>.
25. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo.
26. Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.
27. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo,
28. Et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit :
33. Et erat pater ejus et mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.
34. Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam, matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur<sup>5</sup> :
35. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.
36. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser : hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua.
37. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor : quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die.
38. Et hæc, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino, et loque-

<sup>1</sup> Genes. xvii, 12 ; Levit. xii, 3.<sup>2</sup> Matth. i, 24 ; Supra, i, 31.<sup>3</sup> Levit. xii, 6.<sup>4</sup> Exod. xiii, 2.<sup>5</sup> Levit. xii, 8.<sup>6</sup> Isa. viii, 14 ; ad Roman. ix, 33 ; I Petr. ii, 7

- batur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.
39. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth.
40. Puer autem crescebat, et confortabatur, plenus sapientia : et gratia Dei erat in illo.
41. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ<sup>1</sup>.
42. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi,
43. Consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus.
44. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos.
45. Et non inveniētes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum.
46. Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos.
47. Stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentia et responsis ejus.
48. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quærebatumus te.
49. Et ait ad illos : Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?
50. Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos.
51. Et descendit cum eis, et venit Nazareth : et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.
52. Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines.

## IN CAPUT II LUCÆ

### ENARRATIO.

« Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.

Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino. »

Hic incipit secundum capitulum, in quo Evangelista determinat de nativitate,

et sacramentis conjunctis nativitati Domini.

Et ideo quatuor per ordinem dicit, quæ tamen in tria conjungit Apostolus, ad Galat. iv, 4, ubi dicit : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Et ideo determinat plenitudinem temporis : secundo, qualiter natus est ex muliere : tertio, qualiter factus est sub lege.

Plenitudinem autem temporis determinat quadrupliciter : ex parte præcurrentium in gratia, ex parte signorum comitantium in monarchia, ex parte subjectorum monarchiæ in obedientia, ex parte convenientium in temporis et loci convenientia.

De præcurrentibus in gratia dicit :

<sup>1</sup> Exod. xxiii, 15 et xxxiv, 18 ; Deuter. xvi, 1.

1 « *Factum est autem,* » præordinatione divina, « *in diebus illis,* » quando Joannis nativitas Christi nativitatem præcurerat : quibus etiam Beata Virgo domum reversa, sex mensibus domi resederat : quibus vaticinia Zachariæ et Elisabeth audita et divulgata fuerant : et ut generaliter dicatur, omnia signa prævenierant quæ Deus præordinaverat. Omnia enim tempus habent, et suis spatiis in præsuppositione divina præordinatis transeunt universa sub cælo. Psal. ciii, 9 : *Terminum posuisti quem non transgredientur.* Daniel. xii, 9 : *Clausi sunt signatique sermones, usque ad præfinitum tempus.* Hæc enim omnia clausa usque ad impletionem temporis præfiniti.

« *In diebus* » autem dicit : quia singularum gratiarum illustrationes dies faciunt præfinitos : et cum omnes illustrationes ortæ fuerunt, quasi singula astra matutina, tunc novæ legis surrexit aurora. Job, xxxviii, 7 : *Ubi eras cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei?* Jubilavit enim Elisabeth. Jubilavit in utero Janes. Jubilavit Beata Virgo mater Dei. Jubilavit Zacharias. Jubilaverunt vicini et cognati quasi totus cæli concentus, exspectantes tempus et locum auroræ. Et implentes illud quod ibidem, y. 12, dicitur : *Præcepisti diluculo, et ostendisti auroræ locum suum.*

Et hoc est quod sequitur :

« Exiit edictum a Cæsare Augusto. »

Tangit hic signa concomitantia in Romanorum monarchia. Facit enim Lucas sicut bonus tabellio, confirmans contractum inter nostram naturam et Deum. Unde Ambrosius in Glossa : « Historico more scribens Evangelista, ut seriem temporis designet, nomen præsidis tamquam consulis signi gratia huic libro adscribit. » Nam si consules adscribun-

tur tabulis emptionis, quanto magis redemptionis hominum debuit tempus adscribi? Habemus hic omnia quæ in contractibus esse solent : vocabulum, summam potestatem gentis, diem, locum, causam, testes etiam qui adhiberi solent. Hos quoque nativitati suæ et generationi Christus adhibuit, qui Evangelium signarent, hoc est, confirmarent, dicens, Act. i, 8 : *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Ex his omnibus indicia sumuntur completi temporis ad suam nativitatem.

Attende autem sex circa Augustum Cæsarem, penes quem summa potestas resederat rerum. Quod videlicet monarcha fuit omnium Dominus, ut dicit Josephus. Et si forte aliqua in orbe non subjecta erant in hominibus vel terris, ita erant parva quod non curabantur. Et ideo etiam in legibus et litteris suis, se mundi Dominum appellabat : præ se ferens manu pomum aureum, quod mundi circulum teretem prætendebat.

Secundum, quod nomen ab augendo imperium accepit, hoc est, *Augustus*.

Tertium est, quod in tanta pace regnavit, quod quasi nullus erat tempore suo armorum usus : ut ad litteram videretur in eo impletum illud propheticum Isaïæ, ii, 4 : *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces*<sup>1</sup>. Et illud, ibidem : *Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.* Sed quilibet utilitatibus propriis intendens, agriculturæ operam dabat, et arma conflabat in agriculturæ instrumenta.

Quartum est in signis tempore imperii sui exortis. Tres enim soles (ut dicunt Romanorum gesta) tempore Augusti in Oriente exorti, in unum collecti sunt circa medium cæli. Et sicut dicit Seneca, in morte sua cometes ad modum solis apparuit, qui in tres circa medium cæli est divisus. Templum pacis in parte

<sup>1</sup> Idem habet Mich. iv, 3 : *Concident gladios*

*suos in vomeres, et hastas suas in ligones.*

corruit : et in parte, sicut adhuc apparet, perstitit in ortu Salvatoris. In eodem tempore fons olei erupit, qui usque in Tiberim continuo fluxu manavit.

Quintum est, quod solus sine socio regni gubernacula suscepit. Aliquando enim duo Imperatores Romæ rempublicam regebant : sicut Diocletianus et Maximianus. Sed iste solus pacatissime regnavit.

Sextum est, quod benignissime et optime præfuit.

Hæc autem omnia sunt signa impleti temporis quod Christus nascatur. Hoc autem quod monarchia in unum fuit collecta, signat regnum Christi incipiendum quod omnes unire debuit, et quod divisione sui destruendum non fuit. Luc. xi, 17 : *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.* Ezechiel. xxxvii, 22 : *Faciám eos in gentem unam in terra in montibus Israel, et rex unus erit omnibus imperans : et non erunt ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna.* Joan. x, 16 : *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili : et illas oportet, me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.* Ezechiel. xxxvii, 23 et 24 : *Ego ero eis Deus, et servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum.* Ecce convenientia regni Christi ex primo.

Ex secundo autem quod nomen accepit ab augendo, verius impletur in Christo, qui suos semper auget numero et merito. Psal. civ, 24 : *Auxit populum suum vehementer, et firmavit eum super inimicos ejus.* II Reg. xxiv, 3 : *Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum quantus nunc est.* Genes. xii, 2 : *Benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum.* Psal. ii, 8 : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.*

<sup>1</sup> Ad Roman. v, 11 : *Gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.*

A tertio autem ostenditur convenientia : quia Christus est pax nostra, pacem fecit, pacificum diligit et insignit : et in testamento suis dimisit. Quod pax sit, ad Ephes. ii, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceris solvens, inimicitias in carne sua.* Fecit autem pacem inter nos et Deum, inter nos et Angelum, inter nos Gentiles et Judæum. Inter nos et Deum : per ipsum enim habemus reconciliationem ad Deum<sup>1</sup>. Luc. xxiv, 36 : *Pax vobis : ego sum.* Inter nos et Angelum : quia Angelus nos ante Incarnationem viles et servos reputans, ab hominibus se permisit adorari<sup>2</sup> : post Incarnationem autem noluit permittere, reverentiam exhibens naturæ quam Deo vidit unitam. Apocal. xxii, 8 et 9 : *Cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat :... et dixit mihi : Vide ne feceris : conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum : Deum adora.* In signum hujus, pacem nobis nuntiant Angeli dicentes : *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*<sup>3</sup>. Inter Judæum autem et Gentilem fecit pacem, ad Ephes. ii, 17 : *Veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis qui prope.* Longe quidem erat Gentilis, prope autem per Legis et Prophetiæ acceptionem Judæus. Fecit autem pacem inter nos et Deum, per mediatoris officium. Inter nos et Angelos per ruinæ angelicæ restorationem. Inter Judæum et Gentilem per unius fidei præconium, et unius Ecclesiæ habitaculum. De primo, I ad Timoth. ii, 5 : *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* De secundo, Luc. xv, 9 : *Inveni drachmam quam perdideram.* De tertio, ad Ephes. iv, 5 : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Hic diligit pacificos, et in adoptionis filiorum Dei gratiam transfert, Matth. v, 9 : *Beati pacifici,*

<sup>2</sup> Genes. xviii, 2.

<sup>3</sup> Infra, ii, 14.

*quoniam filii Dei vocabuntur.* Pacem in testamento suis reliquit, Joan. xiv, 27 : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat ego do vobis.* Dat autem pacem conscientiæ potius quam temporis. Unde, ad Philip. iv, 7 : *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras.* Pace enim temporis aliquando data, durius est bellum conscientiæ : et illa non est vera pax. Unde, Sapient. xiv, 22 : *In magno viventes inscientiæ bello, tot et tam magna mala pacem appellant.* Psal. lxxii, 3 : *Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Isa. xxxviii, 17 : *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Et ideo Christus dat pacem conscientiæ. Psal. lxxv, 3 : *Factus est in pace locus ejus.* Impiis enim nec exterius nisi raro, nec interius umquam est pax. Isa. xlviii, 22 : *Non est pax impiis, dicit Dominus.*

Quartum etiam competit. Tres enim soles exorti, trium naturarum signant radios, corporalis, et spiritualis, et deitatis : quæ in unum collectæ in unitate personæ Christi totum illuminaverunt mundum. Vel (ut dicunt) fidem trium personarum in unitate unius essentiæ significaverunt. Esther, viii, 16 : *Judæis nova lux oriri visa est.* Fecit enim tunc Deus luminare majus ut præesset diei. Et cometes in modum solis exortus et in tria scissus, significabat nostrum solem in occubitu suo in plura lumina converti, ad Orientem, et ad Occidentem, et ad Meridiem, totum nostrum illuminare hemisphærium : quia et mortuis corporibus per unitam ad corpus deitatem, et in inferno positus illuxit per unitam deitatem ad animam, et habitantibus in mundo per auroram refulsit Resurrectionis. Templum autem pacis temporalis in parte corrui, propter persecutionem suorum in corpore : et in parte stetit, propter tranquillitatem conscientiæ. Fons autem olei qui erupit, ortum ejus significabat de quo dicitur, Cantic. i, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.*

Ex quinto convenientia sumitur : quia ille tunc nasci disposuit, de quo dicitur, Joan. i, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Quod exponens Basiliius dicit : « *Unigenitum* ideo dicit, quia « cum secundo genito gloriam paternam « non divisit. » Osee, iii, 5 : *Quærent Dominum Deum suum, et David regem : et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus in novissimo dierum.*

Ex sexto sumitur convenientia : quia numquam aliquis in tanta mansuetudine et benignitate gubernavit subjectos ut Christus. Esther, xiii, 2 : *Volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed clementia et lenitate gubernare subjectos : ut absque ullo terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur.*

Sic igitur patet, quod signa sumpta in Augusto, convenientia sunt Christi generationi.

Ab isto ergo Augusto, « *exiit editum* », fixa lege per senatusconsultum,

« Ut describeretur universus orbis. »

Attende, quod licet David, II Reg. xxiv, 10, peccaverit numerando et describendo populum, eo quod hoc fecit in superbiam, iste tamen non peccavit, quia descripsit orbem pie motus super populum. Describi enim fecit orbem, ut sciret quantum posset facere in gubernationem Reipublicæ per censuram. Et ideo, sicut legitur in Libello qui vocatur, *Descriptio Augusti Cæsaris*, præcepit orbem quoad nostram habitabilem in quartas dividi, et in qualibet quarta montes illius quartæ et flumina principalia describi : et deinde civitates et urbes principales cum villis et pagis et suburbanis describi, ut sciretur numerus allodiorum et prædiorum. Et ultra producendo descriptionem, præcepit ut quilibet rediret ad locum et genus suæ originis : ut sciret qui et quam remoti essent vel non essent a suis patrimoniis :

et inquisitione facta, unusquisque reciperet quod suum erat : et sic sciretur quid pro censicapite solvere vel non solvere posset. Quem censicapitem congregatum, legionibus militum (qui quaslibet terras in pace tenebant) per manum publicam fecit erogari. Justum enim esse videbatur, ut illi qui pro omnibus militabant, communiter ab omnibus acciperent stipendia : quia omnes una communi pace gaudebant et libertate. Stipendia dicuntur a stipe pendenda. Nulli autem ab hoc tributo excipiebantur, nisi mendici pauperes. Hoc enim est de privilegio paupertatis, onera tributorum communium non portare. Unde, ad Roman. xiii, 7 : *Reddite omnibus debita : cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal : cui timorem, timorem : cui honorem, honorem.* Et, Matth. xxii, 21 : *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* Hac igitur de causa istud exiit edictum ab Augusto justissimo. Pacificas enim vias de terra in terram facere non potuit nisi per militum legiones : et milites vivere non poterant nisi per stipendia : nec stipendia habuit, nisi per communem omnium contributionem. Et si forte, ut dictum est, aliquid non est descriptum de orbe, non est curandum.

Hoc autem, ut dicit Gregorius, etiam signis temporum competit. Dicit enim quod nascituro Domino mundus describitur : quia ille apparebat in carne, qui electos suos describeret in æternitate. Describit autem suos in æternitate quinque modis : per diffinitam in se prædestinationem, per appositam eis justitiam præsentem, per privilegiati meriti notam, per sui verbi in conscientia et corde doctrinalem picturam, et per beatitudinis æternæ ad seipsum conformitatem.

De primo horum dicitur, Daniel. xii, 1 : *Salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro,* scilicet vitæ. Isa. iv, 3 : *Omnis qui relictus fue-*

*rit in Sion, et residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem.*

De secundo dicitur, II ad Corinth. iii, 3 : *Epistola estis Christi ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi.* Luc. x, 20 : *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* E contra dicitur de malis in Psalmo lxxviii, 29 : *Deleantur de Libro viventium, et cum justis non scribantur.*

De tertio dicitur, Exod. xxxii, 31 et 32 : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Apocal. iii, 12 : *Scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei, novæ Jerusalem.*

De quarto dicitur, Jerem. xxxi, 33 : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam*<sup>1</sup>. Isa. viii, 1 : *Sume tibi librum grandem, cor hominis scilicet, et scribe in eo stylo hominis.* Et ideo conscientia Sanctorum sunt libri. Apocal. xx, 12 : *Libri aperti sunt : et alius Liber apertus est, qui est vitæ : et hoc est conscientia Christi.* Et ex his libris mortui judicabantur. Psal. cxlix, 9 : *Ut faciant in eis iudicium conscriptum : gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.*

De quinto modo, Apocal. xiv, 1 : *Et vidi, et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.* Et ita scribuntur etiam ad mortem æternam. Jerem. xxii, 30 : *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur.* Jerem. xvii, 13 : *Recedentes a te, in terra scribentur, quoniam deliquerunt venam aquarum viventium, Dominum.*

Sic ergo ex Scriptura patet ad nativitatem Domini convenientia. Et hac de causa præfinivit hoc sapientia Dei Patris.

Attende autem, quod modus descrip-

<sup>1</sup> Cf. Ad Hebr. x, 16.

tionis erat ad denarium, qui habebat imaginem Augusti, et decem valuit usuales parvos. Et hæc descriptio dicitur, Matth. xxii, 20 et 21 : *Cujus est imago hæc et superscriptio ? Dicunt ei : Cæsaris. Tunc ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* Iste autem modus in descriptione spirituali Christi, significat imaginem Dei ad quam factus est homo. Denarius autem obedientiam decalogi, ad quem totus mundus est inscriptus. Psal. iv, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Glossa Augustini : « Lumen « vultus signatum super nos est imago « creationis, et recreationis, et similitudinis divinæ. » Creationis quidem in qua creati sumus, est naturæ. Recreationis autem in qua creati sumus, est gratiæ imago, quæ est fides, spes, et charitas. Similitudinis autem qua tres personas in una substantiâ imitamur, est memoria, intelligentia, et voluntas. Quæ tunc imitantur, quando Deus est in memoria sine oblivione, veritas in intellectu sine errore, charitas in affectu voluntatis sine contraria affectione. Hunc ergo denarium exhibe, et es descriptus, et ab Imperatore summo gubernandus et regendus.

Quod autem nunc ab Imperatoris dixerat exiisse edicto, subdit qualiter et per quem est executioni mandatum, dicens :

2 « Hæc descriptio prima, etc. »

Attende, quod istud « prima » secundum diversos Doctores quatuor modis exponitur. Secundum Josephum quidem multæ factæ sunt descriptiones antecedentium Imperatorum, sed non fecerunt describi nisi prædia et allodia : et super illa imponebant census, convertendum in stipendia militum : sicut et in Ægypto, Genes. xlvii, 24 : *Quintam partem regi dabitis : quatuor reliquas permitto vobis.* Sed ista fuit prima inter generales. Ge-

neralem autem voco in qua descripta sunt, et allodia, et homines.

Alia expositio est Bedæ qui dicit, quod quidem (sicut dictum est) exiit editum, sed illud tunc primum executioni fuit mandatum, quando missus est in Syriam censor sive iudex Cyrinus. Et ita oportet resolvere nomen « prima » in adverbium *primum*, ut sit sensus : « *Hæc descriptio*, » ab Augusto edicta, « *prima*, » hoc est, primum « *facta est*, » per executionem, « *a Cyrino*, » misso pro censore et « *præsidente Syriæ*. »

Tertia expositio vult exponere « *prima* » pro principalis : quia Syria *sublimis* interpretatur, sicut et principalis fuit : et a principali inchoatum est, ut illa non contradicente descriptioni, omnes aliæ descriptionem sustinerent provinciæ.

Quarta expositio dicit, quod Syria non est dicta *prima* propter se, sed propter Judæam quam in se habuit. Judæi enim gloriabantur quod census dare non deberent, quia decimas solverent, et primitias darent, et vota et sacrificia offerrent, et legibus humanis non subjacerent, ut dicit Hieronymus. Et ideo quærebant, Matth. xxii, 17 : *Si licet census dare Cæsari, an non ?* Deuter. xxviii, 13 : *Constituet te Dominus in caput, et non in caudam : et eris semper supra, et non subter.* Et ideo voluit ut primo inchoaretur ab eis : ut ipsis subjectis, omnes alii censui colla submitterent. Et verificatum est vaticinium Jeremiæ, Thren. i, 1 : *Princeps provinciarum facta est sub tributo.* Tunc enim recte Judæorum regnum translatum est, quando alteri regno imperanti solvebant tributum. Genes. xlix, 10 : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.* Et de hoc satis supra dictum est.

Hoc est ergo quod dicit :

« *Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ*, » qui tunc missus est in Syriam pro præside, « *Cyrino*. » Tale enim nomen habebat, quod *hæres* interpreta-

tur. Duæ etiam aliæ rationes assignantur, quare a Syria et a Judæa prima incepta descriptio : quarum una est Hieronymi dicentis, quod Syria et Judæa nostræ habitabilis media est, sicut umbilicus in corpore : et ideo ab ea inceptum est, ut ab ea tamquam a medio facilius in extrema terrarum derivaretur. Judicum, ix, 37 : *Ecce populus de umbilico terræ descendit*. Alia ratio est et verior : quia illa terra antiquitus monarchiam tenuit, et fortissimos habuit reges Alexandri Macedonis successores, ut dicit Rabanus. Et ideo imperator ad illam fortissimos et sapientissimos præsidēs censors misit : per quos aptius, et convenientius descriptio poterat inchoari.

Attende autem circa hoc quod dictum est quod Judæa, ut dicit Hieronymus, media est nostræ habitabilis. Hoc enim imaginandum est, sicut dicit Philosophus in *Consolatione philosophiæ*, quod terra dividatur in partes quatuor : ita quod intelligatur unus de coluris spheræ superficies esse extensa per terram de polo in polum. Hæc enim superficies dividet terram ab Austro in Aquilonem tendens in duo media, scilicet, hemisphærium et in oppositum hemisphærio. Est autem compertum conjecturaliter, et non per demonstrationem, quod in solo hemisphærio est habitatio hominum. Conjectura autem Ptolomæi est ista : quia cum eclipses lunares sint apud omnes uno modo, sed differunt in horis : quia lunaris eclipsis orientalis est apud orientales in prima hora noctis : et hæc eadem eclipsis apud illos qui sunt in gradibus Herculis, in ultimis Hispaniarum partibus, est in hora noctis duodecima. Nec invenitur aliqua observatio eclipsium lunarium ultra duodecim horas : et illæ sunt centum octoginta graduum, qui sunt cæli medietas. Et sic conjicitur, quod homines non habitant nisi sub medio cælo, et conjicitur inferior medietas non esse habitata propter aquas : quia si aliquis ibi habitaret, aliquid de scriptis observationum suarum pervenisset ad nos.

Superior autem medietas etiam inhabitabilis secundum medietatem intelligatur æquinoctialis esse superficies, dividens terram in duo media : a medio cælo in angulum oppositum mediæ terræ per Orientem et Occidentem : tunc erit una medietas ab æquinoctiali in polum arcticum, et hæc est habitabilis : et alia medietas erit ab æquinoctiali in polum antarcticum, et hæc inhabitabilis. Et hujus causam dicit Ptolomæus esse brevitate diametri solis conversam in medietatem austrinam, et ideo incensam (alias, intensam) : auge autem solis conversam in medietatem borealem, et ideo habitabilem. Est enim aux solis in signo Geminorum. Et sic, ut dicit Hieronymus, sola illa quarta quæ est ab æquinoctiali in polum arcticum, est habitabilis : et hæc dividitur a compositoribus tabularum in septem climata. In solis enim illis est tolerabilis habitatio. Et in his septem climatibus Judæa est in quarto, quia Jerusalem habet in latitudine triginta gradus, et sic media est nostræ habitabilis. Psal. lxxiii, 12 : *Operatus est salutem in medio terræ*.

Hæc igitur dicta sunt ad intellectum verborum Hieronymi. Ille enim qui mediator est Dei et hominum, qui medius stetit hominum, qui medio jacuit duorum animalium, qui medius stetit latronum in cruce, medius apparuit discipulorum, et semper medium amavit, nec ad superfluum, nec ad diminutum declinans, medium etiam nostri elegit mundi ubi nasceretur. Accipitur autem et hic convenientia a præsidis nomine. Cyrus enim est hæres, et Cyrinus est denominatum ab illo. Isa. xlv, 1 : *Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam*. Tempore enim illius conveniens fuit illum nasci, de quo dicitur, Matth. xxii, 38 : *Hic est hæres, venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus*. Ad Roman. viii, 17 : *Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*. Unde et hæres hic facit descriptionem.



Sequitur :

3 « Et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem. »

Hoc est secundum quod accipit circumstantias a descriptorum obedientia.

Dicit autem duo : facilitatem scilicet obediendi, et professionem descriptionis.

Facilitas obedientiæ notatur in hoc, quod statim facto et promulgato edito per censorem Cyrinum, « omnes ibant, » sine contradictione qualibet ad profiterendum. Cujus causam dicit Glossa, quia propinquum fuit eis verbum in corde et amicum : et ideo statim professi sunt. Propinquum enim fuit rationi, quod qui diu vastati fuerunt bellis, et pace communi gaudere volebant, communi contributioni darent, unde milites defensantes pacem stipendiarentur. Et ideo quod in corde eis ratio dictabat, statim ore sunt professi. Et hoc consonum est regno Christi quod tunc inchoabat. Verbum enim fidei propinquum est rationi : et ideo confiteri ore est facile. Deuter. xxx, 14 : *Juxta te est sermo valde in ore tuo, et in corde tuo.* Apostolus, ad Roman. x, 8 et 10, dicit *esse verbum fidei, quod prædicamus. Et ideo corde creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem.*

Modum autem professionis subjungit, dicens :

« Ut profiterentur singuli in suam civitatem, »

Hoc est, unde nati sive oriundi fuerunt, sicut supra dictum est, ut sciretur quis quantum de censicapite solvere posset. Accipitur autem et ab hoc convenientia temporis : quia Christi nativitate redimus ab exilio in nostram civitatem

Jerusalem, quæ sursum est, quæ est mater nostra <sup>1</sup>, exhibentes in ea imaginem nostræ professionis. Ezechiel. xxxvi, 24 : *Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram.* Hoc petit David in Psalmo cv, 47, dicens : *Salvos nos fac, Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua.* Hoc est ergo quod sumitur de circumstantiis temporis, et personarum, et negotii.

Sequitur :

4 « Ascendit autem et Joseph a Galilæa, de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David,

5 Ut profiteretur cum Maria, desponsata sibi uxore prægnante. »

Tangit hic singulariter negotii et loci circumstantias nativitatis Christi.

Et tangit qualiter Joseph et Beata Virgo ad locum nativitatis veniunt, et qua de causa.

Circa primum dicit quis, unde, et quo, et qualiter venit.

Qualiter quidem, quia

« *Ascendit et Joseph, etc.* » Est enim Galilæa versus planum ad mare, Judæa autem in montibus : unde, supra, i, 39 : *Exsurgens Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda.* Sic ergo per situm terræ, ascendit etiam Joseph, innuens cuilibet filio et filiæ accrescenti quod interpretetur Joseph, quod ascensiones in corde suo disponere debet in valle lacrymarum sub Augusti imperio. Augustus enim et Joseph, idem secundum diversas linguas significant. Joseph enim *auctus* inter-

<sup>1</sup> Ad Galat. iv, 26,

pretatur latine, quod idem Augustus sonat.

Est autem ascendendum primo ad culmen virtutum : secundo autem ad fastigium divinarum contemplationum : tertio ad gradum prædicationum : quarto ad cathedram bonorum, si vocatus fuerit aliquis.

Primus ascensus significatur, II Reg. xv, 30 : *Rex David ascendebat clivum Olivarum, scandens et flens, nudis pedibus incedens et aperto capite.* Ad culmen enim virtutum, ut dicit Gregorius, non ascenditur nisi præsumendo de Dei misericordia, et per fletum, et humilitatem, et carnis mortificationem.

Secundus ascensus significatur, Act. x, 10 et seq., per ascensum Petri in superiora domus : ubi vidit visionem magnam de linteo, et omnibus generibus reptilium in linteo, quæ Deus purificavit et ideo communia a Petro non esse dicenda.

De tertio dicitur, Isa. xl, 9 : *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion.*

De quarto autem, I Reg. xiv, 13, per ascensum Jonathæ qui *donum columbæ* interpretatur, et armigeri sui qui ascendit reptans manibus et pedibus, et obtinuit castra Philistinorum. Armiger autem Jonathæ est qui vocatur in partem sollicitudinis, et arma Scripturæ. Reptare manibus et pedibus, hoc est niti operibus et affectibus ad expugnandum castra diaboli in peccatoribus. Et sic tandem potest ascendere cathedram dignitatum. Psal. cvi, 32 : *Exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum.* Cantic. vii, 8 : *Dixi : Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus.* Palma enim regale decus significat.

Sic ergo ascendit et Joseph.

Et tangit a quo ascendit in communi, et in proprio.

In communi quidem, quia

« A Galilæa, »

Ubi annuntiatus et conceptus est Sal-

vator : ubi ad similitudinem eamdem, per divinum oraculum annuntiatur, et per sanctum propositum concipitur Dominus quotidie, ut dicit Glossa super Isa. xxvi, 17 et 18 : *A facie tua, Domine, concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum.* Interpretatur Galilæa tota : et hoc modo mundi volubilitatem signat. Psal. lxxxii, 14 : *Deus meus, pone illos ut rotam.* In qua unus semicircularum semper premit alium, donec rota consumitur : et ideo ascendendum est de ea, et derelinquenda.

Et tangit locum proprium unde ascendit :

« De civitate Nazareth, »

Quæ *flos*, ut supra dictum est, interpretatur. Quia florens ascendere debet qui ascendit ad dignitatem. Et hoc significatum est, Numer. xvii, 8 et seq., ubi Aaron ascendens culmen pontificatus per virgam florentem ascendit. Et hæc eadem præcepta est referri in tabernaculum, ut sit ibi in signum eorum qui ascendere cupiunt.

Sequitur :

« In Judæam. »

Et tangit locum ad quem ascendit in communi nomine, et proprio.

Communi quidem quando dicit : « *In Judæam,* » sortem scilicet Judæ, qui interpretatur *confitens* vel *glorificans* : quia Prælatus ascendit in confessionem triplicem : peccatorum in pœnitentia, veritatis in prædicatione, laudis in gratiarum actione.

De primo, Psal. xxxi, 5 : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino : et tu remisisti impietatem peccati mei.* Josue, vii, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris.*

De confessione veritatis dicitur, Psal. lxxiv, 2 : *Confitebimur tibi, Deus : confitebimur, ... et narrabimus mirabilia*

*tua. Ad Roman. v, 10 : Ore confessio fit ad salutem.*

De tertio, Psal. cxvii, 1 : *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Genes. xlix, 8 : Juda, te laudabunt fratres tui : manus tua in cervicibus inimicorum tuorum.*

Judæa autem hic ponitur pro sorte Judæ, quia in sorte Judæ fuit Bethlehem : et ideo dicitur, Matth. ii, 6 : *Tu, Bethlehem, terra Juda.* Est enim alia quædam Bethlehem in Galgalis vel Galilæa : sicut dicit Hieronymus in Glossa super illud Mich. v, 2 : *Tu, Bethlehem Ephrata.*

Litteralis autem quæstio est hic. Cum Jerusalem ab expugnatione dicatur *civitas David*, sicut dicitur, II Reg. v, 7, et III Reg. xi, 43, quare non ascendit in eam Joseph? Et dicendum, quod in veritate Jerusalem erat in sorte Benjamin. Sed quia non potuit expellere Jebusæum, qui habitavit in ea, cessit in possessionem David ab eventu expugnationis, sicut narrat liber Regum : et ideo non directe erat de sorte Judæ. Et quia Joseph directe erat de sorte Judæ, ideo ascendit in Judæam illam, quæ de sorte Judæ fuit. In hac enim sorte Christus nasci voluit, quia de sorte Judæ fuit. Apocal. v, 5 : *Ecce vicit leo de tribu Juda. Genes. xlix, 9 : Catulus leonis Juda. Ad Hebr. vii, 14 : Manifestum est quod ex Juda ortus sit Dominus noster.* Hæc est ergo causa litteralis, quare Deus voluit, quod in Judæam istam ascenderet.

« In civitatem David. »

Quæ sorte hæreditaria fuit civitas David. Videtur autem contrarium prophetiæ quod hic dicitur. Dicit enim Michæas, v, 2 : *Tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda.* Quod exponens ibidem Glossa dicit : « Parvulus vicus es in Juda, in quo, hoc est, in cu-

jus sorte sunt tot millia civitatum, villarum, et vicorum : » ergo non fuit civitas. Sed ad hoc dicendum, quod licet raro frequentaretur habitatore, tamen a David rege, et ab antiquo dignitatem et municipia habuit civitatis, propter futuram in ea Domini nostri navitatem. Et ideo hic præcipue vocatur *civitas*. Civitas (inquam) civium dignitate, in qua Angeli concinunt ad ortum novi regis, quæ Regis et matris Reginæ præsentia glorificatur, quæ a Regibus visitatur, cui Reges munera devotionis offerunt, quæ vaticinio Prophetarum super alias extollitur.

De primo horum habetur, infra, xx. 13 et 14 : *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo.*

De secundo, Isa. lx, 13 : *Locum sanctificationis meæ, et locum pedum meorum glorificabo*, hoc est, locum in quo sanctificatio mea in matris castitate consecratur, et locum ubi primo pedes pono humanitatis, glorificabo gloriosum, et in gloriam sempiternam elevabo.

De tertio dicitur, Matth. ii, 1 et 2 : *Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum? Isa. lx, 16 : Suges lac Gentium, et mamilla regum lactaberis.*

De quarto, Matth. ii, 11 : *Intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum : et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera. Isa. lx, 6 : Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.*

De quinto, Mich. v, 2 : *Tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda : ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* His ergo rationibus civitas dicitur magna, dignitate sublimis. Et dicitur *civitas David*, hoc est, possessionis David. Et quia quilibet ad allodialem et patrimoniam civitatem ascendit,

ideo Joseph ascendit in istam, sicut patet ex superius dictis.

David autem hic fit mentio propter tria. Primum est, ut cognoscatur Christi humilitas. Secundum, ut cognoscatur Christi libertas. Tertium, ut cognoscatur quam magnopere curavit vitare scandalum infirmorum. Humilitas quidem : quia de tanto sanguine natus sic descendere voluit, ut censicapitem solveret, et sub tributo nasceretur. Libertas autem, quia de regia libertate natus, tamen profiteri censum voluit. Et hoc totum fecit ne scandalum induceret, et suis exemplum daret, ne propter terrenam libertatem vel dignitatem scandalum aliquod facerent.

De primo quidem habes, Matth. xi, 29 : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* : ex majestatis Domino factus tributarius.

De secundo, Matth. xvii, 24 et 25 : *Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum ? a filiis suis an ab alienis ? Et Petrus dixit : Ab alienis. Dixit illi Jesus : Ergo liberi sunt filii.*

De tertio, ibidem, 26 : *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit, tolle : et aperto ore ejus, invenies staterem : illum sumens, da eis pro me et te.*

Ex David ergo habens generis non solum nobilitatem, sed majestatem, et prætendit servilem humilitatem. Ex patribus habens libertatem et dominationem, prætendit et servitutem factus sub tributo. Ex regno habens jus exigendi tributa ab aliis, dissimulavit propter ædificationis charitatem.

Sequitur :

« Quæ vocatur Bethlehem, »

Hoc est, in sorte Judæ, prius vocata Ephrata ab uxore Caleb ibi sepulta. Et tunc accidit ibi sterilitas famis, propter

quam ab ea peregrinatus est Elimelech cum uxore Noemi, et duobus filiis : sicut legitur, Ruth, i, 2. Postea autem tanta ubertas illis terminis est reddita, quod ab ubertate nomen accipiens, Bethlehem, hoc est, *domus panis* est appellata. Et hoc est quod dicitur. Hæc igitur Bethlehem est domus regię propagacionis, domus est Gentium vocationis, domus est Dominicæ nativitatis, domus est refectionis, domus est ubertatis, domus est panis cœlestis.

Primum horum patet, Ruth, iv, 17 : *Mulieres congratulantes ei, et dicentes : Natus est filius Noemi, vocaverunt nomen ejus Obed. Hic est pater Isai, patris David.*

Secundum horum patet, ex hoc quod Ruth ex qua genuit Booz fuit gentilis, per quam descendit Christus. Isa. xvi, 1 : *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti.* Glossa ibidem, hoc est, de Ruth Moabitide gentili, quæ frigida est charitate, et sicca pietate, sicut petra : et deserta a lege et Angelis, et Deo.

Tertium horum patet, Michææ, v, 2, ubi dicitur : *Ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Quia sicut ab uno patre egressus est per generationem æternam, sic ab una matre per generationem temporalem : et sicut ab incorrupto Patre, sic ab incorrupta matre : sicut plenus splendoribus sanctorum a Patre, sic plenus gratia et veritate a matre. Et ideo generatio hæc divina est effective, licet humana sit subjective, et conditione naturæ. Isa. lxvi, 9 : *Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus ?*

Quartum autem probatur in Psalmo xxxv, 9 : ubi dicitur : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ : et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Non enim dicat de cætero : Bethlehem ingressa sum vacua<sup>1</sup>. Plena enim est refectione ejus, qui

<sup>1</sup> Ruth, i, 21 · *Egressa sum plena, et vacuum reduxit me Dominus.*

dicit, Matth. xi, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*

Quintum probatur per hoc quod dicitur *Ephrata*, quæ *frugifer* interpretatur. Jam enim verificatum est de ea illud Genesis, xxvii, 37 : *Frumento et vino stabilivi eum.* Et illud : *Adipe frumenti satiat te*<sup>1</sup>. Habet enim unde alat gratiam plenam, habet unde vinum jucunditatis propinet Dei sapientiam, habet unde ungat et delectet et exhilaret oleum misericordiæ et pietatis : habens eum cujus nomen est oleum effusum, quod sanat, exhilarat, et delectat. Hæc est domus panis cœlestis continens eum, qui dicit : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*<sup>2</sup>, ut dem vitam mundo. Psal. ciii, 15 : *Panis cor hominis confirmet.* Psal. lxxvii, 25 : *Panem Angetorum manducavit homo : cibaria misit eis in abundantia.*

Hac ergo de causa ascendit in civitatem, « *quæ vocatur Bethlehem.* »

Et subjungit causam :

« *Eo quod esset de domo* »

Natus et familia tribus Judæ, scilicet « *David,* » sicut jam dictum est. Psal. lxxxviii, 3 : *Dixisti : In æternum misericordia ædificabitur in cœlis : præparabitur veritas tua in eis.* Hanc misericordiam fecit David promittendo, et veritatem et promissum complendo.

Attende autem, quod de domo esse posset, si natus esset in regnum quod erat universale duodecim tribuum : et tunc non esset de familia privata. Sed quia fuit de familia privata, natus est de tribu Juda, cui primum concessus principatus, sicut patet in principio Judicium<sup>3</sup>.

Ad quid autem ascendit subjungit :

« *Ut profiteretur,* »

Censicapitem solvendo, « *cum Maria,* » ex eadem tribu existente, « *desponsata sibi,* » honestate et lege nuptiarum, « *uxore,* » tanto sanctius sibi conjuncta, quanto pari voto continentium sacratum est illud conjugium, « *prægnante,* » quamvis sibi juncta, non in concupiscentia, tamen a Spiritu sancto fœcundata. Matth. i, 20 : *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Et ideo, ut dicit Ambrosius, hoc est exemplum sanctæ Ecclesiæ : sicut et Joseph exemplum prælatorum Ecclesiæ : quæ licet stella sit illuminans, tamen sui nominis amaritudinem non deserit, semper lugens ut consoletur<sup>4</sup>. Licet sit honestate plena, et legibus justissima, conjunctione viro conjuncta, *obviat tamen viro quasi mater honorificata*<sup>5</sup> : pudorem virgineum custodiens illibatum, quamvis sit prægnans, tamen a Spiritu sancto quo plena est Deo : plena, gravida, et spiritum salutis semper est enixa, qui format Dei Filii vultum in ea. Supra, i, 35 : *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ad Galat. iv, 19 : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Et in signum hujus summi Regis imaginis exemplum exhibet, ut dicit Augustinus, solidum redemptionis suæ qui vultum præfert Imperatoris.

Sic igitur determinatum sit de circumstantibus nativitate, ex parte temporis, et loci, et personarum convenientibus.

**SCHOLASTICAT DU SACRE-COEUR  
LEBRET, SASK**

« *Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.* »

Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclit-

<sup>1</sup> Psal. cxlvii, 14.

<sup>2</sup> Joan. vi, 41.

<sup>3</sup> Cf. Judicum, i, 2 et seq.

<sup>4</sup> Matth. v, 5 : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

<sup>5</sup> Eccli. xv, 2.

navit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio. »

Hic tangit nativitatis Christi perfectionem.

Dicit autem duo : nativitatem, et nativitatis manifestationem, tam per Angelos quam per pastores.

De nativitate dicit tria : temporis impletionem, nativitatem, et nati curam quam sibi Virgo mater adhibuit.

De tempore dicit :

« *Factum est.* » Et hic est versus. Factum enim jam totum est, quod præexigitur secundum ordinationem divinam. Isa. xxxiv, 16 : *Requirite diligenter in libro Domini et legite : unum ex eis non defuit.*

« *Cum essent ibi,* » ubi locus nativitatis a Propheta prædictus est, « *impleti sunt dies, scilicet Mariæ, ut pareret.* »

Impleti sunt quidem impletionem numeri, impletionem ordinis præfiniti, impletionem sanctitatis, impletionem omnis ejus quam figuræ Veteris Testamenti præfiguraverunt significationis.

Impletio quidem numeri dierum tempore, Job, xiv, 5 : *Numerus mensium ejus apud te est : constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.*

De impletionem ordinis præfiniti, Isa. xxxvii, 26 : *Ex diebus antiquis ego plasmavi illud : et nunc adduxi.* Ad Galat. iv, 4 : *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.*

De impletionem sanctitatis dictum est supra, quod plena sanctitas non erat, nisi superveniente Spiritu sancto, et Altissimo obumbrante : ubi quod natum est, vocatur Sanctum<sup>1</sup>, plena sanctitate, ita quod nihil remansit vacuum. In omnibus autem aliis sanctificationibus aliquid vacuum remansit. Unde dictum est uxori Prophetæ, IV Reg. iv, 4 : *Cum plena fuerint vasa, tolles.* Eccli. xxiv, 16 : *In plenitudine sanctorum detentio mea.*

De impletionem figurarum legis dicitur, Matth. v, 17 : *Non veni legem solvere, sed adimplere.*

De his quatuor plenitudinibus dicitur, Luc. vi, 38 : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.*

Dicit autem :

« *Ut pareret* »

Eum quem sine dolore parturitionis enixa est, et signatis claustris pudoris protulit ad lucem. De primo, Isa. lxxvi, 7 : *Antequam parturiret, peperit.* De secundo dicitur, Ezechiel. xlv, 2 : *Porta hæc clausa erit et non aperietur :... quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam : et significatur, Joan. xx, 26 : Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio.* Sic enim exivit de utero. Sic etiam exivit de sepulcro. Sic intravit et exivit domum, et de domo. Multo enim plus habuit curæ de signis pudoris virginis, quam habuerit de sepulcro, vel de domo. Unde de omnibus his exivit non ruptis signaculis.

« *Et peperit Filium suum primogenitum.* »

Ecce partus.

Tanguntur tria : partus, prolis appropriatio, et dignitas.

Partus in hoc quod dicit : « *Peperit,* » quæ tunc puerpera fuit soluta maledictione : quia peperit sine dolore, et conservato pudore. Sapient. iv, 1, exclamat Sapientia super hoc dicens : *O quam pulchra est casta generatio, cum claritate ! immortalis est enim memoria illius : quoniam et apud Deum nota est, et apud homines.*

Proles autem est Filius, perfectus partus, de quo dicitur, Apocal. xii, 5 : *Peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea : et raptus*

<sup>1</sup> Luc. i, 35.

*est filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus.*

« Primogenitum. »

Ecce dignitas. Insurgunt autem hic hæretici Helvidius, et quidam alii dicentes non dici *primogenitum* nisi respectu secundogeniti : mentientes in caput suum : quia si secundogenitum ex matre haberet, ipse unigenitus non diceretur. Joan. 1, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* Et ideo dicitur *primogenitus* dignitate, qui jus primogenituræ in multis fratribus per adoptionem vocatis obtineret. Ad Roman. viii, 29 : *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Honor autem ille fuit, quod erat Dominus fratrum, duplicia possidens in bonis patris. Ad Hebr. 1, 6 : *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Primus enim est in bonis qui et per naturam ut Filius Dei, et per gratiam dona habet potissima : princeps fratrum, quem adorant omnes fratres in adoptionem filiorum translati. Genes. xxvii, 29 : *Esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ.*

Subjungit autem de cura, dicens :

« Et pannis, etc. »

Duas autem curas Virgo mater filio tenello adhibuit, involutionis fasciarum, et locationis.

De involutione dicit : « *Pannis eum involvit.* » Est autem cum pondere accipiendum. Panni enim sunt (unde pannosi vocantur) veteres panni et conscissi : sicut adhuc ostenduntur fasciæ asperæ de tunicis veteribus conscissæ. Talia enim prima nuditatis suæ tegumenta accipere voluit, ut nobis paupertatem, humilitatem, et asperitatem commendaret. De paupertate, II ad Corinth. viii, 9 : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quo-*

*niam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* De humilitate, Matth. xi, 29 : *Mitis sum et humilis corde.* De asperitate, Matth. xi, 8 : *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Job, xxviii, 13 : *Non invenitur in terra suaviter viventium.*

« *Involvit* » etiam, ut dicit Richardus de sancto Victore, mater Virgo Verbum Patris pannis vilibus : significans verbum Dei magis simplicibus sonis indui in prædicatione, quam phaleris rhetoricis. I ad Corinth. ii, 1 : *Veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi.*

Secunda cura est positionis infantis tenelli.

Et circa hanc dicit duo : locum quietis, et causam.

Locum quietis dicit : « *Et reclinavit eum in præsepio.* » Causam autem subinfert quando dicit : « *Quia non erat eis locus in diversorio.* »

Et ad hoc intelligendum accipiat verbum Chrysostomi, qui dicit, quod propter multos qui ad profitendum in Bethlehem convenerant, Joseph hospitium in vico Bethlehem habere non potuit : sed in via tectum quoddam erat super duos muros expansum, ad quod propter intemperiem fervoris vel tempestatis aliquando pauperes cum suis animalibus divertebant : propter quod etiam *diversorium* vocabatur, habens duas aperturas ante, et post : quia non habuit nisi duos muros : et habebat utrumque ad murum conjunctum stabulum, et præsepia conjuncta muro : in quod divertit Joseph, eo quod in civitate non fuit hospitio receptus, secundum illud Joan. 1, 11 : *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Et quia platea transivit per medium, ideo Sancti dicunt quod natus est in via domus. In eodem autem diversorio cæteris pauperibus honestiora loca occupantibus, ipse cum Beata Matre et Joseph detrusi sunt ad stabulum : et cum in stabulo constricti essent ab ani-

malibus peregrinorum, non poterat habere locum reclinacionis nisi præsepium.

Et hoc est quod dicit : « *Reclinavit,* » emolumentum tenello procurans filio, « *in præsepio.* » Hujus signum est, quod in picturis bos et asinus pinguntur super præsepium. Hoc tamen non habet auctoritatem, nisi antiquitatem picturæ : quæ vocatur scriptura laicorum dicentium Beatam Virginem vectam in asino, bovem autem adductum ad vendendum pro censi capite et expensis. Psal. LXXXVI, 6 : *Dominus narrabit in scripturis populorum.* Isaïæ, I, 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui.*

In hoc autem quod reclinatus est in præsepio tria notantur, quod videlicet homines et jumenta salvabit Dominus, quemadmodum multiplicavit misericordiam suam factus jam cibus jumentorum per carnem. Isa. XL, 6 : *Omnis caro fœnum.* Secundum est majestas Dei mirabiliter inclinata propter nos in gremio Virginis, in quo non jam tantum captus et ligatus est rhinoceros, sed etiam alligatus præsepio. Job, XXXIX, 9 : *Numquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum?* Quasi dicat : Non facit hoc : sed ego docens vos submittere ad mansuetudinem cornua. Psal. LXXIV, 6 : *Nolite extollere in altum cornu vestrum.* Tertiumque docet nos declinare stratus mollitiem, ex quo ipse membris tenellis declinatus est in paleæ præsepium. Amos, VI, 4 : *Væ qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris.*

Sequitur :

« Quia non erat eis locus in diversorio. »

Genes. XLII, 27, Fratres Joseph diverterant ad diversorium, ut pabula darent asinis. Quadruplici autem ex causa natus est in via : ut scilicet se peregrinum in

hoc mundo ostenderet, ut se viam demonstraret, ut mundum contemnere doceret, ut semper patriam inquirere exemplo suo probaret.

De primo horum, in Psalmo XXXVIII, 13 : *Advena ego sum apud te, et peregrinus, sicut omnes patres mei.* Jerem. XIV, 8 : *Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum?*

De secundo, dicit Glossa super Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita : via qua itur, veritas qua pes dirigitur, vita ad quam pervenitur : via per præceptum, consilium, et exemplum : veritas per doctrinæ verbum : vita per præmium.* Eccli. XXIV, 25 : *In me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis.* Virtus enim confortat ad viam per meritum, et veritas illuminat ad vitam per doctrinam et Spiritus sancti inspirationem.

De tertio, Zachar. II, 6 : *O, o fugite de terra Aquilonis.* Apocal. XVIII, 4 : *Exite de illa, populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus.*

De quarto, ad Hebr. XI, 13 et seq. : *Confitentur quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi : nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum, paravit enim illis civitatem.*

Et attende quantam nobis Filius Dei rectitudinem vitæ ostendit : cujus medium in nullo exit ab extremis. Nudus enim egressus est ex utero matris suæ in principio : nudus et spoliatus omnibus suis, reversus illuc in matrem terram<sup>1</sup>. In medio si vitam extenderit, Matth. VIII, 20 : *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Jam infans factis loquitur, quod postea dixit per suum

<sup>1</sup> Cf. Job, I, 21.



Apostolum, I ad Timoth. vi, 7 et 8 : *Nihil intulimus in hunc mundum : haud dubium quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus.* Et illud, Matth. v, 3 : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

Hæc igitur dicta sunt de Salvatoris humillima nativitate.

Sequitur :

8 « Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigiliis noctis super gregem suum. »

Hic incipit agere de nativitate manifestatione.

Et dicit quinque : quorum primum est eorum quibus manifestatur idoneitas : secundum autem, manifestantium indubitata veritas : tertium, est manifestationis expressæ sublimitas : quartum, signi ad manifestandum dati congruitas : quintum et ultimum, rei per experimentum probatæ inventa probabilitas.

Circa primum, hoc est, eorum quibus fit manifestatio nativitate Christi idoneitatem, attendenda sunt quinque.

« Pastores erant, » officio, « in regione eadem, » et ideo congrui testimonio, « vigilantes, » sollicitudine, « et custodientes vigiliis noctis, » vicaria vicissitudine, « super gregem suum » proprium impensiori discretione.

In primo horum, sicut innuit Glossa, notatur simplicitas, quæ facit ad testificationis argumentum. In secundo notatur testificantium qualitas : quia noti erant in regione eadem, et non de longinquo, de quibus aliquid fingi posset. In tertio notatur phantasie exclusio, ne dormientes phantasias passi videantur. In quarto autem attenditur vigiliarum possibilitas, quia unus non sufficeret, sed frequenter dormitaret, et ideo phantasias pati putaretur : sed quando plures

erant, vicaria vigilantia vires ad vigilandum habebant. In quinto autem notatur ex impensiori cura, quam quilibet magis impendit propriis quam alienis, quod fortius vigilabant.

Dicit autem Hieronymus, quod locus pascuæ horum pastorum fuit juxta turrim quamdam inter Bethlehem et Jerusalem sitam : ubi Jacob reversus a Mesopotamia pavit pecora sua, ubi et Rachel mortua est et sepulta<sup>1</sup> : de qua dicitur, Mich. iv, 8 et 9 : *Et tu, turris gregis nebulosa filia Sion, usque ad te veniet : et veniet potestas prima, regnum filiae Jerusalem. Nunc quare mærore contraheris ? numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus perit ?* Juxta hanc ergo turrim, quia bona pascua habuit, et ibi de manifestatione summi regis et pastoris Prophetarum fuit, et a Patriarcha præhabitum exemplum : ordinavit Deus ut pastores gregem suum pascerent, quibus Angeli Salvatoris adventum annuntiarent. Hæc etiam facta sunt ad pastorum Ecclesiæ documentum. Hi enim et pastores a pascendo oves (non seipsos) esse debent.

« In regione eadem vigilantes, »

Cum ovibus permanentes, per instantiam custodiae vigilantes, et per vicariam custodiam ovibus providentes, gregem suum sibi commissum canonica adeptione habentes.

De primo habetur, Genes. XLVII, 6 : *Quod si nosti in eis viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum.* Ibidem, x. 3 : *Pastores ovium sumus servi tui, et nos, et patres nostri.*

De secundo dicitur, Osee, II, 15, sub alia metaphora : *Dabo ei vinitores ejus ex eodem loco.* Nemo enim in alia regione a grege existens bene custodit. I Regum, XVII, 28 : *Quare venisti, et quare dereliquisti pauculas oves illas in deserto ? ego novi superbiam tuam, et ne-*

<sup>1</sup> Genes. xxxv, 19.

*quitiam cordis tui.* Pro nequitia enim et superbia exercenda, auferunt lanam et lac, et derelicto grege vadunt ad terras alienas.

De tertio notandum, quod sex rationibus est vigilandum. Quarum prima est, quia ratio de profectu gregis a pastore requiritur, Jerem. XIII, 20 : *Ubi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum?* Quasi dicat : Nisi reddas ita inclytum sicut commissum est, a te damnum exigetur. Genes. XXXI, 39 : *Ego damnum omne reddebam : quidquid furto peribat, a me exigebas.*

Secunda est, quia in periculo animæ grex suscipitur, III Reg. XX, 39 : *Custodi virum istum : qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus* <sup>1</sup>. Jerem. XXXIII, 13 : *Adhuc transibunt greges ad manum numerantis.*

Tertia ratio est, quia lupus continuo ut devoret insidiatur, I Petr. V, 8 : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Et præmittitur : *Sobrii estote, et vigilate.*

Quarta ratio est, quia obedientia præcepti per hoc custoditur, Marc. XIII, 33 : *Videte, vigilate, et orate.*

Quinta ratio est, quia vigilanti merces promittitur, Luc. XII, 37 : *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.*

Sexta ratio est, quia omnino incertus sumus quando custos circuiens Dominus veniat, et quis vigilans inveniatur, Luc. XII, 39 et 40 : *Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Matth. XXV, 13 : *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.*

Sic ergo est vigilandum.

« Et custodientes vigilias noctis, etc. »

De vicaria autem custodia est notan-

dum, quod secundum successiones horarum noctis vices agebant, vigilantes successive per omnes horas noctis. Nox autem est quæcumque obscuritas, in qua inimicus suum procurat negotium, dormiente custode. Sunt ergo noctis obscuritates quatuor : una quidem exterior, lucem fidei extinguere volentium instantia : alia autem interior, peccatorum caligo tenebrosa : tertia, invisæ dæmonum tentatio umbrosa : quarta vero, tetra Antichristi et præcurrentium Antichristum tribulatio angustiosa.

De prima harum noctium dicitur, Sapient. XVII, 5 : *Ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.* Ignis enim charitatis et sidera bonorum exemplorum in Sanctis, nihil in nocte illa profecerunt. Quæ quatuor vigilias habuerunt, fidem extinguere cupientes. Prima quidem tyrannorum, mortem, pro fide inferentium. Secunda est hæreticorum, qui fidem obnubilabant post tyrannos. Tertia, falsorum Christianorum, qui mores fidei formatæ auferre nitebantur. Quarta est mundi amatorum, intus non extra bonorum, sicut hypocritarum, qui omnia subvertunt quæ Dei sunt : quia extra ut proditores speculantur et insidiantur, et intus ut lupi rapaces produnt et lacerant : sicut ultima noctis hora tenebras cum luce miscentes. Matth. VII, 15 : *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Isti sunt oculi diaboli, de quibus dicitur, Job, XLI, 9 : *Oculi ejus ut palpebræ diluculi,* in quo lux cum tenebris est permixta.

Secunda nox est peccatum, de qua dicitur in Psalmo VI, 7 : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Habet etiam quatuor vigilias : delectationem videlicet morosam, deliberationem in opere ex-

<sup>1</sup> Cf. Ezechiel. III, 20.

pletam, consuetudinem malam in peccato tenentem, desperationem in profundum peccati demergentem. De prima dicit, Psal. xxxvii, 8 : *Lumbi mei impleti sunt illusionibus*. De secunda, in Psalmo lxxii, 7 : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum*, hoc est ex deliberato consilio. De tertia dicitur, Jerem. xiii, 23 : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas ; et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum*. De quarta, Proverb. xviii, 3 : *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit*.

Tertia nox est tentatio dæmonum, de qua dicitur, Job, xxx, 17 et 18 : *Noctes meum perforatur doloribus ; et qui me comedunt, non dormiunt ; In multitudine eorum consumitur vestimentum meum*. Habet autem quatuor vigiliis : tentationem videlicet levem et apertam, levem et occultam, gravem et occultam, et gravem et apertam. De quibus dicitur in uno versu Psalmsi xc, 5 et 6 : *Non timebis a timore nocturno* : ecce levis et occulta. *A sagitta volante in die* : ecce levis et aperta. *A negotio perambulante in tenebris* : ecce gravis et occulta. *Ab incursu et dæmonio meridiano* : ecce gravis et aperta.

De quarta nocte dicitur, Job, iii, 6 et 4 : *Noctem illam tenebrosus turbo possideat... Non illustretur lumine*. Hæc subdola falsorum sub specie religionis latentium Antichristi nuntiorum detractio, et bonorum obtenebratio : habens quatuor vigiliis. Bona enim quæ non habent simulant, ut decipiant : mala quæ in ipsis sunt dissimulant : bona aliorum obscurant, et mala divulgant. Et sunt significata ista, Joel, i, 4 : *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo*. Eruca viride decerpens, est simulatio boni, quærit enim sedere in viridi. Locusta simulans volatum et non habens, est dissimulatio mali. Bruchus corrodens, est detractio boni alieni. Et ærugo totum destruens, est divulgatio

mali alieni. De his autem quatuor vigiliis noctis dicitur, Marc. xiii, 35 : *Vigilate, nescitis enim quando dominus domus veniat : sero, an media nocte, an gallicantu, an mane*. Prima dicitur intempestum : secunda, conticinium : tertia, gallicantum : quarta, antelucanum.

Hac etiam nocte significatur obscuritas obnubilationis præsentis, qua in præsentis vita obvolvimur : in cujus prima hora gregem Domini custodiverunt Patriarchæ usque ad Moysen per legem naturalem : in secunda custodierunt Iudices et Duces per legem Moysi scriptam usque ad David : et in tertia, Reges per lucem propheticam usque ad transmigrationem Babylonis : in quarta, Sacerdotes et Apostoli per lucem Evangelii : et tunc fuerunt tenebræ mixtæ cum lumine : ante Christum quidem tenebræ, a Christo autem lux exorta est. Psal. cxl, 4 : *Exortum est in tenebris lumen rectis : misericors et miserator*, etc. Propter huius autem noctis longitudinem aliquando pastor dormit : et ideo adjuutores habere non renuit, ut vicaria vigilia gregem melius custodiat, Matth. xxv, 5 : *Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt*.

Et hoc attendentes isti vigilaverunt, « custodientes vigiliis, » quilibet ordine suo « super gregem suum ». Genes. xxxi, 40 : *Die noctuque æstu vrebam et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis*. De hoc autem quod gregem commissum sibi habebant, significatur quod pastor Ecclesiæ gregem suum habet, quem canonicè est adeptus, Joan. x, 2 : *Qui intrat per ostium, pastor est ovium*. Hic circa proprias oves sollicitatur, et non circa alienas. Mercenarius enim est, cuius non sunt oves propriæ : qui cum videt lupum venientem, dimittit oves, et fugit. Et hic, quia cum ovibus non invenitur, ideo ab Angelis non visitatur.

Sic ergo isti congruunt optime civitatis testimonio, et simplicitate innocentis officii utilis, et notitia proximæ civitatis, et cura vigilantia pastoralis, et vi-

caria succedentis observationis, et intentione proprii gregis.

9 « Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno.

10 Et dixit illis Angelus : Nolite timere. »

Hic tangitur manifestantium istam naturam indubitata veritas.

Et tanguntur hic tria, quorum primum est descriptio revelantium : secundum, claritatis et luminis radii lucem veritatis ostendentium : tertium est confortatio et consolatio Angelorum, tenebras timoris a pastoribus fugantium.

De primo horum dicuntur quinque : Angeli evidentia, Angeli persona, Angeli gloria, Angeli positio recta, et Angeli præsidia propinqua. Primum notatur per demonstrationem, secundum per Angeli nominationem, tertium per Domini majestatem, quartum per stantis positionem, quintum per hoc quod juxta illos stare dicitur.

Per primum ostenditur quod accipit visibilem formam. Genes. xxxii, 30 : *Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* Cum tamen non viderat nisi Angelum in specie Domini.

« Angelus » semper paratus ad ministerium Domini sui, Matth. iv, 11 : *Angeli accesserunt, et ministrabant ei.*

« Domini, » cujus ipse est minister. Ad Hebr. i, 14 : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, etc.*

« Stetit » rectus, qui numquam est curvatus, Tobia, xii, 15 : *Ego sum Raphael Angelus, unus ex septem qui adstamus ante Dominum.* Act. xii, 7 : *Angelus Domini adstitit, et lumen refulsit in habitaculo.* Stat enim, qui per iniquitatem numquam curvatur.

<sup>1</sup> Ad Hebr. i, 3.

« Juxta illos. » Propinquitus Angelorum paratum signat adjutorium eorum. Simile, Act. i, 10 : *Ecce duo viri adstiterunt juxta illos in vestibus albis.* Dum enim hominem fecit, Angeli juxta homines stantes leguntur tamquam juxta concives eorum. Beda : « Natum Dominum hic cœli cives testantur : ut et mortales sufficienter imbuant, et suo auctori servitium impendant. »

« Et claritas, etc. »

Ecce tangit lucem, quæ lucem perspicuæ veritatis præterdit. Est autem claritas proprie luminis et radiorum multa divaricatio.

« Dei » autem dicitur claritas : eo quod in nocte nullam causam habere potuit naturalem, sed divinam : hoc enim competit ei qui est *splendor gloriæ Dei, et figura substantiæ ejus*<sup>1</sup>. Et de quo dicitur, Sapient. vii, 26, quod *candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis.*

Hæc ergo claritas Dei « circumfulsit illos, » undique ambiens eos, sicut quoddam lucis tentorium. Et hoc in tota Veteris Testamenti serie (ubi tam crebro apparuisse leguntur Angeli) nusquam legitur quod cum tanta luce apparuerunt. Hic autem, et in Act. xii, 7, leguntur cum luce venisse, et in resurrectione, Matth. xxviii, 3, quia illum nuntiabant, qui est *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*<sup>2</sup>. Unde etiam dicit, Joan. viii, 12 : *Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris* : propter quod et ipsi Angeli lucem Dei circumferebant, significantes hoc quod dicit Apostolus, ad Roman. xiii, 12 : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.*

« Et timuerunt timore magno. »

Majestas enim Angeli incussit timo-

<sup>2</sup> Joan. i, 9.

rem : claritas autem inconsueta adauxit terrorem : circumfusa undique lux, et quasi concludens eos, superaddidit timoris magnitudinem. Simile, Matth. xvii, 6 : *Audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde.* Matth. xxviii, 4 : *Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui.* Hic tamen timor, ut sæpe diximus, non erat alicujus mali, sed potius humana infirmitas (in quam incidimus ex peccato) etiam suæ beatitudinis quam exspectat, ut dicit Gregorius, non sustinet claritatem.

« Et dixit illis Angelus, »

Assumpta specie corporis per modum quem superius explanavimus. « *Dixit,* » hoc est, conceptus suos illis Angelus communicavit.

« Nolite timere. »

Ecce confortatio quæ bono competit Angelo, maxime ex quo pax facta est inter hominem, et Deum : et inter hominem, et Angelum. Daniel. x, 11 et 12 : *Cum dixisset mihi sermonem istum, steti tremens. Et ait ad me : Noli metuere.*

Attendendum autem est hic quod dicit Gregorius : « Sic vigilantibus pastoribus apparet Angelus, et eos claritas circumfulget : quia illi præ cæteris videre merentur sublimia, qui fidelibus sollicite præsent : super quos divina gratia largius coruscat. » I ad Timoth. v, 17 : *Qui bene præsent presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Daniel. xii, 3 : *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Item, Gregorius : « Tunc claritas aliquem circumfulget, cum retro per justitiam punit mala præterita, ante per prudentiam cavet futura, a dextris per temperantiam non dissolvitur per prospera, a

« sinistris per fortitudinem non frangitur « per adversa. »

Sequitur :

« Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo :

Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. »

Hic tangitur sublimitas annuntiationis, sive manifestationis.

Et tangit duo : qualitatem videlicet rei annuntiatæ, et ipsam rem annuntiatam.

Et præmittit qualitatem, quia illa excitat ad devote et libenter audiendum. Qualitas autem est in quinque, videlicet, in rei evidentia indubitata, in rei cum corde humano concordia consolatoria, in rei utilitate acquisita, in rei bonitate maxima, in bonitatis universalitate latissima.

Primum horum notatur in demonstrationis adverbio cum dicit : « *Ecce.* » Jam enim digito demonstrabilis. Isa. xl, 5 : *Videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.*

Secundum notatur per hoc quod dicit : « *Evangelizo.* » Quasi dicat : Annuntio, hoc est, ad cor perditum hominis accedens in consolatione nuntio. Isa. xl, 2 : *Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam.* Unde, ibidem, 3 : *Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester.* Osee, ii, 14 : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.*

Tertium notatur per dictionem « *vobis,* » dativum, qui acquisitive construitur. Isa. ix, 6 : *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis.* Joan. iii, 16 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Ad Roman. viii, 32 : *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

Quartum notatur per hoc quod dicit : « *Gaudium magnum.* » Quia gaudium non est nisi de bono apparente : quia dicit Augustinus : « Gaudium est diffusio in conceptione boni. » Magnum autem gaudium de magno bono, hoc est, optimo. Quia dicit Augustinus in libro de *Quantitate animæ*, quod « in rebus « quæ non mole sed virtute magnæ sunt, « idem est esse majus quod melius esse. » Istud autem bonum, omnis boni bonum est et optimum. Dicit enim Dionysius in libro de *Divinis nominibus*, quod « boni « bona est adducere, et optimi optima « est adducere : » nihil autem melius adduci potuit. Istud ergo optimum fuit, est, et erit. Thren. III, 25 : *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ querenti illum.* Psal. CXVIII, 68 : *Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas.* Ad Philip. IV, 4 : *Gaudete in Domino semper : iterum dico, gaudete.* Matth. II, 10 : *Gavisi sunt gaudio magno valde.*

Causa autem hujus gaudii magni est, quia in regno fidelium hæres natus est, Mich. I, 15 : *Adhuc hæredem adducam tibi quæ habitas in Maresa,* hoc est, in amaritudine. Talem autem hæredem, cujus gloriam vidimus, quasi Unigenitum a Patre, plenum gratiæ et veritatis<sup>1</sup>.

Secunda causa est tantæ lætitiæ, quia natus est propugnator, qui auferat opprobrium populi Dei de insultationibus inimicorum, Isa. XIX, 20 : *Mittet eis salvatorem et propugnatorem qui liberet eos.* Isa. LXIII, 1 : *Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.* Isa. XXV, 8 : *Opprobrium populi sui auferet de universa terra.* I Reg. XVII, 36 : *Nunc vadam, et auferam opprobrium populi.*

Tertia ratio est, quia est Salvator et salus, Zachar. IX, 9 : *Exsulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem : Ecce Rex tuus veniet tibi justus, et salvator.*

<sup>1</sup> Joan. I, 14.

Quarta ratio est, quia inimicorum exultationem in luctum, et luctum nostrum in gaudium convertit. Baruch, IV, 33 et 34 : *Sicut gavisus est in tua ruina, et lætata in casu tuo, sic contristabitur in sua desolatione. Et amputabitur exultatio multitudinis ejus, et gaudimonium ejus erit in luctum.* I Reg. IV, 6 et seq. : *Cognoverunt quod arca Domini venisset in castra, timueruntque Philisthim, dicentes : Venit Deus in castra. Et ingemuerunt, dicentes : Væ nobis ! non enim fuit tanta exultatio, scilicet in castris Hebræorum, heri et nudiustertius. Væ nobis !*

His de causis audita est vox exultationis et salutis in tabernaculis justorum<sup>2</sup>.

Universalitatem autem gaudii notat per hoc quod dicit :

« Quod erit omni populo. »

Non enim tantum multi in nativitate ejus gaudebunt, sicut in nativitate præcursoris : sed omni populo erit gaudium sufficienter ex ipso causatum, quamvis efficienter quidam non gaudeant propter suum demeritum. Baruch, V, 5 : *Vide collectos filios tuos ab oriente sole usque ad occidentem, in verbo Sancti, gaudentes Dei memoria.* Isa. LX, 4 : *Leva in circuitu oculos tuos, et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.* Ibidem, LX, 5 : *Videbis, et afflues, mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.*

Sequitur de re annuntiata :

« Quia natus est vobis. »

Tangit autem hic nati naturam, qualitatem aeris, actum, nati dignitatem, et locum nativitatis.

Naturam per hoc quod dicit : « *Natus*

<sup>2</sup> Psal. CXVII, 15.

*est vobis.* » Nobis enim natus non est nisi qui in natura vestra natus est: et inde dictus est *Emmanuel*<sup>1</sup>.

Qualitatem aeris tangit per hoc quod dicit:

« Hodie. »

Quia tunc claritas Dei fulgens (ex sole orto super terram, de quo dicitur, *Malach. iv, 2: Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ*) fecit diem, licet ordine successionis diei et noctis esset noctis medium, ut dicitur, *Sapient. xviii, 14 et 15: Cum quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cælo a regalibus sedibus... in mediam terram prosilivit.* Et ideo illa nocte cantatur missa in nocte. *Psal. cxxxviii, 12 et 11: Nox sicut dies illuminabitur. Et nox illuminatio mea in deliciis meis.*

Actum tangit per hoc quod dicit:

« Salvator. »

Iste enim secundum suum nomen est proprius actus ipsius. *Matth. i, 21: Vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

Dignitatem autem tangit in hoc quod dicit:

« Qui est Christus Dominus, »

Unctus: unctionem Spiritus a Patre accipiens, et in totam Ecclesiam refundens. *Psal. cxxxii, 2: Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus.* *Isa. lxi, 1: Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me.* Ungebantur autem reges et sacerdo-

tes. Christus autem rex est et sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui erat rex et sacerdos<sup>2</sup>. *Ad Hebr. i, 9: Unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ participibus tuis.* *Psal. xlv, 8: Dilixisti justitiam, et odisti iniquitatem.* Ipse enim est vas chrismate plenum, confectum ex balsamo pretioso deitatis, et oleo misericordiæ assumptæ humanitatis: cujus liquor unctionis est sanguis pretiosus, omnia ungens, dolores omnes leniens, omnes infirmitates sanans. *Psal. cii, 3: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Ex hac autem unctione est universorum Dominus: quia *data est ei omnis potestas in cælo et in terra*<sup>3</sup>. *Ut sit idem Dominus omnium, dives, scilicet cum chrismate, in omnes qui invocant illum*<sup>4</sup>.

Locum autem tangit:

« In civitate David. »

Et sic ordinanda est littera: « Natus est vobis hodie in civitate David Salvator qui est Christus Dominus. » Hæc autem civitas est Bethlehem, de qua successione patris et avorum et proavorum natus est David, ut patet per ante dicta. Et ideo vocatur *Bethlehemites*<sup>5</sup>. *II Reg. xxi, 19: Percussit Adeodatus filius saltus, poly-mitarius, Bethlehemites, Goliath Gethæum.* Mater enim avorum suorum fuit in Bethlehem in domo Booz.

« Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. »

Hujus autem manifestationis aptissimum ponit signum, dicens: « *Et hoc vobis signum.* »

Et dicit duo: signi scilicet explanatio-

<sup>1</sup> Cf. *Isa. vii, 14 et viii, 8.*

<sup>2</sup> Cf. *ad Hebr. vii, 17.*

<sup>3</sup> *Matth. xxviii, 18.*

<sup>4</sup> *Ad Roman. x, 12.*

<sup>5</sup> *I Reg. xvii, 58: Dixitque David: Filius servi tui Isia Bethlehemitæ ego sum.*

nem, et militiæ concomitantis gratiarum actionem.

Circa signi explanationem duo dicit: signi videlicet promissionem, et signi explanationem.

Signi promissio est in hoc quod dicit: « *Et hoc vobis signum.* » Hoc, inquam, signum, cui quidem a mundo contradicitur, quod in filiis Adæ superbis non invenitur, quod in bono Dei animo ad vulnera nostra sananda convenientissime in Dei Filio ostenditur, quod pauperibus pastoribus et similibus eorum solis datur, et ab aliis non cognoscitur.

Hoc enim est signum, cui a mundo contradicitur: sicut infra dicit Simeon: *Positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur*<sup>1</sup>. Qui enim nec humilis nec pauper vult esse cum Christo, contradicit huic signo.

In filiis Adæ superbis non invenitur, Psal. LXXIII, 9: *Signa nostra non vidimus, jam non est propheta: et nos non cognosceat amplius.*

Hoc signum in bono Dei animo suis datur, ut in Filio Dei consignentur, Psal. LXXXV, 17: *Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur: quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me.*

Hoc signum ab aliis nisi a pauperibus nec accipitur nec cognoscitur, Joan. III, 32 et 33: *Testimonium ejus nemo accipit, hoc est, pauci pauperes, pastorum imitatores. Qui autem accepit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est.* Verax enim Deus est, qui nostræ superbiæ sanandæ opponit humilitatem: nostræ avaritiæ, qua concupivimus Dei similitudinem et scientiam, opponit paupertatem et puerilem simplicitatem: nostræ gulæ resolutæ, qua vetitum gustavimus, opposuit asperitatem. Ideo dicit, Psal. LXIV, 8 et 9: *Turbabuntur gentes, et timebunt qui habitant terminos a signis*

*tuis.* Econtra autem de bonis dicitur: *Signa eos qui crediderint, hæc sequentur*<sup>2</sup>. I ad Corinth. xv, 49: *Sicut portavimus imaginem terreni, superbi, avari, et resoluti: sic portemus imaginem cælestis, in signis humilitatis, paupertatis, et asperitatis.* Econtra mundus et diabolus posuerunt signa sua signa<sup>3</sup> quasi vicia signa Dei, fastum, superbiam, pompam sæculi, lasciviam carnis, signa Christi dejicere cupientes. Sed Christus econtra dat signa in cælo sursum, et prodigia in inferno deorsum: in cælo quidem stellam ducentem Magos: in terra autem deorsum, hoc est quod hic scriptum est:

« *Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* » Sicut enim tres sunt qui testimonium signis suis dant in cælo Christi nativitatis, Angelus, stella, et claritas divina: Angelus qui prædicat majestatem, stella quæ præsignat sapientiæ illuminationem, claritas quæ ostendit gratiæ Dei splendorem: ita tres virtutes sunt quæ dant signum in terra, puritas, paupertas, et humilitas: puritas in infante, paupertas in pannositate, humilitas in stabuli vilitate.

Puritas autem infantis est in duobus: in innocentia puritate, et vagientis ploratione. Sapient. VII, 3: *Primam vocem similem omnibus emisit plorans.* Cantic. II, 12: *Vox turturis audita est in terra nostra.*

Et per hæc signa consolatur, increpat, exhortatur, consulit, et erudit. Puritate enim consolatur innocentes, Isa. XL, 1: *Consolamini, consolamini, popule meus.* Vagitu autem consolatur lugentes, Matth. V, 5: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Increpat autem puritate impuros, peccatis inquinatos, Isa. LXIV, 6: *Facti sumus ut immundus omnes nos.* Vagitu autem increpat cachinnantes, quia *risus dolore miscbitur, et extrema gaudii luctus occupat*<sup>4</sup>. Exhortatur au-

<sup>1</sup> Infra, §. 34.

<sup>2</sup> Marc. XVI, 17.

<sup>3</sup> Psal. LXXIII, 4: *Posuerunt signa sua, signa.*

<sup>4</sup> Proverb. XIV, 13.



tem ad innocentiae puritatem puritate, et ad lugendum pro incolatu miseriae suo vagitu. De primo quidem in Psalmo xxiv, 21: *Innocentes et recti adhæserunt mihi*. De secundo autem in Psalmo cxix, 5: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Adhuc consulit puritatem munditiam cordis, vagitu gemitum compunctionis. De primo, Matth. v, 8: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. De secundo autem in Psalmo vi, 7: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum, rigabo*. Erudit etiam puerilem puritatem præeligere peccati oblectamentis, et vagitu infantis mala commissa per pœnitentiam delere, ad Hebr. xi, 25: *Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem*. Ecce primum. Luc. vii, 38: *Stans retro secus pedes Jesu, lacrymis cœpit rigare pedes ejus*. Ecce secundum.

Paupertate etiam pannosa consolatur, increpat, exhortatur, consulit, et erudit. Consolatur pauperes spiritu, Matth. v, 3: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Increpat divites, Luc. vi, 24: *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram!* Exhortatur ad paupertatem, Luc. xvi, 22: *Factum est ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahamæ*. Consulit paupertatem præeligere divitiis, ad Hebr. xi, 26: *Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi*. Erudit divitias esse spinas, et paupertatem esse securitatem, Luc. viii, 7: *Aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud*. De securitate paupertatis, Job, xi, 18: *Defossus securus dormies*.

Humilitate etiam consolatur, increpat, exhortatur, consulit, et erudit. Consolatur humiles, II ad Corinth. vii, 6: *Qui consolatur humiles, consolatus est nos, Deus*. Increpat superbos, Psal. cxviii, 21: *Increpasti superbos, maledicti qui declinant a mandatis tuis, quæ tota sunt lex humilitatis*. Exhortatur ad humilitatem,

Matth. xi, 29: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*. Consulit humiliari etiam homines, Isa. xlvii, 1: *Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon*. Luc. xiv, 10: *Recumbe in novissimo loco*. Erudit humilitatis exaltationem, Luc. xiv, 11: *Qui se humiliat, exaltabitur*.

His ergo quinque verbis etiam *infans* loquitur, consolando, increpando, exhortando, consulendo, et docendo.

Dicit ergo :

« Invenietis infantem, »

Non loquentem, garrulos reprehendentem de sua laude numquam tacentes : cum in laude propria homo debet esse infans. Unde laudet te os alienum et non tuum. Est autem mirum et inauditum signum, quod Dei sapientia est infans, non loquens. Sapient. x, 21: *Sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas*. Et ideo Psalmista dicit, Psal. viii, 3: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem*. Sed nos docuit tacere usque in tempus, Eccli. xx, 7: *Homo sapiens tacebit usque ad tempus, lascivus autem et imprudens non servabunt tempus*.

« Pannis involutum, »

Paupertatem et asperitatem prætendentem, jam nunc divitem purpuratum reprehendentem. Propter hoc venit a regalibus sedibus, ubi nullius paupertatis indigentia fuit ut paupertatem eligeret et pauperes. Jacob. ii, 5: *Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se*. In quo etiam commendat asperitatem, Psal. lxxxvii, 16: *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus*.

« Et positum in præsepio. »

Ecce tertium signum humilitatis, in

quo omnes magi defecerunt Pharaonis superbi turgitu et fastu sæculi inflati. Ecce in stabulo ponitur qui continet mundum: jacet in præsepio, et super ipsum mugiant animalia, qui in nubibus tonat. Mirabile pro certo mysterium videre Regem cœli, cui talia famulantur obsequia, ut dicit Ambrosius. Numquid enim thronus præsepium, aula regia stabulum, panni conscissi et veteres regalis purpura, nodi colligationis et involutionis fibula, curiæ regalis frequentia Joseph et Maria? Propter hæc enim invenienda, ab altis descendit ad humilia, a regalibus sedibus ad jumentorum stabula.

**13** « Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, et dicentium :

**14** Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. »

Ecce gratiarum actio.

Et dicit duo : numerum laudantium, et modum laudis.

De primo dicit quatuor : quam cito surgunt in laudem congratulantes bono, et non invidiæ oculo despicientes : multitudinem laudantium, apparatus eorum et ordinem.

De primo dicit : « *Subito*. » Dionysius dicit, quod « *Subito* est quod est præter spem. » Et ita est in congratulantibus in charitate bonis factis. Statim enim audito vel viso bono surgunt in laudem. Ideo enim uno annuntiante, multitudo tota surgit in gratiarum actionem. Ad Roman. xii, 15 : *Gaudere cum gaudentibus*. Beda in Glossa : « Uno evangelizante, multitudo in consonam laudem prorumpit : ut et officium suum Deo impendat et nos instruat : quoties sacram eruditionem fratris ore audimus, Deo

« laudes corde, opere, ore reddamus. » Quod autem subito laudant, signum est quod ex optimo affectu procedit laudatio, quasi non per rationem elicitata, vel per verecundiam exorta.

« *Multitudo* » tam multa, ut determinari nequeat ad certum numerum. Daniel. vii, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei*.

« *Militiæ*. » Ecce apparatus pro nobis ad certamen procedentium. Job, xxv, 3 : *Numquid est numerus militum ejus? et super quem non surget lumen illius?* Job, vii, 1 : *Militia est vita hominis super terram*.

« *Cœlestis*, » scilicet exercitus. Ecce ordo : quia omnis exercitus ordinatus est in caput et caudam incurvantem et refrænantem<sup>1</sup>. Et illum quidem habet exercitus pugnæ ducem, qui jacebat in stabulo trabea carnis indutus, ut dicit Ambrosius. Et ideo talem habens ducem, et tales exercitus, Ecclesia dicitur *terribilis ut castrorum acies ordinata*<sup>2</sup>. Genes. xxxii, 2 : *Castra Dei sunt hæc*. IV Reg. vi, 16 : *Noli timere : plures enim nobiscum sunt quam cum illis*.

« *Laudantium*. » Laus est præconium virtutis. Nec est laudabile bonum nisi virtus, vel simile virtuti, vel opus ejus.

« Et dicentium : Gloria in altissimis Deo. »

Ecce modus laudis : ut Deo gloria, nobis autem pax conferatur. Isa. xlviii, 11 : *Gloriam meam alteri non dabo*. Detur ergo gloria Deo. Est autem gloria, late patens præconium, vel ore multorum prædicata laudatio, ut dicit Tullius in fine *primæ Rhetoricæ*. Vel sicut dicit Augustinus, « Clara cum laude notitia. »

Late quidem patens præconium per totum mundum est dilatatum. Isa. xii, 5 : *Cantate Domino, quoniam magnifice*

<sup>1</sup> Isa. ix, 14 : *Disperdet Dominus ab Israel caput et caudam, incurvantem et refrænantem, die*

*una*.

<sup>2</sup> Cantic. vi, 3.

*fecit: annuntiate hoc in universa terra.* Similiter ore multorum prædicata laudatio soli Deo convenit. Psal. xxxiii, 2: *Semper laus ejus in ore meo.* Clara etiam cum laude notitia soli Deo convenit, qui solus in propria laude omnibus innotescit. I ad Timoth. 1, 17: *Soli Deo honor et gloria.* Ideo gloria propria est Deo, quam alteri non cupit: quæ etiam alii non competit. Unde, Genes. xxxix, 8 et 9: *Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es.* I ad Corinth. xi, 7: *Mulier gloria viri est.* Et ideo servus fidelis in hanc Domini sui uxorem manum non extendit.

Deo igitur sit gloria, et habeat eam solus, quia etiam torcular passionis in pugna calcavit solus, et de gentibus non est vir secum<sup>1</sup>.

« Et in terra pax hominibus. »

Pax enim in terra necessaria, quia in terra surgunt bella. Est autem pax inter hominem et Deum, inter hominem et Angelum, inter hominem et hominem, inter spiritum et carnem.

Inter hominem quidem et Deum, bellum fecit præcepti prævaricatio. Isa. xlviii, 18: *Utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua.* Psal. cxviii, 165: *Pax multa diligentibus legem tuam.* Satisfecit autem Filius Patri pro homine, *factus obediens Patri usque ad mortem*<sup>2</sup>. Et facta est pax, Isa. xxvii, 5: *Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi.* Et sic est Christus mediator Dei et hominum<sup>3</sup>.

Bellum autem inter hominem et Angelum fecit, Adæ et Hevæ de paradiso per romphæam Angeli ejectio. Quod Christus pacificavit: quia ruinam angelicam

ex hominibus reparavit. Psal. l, 20: *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem.* De hac pace dicitur, Isa. lvii, 2: *Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulavit in directione sua.* Et secundum hoc dicitur: Hic est Salomon pacificus.

Bellum inter hominem et hominem, Gentilem et Judæum, fecit diversarum legum æmulatio. Christus autem fecit pacem in unam Ecclesiam utrumque congregando. Joan. x, 16: *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.* Isa. lvii, 19: *Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei qui longe est, et qui prope, hoc est, Gentili qui longe est, et Judæo qui prope est.* Et secundum hoc dicitur lapis angularis, qui facit utraque unum<sup>4</sup>.

Bellum autem inter carnem et spiritum fecit, quod primo spiritus corrumpit carnem, caro autem corrupta ex tunc corrumpit spiritum. Ad Galat. v, 17: *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Christus autem assumens utrumque, fecit pacem in se. Psal. lxxv, 3: *Factus est in pace locus ejus.* Et speramus quod etiam erit pax in nobis. Ad Ephes. ii, 14 et 15: *Medium parietem maceris solvens, inimicitias in carne sua: legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat, spiritum scilicet et carnem, in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem.* Et secundum hanc pacem dicitur Emmanuel<sup>5</sup>.

Et sic plena facta est pax

« Hominibus bonæ voluntatis, »

Hoc est, voluntatem in bonum diri-

<sup>1</sup> Cf. Isa. lxiii, 3.

<sup>2</sup> Ad Philip. ii, 8.

<sup>3</sup> I ad Timoth. ii, 5.

<sup>4</sup> Ad Ephes. ii, 14: *Ipse Jesus est pax nostra: qui fecit utraque unum, etc.*

<sup>5</sup> Isa. vii, 14.

gentibus : quia, Isa. LVII, 21 et 20, dicitur, *quod non est pax impiis, dicit Dominus Deus* : sed, *Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest*. Et quidem sic plena est pax. Et hoc est quod dicit Glossa : « Quando peccando extranei eramus a Deo, extraneos reputabant nos Angeli : sed quando cognovimus Regem nostrum, recognoverunt nos Angeli cives suos. Et timet Angelus adorari ab humana natura <sup>1</sup> quam in suo Rege considerat. » Item, alia Glossa : « Quia Deus et homo nascitur, hominibus pax cum ipsis Angelis : Deo canitur gloria, qui ab Angelis pro nostra redemptione glorificatur. »

Attende autem, quod residuum ejus quod additur ad *Gloria in excelsis*, dicitur a Beato Hilario compositum. Et quia Angeli primo hymnum istum in terra decantaverunt, ideo Telesphorus papa instituit, quod non nisi ab Episcopo inchoaretur. Postea vero Symmachus papa attendens, quod sacerdos quilibet Angelus Domini dicitur <sup>2</sup>, instituit, quod etiam ab aliis sacerdotibus inciperetur.

**15** « Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in cælum, pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. »

Hic tangitur experimentalis cognitio dictorum ab Angelis.

Et dicit duo : consensum scilicet ad experiendum, et ipsum experimentum.

De consensu ad experiendum tangit duo. Primo enim Evangelista continuat historiam, et deinde ad experiendum ponit consensum.

Historiam continuando dicit : « *Et factum est*. » Omnia enim ista in præfinitione Dei jam facta sunt. Eccle. 1, 9 :

<sup>1</sup> Cf. Apocal. xxii, 9.

*Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.*

« *Ut discesserunt ab eis Angeli in cælum.* » Adventus Angelorum allationem illuminationis eorum significat : quæ duo facit : purgat enim ignorantiam, et veritatis infundit scientiam : quod per claritatem Dei, quæ circumfulsit eos, designatum est. Recessus autem in cælum, significat reductionem illuminati cordis in Deum. Hæc enim, ut dicit Dionysius in *Cælesti hierarchia*, sunt tria Angelorum opera : purgare, illuminare, et perficere. Purgant enim, cum ignorantiam abstergunt : illuminant, cum lumen veritatis infundunt : perficiunt, cum cor illuminatum ad fontem luminis convertunt : et ideo discedendo se subtrahunt, ne cor illuminati in ipsis stet, sed ad Deum convertatur. Et hoc innuentes discedunt in cælum, ad Patrem luminum, qui in cælis est, dirigentes. Hoc significatum est, Genes. xxviii, 12 et 13, ubi Angeli descendunt et ascendunt in scala Jacob : et Dominus innixus est scalæ desuper. Descendentes enim fuerunt illuminatores, ascendentes dirigunt illuminatos ad eum qui scalæ innititur. Matth. xviii, 10 : *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei qui in cælis est*. Ideo nostri sunt, quia nos illuminant : ideo vident faciem Patris, ut nos ad ipsam faciem dirigant.

Et hoc est quod sequitur : quia statim pastores ad id convertuntur quod Angeli annuntiabant. Unde

« Pastores loquebantur ad invicem. »

Ecce consensus pastorum ad experiendum. Sunt autem tria notanda : pastorum in unum consensus, exhortatio mutua ad illud, et quid velint experiri.

In idem consensus notatur per hoc quod pluraliter dicit : « *Pastores*, » in

<sup>2</sup> Malach. ii, 7.

communi, quod nullus contradixit. Psal. LXVII, 7: *Inhabitare facit unius moris in domo*. Psal. CXXXII, 1: *Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum*. Aristoteles: « Pravus socius est, qui impedit commune opus. » Ad Hebr. x, 25: *Non deserentes collectionem nostram*. I ad Corinth. I, 10: *Idipsum dicatis omnes, ut non sint in vobis schismata*.

« Loquebantur ad invicem. » Ecce exhortatio mutua. Apocal. XXII, 17: *Spiritus et sponsa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni*. Psal. XCIV, 1 et 2: *Venite, exsulemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro: præoccupemus faciem ejus in confessione*. Isa. II, 3: *Venite, et ascendamus ad montem Domini*. Et post modicum, ꝑ. 5: *Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini*.

Adhortantes autem se invicem dicunt:

« Transeamus usque Bethlehem. »

Hic notantur quinque transitus pastorum. A consideratione enim gregum transiverunt ad seipsos, de auditis ab Angelo conferentes. De seipsis transierunt « *Bethlehem*, » domum Christi Domini quærentes. De domo transiverunt ad familiam Christi, Beatam Virginem et Joseph invenientes. De familia transiverunt ad infantem Christum, in præsepio cognoscentes. De Christo autem iterum ad gregem, curam gregi impendentes. Et primus quidem transitus est mundanorum ad cordis notitiam. Secundus autem est sui ad cœlestem sanctorum habitationem conversio. Tertius autem est simillimorum, vel familiarium Deo et propinquiorum perlustratio. Quartus autem est Dei inventio. Quintus est ejus quod sic inventum est proximi communicatio.

De primo dicitur, Isa. XLIII, 2 et 3: *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. Quia ego Dominus Deus tuus, Sanctus Israel, salvator tuus, etc.* Aqua, insipidam et frigidam mundi

consolationem significat, quæ non operit ad Deum transeuntem. Ignis autem significat tribulationem ferventem, quæ etiam comburere non potest eum, qui passu consideratæ mentis ad Deum pertransit. II ad Corinth. IV, 17 et 18: *Id quod in præsentibus est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur*. Psal. LXV, 12: *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium*.

De secundo transitu, qui est a consideratione ad domum Dei, in Psalmo. XLI, 5: *Transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei, cœlestem scilicet patriam*. Cantic. III, 1 et 2: *In lectulo meo, propriæ scilicet conscientiæ, per noctes quæsi vi quem diligit anima mea: quæsi vi illum, scilicet in corde tenebroso, et non inveni. Surgam, et circumibo civitatem: per vicos et plateas, cœlestis scilicet Jerusalem, quæram quem diligit anima mea*. Sic ergo veniunt in Bethlehem.

De tertio transitu de domo ad familiam privatam dicitur, Isa. XLI, 3: *Transibit in pace, semita in pedibus ejus non apparebit*. Sic enim transiens in domo Dei, nihil nisi pacem invenit: nec umquam lassatur, vel pulverizatur, vel sordidatur pedibus: quæ dicuntur hic pedum semitæ in pedibus apparentes.

De quarto, qui est transitus de familia ad natum Christum, Cantic. III, 4: *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea*. Eccli. XXIV, 26: *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini*.

De transitu autem quinto, scilicet ex secreto illius contemplationis ad ædificationem gregis dicitur, Joan. VII, 3 et 4: *Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, et quærit ipse in palam esse*. Genes. XXII, 5: *Ego et puer illuc usque properantes,*

*postquam adoraverimus, revertemur ad vos.*

Sic ergo dicunt: Transeamus a nostris et a nobis, ad ea quæ Dei sunt et intima ipsius, et ad ipsum: ut illuminatione ipsius accepta, retranseamus ad gregis custodiam.

Sunt autem transitus tres notati ab his qui fuerunt ante nos: transitus scilicet de vitiis ad virtutes, transitus de virtute in virtutem, et transitus de meritis virtutum ad gloriam.

Transitus de vitiis ad virtutes significatur per transitum Maris rubri: de quo dicitur, Sapient. x, 18: *Transtulit illos per Mare rubrum, et transvexit illos per aquam nimiam.* Psal. cxxxv, 13 et 14: *Qui divisit Mare rubrum in divisiones, ... et eduxit Israel per medium ejus,* hoc est, mare per compunctionis amaritudinem. Rubrum est, per confessionis verecundiam et ruborem, divisiones habet per singulares de peccatis singulis satisfactiones, salubre est per inimicorum demersiones. Exod. xv, 5: *Descenderunt in profundum quasi lapis,* scilicet in aquis vehementibus.

Secundus transitus significatur per transitum filiorum Israel per desertum: de quo, Sapient. xi, 2: *Iter fecerunt per deserta quæ non habitabantur, et in locis desertis fixerunt casas.* Via enim virtutum et regio non inhabitantur a mundo. Psal. lxxxiii, 8: *Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* Ad hoc cupientes exire, Idumæam circuierunt, Sehon et Og, reges Basan, interfecerunt. Idumæa enim *sanguinea* carnem significat, quæ non est interficienda sed domanda. Unde, Numer. xxi, 4, præcipitur eis quod circumeant, et non interficiant. Sehon *germen inutile* interpretatur, et mundum significat: hic est interficiendus. Og autem *occultus* diabolus significat, qui etiam interficien-

dus est: sicut dicitur, Numer. xxi, 34.

Tertius transitus est signatus per transitum Jordanis<sup>1</sup>, de quo, Joan. xiii, 1: *Sciens Jesus quia venit hora ejus ut trans-eat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Hunc transitum quidam faciunt vivi prius, et morientes postea: vivi per contemplationem et prægustationem, morientes autem per possessionem. Vivorum transitus significatur per transitum exploratorum<sup>2</sup>: morientium autem transitus significatur per transitum populi<sup>3</sup>. Joan. iii, 13: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo.*

Sic igitur et isti dicunt: « *Transeamus,* » ut prægustemus, et contemplatione videamus.

« *Usque Bethlehem.* »

*Domus panis* reficientis, confirmantis, nobiscum permanentis, vivificantis, delicias præbentis, omne delectamentum gratiæ habentis.

Panis dico reficientis, Isa. xxi, 14: *Qui habitatis terram Austri, cum panibus,* hoc est, refectionibus spiritualibus, *occurrite fugienti.* Matth. xi, 28: *Ego reficiam vos.* Genes. i, 21: *Nolite timere, ego pascam vos et parvulos vestros.*

Panis cor confirmantis, Psal. ciii, 15: *Panis cor hominis confirmat.* Act. ix, 19: *Cum accepisset cibum, confortatus est.*

Panis membrum adhærentis: quia nutrimentum de frumento fortius adhæret membrum, ut dicit Constantinus in *Pantegni*. Et ideo Christus comparat se grano frumenti<sup>4</sup>. Psal. cxlvii, 14: *Adipe frumenti satiat te.* Alia enim relectio *in ventrem vadit, et in secessum emittitur*<sup>5</sup>. Hæc autem permanet et vegetat in vitam æternam.

Est etiam panis vivificans, Joan. vi, 58:

<sup>1</sup> Cf. Josue, iii et 4.

<sup>2</sup> Ibidem, ii, 1 et seq.

<sup>3</sup> Ibidem, iii, 14 et seq., et iv, 1 et seq.

<sup>4</sup> Joan. xii, 24 et 25.

<sup>5</sup> Matth. xv, 17.

*Qui manducat me, et ipse vivet propter me.*

Delicias præbet, Genes. XLIX, 20 : *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.*

Est etiam saginatus pinguedine divinitatis, quod omne habet gratiæ delectamentum, Sapient. XVI, 20 : *Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.*

Sic ergo et adhuc,

« Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum. »

Nam,

Segnius irritant animum demissa per aures,  
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Sed numquid hoc videre voluerunt pastores tamquam discredentes verbis Angeli? Absit. Sed potius in ejus rei auditu delectati sunt, in ejusdem rei visu delectari voluerunt. Job, XLII, 5 : *Auditu auris audi vi te : nunc autem oculus meus videt te.* Luc. X, 23 : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.*

Adhuc autem, Angeli innuunt missionem ad videndum quando dicunt : *Invenietis infantem.* Job, XIX, 26 : *In carne mea videbo Deum meum.*

« Hoc verbum. »

Ecce res videnda. Dicunt autem quatuor. Primum est, hoc verbum demonstrabile in carne ad oculum. Secundum est, quia dicunt esse factum. Tertium, quia a Domino esse factum. Quartum, quia dicunt ab Angelis esse revelatum.

De primo notandum est, quod Verbum incarnatum est, « *hoc verbum,* » demonstrabile et visibile. Unde Glossa dicit, quod « Verbum videtur, cum caro Verbi videtur : » quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*<sup>1</sup>. Baruch, III, 38 :

*Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Est autem hoc Verbum, *cujus non saturatur oculus visu*<sup>2</sup>. Nec mirum, quia ipse est *in quem desiderant Angeli prospicere*<sup>3</sup>.

Videamus ergo et nos hoc verbum

« Quod factum est. »

Quod mirum est, cum ipsum increatum sit, sed a Patre genitum ab æterno apud Patrem. Joan. I, 1 : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Adhuc autem, ꝯ. 3, cum *omnia per ipsum facta sunt*, mirabitur omnis homo si et ipsum factum est inter omnia. Videtur enim sequi quod ipsum factum sit per seipsum. Sed ad hoc Catholica fides respondet, quod ipsum secundum divinitatem æternum est : et omnia per ipsum facta sunt. Assumpsit autem quod non erat, manens quod erat, hoc est, humanam naturam : et secundum illam, et factum est a Patre et a Spiritu sancto et a seipso. Hoc est quod dicit Apostolus, ad Philip. II, 7 : *Semetipsum exinanivit.* Sicut enim semetipsum exinanivit, ita a semetipso factus est. Æternum enim temporale factum est, et increatum factum est creatum, secundum diversarum naturarum proprietatem quas assumpsit.

Quia autem hoc nemo nisi Deus facere poterat, ideo subjungens dicit :

« Quod Dominus. »

Dominus, inquam, Deus Trinitas, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Unde, Supra, I, 35 : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi,* quæ est Filius. I ad Corinth. I, 24 : *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Pater autem est umbra : et ita fecit Dominus Trinitas hanc incarnationem.

Et tangunt revelationem, dicentes :

<sup>1</sup> Joan. I, 14.

<sup>2</sup> Eccle. I, 8.

<sup>3</sup> I Petr. I, 12.

« Ostendit nobis, »

Hoc est, per sanctos Angelos revelavit. Infra, in eodem, ꝑ. 30 : *Viderunt oculi mei salutare tuum.* Et, infra, ꝑ. 32 : *Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.*

Sequitur :

16

« Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam et Joseph, et infantem positum in præsepio.

17

Videntes autem, cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc.»

Ecce tangitur hic cognitio experimentalis.

Tanguntur autem duo : experimentum, et effectus experimenti.

Experimentum est in duobus : in re experta, et in signis datis ab Angelo.

Rem experiendam dicit : « *Et venerunt.* »

Et tangit tria : devotionem venientium, fervorem festinantium, et inventionem fidelium credentium.

Devotionem venientium tangit cum dicit : « *Et venerunt,* » tracti per devotionem. Psal. xxxiii, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini : et facies vestrae non confundentur.* Matth. xi, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Matth. xxviii, 6 : *Venite, et videte.* Jerem. li, 50 : *Venite, nolite stare : recordamini procul Domini.*

« *Festinantes,* » fervore desiderii. Ad Hebr. iv, 11 : *Festinemus ingredi in illam requiem,* ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Isa. xl, 31 : *Current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.*

« Et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem. »

Unum est promissum voce Angeli, et

tria soluta. Et cum hoc inventio Mariæ, et Joseph. Ideo, sicut dicit Glossa : « Non cum desidia Christi quærenda est præsentia : ideo pastores sine mora inveniunt, quia non ficta fide currunt videre quod audierunt. Horum exempla pastores Ecclesiæ, imo cuncti fideles imitari debent, ut fide et virtute proficiant : et cœlesti oraculo erecti, præcedentium patrum vitam, in qua panis vitæ semper conservatur et reficit, quasi portas Bethlehem contemplando subeant. Ibi catholicæ Ecclesiæ pulchritudinem quasi Mariam, et Doctorum cœtum quasi Joseph, et humilem Mediatoris adventum Scripturæ paginis insertum quasi in præsepio inveniunt. » Hæc sunt verba Glossæ valde notanda. Quid enim decoris Ecclesiæ est, quod non inveniatur in Maria? Ipsa est spes pœnitentium per hoc quod est amarum mare, per hoc quod suam ipsius animam pertransivit gladius redemptionis peccatorum. Propter hoc enim dicit illud Genesis, xxvii, 13 : *In me sit, ait, ista maledictio, fili mi : tantum audi vocem meam, et pergens affer quæ dixi,* sacrificium videlicet contribulati cordis pro peccatis. Ipsa est dux in undis tentationum fluctuantium, per hoc quod est stella maris. Ipsa est contemplantium illuminatrix. Ipsa est tribulatum domina et protectrix. Ipsa est flos virginum, sanctitas matronarum, exemplum in ministerio sanctarum viduarum. Joseph etiam filius accrescens, totum præsignat cœtum Doctorum : patronus virginis, Christi nutritius, itineris dux, et familiæ fidelissimus procurator.

Hoc est ergo quod dicit :

« Invenerunt Mariam, »

Gratia plenam, omni Ecclesiæ decore coruscantem. Psal. xlii, 10 : *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.*

« *Et Joseph,* » dux et patronus et custos : quæ omnibus Doctoribus competunt. Iste enim est qui custodit Mariam,



sed non ab ipso, sed a Spiritu sancto fœcundatur. Matth. 1, 20 : *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.*

« Et infantem. »

Ecce signum. « *Positum in præsepio.* » I Reg. x, 7 : *Quando evenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est.* De signis autem supra satis dictum <sup>1</sup>. Dominus Deus Israel ipse dabit vobis signum puritatis, paupertatis, et vilitatis sive humilitatis. Ecce enim Virgo concipiet : et ideo natus est purus. Et ideo sequitur, ut sciat reprobare malum et eligere bonum, hoc est, purum. Pauperibus evangelizatur pastoribus : et ideo pauper. Psal. xi, 6 : *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Pastoribus autem juxta gregem exhibitus : et ideo inventus in stabulo. Recursus enim pastorum et gregum est ad stabulum. In cujus signum, cum Rebecca servum Abraham invitaret, ad stabulum invitavit, quia pastoris erat famulus. Genes. xxiv, 25 : *Palearum quoque et fœni plurimum est apud nos, et locus spatiosus ad manendum.* Ita et isti pastores ad stabulum se convertunt.

Et ideo sequitur :

« Videntes autem »

Hæc signa concurrentia, « *cognoverunt,* » collatione habita. Notitiam notat hoc quod dicit : « *Cognoverunt,* » quia signum ad signatum contulerunt, et sic noverunt. Ad Hebr. 11, 4 : *Contestante Deo signis, et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem.*

« *De verbo.* » Partitionem notat : quia

<sup>1</sup> Cf. Isa. vii, 14 et 15 : *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare*

nec revelatione angelica, nec signis positus, nec visu cognoverunt totum, sed aliquid « *de verbo quod dictum erat illis de puero hoc* » in stabulo demonstrato. Job, xxxvii, 19 et 20 : *Nos quippe involvimur tenebris. Quis narrabit ei quæ loquor? Etiam si locutus fuerit homo, devorabitur.* Et, infra, xxx. 23 et 24 : *Digne enim enarrari non potest. Ideo timebunt eum viri, et non audebunt contempleri omnes qui sibi videntur esse sapientes.*

« Et omnes qui audierunt mirati sunt, et de his quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. »

Sequitur de effectu.

Est autem triplex effectus : admiratio- nis quidem in omnibus, pudicæ sapientiæ in Virgine matre, et gratiarum actionis in pastoribus.

De admiratione quidem in omnibus dicit : « *Et omnes qui audierunt,* » quæ ab Angelo cantata sunt, « *mirati sunt,* » non dicentes : *Quis, putas, puer iste erit?* Sed dicentes : *Qualis est hic, quia ventis imperat, et mari, et cœlis, et Angelis, et venti et mare obediunt ei?* Cœli enim enarrant gloriam ejus. Isa. xxv, 1 : *Domine Deus meus es tu, exaltabo te, et confitebor nomini tuo : quoniam fecisti mirabilia.* Psal. xcvi, 1 : *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.*

« *Mirati sunt* » etiam « *de his quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos.* » Ex hoc intelligitur secundum aliquos, quod etiam Angelus aliis quam pastoribus nuntiavit, et quod illi mirati sunt de consonantia Angelorum et pastorum. Mirati sunt enim simplicitatem pastorum quæ fingere nescit, talia mirabilia nuntiare.

malum, et eligere bonum.

<sup>2</sup> Luc. 1, 66.

<sup>3</sup> Matth. viii, 27.

Hæc enim simplicitas magis est idonea ad testificandum. I Paralip. xxix, 17 : *Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas.* Proverb. iii, 32 : *Cum simplicibus sermocinatio ejus.* Sapient. i; 1 et 2 : *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum : quoniam invenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum.*

19

« Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. »

Ecce secundus effectus de pudica sapientia Beatæ Virginis.

Et dicit duo : retentionem eorum quæ dicebantur de Filio, et collationem. Et hæc duo præsupponunt sibi alia duo, quorum est doctrina suscepta ab alio, et humilis auditus ab alio aliquid divinum narrante. Tria exiguntur ad sapientiam, vel quatuor ista quæ dicta sunt : quorum prima duo in Virgine supponuntur : alia autem duo dicuntur in littera : quorum auditus est primum, de quo dicitur, Eccli. xxxii, 9 : *Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia.* Primum enim oportet addiscentem credere. Et ideo Beata Virgo, primum salutante et evangelizante Angelo, tacuit. Si autem quærit audiens, cum reverentia et humilitate debet quærere intellectum ejus quem audit. Eccli. xxxii, 12 : *Audi tacens simul et quærens.* Et ita fecit Virgo Beata, quærendo modum dicens : *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco*<sup>1</sup> ? Proverb. i, 5 : *Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit.*

Tertium est conservare dicta : et hoc dicitur in littera cum dicitur : « Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. » Unde signata est, Exod. xvi, 33, ubi dicit Dominus ad Moysen : *Sume vas unum, et mitte ibi*

*Man, quantum potest capere gomor : et repone coram Domino ad servandum in generationes vestras.* Vas enim parvulum, cor humile Beatæ Virginis, in quo ponitur manna Verbi Dei increati et creati : quantum potest capere gomor, hoc est, ad sufficientiam Ecclesiæ : ut reponatur coram Domino in contemplatione, et reservetur in generationes vestras : ut ex hoc Apostoli, Evangelistæ, et tota simul Ecclesia instruantur. Econtra de corde stulti dicitur, Eccli. xxi, 17 : *Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit.* Hic etiam non recipit nec audit : et ita omnia desunt ei. Etenim non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde suo. Nec est mirum quod non recipit, quia neque audit. Eccli. xi, 18 : *Verbum sapiens quodcumque audierit sciens laudabit, et ad se adjiciet : audivit luxuriosus, et displicebit illi, et projiciet illud post dorsum suum.* Aggæi, i, 6 : *Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.*

Quartum autem quod in littera continetur est bona collatio retentorum. Et hoc est quod dicit :

« Conferens in corde suo. »

Collatio autem est ad hoc quod sciatur, quid ex collectis per certam conclusionem eliciatur : sicut legitur de ea quod *cogitabat qualis esset ita salutatio*<sup>2</sup>. Cogitare enim est cor agitare. Et hoc est quod in spiritualibus bonis et intellectualibus Dominus præcipit servis suis, dicens, Luc. xix, 13 : *Negotiamini dum venio.* Hæc enim quatuor faciunt sapientem : bonus et humilis auditus, auditorum bona receptio, receptorum bona retentio, et retentorum bona collatio. Contulit autem ea, quæ receperat per auditum, eis quæ legerat in libris. Legerat enim virginem concepturam, Isa. vii, 14 : *Ecce virgo concipiet.* Legerat virgi-

<sup>1</sup> Supra, i, 14.

<sup>2</sup> Supra, i, 29.

nem illam esse futuram de stirpe Davidica, Isa. xi, 1 : *Egredietur virga de radice Jesse*. Legerat etiam in Nazareth futurum fore conceptum, secundum aliam translationem Isaïæ : *Quoniam Nazaræus vocabitur*. Legerat David factam esse promissionem, Psal. cxxxii, 11 : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Legerat etiam in Bethlehem nasciturum, Mich. v, 2 : *Tu, Bethlehem*, etc. Hæc omnia contulit ad ea quæ in ipsa facta sunt. Scivit enim se virginem, et Gabrielem dixisse : *Ecce concipies in utero, et pares filium*<sup>1</sup>. Scivit se esse de stirpe Davidica, scivit quod in Nazareth concepit, scivit quod in Bethlehem peperit, scivit etiam quod omnia dicta concurrent et ædificabatur ad fidem. Non protulit autem, non minus ore quam corpore pudica. Secreta enim est : et quæ noverat nulli divulgat, sed tacito corde scrutans, congruum tempus quo Deus velit hæc revelare, reverenter expectat. Adhuc autem in fine ejusdem Glossæ dicitur sic : « Si Maria a pastoribus discit, debemus a sacerdotibus discere : si Maria ante præceptum Apostoli tacet, debemus post præceptum Apostoli magis doceri quam docere. » Præceptum autem Apostoli est, I ad Corinth. xiv, 34, et I ad Timoth. ii, 12, sicut patet ex superioribus : ubi dicit Apostolus, quod mulieri in Ecclesia docere non permittitur.

Sequitur de tertio effectu :

20

« Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos. »

Et dicit hic tria : pastorum a contemplatione Verbi facti ad gregum curam reversionem, et eorumdem de visis et

auditis gratiarum actionem, et dictorum cum visis plenam concordiam.

Dicit ergo : « *Et reversi sunt pastores.* » Pastorum reversio significat regressum pastorum a contemplatione ad actionem, quæ est in cura subditorum. Ad Philip. i, 24 : *Permanere in carne, necessarium propter vos*. Act. xx, 28 : *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

« *Glorificantes et laudantes Deum.* » Gratiarum est actio. Isa. li, 3 : *Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis*. Glorificatio autem est de his quæ sibi soli debentur : laus autem de virtute quæ aliis est communis. Apocal. vii, 12 : *Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum.*

« *In omnibus quæ audierant,* » voce angelica, « *et viderant,* » per experimentum. Psal. xlvii, 9 : *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini*. III Reg. x, 7 : *Major est sapientia et opera tua quam rumor quem audivi.*

Et concordia dicti ad factum : « *Sicut dictum est ad illos.* » III Reg. x, 7 : *Non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit.*

Sequitur :

« Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur. »

21

Tria dicit de circumcissione : tempus, et modum, et nominis vocationem.

De tempore dicit : « *Postquam con-*

<sup>1</sup> Supra, I, 31.

*summata sunt*, » hoc est, ad summam perfectionis deducti. Conceptionis enim dies supra impleti dicti sunt esse in partu. *Consummatum* autem plus est quam *impletum* : quia consummatum est totum simul ad summam deductum perfectionem. Hic attingit summum humilitatis, summum charitatis, summum obedientiæ Patris. Summum quidem humilitatis in descensu ad gradum imum, summum charitatis est in ascensu ad supremum, summum obedientiæ cum difficillimi operis impletionem.

Descendit enim Dominus majestatis a regalibus sedibus usque ad hominem, Ad Philip. II, 7 : *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*. Descendit ut ad parvum quem homines parvum vocant, pauperem, et peregrinum, Psal. CVIII, 22 : *Egenus et pauper sum ego*. Descendit ad minorem parvo, Isa. IX, 6 : *Parvulus natus est nobis*. Descendit ad minimum, Isa. LIII, 3 : *Vidimus eum novissimum virorum*. Descendit (quod omnibus sæculis inauditum est, et omnibus philosophis incognitum) ad minorem minimo : cum Philosophus dicat, quod in nullo genere est aliquid minus minimo. Deo enim nihil difficile est. Psal. XXI, 7 : *Ego sum vermis et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis*. Descendit adhuc inferius abjecto, Ad Philip. II, 7 : *Semetipsum exinanivit*. Si autem inane tantum esset, non esset alteri obnoxius ad serviendum : et ideo adhuc ab inani descendit in formam servi, Ad Philip. II, 7 : *Formam servi accipiens*. Luc. XXII, 27 : *Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat*. Hoc autem adhuc maximæ humilitati parum erat, nisi descenderet in formam peccatoris, hoc est, characterem peccatricis carnis assumens, Isa. LIII, 4 et 3 : *Putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum... Unde nec reputavimus eum*. Et hujus causam subjun-

<sup>1</sup> Isa, LIII, 8 : *De angustia, et de judicio sublatum est*.

git, dicens : In humilitate iudicium ejus sublatum est <sup>1</sup>. Hoc propter nimiam ejus humilitatem. Nemo de eo certum iudicat : quia sub characterem carnis peccatricis dignitas ejus non cognoscitur. Et ideo dicit Apostolus, II ad Corinth. V, 21 : *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit Deus*, hoc est, similem peccatori. Ecce quantum descendit. Matth. XX, 16 : *Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi* : quia *omnis qui se humiliat, exaltabitur* <sup>2</sup>. Isa. X, 22 : *Consummatio abbreviata inundabit iustitiam*.

Attingit etiam hic summum charitatis, nostram formam reatui obligatam assumens, ut nos absolveremur. Sententia enim condemnationis æternæ lata fuit in latronem, qui voluit auferre similitudinem suæ divinitatis, ut dicit Ambrosius. Audivit hoc Regis Filius intra aulam in secreto Patris constitutus, exivit, formam latronis induit : ut sententiam condemnationis pro servo acciperet, ut servum liberaret. Gregorius : « O mira circa nos tuæ pietatis dignatio ! Ut servum redimeres filium tradidisti. » Forma autem latronis est character latronis in circumcissione, quæ non dabatur nisi pro remedio peccatorum. Psal. XVI, 4, secundum translationem Aquilæ : *Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias latronis* <sup>3</sup> : cauteria latronis scilicet in me recipiens. Ecce summum charitatis.

Summum autem obedientiæ : quia jam in infantili ætate, in loco magis sensibili difficillima pateretur. Hoc jam factis clamans quod, II Machab. VI, 30, continetur : *Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis, quia, cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores*. Sic igitur dies ejus sunt ad summam ducti perfectionem.

Dicit autem :

<sup>2</sup> Luc. XIV, 11 et XVIII, 14.

<sup>3</sup> Vulgata habet *duras*.

« Dies octo. »

Hoc est, octo illustrationes, in quibus deponitur superfluum concupiscentiæ. Quamvis autem supra dixerimus, qualiter per octo serenationes delectationis, delectatio sit admirabilis et firma et pura, quæ nihil habet superfluum : tamen hic alias octo, et iterum alias octo, ad mores instruendos dicemus. Sunt autem tria in anima circumcidenda, si præputium cordis debet circumcidi, videlicet rationalis, irascibilis, et concupiscibilis.

*Rationalis* quidem circumciditur ad credenda, et ad credenda quidem ne articulos fidei transgrediatur, et ne incidat in profanas vocum novitates. De primo, Proverb. xxii, 28 : *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* De secundo, I ad Timoth. vi, 20 et 21 : *Devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* In ordine autem ad bonum habent circumcidi a contentiosa protervitate. I ad Corinth. xi, 16 : *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Hæc autem contentio sive protervitas nascitur ex proprii sensus defensione. Dicit enim Ambrosius super Epistolam ad Romanos, quod « contentio « est impugnatio veritatis, cum confidentia clamoris. » Hæc tria si amputentur a ratione, præputium rationis in toto circumcisum est.

*Irascibilis* autem insurgit in malum, et tendit in arduum. Tendens autem in arduum, si ambitione careat, præputium deposuit. Et tunc insurgens contra malum, si furore irrationabili careat, penitus est sine præputio. Tendens autem in arduum caret ambitione, si præter meritum et absque vocatione superioris, numquam velit ascendere, dicens, Luc. xiv, 10 : *Recumbe in novissimo loco : ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice,*

*ascende superius.* De amputatione furoris irrationabilis dicitur, Isa. x, 5 : *Væ Assur ! virga furoris mei, et baculus ipse est.* Et infra, x. 7 : *Ipse autem non sic arbitrabitur, et cor ejus non ita existimabit : sed ad conterendum erit cor ejus, et ad interneccionem gentium non paucarum.* Quasi diceret : Ego mitto eum ad corrigendum, ipse autem furore agitur ad interficiendum.

*Concupiscibilis* etiam est circumcidenda a tribus. Concupiscibilis enim tam in nutrientibus quam in venereis appetit ex corruptione quale (quod concupiscentiæ congruit a natura corrupta) in quantitate plusquam sufficit : et secundum circumstantias operis, quod virtuti non proficit sed officit. Quale amputandum usque ad hoc quod sanitati competit, et bonæ habitudini. Quantum autem, usque ad hoc quod necessitati sufficit. In circumstantiis autem, quando debet, et ubi debet, et fine quo debet, et cætera hujusmodi. De qualitate reprehenditur dives epulo, Luc. xvi, 19 : *Epulabatur quotidie splendide.* In quantitate, Daniel. xiv, 5 : *An non vides quanta comedat et bibat quotidie ?* In aliis circumstantiis, Isa. v, 11 : *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis.* Et similiter in venereis. Qualem enim habere non debet, vult habere. Quantum non debet, vult coire. Quando et ubi non debet, et quo fine non debet.

Circumcidatur igitur concupiscibilis ab his tribus, et irascibilis a duobus, et rationalis a tribus. Et octo dies illustrationis super cor sunt revoluti, in quibus præputium cordis amputatur.

Beatus autem Bernardus dicit octo dies, in quibus circumciditur ingrediens in religionem.

Primum oritur in eo consideratio justitiæ, cum futurum judicium formidat, sciens quod Deus non parcat delinquenti<sup>1</sup>. Et ideo cogitat de satisfactione per

<sup>1</sup> Job, ix, 28.

justitiam, quæ reddit cuique quod suum est : nobis miseriam, Deo autem misericordiam.

Secundo autem fortiter disponit exire de consortio malorum, quod sibi fuit causa perversitatis, dicens : *Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo*<sup>1</sup>.

Et quia periculum est in solitudine : quia *væ soli : quia cum ceciderit, non habet sublevantem se*<sup>2</sup>. Et tamen, *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma*<sup>3</sup>.

Ideo cogitat manum mittere ad fortia religionis opera, dicens : *Lavabo inter innocentes manus meas*<sup>4</sup>, hoc est, inter bonos conversabor, et lavabo manus a peccatis. Hæc fecit. Jam instat tempus, ut suas temperet passiones : quia aliter in domo Dei non potest sine querela conversari. Psal. LIV, 15 : *In domo Dei ambulavimus cum consensu*. Et sic illucet temperantia, quæ est dies quarta.

Quinto autem, quia labor instat et dolor, ut in sudore vultus sui tunc vescatur pane suo : ut perfectum inter fratres opus habeat<sup>5</sup>, indiget patientia, quæ est æquanimis tolerantia adversorum.

Sed in hoc loco cavendum est a superbia. Magnum omnino est vincere semetipsum. *Melior est* (ait Salomon) *patiens viro forti : et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium*<sup>6</sup>. Ideo docet Propheta necessariam esse humilitatem, cum inquit : *Verumtamen Deo subjecta esto, anima mea, quoniam ab ipso patientia mea*<sup>7</sup>. Necesse ergo, ut in sexta die illuminet cor tuum radius humilitatis, et declaret quid a te sis, quid a Deo, ut non altum sapias : quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*<sup>8</sup>.

Septimo vero, quia non minus ad Deum quam ad fratres tenetur bene con-

versari, indiget ut in corde suo illucescat devotio, quæ est fervor cordis ad Deum, qui omnia perficit præhabita, dicens : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis*<sup>9</sup>. Et hæc est dies septima, in qua videtur ei labor et dies pauci præ amoris et fervoris magnitudine<sup>10</sup>.

Quia autem fervor hic aliquantulum minus est discretus, ideo octava dies est necessaria, quæ est discretionis lumen : non tam virtus, quam auriga virtutis. Sed quia hæc avis rara est in terris, ideo discretionem alterius utatur, quæ descripta est in regula : non plus faciens nec minus, quam spiritualis pater præcipit secundum regulam. Ad Galat. VI, 16 : *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei*. Et est in toto circumcisisus.

Sic igitur ad præputium cordis circumcidendum, octo dies exiguntur.

Sequitur :

« Ut circumcideretur puer. »

Circumcisio dicitur non abscisio, vel præcisio. Abscisio enim est, quando totum absciditur. Ad Galat. V, 12 : *Utinam et abscindantur qui vos conturbant*. Præcisio autem est, quando pars una præciditur simpliciter et abjicitur. Isa. XVIII, 5 : *Præcidentur ramusculi ejus faucibus*. Circumcisio autem est, quando incisio in circulum ducitur. Et hoc non fit nisi ut aliquid significetur : sicut in circumcissione, in qua pellis pudendorum per circuitum in anteriori parte circumciditur, ut superfluum concupiscentiæ amputandum esse significetur, quæ in membro illo plus dominatur. Et hic circulus ad æternitatem incorruptionis refertur : quia circulus non habet principium intra, nec finem. Et hæc

<sup>1</sup> Psal. xxv, 5.

<sup>2</sup> Eccle. iv, 10.

<sup>3</sup> Proverb. xviii, 19.

<sup>4</sup> Psal. xxv, 6.

<sup>5</sup> Jacob. I, 4.

<sup>6</sup> Proverb. xvi, 32.

<sup>7</sup> Psal. lxi, 6.

<sup>8</sup> Jacob. iv, 6 ; I Petr. v, 6.

<sup>9</sup> Psal. xxxviii, 4.

<sup>10</sup> Cf. Genes. xxix, 20

est circumcisio quam Christus sex de causis suscepit, cum in nullo indiguerit.

Prima causa est, ut legem circumcisionis non esse reprobendam, sed a Deo datam esse demonstraret. Ad Galat. iv, 4 : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Matth. v, 17 : *Non veni solvere legem, sed adimplere.*

Secunda causa est, ut obediendi nobis formam præberet. Si enim ipse qui non indiguit, obedivit quamdiu præceptum tenuit, multo magis et nos qui indigemus, obedire debemus. Psal. xciv, 8 : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Joan. xiii, 15 : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.*

Tertia causa, ut per omnia humilem se demonstraret : quia non solum usque ad carnem, sed usque ad peccati cauterium se humiliavit. Matth. xi, 29 : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*

Quarta causa est, ut charitatem quam ad nos habuit, ostenderet. Ad Hebr. ii, 17 : *Debit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret.*

Quinta et ultima, ut mysterium circumcisionis adstrueret, et circumcisionem in hoc terminaret. Et hoc est duplex : unum enim signatum suum continebat, quod est circumcisio cordis. Ad Roman. ii, 29 : *Circumcisio cordis in spiritu, non littera : cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Alterum autem non continebat, sed figurabatur, quod est, quod ab electis in octava resurrectionis, omnis præcidetur macula corruptionis. Josue, v, 9 : *Hodie abstuli opprobrium Ægypti a nobis.* Et ideo illa circumcisio facta est transito Jordane, qui significat transitum hujus mortalis vitæ in terram promissionis.

Adhuc autem scias esse octo circumcisiones, de quibus Sancti loquuntur : se-

ptem quidem bonas, et unam mala intentione factam.

Una quidem est Abrahæ, Genes. xvii, 12 : *Infans octo dierum circumcidetur.* Et, x. 14 : *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo : quia pactum meum irritum fecit.*

Secunda, Moysi, Exod. xii, 44 et 45 : *Omnis servus emptitius circumcidetur, et sic comedet. Advena et mercenarius non edent ex eo.* Ante enim nusquam dictum fuerat, quod circumcisis solus deberet comedere Pascha.

Tertia circumcisio est, Josue, v, 7, eorum qui nati sunt in deserto, quos nemo circumciderat.

Quarta circumcisio est Sephoræ, quæ tulit acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui, tetigitque pedes ejus, et ait : *Sponsus sanguinum tu mihi es*<sup>1</sup>.

Quinta circumcisio est spiritualis, Jerem. iv, 4 : *Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum viri Juda*<sup>2</sup>.

Sexta circumcisio est mulieris gentilis in bello captæ, Deuter. xxi, 10 et seq. : *Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, et tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captivosque duxeris, et videris in numero captivorum mulierem pulchram, et adamaveris eam, voluerisque habere uxorem, introduces eam in domum tuam : quæ radet cæsariem, et circumcidet unguis : et deponet vestem in qua capta est : sedensque in domo tua, flebit patrem et matrem suam uno mense : et postea intrabis ad eam, dormiesque cum illa, et erit uxor tua.*

Septima est circumcisio Christi, quam sine omni indigentia sui recipit propter nos, et hic habetur.

Octava autem est circumcisio Sichem, filii Hemor<sup>3</sup>, qui se circumcidit, ut amplexibus Dinæ vacare posset.

Hæ autem bonæ septem circumcisiones,

<sup>1</sup> Exod. iv, 25.

<sup>2</sup> Cf. Deuter. x, 16.

<sup>3</sup> Cf. Genes. xxxiv, 1 et seq.

signant septem quæ debent esse in populo Dei.

Prima quidem in signum distinctionis populo Dei data, significat Sanctorum ab aliis per abjectionem concupiscentiæ, distinctionem.

Secunda autem in signum legis populo Dei datæ, significat conformitatem ad Eucharistiæ Sacramentum, quod *non in cubilibus et impudicitis, non in contentione et æmulatione*<sup>1</sup>, quæ sunt præputia, debent edere et se Christo incorporare, *sed in azymis sinceritatis et veritatis*.

Tertia vero Josue significat omnem conversationem Ægypti, hoc est, sæculi præsentis esse deponendam : non intus tantum, sed etiam exterius.

Et istæ tres sunt activorum : prima per justitiam fidei, secunda per devotionem sacramenti, tertia per abjectionem sæculi.

Quarta quæ est Sephoræ (quæ interpretatur *placens amplexatio*) est contemplationis in oratione. Oportet enim illam in oratione filium, hoc est, spiritum suum circumcidere a falsis et phantasticis imaginibus : quia *veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate*<sup>2</sup>. Et ideo dicit : *Sponsus sanguinum* : sanguinis quidem tui qui mundat et sanguinis mei qui mundatur et circumciditur. Aliter enim eam sponsus placente amplexu non amplexatur.

Quinta etiam est, quæ spiritualis est et contemplativorum, quoad amputationem curarum et sollicitudinum : ut purius veniat ad sponsum. Unde, in Canticis, I, 15 : *Lectulus noster floridus est*.

Sexta etiam est contemplativorum quoad denudationem et projectionem omnium, ut nudo spiritu sponsum amplexetur : quæ dum alienis induta est vestibus, et unguibus antiquis armata, et cogitationibus impedita, sponso minime est apta. Hæc enim sunt in oratione pura affectio, in intellectu placens amplexatio,

in spiritu toto omnimoda ab hujus sæculi formis denudatio : et tunc intrabit ad sponsum.

Christi autem circumcisio, nostra est instructio : in qua ad omnia hæc formam accepimus.

Circumcisio autem Sichem, qui *labor* interpretatur, significat eos qui extra in corpore se circumciderunt, ut hypocritæ signum religionis assumentes : ut Dinæ (quæ interpretatur *causa hæc*, et divitias vel dignitates significat) liberius vacent : sicut, heu ! multi faciunt : qui licet circumcisi videantur, tamen in veritate incircumcisi sunt et spiritu et carne : quia et vitiis spiritualibus, et vitiis carnalibus sunt pleni. Unde, Ezechiel. XLIV, 7 : *Sufficiant vobis omnia scelera vestra, domus Israel : eo quod inducitis filios alienos incircumcisos corde, et incircumcisos carne, ut sint in sanctuario meo*.

De his omnibus bonis circumcisionibus dicitur, I ad Corinth. VII, 18 : *Circumcisos aliquis vocatus est ? non adducat præputium*. Sunt enim quidam istam circumcisionem impediens : qui significantur per Antiochum, qui interpretatur *silentium paupertatis*<sup>3</sup>.

Infans autem circumcidi debet istis circumcisionibus : quia melius portat dum a juventute consuescit, et melius recipit jugum dum juvenis est. De primo, Thren. III, 27 : *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia tua*. De secundo, Eccli. VII, 25 : *Filii tibi sunt ? erudi illos, et curva illos a pueritia illorum ?* Adhuc autem, si ab adolescentia circumciduntur, plus verecundantur præputia facere. Proverb. XXII, 6 : *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*. In membro etiam genitali fiebat : quia ibi plus viget corruptio, et ideo venereorum concupiscentias magis oportet circumcidere et abjicere. I ad Corinth. VI, 18 : *Fugite forni-*

<sup>1</sup> Ad. Roman. XIII, 13.

<sup>2</sup> I ad Corinth. V, 8.

<sup>3</sup> Joan. IV, 23.

<sup>4</sup> Exod. IV, 25.

<sup>5</sup> Cf. I Machab. II, 15.



cationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Unde in III *Ethiicorum* dicitur, quod oportet nos pati ad hanc delectationem contemperaneam vitæ quod sapientes plebis passi sunt ad Helenam. Sapientes autem omnes fugerunt Helenam ne caperentur amore ejus. Sicut et Joseph tractus a lasciva adultera, nudus perfugit <sup>1</sup>.

Sic igitur completi sunt dies octo ut circumcideretur puer.

« Vocatum est, etc. »

Tria dicit de nomine: divulgationem, designationem, et tertio innuit impositionem.

De primo dicit: « *Vocatum est*, » hoc est divulgatum est inter Sanctos, « *nomen ejus Jesus* <sup>2</sup>. » Hujus enim nominis notam fecit: quia, Matth. 1, 21: *Salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Psal. xcvi, 2: *Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu Gentium revelavit justitiam suam*. Isa. xlix, 6: *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*.

« *Quod vocatum est ab Angelo*. » Ecce secundum, quod Angelus istud nomen de cælo attulit, et sic vocandum designavit.

« *Priusquam in utero conciperetur*. » Innuit tertium quod ante conceptum in matre et in patribus (ex quorum lumbis secundum corpulentam substantiam descendit) est illud nomen ab æterno per generationem Filio a Patre impositum. Eccli. xv, 6: *Nomine æterno hæreditabit illum*. Cum enim eum Salvatorem genuit, nomen Jesus imposuit. Isa. lxii, 2: *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit*: non solum in se tantum, sed etiam in membris. Unde dicit Glossa, quod « sicut a Christo dicimur Christiani, ita a Jesu dicimur salvati. » Unde, infra in eodem, §§. 30 et 31: *Sa-*

*lutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum.*

Sequitur:

« Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi. »

Hic tangit Ipapantin, hoc est, præsentationem Domini in templo. Et tangit, eam, non propter necessitatem aliquam quod vel mater vel infans legi subderetur, sed propter magnalia quæ ostendit Deus circa ipsam in prophetia Simeonis et Annæ, quæ testimonium perhibebant Christi nativitati. Et ideo prætermittens hic Lucas adventum Magorum et quæ ab aliis sufficienter scripta esse per Spiritum cognovit, sicut Matth. 11, 1 et seq., transit de circumcissione ad Ipapantin, quasi nihil sit interpositum. Duæ enim sunt causæ, quare Evangelista scribit aliquid. Aut enim scribit, quod ab alio est dimissum: aut quod ab alio scriptum est, sed non omnes modi et circumstantiæ sunt positæ.

In hac ergo historia quam solus scribit, duo facit. Inducit enim testimonium Simeonis et testimonium Annæ.

In testimonio quidem Simeonis duo facit: quorum unum est quod ponit, qualiter ad testificandum venit: secundum autem est ipsum testimonium.

In eo autem ubi describit qualiter venit ad testificandum, tria facit. Primo enim dicit impletos esse dies purgationis: secundo, dicit modum præsentationis: tertio, modum oblationis.

De primo dicit:

« *Et postquam impleti sunt*, » per numerum illuminationum cælestium super eam. Eccli. xxiv, 8: *Gyrum cæli circui-vi sola*. Ibidem, §. 45: *Illuminabo omnes sperantes in Domino*, Irradiatio enim cæli dies est.

« *Purgationis ejus*, » Matris Domini,

<sup>1</sup> Genes. xxxix, 12.

<sup>2</sup> Cf. Matth. 1, 21, longam expositionem quam

dedit Albertus noster super hoc nomine *Jesus*. Tom XX hujusce novæ editionis.

in qua nihil purgandum est quod sit peccatum. Exod. xxv, 11 : *Deaurabis eam*, scilicet arcam, *auro mundissimo intus et foris*. Sapient. vii, 29 et 30 : *Est hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum : luci comparata, invenitur prior. Illi enim succedit nox*. Lucem autem Matris sapientiæ non vincit malitia. Loquitur tamen Lucas ad modum aliarum fœminarum parientium : eo quod ipsa, sicut dicit Bernardus, propter humilitatem inter fœminas fuit sicut una ex illis. Unde, Supra, 1, 28 : *Benedicta tu in mulieribus*.

Sic autem purgationes ejus quæ purgabant (in ipsa minoris illuminationis habitum in majorem illuminationem provehentes) invenimus in ea quadraginta illustrationes, quasi quadraginta dies, ex quibus omnibus ad lumen incorruptum ædificabatur : quarum statim quinque in ipsa radiant ex opere divino eam præveniente, et subsequente, scilicet, in utero ejus perfecta sanctificatio, addita sibi sanctitas ex vitæ merito, munditia voti virginialis privilegio, illustratio contemplationis veritatis in verbo, Spiritus sancti familiaris et specialis consolatio. Et hæc quinque Virginem in thalamum Filio Dei præparaverunt. Primum, mundans uterum : secundum, idoneum et floridum faciens lectulum : tertium, conservans thorum : quartum, illustrans domum ad sponsi venientis cognitionem : quintum, dulcorem inducens et quamdam status mollitiem, ad delectabilem venientis mansionem.

Quinque alii dies radiantes in virtutibus suis privilegiatis : quarum prima est profunditas ipsius humilitatis : secunda, pulchritudo castitatis : tertia, fides indubitata credulitatis : quarta, prudentia sive sapientia ditissimæ cognitionis : quinta, quæ Deum attraxit, dilectio ferventissimæ charitatis. Prima harum, vas tantæ immensitati profundavit et evacuavit, ut haberet ubi se infunderet : secunda purificavit, ut munde se summa munditia locaret : tertia, ad capiendum

potens effecit, quia omnia possible sunt credenti : quarta, divitiis secum venientibus thecam dedit, in qua omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei reconderentur : quinta, manus violentas in dilectum injecit, et eundem violenter attraxit.

Ecce decem illustrationes in Virgine coruscantes.

Decem aliæ fulgent de cœlo ab Angelis. Apparet enim Angelus annuntiatione, producens luciferum in præcursorem : apparet Angelus, salutans Virginem : apparet, confortans trepidantem : apparet, annuntians Salvatorem : apparet, illuminans quærentem. Et hæc quinque idem fecit Angelus. In primo, viam parans : in secundo, impedimentum maledictionis abstergens : in tertio, infirmitatem confortans : in quarto, beneplacitum divinum explanans : in quinto, modum divinæ potestatis et facultatem luculenter probans.

Adhuc autem apparet Angelus, Joseph de suscipienda virgine admonens : apparet, Magos de Herodis declinatione præmonens : apparet, pastores de nato Domino instruens : apparet, Joseph de fuga in Ægyptum ut infanti caveatur docens : apparet tandem in Ægypto, ut in terram Juda revertatur illuminans. Prima harum apparitionum, Domino præparavit alvum, et matri castitatis custodem : secunda, gentilitatis primitias vocavit ad fidem : tertia, in figura pastores vocat ad gregum pastum : quarta, per exemplum est tentatis refugium : quinta, sanctis in virtute florentibus ut suis actibus alios ædificent, præbet exemplum.

Istæ ergo decem ab Angelis lucentes et spirituales illuminationes in corde Virginis facientes.

Decem aliæ micant de Trinitate et unitate. Venit enim Pater in umbra virtutis Altissimi. Venit Filius in operatione conceptus sui. Venit Spiritus sanctus in opere et sanctitate Filii. Ostendit virtutem Pater in perfectione tanti miraculi. Resplenduit sapientia Filii in conjunctio-

ne et unione personali. Manifestatur Spiritus sanctus in unctione tam excellenti. Et ista sunt sex. Quatuor autem alia solus perfecit Spiritus, cooperantibus sibi Patre et Filio. Attulit enim prophetiam testificantem : miraculum dedit, confutans non credentem : infantem intra uterum movet, præsentiam concepti recipientem : suæ virtutis demonstrationem fecit, senem ad visum Salvatoris conservantem. Ecce quod non solum virtutes cœlorum moventur, sed virtus divina multipliciter ostenditur.

Quinque micant de cœlo visibili per lumen et per virtutem. Stella nova oritur. Claritas Dei pastores circumfulgens de cœlo manifestatur. Tres soles, ut in præhabitis diximus, in unum collecti in cœlo videntur. Virtute cœlesti corruiat urbis Romæ idolum. Et erupit fons misericordiæ manans oleum. Tria quidem istorum in cœlesti lumine : et duo in cœlesti virtute.

Quinque autem in hominibus apparuerunt illustrationes. Testimonium enim perhibet Sacerdos. Testis est rex Magus. Testis est conjugata. Testis est vidua. Testis Virgo serena et gratia plena : ut nulla sit professio, nullus sexus, a quo non habeat testimonium salus omnium nostrum.

Et quia singulæ harum illustrationum, lumen speciale ferebant in corde et corpore Virginis, ideo sicut dicitur, Proverb. iv, 18 : *Semita ejus quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.*

« *Et impleti sunt dies purgationis ejus.* Evangelista autem cavens crimen blasphemix, addit :

« Secundum legem Moysi. »

Quasi dicat : In se quidem non indigebat purgatione : secundum legem autem Moysi quoad hominem oportuit fieri. Sic et eam oportuit desponsari, ne sicut adultera lapidaretur : sicut Filius, ne reprobareret legem, subiit circumcisio-

nem. Ideo a Patribus plurimæ causæ rationabiles quare purgabatur assignantur : quarum quatuor ponimus, pluribus aliis omissis. Una enim est (cum lex adhuc in statu esset) legis approbatio. Secunda est, sui per omnia humiliatio. Tertia, aliarum fœminarum quæ legi subjacebant associatio. Quarta est, sui filii per hoc ad prophetiam concordatio.

De prima, Eccli. xxiv, 33 : *Legem mandavit Moyses in præceptis justiciarum, et hæreditatem domui Jacob, et Israel promissiones* : et ideo erat tempore status sui servanda.

De secunda dicitur, Exod. xxiv, 7 : *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes*, humiliter, nihil interrogantes quid, vel quare præcipiat ? sicut diabolus Hevæ quæstiones de mandato proposuit.

De tertia : Non enim extulit se, ut aliquid in ea allegaret quo super alias elevaretur, dicens illud Ruth, ii, 13 : *Non sum similis unius puellarum tuarum.*

De quarta dicitur, Malach. iii, 1 : *Statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.*

Ita etiam purgatio, si moraliter accipitur, tunc Beata Virgo statum Ecclesiæ signat : in quo sunt activi et contemplativi, purgandi, antequam Deo in templo per gratiarum actionem offerantur. Activi quidem agunt per virtutem : contemplativi considerant per veritatem : utriusque pariunt, et Deo partum offerunt. Activi quidem opera meritorum : contemplativi autem inventiones mirabilium theoriarum. Et partus activorum significatur per partum Liæ : contemplativorum autem per partum Rachelis. Activi quidem imprægnantur per boni affectionem, parturiunt per boni deliberatam cogitationem, pariunt autem per operis impletionem. Purgant igitur conceptum a pravitate affectionis, cogitatum deliberatum a turpitudine cogitationis, sed

opus a sordibus operis. Hæc tria notantur, Isa. I, 16 et 17 : *Lavamini, mundi estote*, quantum ad pravitatem affectionis : *auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*, quoad turpitudinem cogitationis : *quiescite agere perverse, discite benefacere*, quoad sordes operis.

Purgant etiam isti a sordibus templum corporis, purgant sordes operis, purgant verba, purgant bona fortunæ, et purgant contagionem vitæ futuræ. Sordes templi sive corporis in vita præterita, purgant per confessionem, II Machab. x, 3, Judas et fratres ejus purgabant templum. Judas confitens : fratres ejus, contritio cordis, et satisfactio operis. Purgant verba per caminum tribulationis, Malach. III, 3 : *Sedebit conflans et emundans argentum*, hoc est, eloquium. Purgant bona fortunæ per eleemosynam, Luc. XI, 41 : *Quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis*. Purgant sordes vitæ futuræ per timorem, Eccli. I, 27 et 28 : *Timor Domini expellit peccatum : nam qui sine timore est, non poterit justificari*. Et tunc offerunt hostiam laudis, Psal. XXVI, 6 : *Circuivi et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis, sive laudis*.

Item, Contemplativa concipit in aspectu veritatis, et parit in desiderio excedens amoris : purgatur in conceptu ab illusionem phantasticæ deceptionis, et in excessu amoris ab indiscretionem irrationabilis fervoris. De utroque istorum dicitur in Psalmo LXXVI, 7 : *Meditatus sum nocte cum corde meo*, ut non decipiat per phantasiam : *et exercitabar, et scopebam spiritum meum*, ut non indiscrete et irrationabiliter ferveam, in fervore qui ad tentationem fit. Hoc est quod significatur, Josue, XVII, 18, ubi dicitur : *Transibis ad montem, et succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia*. Mons enim contemplationis in altitudine spiritus ascenditur : et succiduntur vepres et frutices per purgationem phantasticarum visionum. Purgantur

spatia per remotionem indiscretionis a fervore devotionis.

In utraque autem istarum purgationum observandum est quod fiat « *secundum legem Moysi*, » hoc est, secundum Scripturam. Proverb. VI, 23 : *Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ*.

Redeamus igitur ad litteram. Sequitur enim :

« Tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino,

Sicut scriptum est in lege Domini :  
Quia omne masculinum adaperiens  
vulvam, sanctum Domino vocabitur :

Et ut darent hostiam secundum  
quod dictum est in lege Domini, par-  
turturum, aut duos puellios columbarum. »

Hic dicit de oblatione Domini in templo.

Dicit autem hic tria : infantis oblationem, oblationis finem, Scripturæ sensum concordantem.

De Domini oblatione dicit : « *Tulerunt illum in Jerusalem*. » Propter pueri teneritudinem creditur, quod pia mater sinu suo gestaverat eum. Gestavit enim in utero puerum, a Nazareth in Bethlehem : in sinu autem, a Bethlehem in Jerusalem. Joseph autem, ut putatur, gestavit eum in dorso in Ægyptum, et ab Ægypto in Nazareth. Significantes conceptum boni propositi in verbo Dei conceptum in flore virtutis, gestandum esse in domum refectionis in frugem operis : et a fruge boni operis, in templum gratiarum actionis : ubi omne bonum Deo offertur per hostiam laudis. Psal. XLIX, 23 : *Sacrificium laudis honorificabit me*. Sic autem partum et oblatum bonum opus per Joseph crescentem in virtute, portare in Ægyptum tenebræ in occultatione, et mœroris in

23

24

contritione, a persecutione tentatoris : et victa tentatione referre in florem boni exempli per ædificationem Christi : ut dicat illud Eccli. xxiv, 23 : *Flores mei fructus honoris et honestatis*. Sic enim dicitur, Joan. xv, 2 : *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, Pater meus tollet eum : et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat*. Qui autem aridus est et impossibilis est ad fructum, hunc abscedet sententia condemnationis, et comburet igne inextinguibili.

Sic ergo « *tulerunt illum in Jerusalem,* » in figuram fidelium, nobis præstantes exemplum quid agere debeamus.

Sequitur finis, cum dicitur :

« *Ut sisterent eum Domino.* »

Sistere, hoc est, confirmare per additionem. Psal. lxxii, 28 : *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam*. Matth. xix, 14 : *Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire : talium est enim regnum cælorum*. Quod enim nova testa capit, inveterata sapit. Proverb. iv, 3 et 4 : *Ego filius fui patris mei, tenellus et unigenitus coram matre mea : et docebat me*. I Reg. i, 28 : *Ego commodavi puerum istum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino*.

« *Sicut scriptum est in lege Domini.* »

Hic ponitur concordans ad factum Scripturæ testimonium. Dicitur autem hic *lex Domini*, non solum decalogus, sed omne præceptum legis Moysi. Scriptum enim est illud specialiter, Exod. xiii, 2 : *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus quam de jumentis : mea sunt enim omnia*.

Et hanc legem inducit cum dicit : « *Quia omne masculinum.* » Sed videtur minus dicere : quia lex dicit, *Omne*

*primogenitum*. Et dicendum quod omne primogenitum erat Domini, tam masculinum quam femininum. Sed masculinum offerebatur cum oblatione holocausti, et sistebatur Domino, vel redimebatur. Fœmina autem non offerebatur, sed oblatio fiebat solum pro ea : et ipsa non offerebatur, sed redimebatur. Et ideo dicit hic « *Omne masculinum,* » quod est secundum nativitatem perfectum. Malach. i, 14 : *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino*.

« *Adaperiens vulvam,* » hoc est, aliis aperiens sequentibus in generatione, « *sanctum,* » hoc est, sanctificatum, « *Domino vocabitur,* » in omnibus generationibus, tam in hominibus quam in jumentis.

Dicitur autem, Deuter. xxiii, 18 : *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui*. Et ideo notandum, quod omne primogenitum hominis offerebatur. Sed primogenitum Levitarum ad obsequium sistebatur tabernaculi. Primogenitum autem aliarum tribuum, post oblationem factam, quinque siclis redimebatur. Et hoc legitur, Numer. xviii, 16. Primogenitorum autem animalium quædam erant munda ad edendum et offerendum. Quædam autem immunda ad edendum, sed munda ad offerendum. Quædam autem et immunda ad edendum, et immunda ad offerendum. Omnia autem quæ erant munda ad edendum et offerendum, offerebantur sacerdoti : sed offerens potuit ea redimere si voluit. Munda autem ad offerendum et immunda ad comedendum, erant ad laborandum quidem apta : sed nec unguam dividentiæ nec ruminantia, sicut equus, et asinus, et mulus, et hujusmodi : et hæc etiam offerebantur, et redimebantur quanti ea sacerdos æstimavit. Immunda autem ad edendum et offerendum erant, quæ unguam non findebant, nec ruminabant, et labori apta non erant : sicut canis et cattus, et hujusmodi :

et hæc non offerebantur, nec redimebantur. Et de his loquitur lex <sup>1</sup>. Sic igitur intelligitur littera.

Erat autem lex ista de cæremonialibus, quorum totus usus fuit in significando. Primogenitorum præclarior est natio : et quidquid quod præcipuum est in mundis et utilibus, offerri debet Domino. Proverb. III, 9 : *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum.* Unde, Levit. XXVII, 26, præcepit sibi offerre primitiva. Mich. VI, 6 : *Quid dignum offeram Domino?* Quidam autem hoc non faciunt : sed primitiva offerunt diabolo, et debilia Deo. Psal. CV, 37 : *Immolaverunt filios suos et filias suas dæmoniis.* Econtra de bonis dicitur, Psal. LVIII, 10 : *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Malach. I, 8 : *Si offeratis claudum et languidum, nonne malum est?*

Ista primitiva in nobis sunt duo : unum primum in conceptu, quod est bona voluntas : aliud primum in partu, quod est bona operatio. Ad Philip. II, 13 : *Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* II ad Corinth. VIII, 12 : *Si voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet.* Hæc tamen lex non ligabat Beatam Virginem, quia intactis signaculis exivit Dominus de claustro pudoris : sicut intacto signaculo intravit et exivit ad discipulos januis clausis. Ezechiel. XLIV, 2 : *Porta hæc clausa erit : non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Et ideo legi non subiacebat.

« Et ut darent hostiam, etc. »

Tangit hic aliam legem de oblatione, quæ habetur, Levit. XII, 2 et seq. Et ad hanc etiam legem non tenebatur. Hæc enim lex dicit, quod *mulier quæ suscepit semine peperit masculum, immunda*

*erit septem diebus juxta dies separationis menstruæ* : et illis septem diebus erat immunda ab hominibus separata : quidquid tangebatur, immundum erat. Et post septem dies, rursus triginta tribus diebus abstinebat a thoro viri : et tunc cum oblationibus venit ad sacerdotem et cum filio : et oblatione et oratione facta, redibat ad thorum viri. Si autem fœminam peperisset, quatuordecim diebus erat immunda, et sexaginta sex diebus a thoro viri separata : et post octoginta dies venit ad templum cum simili oblatione, sed cum filia, et facta oblatione et oratione, thoro viri restituebatur. Oblatio autem eorum qui potuerunt, fuit agnus in holocaustum, et agnus pro peccato, qui partim cessit sacerdoti. Si autem secundum suas facultates non poterat habere agnos, tunc indulgebatur ei quod offerret, aut par turturum, aut duos pullos columbarum : quodcumque melius habere potuisset. Sic igitur Beata Virgo Maria quæstuarium, ut dicit Hieronymus, manus consilio victum quærens, agnos habere non valens, oblationem pauperis obtulit. Sed determinatum non est, utrum obtulerit turtures vel columbas.

Significant autem cæremoniæ istæ : agnus quidem significat innocentiam divitum, in gratia et virtute. Sicut innocens Abel obtulit de adipibus gregis sui : quæ oblatio majorum est, quos Dominus a peccato custodivit. Nos autem qui innocentiam oblationem habere non possumus, gemitum offerimus casto corde et corpore gementes. Gemitus enim duplex turturis, est duplex gemitus nostræ contemplationis. Dum aut gemimus ex desiderio amoris, dicentes, Cantic. V, 8 : *Nuntiate dilecto quia amore langueo* : pro incolatu miseriam *desiderium habentes dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius*<sup>2</sup>. Aut in devotione orationis : nescientes quid petere expediat, propter ignorantiam nostri status. Ad

<sup>1</sup> Cf. Levit. XI per totum.

<sup>2</sup> Ad Philip. I, 23.

Roman. viii, 26 : *Quid oremus, sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Convertentes autem nos ad activam, similiter gemitus sunt multi, et cor nostrum mœrens<sup>1</sup>. Gemimus enim, ut dicit Glossa, pro peccatis nostris : sicut, Psal. xxxvii, 10 : *Gemitus meus a te non est absconditus.* Gemimus etiam pro peccatis alienis, Psal. xxx, 11 : *Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus. Infirmata est in paupertate virtus mea.* Ezechiel. iii, 15 : *Sed ubi illi sedebant, et mansi ibi septem diebus mœrens in medio eorum.*

Dicit tamen Beatus Bernardus, quod Moyses timens incurrere crimen blasphemiae super Matre Domini, præsciens in Spiritu parituram non suscepto seminae, temperat locutionem, dicens : *Mulier, si suscepto semine,* etc. Dicit etiam idem Sanctus, quod turtur casta avis, congrue offertur pro Domino. Columba autem avis lasciva incongrua est oblatio pro Domino. Et ideo lasciviam excludens, dicit : « *Duos pullos columbarum,* » quia pulli non lasciviunt. Hoc est ergo quod dicit.

Notat etiam Beatus Bernardus, quod hostias mortuas Domino lex obtulit : sicut patet, Genes. xv, 10, ubi Abraham aves non divisit. Nos autem spirituales hostias Domino vivas offerimus. Ad Roman. xii, 1 : *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Hujus autem sunt tres causæ. Una quidem est, quod vitam nostram Domino offerimus : quia cum morte digni essemus, ipse nobis vitam concessit. Ezechiel. xviii, 23 : *Numquid voluntatis meæ est mors impii? dicit Dominus Deus : et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* Secunda causa est, quia ipse pro nobis est mortuus : per hoc enim nostram emit vitam. II ad Corinth. v, 15 : *Ut et qui vivunt, jam non sibi vivunt, sed ei qui pro ipsis mortuus est.*

Tertia causa est, quia non mortui laudant, sed viventes. Psal. cxiii, 17 : *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.* Hoc igitur est, quod notat Beatus Bernardus.

« Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon. »

25

Hic tangit, propter quod totum præcedens inductum est, et dicit duo. Primo enim ponit prophetantis commendationem propter prophetiæ auctoritatem. Secundo autem tangit prophetiam.

Prophetantis autem commendationem commendat a naturæ proprietate, ab habitationis sublimitate, a nominis congruitate, et a virtute.

A naturæ quidem proprietate cum dicit : « *Et ecce.* » Et per adverbium quidem notatur ad omne bonum promptitudo. I Reg. iii, 6 et 9, ait Samuel : *Ecce ego.* Isa. vi, 8 : *Ecce ego, mitte me.* Act. ix, 10, dixit Ananias : *Ecce ego, Domine.*

« *Homo,* » ab omni bona hominis proprietate. Est enim homo animal mansuetum natura. Item, Homo intellectualis per naturam propriam. Jacob. i, 21 : *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Joannes Chrysostomus dicit, quod « Christus Joannem familiaris cæteris dilexit, propter ingenitam sibi mansuetudinem, quam præ cæteris habuit. » Hæc autem virtus maxime Prælati competit, ne disciplinam asperitate excedant. Ad Galat. vi, 1 : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Numer. xii, 3 : *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.*

« *Erat in Jerusalem.* » Commendatur a sublimitate habitationis : quia ibi fuit legis studium, ibi regalis dignitas et cu-

<sup>1</sup> Cf. Thren. i, 22.

riæ regalis frequentia, ibi omnis urbanitas. Unde, Psal. LXXXVI, 4 : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* De studio, Isa. II, 3 : *De Sion exhibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Eccli. XXIV, 15 : *In Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea.* Hæc propter urbanitatem ædificatur ut civitas. Hæc est visio æternæ pacis. Psal. CXXI, 7 : *Fiat pax in virtute tua.* Psal. LXXV, 3 : *Factus est in pace locus ejus.* Hæc igitur habitatio multum est digna et sublimis.

Deinde tangit congruitatem nominis, dicens :

« *Cui nomen Simeon.* » Simeon interpretatur *videns mærorem* : eo quod omni tempore mærorem perditorum præ oculis habens, Deum pro redemptione mittendum rogavit, qui eos ab iniqua Herodis liberaret potestate. Thren. I, 22 : *Multi enim gemitus mei, et cor meum mærens.* Baruch, III, 1 et 2 : *Animam in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te, Domine : audi, Domine, et miserere.*

« Et homo iste justus et timoratus, exspectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo.

26 Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.

27 Et venit in Spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo.

28 Et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit. »

Commendatur hic a virtute quadrupliciter : ab habitibus virtutum, ab inhabitatione auctoris virtutum, a revelatione spirituali auctoris, et ab actu spiritualis revelationis.

Ab habitibus commendatur, a justitia,

timore, et spe. Justitia quidem ordinat ad proximum, timor autem ad Deum, et spes ad seipsum relatum ab beatitudinem.

De justitia commendans eum dicit : « *Et homo iste justus.* » Justus quidem generali justitia, quæ est in congruentia legum : et speciali, quæ est commutativa, et distributiva. Et simile dictum est de parentibus Joannis, Supra, I, 6 : *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.*

« *Et timoratus,* » ad Deum timore casto : quia sine timore, ut dicit Glossa, justitia non custoditur. Eccli. XXVII, 4 : *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.* Eccli. XII, 13 : *Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo. Justus ergo fuit per utilem ordinem ad bonum, quantum ad justitiam generalem : et per ordinem ad proximum, quantum ad justitiam specialem. Timoratus autem secundum universalem recessum a malo, quantum ad timorem generaliter sumptum, secundum quod timor est fuga mali, ut dicit Augustinus. Sed secundum quod timor est specialiter sumptus (qui est timor magni in admiratione quoad intellectum, et in reverentia quantum ad affectum) sic per timorem ordinatus est ad Deum.*

« Exspectans. »

Hic commendatur a spe. Spes est certa exspectatio futuræ beatitudinis, ex meritis et gratia proveniens. Per spem enim non exspectabat terrena, qui sciebat quod spes impii est quasi lanugo, quæ a vento tollitur : sed exspectabat « *consolationem Israel,* » in adventu Redemptoris : hæc enim consolatio est omnium redimendorum. Unde, Aggæi, II, 8 : *Veniet Desideratus cunctis gentibus : et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.*

Est autem ista spes aliquando viva,



aliquando mortua, aliquando tutans animam, aliquando vaga non tutans, aliquando per dilationem rei speratæ affligens, aliquando non. Viva spes est per charitatem, quæ est vita virtutum. Per hoc ipsa semper cum Spiritu sancto, qui vivificator est omnium quæ inspirat, I Petr. 1, 3 et 4 : *Regeneravit nos in spem vivam, ... in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cælis*. Sine charitate autem mortua est, quia est sine Spiritu, Job, viii, 13 : *Spes hypocritæ peribit*. Tutans est illa, quæ sicut anchora projecta ad littus æternitatis, per omnimodam meriti thesaurizationem in cælis, et expectationem æternorum, Ad Hebr. vi, 18 et 19 : *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis*. Hæc enim totam ad æternitatem ligat navim mentis. Alia autem spes temporalium, vana est, Job, xl, 28 : *Ecce spes ejus frustrabitur eum*. Hæc spes ex desiderio ferventi ad rem speratam, affligit animam expectantem, Proverb. xiii, 12 : *Spes quæ differtur affligit animam : lignum vitæ desiderium veniens*.

Sic ergo iste expectabat « *consolationem*, » non propriam, quia *charitas non quærit quæ sua sunt*<sup>1</sup>, sed « *Israel*, » totius populi Dei, pro qua sæpe orabat. II Machab. xv, 14 : *Hic est fratrum amator, et populi Israel : hic est qui multum orat pro populo : hic enim redemptorum est consolatio*. Isa. lxvi, 13 et 14 : *Ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini : videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt*. Et hac de causa potest esse, quod in Jerusalem expectabat.

« Et Spiritus sanctus erat in eo. »

Commendatur hic ab auctore omnium gratiarum, ab inhabitatione Spiritus sancti. Daniel. v, 14 : *Audi de te, quod spiritum deorum habeas*, hoc est, Angelorum et Sanctorum. Isa. xi, 2 : *Requiescet super eum spiritus Domini : spiritus sapientiæ, et intellectus*. Sicut enim, ut dicit beatus Bernardus, spiritus consideratur in navi, quando secundo ductu percutit vela : ita consideratur Spiritus sanctus in homine, quando prospero flatu percutit mentem, et cogit ad æterna appetenda, loquenda, et opere quærenda. Joan. iii, 8 : *Spiritus ubi vult spirat : et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat*.

« Et responsum, etc. »

Hic ab interna commendatur consolatione, cum dicitur quod « *responsum acceperat a Spiritu sancto*. » Est autem illud responsum aliquid sæpe suspirans ad ipsum desiderium. Tantus enim erat ardor suspirantium Patrum Christi in carne præsentiam, quod quisquis ipsorum in spiritu erat, tunc tota ingeminando suspiria, dicebat : Putas, videbo? putas, durabo? putas, me hic inveniet illa nativitas? putas quod credo videbo oculis meis? Et alius quidem propter vexationem hostis suspirare cogebatur, dicens, Psal. xii, 1 et seq. : *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? Usquequo avertis faciem tuam a me? Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?* Alius autem suspirabat ex tædio dilatæ promissionis, dicens, Ezechiel. xii, 27 : *Visio quam hic videt, in dies multos, et in tempora longa*. Et illud Isaiæ, xxviii, 13 : *Manda remanda, manda remanda, exspecta reexspecta, exspecta reexspecta, modicum ibi, modicum ibi*. Est enim impatiens amor ex diu dilato desiderio. Quasi dicant illud Joannis, x, 24 :

<sup>1</sup> I ad Corinth. xiii, 5.

*Quousque animam nostram tollis? Si vult consolari, veniat cito. Alius autem suspirabat ex abominatione descensus inferni. Job, xvii, 16: In profundissimum infernum descendent omnia mea: putasne saltem ibi erit requies mihi? Alius autem gemebat ex desiderio videndi speciosum præ filiis hominum, et audiendi eum. Cantic. ii, 14: Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Sciebant enim pro certo quod facies illa futura esset, in quam desiderant Angeli prospicere<sup>1</sup>, in cuius contuitu non saturatur oculus visu<sup>2</sup>, et quod diffundenda erat gratia in labiis illius: et ideo vocem dulcem dicebant, et aurem non satiandam auditu: et quod tota anima liquefieret, ut loqueretur. Et ideo præsentiam ejus suspirabant. Ad hujusmodi ergo desiderium et gemitum Simeonis, respondit Spiritus sanctus. Psal. xi, 6: Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Ponam in salutari, hoc est, in Jesu, fiducialiter agam in eo. Zachar. i, 13: Respondit Dominus Angelo qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria.*

« Non visurum se mortem, »

Hoc est, non experturum mortem. Mors enim non videtur nisi per experimentum. Vel, « mortem » vocat inferni tenebras, quas abhorrebat plusquam mortem. Supra, i, 79: *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent.*

« *Nisi prius,* » oculis corporis et mentis, « *videret Christum Domini,* » oculis quidem corporis humanitatem, et oculis mentis divinitatem. Joan. viii, 56: *Abraham, pater vester, exsultavit ut videret diem meum.* Luc. x, 23: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Genes. xxxii, 30: *Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* Dicitur autem

<sup>1</sup> I Petr. i, 12,

*Christus Domini, unctus Patris Domini. Joan. x, 36: Quem pater sanctificavit, et misit in mundum.* Sanctificavit autem per unctionem Spiritus, quem sibi dedit non ad mensuram, sed sicut fonti datur jugiter manatio aquæ vivæ. Joan. vii, 38 et 39: *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu.*

« Et venit in spiritu in templum. »

Commendatur hic ab actuali instinctu Spiritus sancti: quia multi habent Spiritum sanctum, quos actualiter non tangit. Iste autem et dona habet Spiritus in virtutibus, et ipsum inhabitantem Spiritum, et actualement Spiritus instinctum, et ad desiderium animæ sancti Spiritus consolatorium responsum. Sic ergo nullo indicio sibi exterius facto, in Spiritu instigante et revelante, « *venit.* » Ad Roman. viii, 14: *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Psal. cxlii, 10: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Isa. lxiii, 14: *Spiritus Domini ductor ejus fuit.* Act. xvii, 16: *Incitabatur spiritus ejus in ipso.*

« *In templum* » autem venit, quia hoc prophetatum fuit, Malach. iii, 1: *Statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis.* Psal. xlvii, 20: *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* Aggæi, ii, 8: *Implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.*

« Et cum inducerent. »

Hic commendatur ab opere. Cum enim « *parentes ejus,* » hoc est, pater putativus, et Mater vera Dei Virgo Beata, qui erant parentes ejus: corporaliter quidem et spiritualiter Beata Mater: spiritualiter autem et putative Joseph. Act. xvii, 28: *Ipsius et genus sumus.*

<sup>2</sup> Eccle. i, 8.

Psal. cxxi, 4: *Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini.*

« *Ut facerent pro eo,* » scilicet oblationem, præsentationem et orationem, « *secundum consuetudinem legis.* » Hic aperte innuit quod hæc non sunt facta, nisi ut consuetudo legis, quæ adhuc statum habuit, conservaretur: ne lex sicut mala statim abjicienda indicaretur, sed cum honore terminata, ad cumulum deduceretur. Psal. xviii, 8: *Lex Domini immaculata convertens animas.*

Posita occasione operis, subjungit:

« *Et ipse,* »

Simeon in spiritu irrumpens usque ad ipsum. Isa. lix, 19: *Venit quasi fluvius violentus, quem spiritus Domini cogit.*

« *Acceptit eum,* » puerum, « *in ulnas suas.* » *Ulnas* dicit, non brachia. Quia licet ulnæ et brachia idem sint, tamen ulna est nomen brachii prout mensurat, brachium autem prout est pars corporis absolute. Qui autem accipit Jesum, mensurando accipit: quia, Matth. xxv, 15: *Dat unicuique secundum propriam virtutem.* I ad Corinth. iii, 8: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Luc. vi, 38: *Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

Tangit autem Glossa triplex mysterium de acceptione pueri in ulnas senis: unum ex hoc quod antiquas ulnas novo recenter nato puero conjunxit: ex hoc enim significavit vetustatem legis in novitatem gratiæ transituram. II ad Corinth. v, 17: *Si qua in Christo nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova.*

Secundum mysterium est, quod puer susceptus novus et recens ulnas senis texit. Et in hoc significatur, quod gratia novitatis Christi tegit vetera et occultat, ne de cætero videantur ad observationem. Levit. xxvi, 10: *Comeditis vetu-*

*stissima veterum, et novis vetera supervenientibus projicietis.*

Tertium mysterium, quod puer novus susceptus vacuitatem ulnarum replevit. Et per hoc significatur, quod omnia quæ in lege veteri sunt secundum figuram veri et boni, implentur per Christum. Matth. v, 17: *Non veni Legem solvere, sed adimplere.* Matth. iii, 15: *Sic decet nos implere omnem justitiam.*

Acceptit ergo eum sic præago corde in ulnas suas, « *et benedixit Deum.* » Sicut enim perfectus fuit virtute, spiritu, interna consolatione, et instinctu, et opere: sic perfectus fuit verbo in gratiarum actione. Et hoc est quod dicit: « *Benedixit,* » hoc est, gratias egit, « *Deum,* » in Deum dirigens bona quæ accepit. Eccle. i, 7: *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant.*

« *Et dixit.* » Sicut perfectus fuit in gratiarum actione, sic perfectus fuit in prophetia. Hoc est quod prophetando dixit. I ad Corinth. xii, 8: *Per spiritum datur sermo sapientiæ.* Et hoc canendo dixit. Judicum, v, 3: *Ego sum, ego sum quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel.*

« *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace:*

29

Quia viderunt oculi mei salutare tuum. »

30

Ecce canticum prophetiæ ipsius, quod dividitur in duo. Primo enim accepit dimissionis licentiam: veritatem confitens in responso, quod a Spiritu receperat. Secundo, ad quid Deus Pater salutare suum paravit in Jesu, determinat.

In primo autem duo dicit. Petit enim in pace dimitti: secundo, verum confiteatur responsum Spiritus sancti.

In primo tangit quinque. Primo enim secundum ordinem litteræ determinat

tempus consolationis et pacis incepisse, dicens: « *Nunc.* » Non ante hoc tempus, sed « *nunc,* » ex quo Patri obediens formam servi accepit, et in templo ut hostia pro nobis oblatus est. Isa. XLIX, 8: *In tempore placito exaudivi te.* Psal. CI, 14: *Miserereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.* II ad Corinth. VI, 2: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*

Secundo, secundum ordinem litteræ dimitti precatur, dicens: « *Dimittis.* » Assertive ponit, quia jam ex promisso dimittit in effectum. II ad Timoth. IV, 6: *Ego jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat.* Quidam exponunt præsens pro futuro, « *dimittis,* » hoc est, dimittes. Sed non oportet: quia verificato responso, statim dimissus erat: et senile corpus statim resolvi incipiebat. II Petr. I, 14: *Certus quod velox est depositio tabernaculi mei.*

Tertio, secundum seriem litteræ suam profitetur conditionem, dicens: « *Servum tuum.* » Psal. CXV, 16: *O Domine, quia ego servus tuus.* Et est servus, servi formam exhibentis. Isa. XLIX, 3: *Servus meus es tu, Israel,* scilicet qui vides Deum, *quia in te gloriabor.*

Quarto, confitetur honorem pueri, dicens: « *Domine,* » quamvis sit pauper. Genes. XXVII, 37: *Dominum tuum illum constitui, et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi.*

Deinde confitetur veritatem promissi: « *Secundum verbum tuum,* » mihi in Spiritu responsum. Quod enim Spiritus dixit, verbum pueri fuit: quia Spiritus a puero procedit. Joan. XVI, 15: *De meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Ad Titum, I, 2: *Quam promisit qui non mentitur, Deus.*

« *In pace* » reconciliationis quam nuntiabo inferis. Psal. IV, 9: *In pace in idipsum dormiam, et requiescam.* Eccli. XLIV, 14: *Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem.* Hæc enim pax fuit in limbo Patrum, qui spe felici

Redemptoris expectabant adventum: qui limbus etiam dicitur *sinus Abrahamæ.* Luc. XVI, 22: *Factum est ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahamæ.* Et dicit Hieronymus, quod hæc est requies beatorum pauperum.

Sequitur:

« *Quia viderunt.* »

Ecce secundum, de veritate promissi. Viderunt autem simul visu exteriori cum interiori. Luc. III, 6: *Videbit omnis caro salutare Dei.*

« *Oculi mei,* » interiores et exteriores. Isa. XXXII, 3: *Non caligabunt oculi videntium, et aures audientium diligenter auscultabunt.*

« *Salutare tuum,* » hoc est, Jesum. Habacuc, III, 18: *Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo.* Genes. XLIX, 18: *Salutare tuum expectabo, Domine.*

« *Quod parasti ante faciem omnium populorum:* 31

Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. » 32

Secundum est istius cantici.

Et dicit tria, scilicet, qualiter in communi omnibus hoc salutare paratum est: secundo, qualiter specialiter paratum est Gentibus: et tertio, qualiter in speciali paratum est Judæis.

De primo autem in communi dicit: « *Quod,* » salutare, « *parasti,* » carne assumpta te visibilem faciendo. Baruch, III, 38: *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

« *Ante faciem,* » ut facie ad faciem videant. Apocal. I, 7: *Videbit eum omnis oculus.*

« *Omnium populorum.* » Communis enim salus paratur omnibus contuenda. Ad Roman. III, 23: *Omnes enim pecca-*

verunt, et egent gloria Dei. Matth. viii, 11: *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac, et Jacob in regno cælorum.* Unde, Matth. xi, 28, ipse dicit: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*

« Lumen, etc. »

Tangit quod specialiter paravit Gentibus, quæ in tenebris sedebant: et lux intelligentiæ legis non illuminabat eos, dicens: « *Lumen.* » Joan. i, 9: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Est autem lumen, ut dicit Avicena, reflexio lucis procedens a luce: et sic significat Filium qui procedit a Patre, et reflectitur in animas sanctas. Psal. xxxv, 10: *In lumine tuo videbimus lumen.* Supra, i, 79: *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent.*

« *Ad revelationem gentium.* » Alia littera: Ad illuminationem Gentium, » hoc est, Gentilium, qui *gentes* dicuntur, in generis jure permanentes. Dicuntur etiam *Gentes* quasi geniti tales. Dicuntur *pagani* a pagis quos inhabitant. Psal. cxvi, 1: « *Lætamini, Gentes, cum plebe ejus.* » Ubi nos habemus: *Laudate Dominum, omnes gentes: laudate eum, omnes populi.* Malach. i, 11: *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.*

Parasti ergo salutare tuum « *lumen,* » hoc est, in lumen, vel ad lumen, « *ad revelationem,* » sive « *ad illuminationem Gentium.* » Isa. lx, 3: *Ambulant Gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.* Isa. ii, 3: *Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini.*

Specialiter autem tangit ea quæ contulit Israeli dicens:

« Et gloriam. »

Quid sit gloria jam ante dictum est. Gloria autem est clara cum laude notitia: et ad gloriam talem salutare suum paravit Israeli. Et hoc est quod dicit: « *Et gloriam plebis tuæ.* » Psal. xciv, 7: *Et nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus.* Osee, i, 10: *In loco ubi dicitur eis: Non populus meus vos: dicitur eis: Filii Dei viventis.*

Et vide ordinem, quoniam primo dicit: « *Ad revelationem Gentium,* » et postea: « *Et gloriam plebis tuæ Israel,* » propter hoc quod dicit Apostolus, ad Roman. xi, 25 et 26: *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret.* Et ideo præmittitur: « *Lumen ad revelationem Gentium.* »

Attende autem, quoniam jam habita sunt quatuor cantica in isto Evangelio. Canticum quidem Zachariæ, in quo in multis gratiis nobis salutem erexit et cornu salutis. Et quia hoc secundum effectum factum est in Resurrectione, ideo in Matutinis laudibus, quæ in honorem Resurrectionis decantantur, hoc stando decantatur. Est etiam habitum canticum Beatæ Virginis, in quo dicitur, quod Dominus ad humilitatem ancillæ respexit: quod quia in sexta ætate factum est, ideo in sexta hora decantatur, hoc est, in Vespera, quæ sexta est a Laudibus matutinis. In cantico autem Simeonis in pace dimissorum fit mentio, qui sunt quiescentes: septima autem ætas est quiescentium: et ideo in septima, hoc est, in Completorio decantatur. Quartum autem canticum est Angelorum, qui non pertinent ad ætatem aliquam: et ideo extra horas in Missa decantatur.

Hæc igitur quoad puerum est prophetia Simeonis.

« Et erat pater ejus et mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.

**34** Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam, matrem ejus. »

Hic incipit secunda pars prophetiæ Simeonis. Et, sicut præcedens, ita ista dividitur in duas partes, in quarum prima prophetandi accipit occasionem : in secunda autem accipit prophetiæ exordium. Sicut enim præcedens est de puer, ita ista est de ordinatis ad puerum.

Prima quidem ponitur cum dicitur : « *Et erat pater ejus,* » putativus Joseph. Isa. viii, 4: *Antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci.*

« *Et mater,* » Virgo Beata. Infra, ii, 48: *Ecce pater tuus et ego dolentes, quærebamus te.*

Attende, quod nullus est pater Christi spiritualis vel naturalis nisi solus Deus Pater: quia spiritualiter nemo format eum in cordibus fidelium nisi Deus. Malach. ii, 10: *Numquid non pater unum omnium nostrum?* Joan. viii, 41: *Unum patrem habemus Deum.* Sed matrem veram, et spiritualementem, et corporalem habere potest. Matth. xii, 49: *Ecce mater mea, et fratres mei.* Ad Galat. iv, 19: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Isa. lxvi, 13: *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos.* Pater ergo non est nisi putativus. Luc. iii, 23: *Ut putabatur filius Joseph.*

Hi ergo, scilicet pater et mater « *erant mirantes.* » Omnia enim mira sunt quæ sunt de parvulo Jesu. Isa. lxvi, 8: *Quis audivit umquam tale? et quis vidit huic simile?*

« *Super his.* » Bene dicit « *super,* » quia omnia super erant et non subter, eminentia enim erant. Deuter. xxviii, 13: *Constituet te Dominus in caput, et non in caudam: et eris semper supra, et non subter.*

« *Quæ dicebantur de illo.* » Quærit Origenes: Quænam sunt quæ de parvulo

Jesu dicebantur? Hæc igitur sunt: quia Angelus nuntiabat, intra uterum matris filius exsultabat, Angeli caneant, pastores laudabant, stella apparebat, Magus currebat, mutus loquebatur, conjugata prophetabat: et alia multa, quæ de parvulo dicebantur: et ideo pater ejus et mater mirabantur. Daniel. iii, 99: *Signa et mirabilia fecit apud me Deus excelsus.*

« Et benedixit illis Simeon. »

Qua autem benedictione benedixerit non est digestum: sed creditur quod sicut benedixit Heli Annam pro fœnore quod accommodavit<sup>1</sup>, multo magis Simeon qui major fuit quam Heli, benedixit parentibus Jesu pro Redemptore, quem obtulerunt Domino in templo suo. « *Et dixit ad Mariam,* » specialiter, quæ fuit vera mater ipsius: intus corde prius, et postea in utero ipsius formatus est a Spiritu sancto. Isa. xlix, 5: *Formans me ex utero servum sibi,*

« *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur:*

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. »

Ista est prophetia, et habet duos paragraphos. Primus est de Infante in comparatione eorum quæ spiritualiter ordinantur ad ipsum. Secundus est de Matre, quæ spiritualiter et corporaliter jungitur ei.

In primo enim dicit tria: quia quibusdam est in ruinam, et quibusdam in resurrectionem, et quibusdam in signum cui contradicetur.

De primo dicit:

« *Ecce.* » Quasi dicat: In evidenti est:

<sup>1</sup> I Reg. i, 17.

cum statim apparebit, et apparuit in Herode. « *Positus est,* » hoc est, immobiliter fundatus est iste. I ad Corinth. III, 11: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Ad Hebr. XI, 1: *Est autem fides sperandum substantia rerum.* Matth. XVI, 18: *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Isa. XXVIII, 16: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularum, pretiosum, in fundamento fundatum<sup>1</sup>: qui crediderit, non festinet.*

« *Hic* » puer, « *in ruinam,* » hoc est, ruinæ occasionem, quæ sumitur ex ipsis, non ex puero: quia puer quantum est de se, omnes facit resurgere: sed ipsi sua infidelitate ruunt. Ruunt autem ad veritatem ipsius infideles. Ad gratiam ipsius ruunt mali et peccatores. Isa. III, 5: *Irruet populus, vir ad virum, et unusquisque ad proximum suum.* Isa. VIII, 14 et 15: *In lapidem offensionis, et in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur.* Offendunt enim sine causa se scandalizantes, cadunt in peccatum declinantes, irretientur obstinatione se in peccato tenentes, et capientur æterna sententia in pœnis permanentes. Isa. III, 8: *Ruit Jerusalem, et Judas concidit: quia lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.*

His ergo est in ruinam.

Et attende, quod ruinæ eorum Christus nec est causa per se, nec per accidens, nec etiam occasio, quæ minor est quam causa per accidens. Sed ipse est in ruinam eorum, sicut sol est in tenebras: quia ubi non est lumen solis, est tenebra: et tamen quantum est de sole, ubique est lumen. Sed id quod interponit se, sine causa solis facit quod sol illuc non effundit lumen suum. Job, XXIV, 13:

*Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus.*

« Et in resurrectionem multorum, »

Omnibus videlicet qui fide et moribus convertuntur ad ipsum. Et horum resurrectionis causa est ipse. Est autem resurrectio a culpa per gratiam. Resurrexit propter nostram justificationem. Est etiam resurrectio a pœna per gloriam. Ad Roman. VI, 9 et seq.: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos, existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo,* hoc est, ad Dei similitudinem, ut de cetero non cadatis. Isa. XIV, 29: *Ne læteris, Philisthæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui.*

« *Multorum* » autem dicit: quia sufficienter causavit quidem resurrectionem omnium: efficienter autem non causat nisi resurrectionem fide et opere devotorum.

« *In Israel,* » quia illis primitus prædicavit. Matth. XV, 24: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* Et ex illis quidam crediderunt. Joan. III, 16: *Ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Joan. XI, 25: *Ego sum resurrectio, et vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet.*

« *In ruinam* » autem est eorum qui non credunt. Joan. III, 18: *Qui non credit, jam judicatus est: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Psal. I, 5: *Non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum.*

« Et in signum cui contradicetur. »

Tertio, est in signum: signum quidem

<sup>1</sup> Cf. Psal. CXVII, 22; Matth. XXI, 42; Act. IX,

11; Ad Roman. IX, 33; I Petr. II, 6.

significationis suæ voluntatis, ut præmia acquirantur, et pœnæ caveantur per prædicatum Evangelium. Psal. LIX, 6 : *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus*, hoc est, percussio- nis occultæ, quæ fiet per iudicium. Aut in signum miraculi fidem ædificantis. Omnia enim miracula sunt, et signa, quæ fecit. Ad Hebr. II, 3 et 4 : *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem?* Item, in signum quo Christo consignamur, per signum fidei quod est baptismus, quod est signaculum quo Christo consignamur. Ezechiel. IX, 4 : *Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem : et signa thau super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio ejus.*

Hic signis contradicatur.

De contradictione quidem primi signi, Habacuc, I, 3 et 4 : *Factum est iudicium, scilicet, perversum, et contradictio potentior. Propter hoc lacerata est lex.* Quidam enim contradicunt verbo, de quibus jam dictum est, Act. XXVIII, 22 : *De secta hac notum est vobis quia ubique ei contradicatur.* Quidam autem factis, de quibus dicitur, ad Titum, I, 16 : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Signo etiam miraculorum ejus contradicatur a magis Pharaonis, hoc est, a defensoribus infidelitatis. Psal. XVII, 44 : *Eripies me de contradictionibus populi : constitues me in caput Gentium.* Hæc verba dicit filius ad patrem. Tertio signo contradicatur a falsis Christianis, Jerem. XV, 10 : *Væ mihi, mater, quare genuisti me, virum rixæ, virum discordiæ in universa terra?... omnes maledicunt mihi.* Alia littera : « Omnes contradicunt mihi. » Ecce qualiter positus est in si-

gnum cui contradicatur secundum Glos- sam.

Est tamen Christus multis modis positus in signum. In signum quidem humilitatis, sanitatis, dominationis sive ducatus ducis militiæ, suæ patientiæ, tribulationis, quietis, et contemplationis sive absconsionis. Et hoc per sacramenta quæ exhibuit in seipso.

De primo, Supra, II, 12 : *Hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum.*

De secundo, Numer. XXI, 8 : *Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo : qui percussus adspexerit eum, vivet.* Huiusmodi enim signum Christus est in sacramentis.

De tertio, Isa. V, 26 : *Elevabit Dominus signum in nationibus procul, et sibilabit ad eum de finibus terræ,* scilicet sub dominationem et invocationem Filii, et sub victricia signa ejus.

De quarto autem, Thren. III, 12 : *Posuit me quasi signum ad sagittam.* Et hoc factum est in cruce quando quilibet infixit in eum spicula sua, vel operis, vel linguæ, vel utriusque.

Contemplationis autem et quietis et absconsionis signum est in sepulcro. Matth. XII, 39 : *Signum non dabitur ei, scilicet generationi nequam, nisi signum Jonæ prophetæ.*

Est autem adhuc Dominus signum redemptionis per descensum ad inferos, et signum exaltationis quo fide et conversatione pergere debeamus per resurrectionem et ascensionem ad cœlos. Isa. VII, 11 : *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.* In spiritualibus autem quotidie petit se poni signum amoris quo tendat affectio cordis. Cantic. VIII, 6 : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Ponit etiam se signum veritatis in illuminatione cordis. Psal. IV, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine : dedisti lætitiā in corde meo.*

Sic igitur hic positus est « in signum. »



Et puto quod litteraliter intelligitur in signum divinæ potestatis. Joan. III, 2: *Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Joan. IX, 32 et 33: *A sæculo non est auditum quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.* His tamen signis contradictum est, Matth. XII, 24: *Non ejecit dæmones nisi in Beelzebub, principe dæmoniorum.* Joan. VIII, 48: *Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?*

« Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. »

Secunda pars prophetiæ quæ pertinet ad matrem. Et expositio litteralis hic duplex, et tertia est mystica in Glossa.

Prima est quam credo veriolem esse, quod possessivum pronomen resolvatur in primitivum. « *Tuam,* » hoc est, tuiip-sius Mariæ, « *animam,* » non corpus, « *pertransibit,* » in diversa secundo, « *gladius,* » hoc est, pœna passionis quæ in filio tuo est in corpore, perverberat animam tuam in compassione : ut dolores quos non habuisti in partu, ut sentire te esse matrem, nunc exsolvas in morte, matrem sentiendo te. Et hæc est expositio Damasceni. Unde in prosa :

Nunc exsolvit cum usura  
Gemitus quos paritura  
Naturæ detinuit :  
Tempus nacta nunc natura,  
Nunc reposcit sua jura,  
Nunc dolores acuit.

Et sic exponitur illud Joannis, II, 4 : *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea.* Quasi dicat: Ex te non habeo quod signa faciam. Nihil ad te de signis. Tempus veniet passionis cum te matrem recognoscam, et tu me filium : cum patiar in eo quod ex te habeo tibi commune.

<sup>1</sup> Matth. X, 34.

Secunda expositio est ut pronomen *tuam* sit possessivum, sic : « *Tuam,* » hoc est, filii animam quam diligis ut tuam, « *ipsius animam pertransibit gladius,* » quia Christus non est passus tantum in corpore, sed etiam in anima. Thren. I, 2 : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus.*

Tertia mystica est. Ad Ephes. VI, 17 : *Assumite gladium spiritus (quod est verbum Dei).* Ad Hebr. IV, 12 : *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Hic penetrat animam credentis, quæ est Maria secundum quod ipsa est imago Ecclesiæ : quia *non venit pacem mittere, sed gladium*<sup>1</sup>.

« *Ut* » ex hac pertransitione gladii, « *revelentur,* » hoc est, palam fiant, « *cogitationes,* » quæ sunt de Christo, « *ex multis cordibus,* » quia multi ex hoc cognoscent qualia de Christo cogitant : bona quidem in confessione fidei : mala autem in fidei contradictione. Et hoc non mutatur in omnibus expositionibus, Job. XXVIII, 11 : *Abcondita in lucem produxit.* I ad Corinth. IV, 5 : *Veniet Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo.*

Sic ergo terminatum est testimonium Simeonis Prophetæ.

« Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser : hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. »

Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor : quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. »

Ne qua professio testimonio Christi

desit aut sexus, post testimonium senis, inducitur viduæ Annæ testimonium : ut ex eisdem habeamus et ex tot reparationem vitæ, ex quibus et quot habuimus initium mortis. Vir enim et mulier sibi et diabolo consentientes, induxerunt mortem. Sapient. I, 13, 16 : *Deus mortem non fecit, ... sed impii manibus et verbis accersierunt illam.* Similiter vir et mulier sibi invicem et Deo consentientes confessione sua adduxerunt vitam : duo virgines, Joseph, et Maria : duo conjugati, Zacharias, et Elisabeth propheta-verunt. Supererat de viduis : et ideo venit ad templum Simeon viduus, ut creditur, quia aliter cum uxore venisset. Venit Anna vidua, ne aliqua vitæ professio deesset vel sexus.

Et hoc est :

« *Et erat Anna.* » Quia vero, sicut dicitur, Eccli. xv, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Et, Psal. XLIX, 16 : *Peccatori dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* Ideo hæc vidua primo a multis commendatur, et postea laudans Christum perhibetur.

Commendatur autem a nomine, a genere, a longanimitate, a castitate, et cultus divini devotione.

A nomine quidem quando dicitur : « *Et erat Anna,* » quæ *gratia ejus* interpretatur. Proverb. xi, 16 : *Mulier gratiosa inveniet gloriam.* Ruth, II, 10 : *Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, et nosse me dignareris peregrinam mulierem.* Exod. xxxiii, 12 : *Invenisti gratiam coram me.*

Quinque autem hujus nominis leguntur excellentis famæ mulieres. I Reg. 1, 2, legitur Anna, mater Samuelis. Tob. vii, 2, Anna, uxor Raguelis. Tob. i, 9, Anna, uxor senioris, et mater junioris Tobiæ. Non legitur autem in Canone, sed ab omnibus perhibetur, et in Evangelio Nazaræorum legitur de Anna, uxore Joachim, matre Beatæ Virginis. Hic etiam legitur de Anna, teste Salvatoris. Prima postulatum a Deo accepit, se-

cunda oratione sua dæmonium a filia compescuit, tertia gaudium de supplementis necessitatum, et curationis infirmitatum per Angelum recepit, quarta Filium Dei protulit, quinta Christo testimonium perhibuit.

Significant spiritualiter, quod gratia Dei hæc quinque in quolibet homine perficit, orationem scilicet exaudibilem, Joan. ix, 31 : *Peccatores Deus non audit : sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Secundo, prævalet diabolo contra tentationem, I ad Corinth. x, 13 : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis : sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Facit etiam defectus et infirmitatis curationem, Psal. cii, 3 : *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Job, v, 26 : *Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo.* Facit adhuc partum divinum, qui Deum concipit et parit, Ruth, III, 10 : *Benedicta es a Domino, filia, et priorem misericordiam posteriore superasti.* Inducit ad laudem gratiæ, II ad Corinth. ix, 15 : *Gratias Deo super inenarrabili dono ejus.*

Commendatur a Sanctis, Spiritus revelatione.

« *Prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser.* »

Et etiam commendatur a genere. Et quia nobilitas generis decoratur virtute, ideo primo laudatur a dono Spiritus, quod in eam a patre quasi hæreditarie processit. Hieronymus : « *Hoc solum vi-* » deo in nobilitate generis appetendum, « *quod quasi quadam necessitate adstrin-* » guntur ne a majorum nobilitate de- « *generent.* » Secundo commendatur a patre, tertio a tribu.

A revelatione autem commendatur cum dicitur :

« *Prophetissa,* » cui Spiritus multa revelavit, Sapient. vii, 27 : *Per nationes*

*Spiritus sapientiæ in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit.* Quatuor autem fæminæ prophetissæ leguntur, et quatuor aliæ prophetasse. En prophetissæ : prima fuit Maria, soror Moysi : secunda fuit Debbora : tertia fuit Holda prophetissa<sup>1</sup>. Quarta est ista. De quatuor autem prophetantibus, Act. XXI, 9 : *Philippo erant quatuor filix virgines prophetantes.*

Prima, scilicet Maria, canebat canticum de redemptione populi, in figura redemptionis Filii Dei. Exod. xv, 20 et 21 : *Sumpsit Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua : egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris quibus præcinebat.* Secunda, scilicet Debbora, prudentia sua iudicabat populum, et expugnavit diabolum in figura sapientiæ Christi, et victoriæ diaboli, Judicum, iv, 4 : *Erat Debbora prophetis, uxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore.* Tertia, id est Holda, remissionem indicabat regi Judææ, IV Reg. xxii, 18 et 20 : *Regi Juda, qui misit vos ut consuleretis Dominum, sic dicetis :... Colligeris ad sepulcrum tuum in pace.* Et hoc fuit in figura pacis Christi, in qua dimitti se rogavit Simeon<sup>2</sup>. Quarta ista propalat ab aliis præfiguratam confessionem fidei.

Prima, Maria interpretatur *amara*, signans amaritudinem pœnitentiæ et passionis, in qua submerguntur spirituales Ægyptii. Secunda, Debbora interpretatur *apis*, in significationem dulcedinis sapientiæ Christi. Psal. cxviii, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Tertia, Holda *discretio mea* interpretatur, quia per pacem Christi mali a bonis discernuntur : quia, Isa. XLVIII, 22, dicitur, quod *non est pax impiis, dicit Dominus.* Quarta, Anna *gratia* dicitur, quia gratiæ Dei fert testimonium. Joan. 1, 16 : *De plenitudine ejus nos*

*omnes accepimus, et gratiam pro gratia.*

« *Filia Phanuel,* » Phanuel *facies Dei* interpretatur : quia ita fuit divinus, ut facies Dei in ipso resultaret. Unde, Genes. xxxii, 30 : *Vocavit nomen loci illius Phanuel, dicens : Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* I Joan. iii, 2 : *Cum apparuerit, similes ei erimus : quoniam videbimus eum sicuti est.* Hic ergo tam divinus genuit Annam Dei gratiam.

« *De tribu Aser.* » Ecce commendatio a tribu. Hic autem Aser fuit octavus filius Jacob, de Zelpha natus, qui ex ordine nativitatis ad beatitudinem pertinet : quia octo sunt beatitudines per numerum meritorum<sup>3</sup>, quamvis sunt septem per numerum præmiorum. Ezechiel. xl, 34 et 37 : *In octo gradibus ascensus ejus,* scilicet ascendebatur ad templum. Et sic pertinet ad testimonium novæ gratiæ, quæ per octavam resurrectionis consecratur, Veteri Testamento in septenario terminato. Eccle. xi, 2 : *Da partem septem necnon et octo.*

Aser autem interpretatur *beatus*, dicente adoptante eum matre, Genes. xxx, 13 : *Hoc pro beatitudine mea : beatam quippe me dicent mulieres.* Quæ beatitudo in hac filia Anna confirmata est, quæ beatificanti omnes beatos reddidit testimonium. Supra, 1, 45 : *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino,* Deuter. xxxiii, 24 : *Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis.*

« Hæc processerat in diebus multis. »

Hic commendatur a longanimitate piæ et sobriæ et devotæ exspectationis consolationis istius.

Et dicit : « *Processerat,* » quia semper

<sup>1</sup> De Maria, sorore Moysi, cf. Exod. xv, 20 : de Debbora, Judicum, v, 1 et seq. : de Holda, IV Reg. xxii, 14.

<sup>2</sup> Luc. ii, 29 : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.*

<sup>3</sup> Cf. Matth. v, 3-11.

profecit. Eccli. xviii, 6 : *Cum consummaverit homo, tunc incipiet.* Psal. lxxvi, 11 : *Dixi : Nunc cœpi : hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

« *In diebus* » autem ponit, quia omnis vita ejus lux fuit virtutis, et nulla nox tenebrarum interposita. Sapient. xviii, 1 : *Sanctis tuis maxima erit lux.* Ad Roman. xiii, 12 et 13 : *Induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.* Horum dierum multos habuit. Genes. xxiv, 1 : *Erat autem Abraham senex dierumque multorum : et Dominus in cunctis benedixerat ei.* Nondum autem erat plena dierum, quia hoc donum plenitudinis datur in morte. Genes. xxxv, 29 : *Consumptus ætate mortuus est : et appositus est populo suo senex et plenus dierum.*

Sic ergo fuit exspectando salutare Dei promissum. Ad Hebr. vi, 15 : *Sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem.* Ad Roman. ii, 4 : *An divitiarum bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis ?*

« Et vixerat, etc. »

Commendatur hic ab omni statu castitatis. Primo quidem a statu castitatis conjugalis : quia vixerat, non mortua fuerat concupiscentiis. I ad Timoth. v, 6 : *Quæ in deliciis est vivens mortua est.*

« *Cum viro.* » Concordiam notat subjectionis. Est enim beneplacitum Deo, et probatum coram hominibus, vir et mulier sibi consentientes<sup>1</sup>. Notatur etiam in hoc thori fides quæ suo viro contenta est. Tobiaë, iii, 18 : *Virum cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere.*

« *Annis septem,* » quasi cum duce suæ virginitatis. Jerem, iii, 4 : *Dux virginitatis meæ tu es.*

« *A virginitate sua* » perdita. Et in hoc notatur laus castitatis virginalis quam ante virum suum custodierat.

<sup>1</sup> Cf. Eccli. xxv, 1 et 2.

Tobiaë, iii, 17 : *Numquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in levitate ambulant, participem me præbui.*

« Et hæc vidua, etc. »

Ecce commendatio a viduitate. Quod magnum est, quia dicit Ambrosius, quod juvenes viduæ plusquam virgines tentantur propter recordationem delectationis expertæ. Psal. cxxxii, 15 : *Viduam ejus benedicens benedicam.* Judith, xv, 10 et 11 : *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri : quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum, alterum nescieris.*

« *Usque ad annos octoginta quatuor* » suæ ætatis, quando hæc facta sunt quæ hic narrantur. Octoginta autem quatuor sunt septies duodecim. Unde quantum fuit cum viro in deliciis, tantum afflixit se jejuniis et viduitatis opprobriis, et penuriis. Et hoc significatur, Baruch, iv, 28 : *Sicut enim fuit sensus vester ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum.* Hæc autem non tantum decies requisivit, sed addidit ut citius placeret et melius. De licito usu matrimonii pœnitentiam fecit, ut consolationem divinam facilius inveniret : imitata Judith viduam, quæ ex quo mortuus est vir ejus, secretum cubiculum pro templo fecit in superioribus domus suæ, in quo cum puellis suis clausa morabatur, et cilicium habuit super lumbos suos<sup>2</sup>. Hæc autem duodecies septem annis vidua fuerat, quæ octoginta quatuor faciunt : duodecim referens ad perfectionem evangelicæ gratiæ, et septem ad delicias expertas. Matth. xix, 28 : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.*

<sup>2</sup> Cf. Judith, viii, 1 et seq.

« Quæ non discedebat, etc. »

« Et obsecrationibus. »

Laudatur hic a cultu. Et ponit sex : instantiam videlicet, cultum, afflictionem corporalem, orationis devotionem, servitutis obsequium, et obsequii continuitatem indefessam.

De instantia dicit : « *Quæ non discedebat.* » Luc. XVIII, 1 : *Oportet semper orare, et non deficere.* Ad Roman. XII, 12 et 13 : *Orationi instantes, necessitatibus Sanctorum communicantes.* I ad Thessal. v, 17 : *Sine intermissione orate.*

Quærit autem Glossa : « Qualiter potuit esse quod non discessit ? » Sed ad hoc dicendum, quod non dicitur discedere, quæ semel se templo devovit, et per contrarium actum devotionem illam non revocavit : sicut in projectione lapidis, semel ictum facit manus, et hic impetus durat quamdiu lapis non cadit. Ita ergo dicitur quod non discedebat. Ruth, II, 7 : *De mane usque nunc stat in agro, et ne ad momentum quidem domum reversa est.*

« De templo. »

Ecce tangitur cultus. Ecclesiæ enim sanctæ debemus terere limina. Psal. LXXXIII, 11 : *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Psalmo eodem, ̄. 11 : *Melior est dies una in atriiis tuis super millia.* Psalmo eodem, ̄. 5 : *Beati qui habitant in domo tua, Domine.*

« Jejuniiis. »

Commendatio est ab afflictione corporali. Apocal. XVIII, 7 : *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Joel, II, 12 et 13 : *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu, et scindite corda vestra.*

Ecce commendatur a devotione orationis. Est autem obsecratio ob sacrum petitio vel oratio : quia est oratio adjurans Deum per sacramenta quæ exhibuit. Ita et ista orabat Deum, contestans eum per sacramentum suæ veritatis, quia promisit, Eccli. XXXVI, 18 : *Da mercedem sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur.* Et illud Psalmi I, 6 : *Justificeris in sermonibus tuis.* Daniel. IX, 16 : *Avertatur, obsecro, ira tua, et furor tuus a civitate tua Jerusalem.* Et, ibidem, ̄. 18 : *Propter te ipsum inclina, Deus meus, aurem tuam, et audi : aperi oculos, et vide desolationem nostram.* Sic enim Deum contestando sæpe ista vidua obsecrata est. Tobia, XII, 8 : *Bona est oratio cum jejunio et elemosyna.*

« Serviens nocte et die. »

Ecce continuitas. Psal. XLI, 9 : *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus.* Die enim jejunabat et operibus insistebat, et nocte orabat. Dicitur autem, *serviens*, propter omnium præceptorum Domini sui observantiam. Psal. II, 11 : *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore.* Ad Roman. I, 9 : *Testis mihi est Deus, cui servio spiritu meo in Evangelio Filii ejus.* Psal. CXVIII, 62 : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Psal. LXII, 7 et 8 : *Si memor fui tui super stratum meum, scilicet in matutinis memor fui tui super stratum meum : in matutinis meditabor in te : quia fuisti adjutor meus.* Et similiter in die, Psal. LIV, 18 : *Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo : et exaudiet vocem meam.*

« Et hæc, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino, et loquebatur de

illo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel. »

Hic tangitur accessus ad prophetiam.

Et tangit tria : instinctum Spiritus sancti, et confessionem Dei, et ædificationem proximi.

Instinctum Spiritus sancti tangit, quando dicit : « *Et hæc, ipsa hora,* » quando Simeon in ulnas puerum accepit, per instinctum Spiritus sancti, « *super-veniens,* » ad alios. Unde Spiritu venit, non vocata : sicut et Simeon. Ezechiel. I, 12 : *Ubi erat impetus Spiritus illuc gradiebantur, nec revertebantur cum ambularent.*

« *Confitebatur Domino.* » Secundum est de confessione laudis et gratiarum actionis. Psal. CVIII, 30 : *Confitebor Domino nimis in ore meo, et in medio mul- torum laudabo eum.*

« *Loquebatur de illo.* » Ecce ædificatio proximi : quia de illo dicens prophetias loquebatur. I ad Corinth. XIV, 12 : *Qui æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut abundetis.*

Et hoc est quod sequitur : « *Omnibus qui exspectabant,* » per spem. Luc. XXIV, 21 : *Nos sperabamus quia ipse esset redempturus Israel.*

« *Redemptionem Jerusalem* <sup>1</sup>. » Jerusalem nominat quia ipsa fuit metropolis : et ea redempta, tota terra redempta intelligitur de manu Herodis, per quem diabolus intelligitur secundum Glossam. Act. XII, 11 : *Nunc scio vere quia misit Dominus Angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni expectatione plebis Judæorum.* Jerem. XXXI, 11 : *Redemit Dominus Jacob, et liberavit eum de manu potentioris.*

« Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth. »

Conclusio est istius historiæ de Ipapanti Domini.

Et attende, quod perfecto obsequio et testimonio, occulte rediverunt in Nazareth, ordinantes de re familiari, et impensas accipientes statim fugerunt in Ægyptum, et non rediverunt ante revelationem Angeli. Et hoc transit Lucas quasi non factum, quia a Matthæo secundum historiam et omnem circumstantiam ejus sufficienter erat descriptum.

Et hoc est : « *Ut perfecerunt omnia.* » Opera enim sacramentorum Dei perfecta sunt. Deuter. XXXII, 4 : *Dei perfecta sunt opera.*

« *Secundum legem Domini,* » quæ omnium operum est mensura. Unde, Ezechiel. XL, 3 : *Funiculus mensuræ erat in manu mensurantis templum et ædificia ejus.*

« *Reversi sunt,* » occulte, « *in Galilæam,* » ad obsequium et curam rei familiaris. Genes. XXX, 30 : *Justum est ut aliquando provideam etiam domui meæ.*

« *In civitatem suam Nazareth,* » semper florentes in divinis, et in privatis, et familiaribus.

Sequitur :

« Puer autem crescebat, et confortabatur plenus sapientia : et gratia Dei erat in illo. »

Peractis his quæ ad infantiam pertinebant sacramentis, et miraculis, et testimoniis, agit Lucas de incremento pueri, et de his quæ ad incrementum pertinebant ex profectu sapientiæ et obedientiæ.

Et ideo continet hæc pars tres particulas : in quarum prima dicit profectum : in secunda, ostendit per quoddam speciale factum : in tertia, concludit sic esse ut dictum est.

Dicit autem in primo quatuor : corpo-

<sup>1</sup> Vulgata habet, *Israel.*

ris incrementum, spiritus confortationem, intellectus perfectionem, et gratiæ Dei plenitudinem.

De primo dicit : « *Puer autem.* » Vocans jam puerum ab innocentiae puritate : quia primævam ætatem in omni puritatis demonstratione peregit. Unde, Proverb. III, 14 : *Primi et purissimi fructus ejus.* Unde dicit in Psalmo XVII, 21 : *Secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.* Significatur ideo per candelabrum quod erat ex auro purissimo<sup>1</sup> : quia ipse est candelabrum luminis, totum Ecclesiæ templum illuminans.

Hic ergo puer « *crecebat,* » per incrementa corporis, in se per momenta singula capiens augmenta, et in suis per incrementa ad virum perfectum accedens. Ad Ephes. IV, 13 et seq. : *Donec occurreramus omnes... in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* In suis autem crescit incremento virtutis : in se autem incremento corporis, et pervenit ad quantitatem, in qua nihil natura errante addendum erat vel diminuendum. Ad hanc enim suam perfectionem reformabitur status resurgentium, sicut dicunt Sancti. I ad Corinth. XIII, 11 : *Quando factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Sic ergo crevit corpore, demonstrans unicuique naturalem perfectionem. Isa. LXV, 20 : *Non erit ibi amplius infans dierum, et senex qui non impleat dies suos.* Implere autem dies est secundum dies perducere ad incrementa.

« Et confortabatur. »

Secundum est de spiritus confortatione, et hoc dicit Glossa.

Attende autem, quod in Christo duplex fuit et est spiritus : increatus, et creatus. Increatus quidem numquam confortabatur, quia ab instanti conceptionis plenus in eo fuit. Ad Coloss. II, 9 : *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Joan. I, 14 : *Plenum gratiæ*

*et veritatis.* Corporalis autem spiritus creatus est, sive fuerit naturalis, sive vitalis, sive animalis : et ille confortabatur, et maxime secundum partem sui quæ dicitur *animalis.* Confortabatur autem ad formas intellectuum apprehendendas, et apprehensas tenendas, et tentas dijudicandas, et dijudicatas memoriæ commendandas, et memoratas explanandas. Et sic intelligitur quod spiritu confortabatur. Et sic intelligitur, Isa. VIII, 4 : *Antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam,* supple, non spiritu divino, sed suo : *auferetur fortitudo Damasci.* Quidam tamen dicunt quod confortabatur spiritu, quia ad modum confortati se habuit. Luc. XXII, 43 : *Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum.* Sed sicut in corpore naturalia homini ostendit, ita etiam in spiritu humano ostendit naturalia. Et ille sic confortatur, ut dictum est.

« Plenus sapientia. »

Ecce dicit de intellectus perfectione, secundum quem ab instanti conceptionis omni sapientia plenus fuit. Quia sicut dicit Damascenus, non assumpsit ignorantiam. Quia licet sit pœna, tamen delectabilis, et vituperabilis pœna est ignorantia, et nostræ redemptioni et saluti officiens. Et ideo *omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei sunt in ipso absconditi*<sup>2</sup>. Et parum ante, x. 2 : *In omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Jesu.* Tamen secundum experimentalem cognitionem, quæ ex sensibus oritur, Christus profecit : sed per hanc nihil accepit quod prius multo nobiliori modo non habuerit.

« Et gratia Dei erat in illo. »

Ab instanti conceptionis, et non per momenta singula crescens. Joan. I, 14 :

<sup>1</sup> Exod. XXV, 31.

<sup>2</sup> Ad Coloss. II, 3.

*Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Tamen istam ostendebat per momenta plus et plus, et tunc proficere coram hominibus putabatur. Defectus enim gratiæ non est assumptus a Christo : quia etiam illa pœna vituperabilis est, et nostræ non expediens redemptioni. Unde quod diabolus per superbiam amisit, Filio Dei secundum veritatem conveniens fuit. Ezechiel. xxviii, 12 et 13 : *Plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti : omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* In sapientia tamen et gratia proficere dicitur quando suos proficere facit. I ad Corinth. iii, 7 : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.*

41

« Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ. »

Hic est secundum historiæ hujus, in quo continetur probatio præmissæ partis.

Tanguntur autem hic duo : factum scilicet, unde occasionatur demonstratio profectus et plenitudinis sapientiæ, et ipsa demonstratio.

Factum autem tangitur cum dicitur : « *Ibant parentes ejus.* » Præceptum enim erat, quod tribus vicibus apparerent non manu vacua in loco quem elegisset Dominus : in Pascha videlicet, in Pentecoste, et Scenopegia : sed propter aliquam occasionem, in duobus festis aliqui excusari poterant, scilicet, in Pentecoste, et Scenopegia : sed in Pascha nullo modo nisi per infirmitatem, vel urgentem viæ timorem, vel causam valde legitimam. Parentes autem Domini cum devoti essent, excusationem præcipue non prætendebant in Pascha.

Et hoc est quod dicit :

« *Et ibant,* » latenter, ut dicit Augustinus, propter Archelai timorem post ab Ægypto reversionem « *parentes ejus,* » pater putativus, et mater vera, « *per omnes annos,* » hoc est, singulos annos, religionis amatores, « *in Jerusalem,* » ubi erat locus quem elegit Dominus, ut cultus suus esset ibi. Psal. cxxi, 4 : *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini : testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.*

« *In die solemni,* » quia illud festum erat solemnius aliis, « *Paschæ,* » id est, transitus : quando percussore transeunte per Ægyptum, filii Israel sunt liberati ab exterminatore<sup>2</sup>. Et hæc est expositio litteralis.

Tamen generaliter verum est, quod parentes Christi de genere ipsius frequentant dies festos. Mater quidem in qua formatur in corde, et frater qui ex eodem Patre Deo per adoptionem natus est. Matth. xii, 49 : *Ecce mater mea, et fratres mei.* Pater autem suus nullus est vere : quia nullus format eum et generat de sua substantia nisi Pater cœlestis : et nullus format in cordibus fidelium nisi Pater cœlestis, qui est Deus Trinitas. Matth. vi, 9 : *Pater noster, qui es in cœlis.* Unde, Matth. xxiii, 9 et 10, præcipit, quod patrem non vocemus nobis super terram, sicut nec magistrum : quia unus est Pater noster et unus Magister, qui in cœlis est.

Dicuntur tamen aliquando patres, qui ad hoc per ministerium operantur ut formetur in cordibus fidelium. I ad Corinth. iv, 15 : *Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* Et sic consuevit dici quod septem sunt, quæ faciunt hominem dici patrem : ordo videlicet Sacerdotum. Sic sacerdos dicitur pater, Isa. xxii, 21 : *Erit quasi pater habitantibus Jerusalem.* Beneficium ab aliquo

<sup>1</sup> Exod. xxiii, 17 et xxiv, 23.

<sup>2</sup> Cf. Exod. xii, 27.



collatum eo quod reservat eum in esse, cui collatum est, Jerem. xxxi, 20 : *Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus*. Et hoc est simile patri adoptivo : sicut David fuit pater Nathan. Senior etiam, et maxime imbuens secundum disciplinam : sicut Religiosi patrem vocant eum qui præest secundum Regulam : secundum quem modum dicitur, Proverb. i, 8 : *Audi, fili mi, disciplinam patris tui*. I ad Timoth. v, 1 et 2 : *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem : juvenes, ut fratres : anus, ut matres : juvenulas, ut sorores*. Dicitur etiam pater doctrina imbuens, Ad Hebr. xii, 9 : *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, et reverebamur eos*. Dicitur etiam pater secundum affectum, qui diligit ut pater, II Machab. xiv, 37 : *Razias... pro affectu pater Judæorum appellabatur*. Dicitur etiam pater principalis in genere, ad quem totius generis est respectus et denominatio, Isa. li, 2 : *Attendite ad Abraham, patrem vestrum*. Joan. viii, 56 : *Abraham, pater vester*, etc. Dicitur ultimo pater imitatione, Joan. viii, 44 : *Vos ex patre diabolo estis : et desideria patris vestri vultis facere*. Et, ibidem, v. 42 : *Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex Deo processi, et veni*.

Præter istos modos quibus metaphoricè dicitur *pater*, dicitur pater proprie per creationem Deus, Malach. ii, 10 : *Numquid non pater unus omnium vestrum? Numquid non Deus unus creavit nos?* Dicitur secundo pater, formans in similitudinem divinam, Joan. xx, 17 : *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum*. Dicitur pater, generans secundum naturam, Exod. xx, 12 : *Honora patrem tuum et matrem tuam*.

Joseph ergo *pater* dicitur cura, et beneficio quod impendit, et opinione vulgi. Et sic intelligitur quod « *ibant parentes ejus, etc.* »

Quidam dixerunt quod parentes ejus

hic dicuntur non a *pario, ris* : sed a *pareo, es* : quia paruerunt obsequiis Domini. Sed hoc nihil est, et non est de intellectu litteræ.

Dicitur autem quod ibant « *per omnes annos,* » non quærentes excusationem quam multi quærebant. Et in hoc notatur parentum ad cultum Dei, et ad locum devotio. Tob. i, 5 et 6 : *Cum irent omnes ad vitulos aureos quos Jeroboam fecerat, rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium, sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini, et ibi adorabat Dominum, Deum Israel*. Vituli aurei sunt divitiæ pomparum mundi ad lasciviam pertinentes, quos facit princeps hujus mundi, qui in Christo et in suis non habet quidquam<sup>1</sup>.

Ipsæ enim et sui vadunt Jerusalem. Per omnes autem annos ibant in festis determinatis, ut superius dictum est, « *in Jerusalem,* » propter gloriam et solemnitatem loci. Isa. lx, 13 : *Locum sanctificationis meæ, et locum pedum meorum glorificabo*.

« *In die solemni Paschæ,* » hoc est transitus : quando transivit per Ægyptum, præclaras nationes in domibus Ægyptiorum interficiens, et domus Hebræorum liberans<sup>2</sup>. Hoc enim factum est in figura agni Christi, qui tollit peccata mundi, qui suo sanguine liberare promiserat fideles in eodem die. I ad Corinth. v, 7 : *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Et in fide illa ascenderunt parentes Domini.

Sic ergo dictum est, unde sumpta est occasio veniendi ad solemnem locum ex parte parentum.

« Et cum factus esset annorum duodecim, ascendit illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi,

Consummatisque diebus, cum red-

<sup>1</sup> Joan. xiv, 30.

<sup>2</sup> Cf. Exod. xii, 27.

irent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus.

**44** Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirerant eum inter cognatos et notos.

**45** Et non inveniētes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum.

**46** Et factum est, post triduum inveniēnt illum in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos et interrogantem eos.

**47** Stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentia, et responsis ejus.

**48** Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quærebatu te.

**49** Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatu? nesciebatu quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

**50** Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos.

**51** Et descendit cum eis, et venit Nazareth: et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.

**52** Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines. »

Tangit in isto secundo paragrapho qualiter Jesus venit ad locum.

Et tangit qualiter venit, et qualiter per sapientiam remansit, et qualiter non inventus, et quæsitus, et inventus fuit, et qualiter sapientiam demonstravit, et qualiter ab altitudine sapientiæ descendens iterum se humiliavit, et qualiter omnia hæc Mater Virgo sapienter illa in posterius tempus memoriæ commendavit et

contulit. Et isti sunt istius historiæ paragraphi.

Primo ergo dicit qualiter venit ad locum, et qualiter mansit in loco, donec sacramentum de ostensione sapientiæ perageret.

Circa hoc tangit quatuor: ætatem, et comitatum, ascendendi rationem, et mansionem.

De ætate dicit:

« *Cum factus esset Jesus annorum duodecim,* » quæ est ætas, secundi septennii complementum, in quo incipit pubertas et juvenilis discretio, sedatis jam motibus instabilis humidi quod in pueritia dominatur, quod non permittit fortes esse apprehensiones: in quo tempore, ut dicit Chrysostomus, nihil memoriale de se ostendit, volens per omnia, nostra in se demonstrare. Et ideo etiam liber de *infantia Salvatoris* ab Ecclesia non est receptus: quia narrat infantilia Dominum in infantia præostendisse, in quibus nostræ infantie similis non esset. I Reg. I, 24: *Puer erat adhuc infantulus*. Conveniebat enim hoc, et propter nostræ infantie similitudinem, et propter Herodis et Archelai et aliorum insidias. Apocal. XII, 4: *Draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret*. Exspectavit ergo tempus pubertatis, quando ætati congruum est ostendere quid futurum jam floreat in operibus et profectibus juvenum: et tunc sapientiæ fecit demonstrationem. Joel, II, 28: *Juvenes vestri visiones videbunt*: et hæc sunt visiones intellectuales. Baruch, III, 20: *Juvenes viderunt lumen, et habitaverunt super terram*. Secundum astra enim in duodecim annis completur primus circulus nativitatis: non quod Salvator talibus subjacerit, sed nos subjacemus, et nobis se similem demonstravit. Baruch, III, 34 et 35: *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt:.... et luxerunt ei cum jucunditate qui fecit illas*. Stellæ enim in custodiis, sunt stellæ in locis circuli nativitatis, quæ lucent ad profe-

ctum nati secundum præceptum Dei. Et ideo perfecto uno circulo nativitatis, stat ad circuli apprehensiones intellectus. Et tunc secundum naturam congruum fuit sapientiam demonstrare.

« Ascendentibus illis, »

Hoc est, parentibus. Et hic ponitur honestus suæ ascensionis comitatus: cum parentibus enim procedere juvenem, commendabile est. Contumax enim est, qui consortia et monita declinat; parentum. Proverb. iv, 3: *Ego filius fui patris mei, tenellus et unigenitus coram matre mea.* Non sicut ille filius prodigus, qui accepta parte substantiæ patris, *profectus est in regionem longinquam: et ibi dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriose*<sup>1</sup>. Psal. xvii, 26: *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris.*

« *Jerosolymam,* » locum religionis et studii. Illuc enim decet ire juvenem secundum ordinationem parentum: sicut nobis formam dat Salvator. Deuter. xxxiii, 3: *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.* Locus autem pedum est visio pacis et religionis, Jerusalem sancta. Psal. cxxxii, 7: *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Eccli. li, 31: *Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ.* Psal. xli, 5: *Transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.*

« *Secundum consuetudinem,* » ex lege habitam, « *diei festi* » Paschæ. Ecce ratio motus. Non enim sine ratione moveretur de loco ad locum discurrens: sicut illi qui dicunt, Sapient. ii, 8 et 9: *Nulum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum excors sit luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ* Hic autem movetur lege suadente, et die festo invitante.

<sup>1</sup> Luc. xv, 13.

« Consummatisque diebus. »

Dies festi consummantur tribus: sacrificiis, orationibus, et benedictione sacerdotum. Sacrificiis: unde, Exod. xxxiv, 20: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Quinimo secum detulit quilibet quod offerret: et unde pauperibus et maxime Levitis assumptis epularetur. Orationem autem ibi faciebant, et petitiones suas Deo offerebant. Et benedictiones revertentes accipiebant. Psal. xxvi, 6: *Circuivi et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: ecce primum. Cantabo, et psalmum dicam Domino: ecce secundum.* I Reg. i, 9 et 17, de Anna dicuntur hæc tria: immolavit enim, et comedit, et bibit coram Domino: oravit, et dedit ei Dominus petitionem suam: et Sacerdos benedixit ei dicens: *Vade in pace.* Et sic recessit. Et ista erat consummatio festi.

Dicit autem Glossa interlinearis, quod « consummatis diebus octonis. » Et hoc videtur contrarium ei quod dicitur, Exod. xii, 19: *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris.* Et ad hoc dicendum, quod septem dies erant solemnes, quæ incipiebant luna vicesima prima et terminabantur luna quintadecima. Tamen, quia quartadecima luna ad vesperum immolabatur agnus, ideo numerata quartadecima die præcedenti festum, quod fuit Parasceve, hoc est, præparatio: fiunt dies octoni. Et hoc attendit Glossa, quod die decimaquarta ad vesperum, non inveniebatur fermentum in domibus eorum qui festum celebrabant. Quintadecima tamen dies erat principale festum, et alii sex dies erant adjuncti propter festi solemnitatem.

Hoc igitur est quod dicit: « *Consummatisque diebus.* »

Attende autem hic, quod ad festa celebranda hic invitamur per quatuor: Legis præcepto, præcepto pœna vallato, Legislatoris præmio, et tanto majorum exem-

<sup>1</sup> Cf. Exod. xii, 19.

plo. Præcepto quidem, Exod. xx, 8 : *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Præcepto pœna vallato, Numer. xv, 35, ubi præcipitur lapidari qui in die sabbati ligna collegit. Legislatoris præmio, Isa. lvi, 4 et 5 : *Qui custodierint sabbata mea, et elegerint quæ ego volui, et tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus.* Exemplum autem majorum est hic, Isa. lviii, 13 : *Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo : et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum.*

Sunt quidam qui hoc non faciunt, sed festum evacuunt : quidam etiam deturpant : quidam vero ad perniciem festa determinant. Evacuunt otiosi, lusibus et non laudibus divinis intendentes. Thren. i, 7 : *Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus.* Illi autem laudibus non intendunt, sed ludis. Thren. i, 4 : *Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem.* Alii per obscœna deturpant, potibus et escis et venereis intendentes. Nec veniunt ad festum nisi ut impudico oculo ibi juvenculas inspiciant, et videantur ab ipsis. Isa. i, 13 et 14 : *Neomeniam, et sabbatum, et festivitates alias, non feram : iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras, et solemnitates vestras odovit anima mea : facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* Malach. ii, 3 : *Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.* Hi autem ad perniciem determinant, qui homicidiis invigilant in festis : sicut, I Machab. ii, 38, in die sabbati perempti sunt mille viri. Matth. xiv, 10, Herodes in festo suo decollari fecit Joannem. Pharao in festo suo suspendi præcepit pistorem suum<sup>1</sup>. Amos, v, 21 : *Odi et projecit festivitates vestras.* Non igitur ab his, sed a Domino et parentibus ejus religionis et celebritatis exempla sumamus.

Consummatis autem rite omnibus,

« Cum redirent »

Ad propria de operosis domui propter necessitatem vitæ pertinentibus, « *remansit puer Jesus,* » pulchritudine mysteriorum illectus. Psal. xxv, 8 : *Domine, dilexi decorem domus tuæ.*

« *In Jerusalem,* » civitate sanctificationis et gloriæ fidelium. Isa. lxiv, 11 : *Domus sanctificationis nostræ et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri.* Ex omnibus enim his et hujusmodi laudibus illectus, remansit in Jerusalem.

« Et non cognoverunt parentes ejus. »

Non tamen de incuria circa juvenem Jesum et negligentia reprehenduntur. Zachar. xii, 12 : *Familix et familiæ seorsum : familiæ domus David seorsum, et mulieres eorum seorsum.* Ex quo accipitur, quod cum redirent, seorsum viri, et seorsum mulieres ibant. Joseph ergo cum viris ambulans, credebat eum esse in comitatu Matris et dominarum. Domina autem cum fœminis vadens seorsum, credebat eum esse cum Joseph putativo patre. Et sic neutrius negligentia remansit in Jerusalem, sed ex dispensatione sapientiæ divinæ, sine cujus dispensatione nihil fecit penitus.

Et hoc est quod sequitur :

« Existimantes autem illum esse in comitatu, »

Pater quidem in comitatu dominarum, Mater autem in comitatu virorum, « *venerunt,* » ab Jerusalem, « *iter diei,* » hoc est, dietæ unius. In sero autem cum deberent parare necessaria hospitio, Joseph providens necessaria, cognovit quod non erat cum Matre, cui providit de necessariis, et scivit quod non erat secum.

« *Et,* » timentes, « *requirebant eum,* » in aliis familiis suæ civitatis, « *inter co-*

<sup>1</sup> Cf. Genes. xli, 13.

*gnatos, » sanguine conjunctos, « et notos, » ex vicinitate loci vicinos, et non invenerunt. Commendatur autem nobis sollicitudo ad inquirendum Jesum, exemplo suo docens quærere. Psal. xxiii, 6 : Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob. Isa. lv, 6 : Quærite Dominum dum inveniri potest. Quærunť autem inter sanguine conjunctos, et non invenerunt : quia in vicinitate carnis et sanguinis non est regnum Dei. Joan. ii, 4 : Quid mihi et tibi est, mulier? Joan. i, 13 : Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

« *Et notos, » secundum temporalem notitiam, inter quos non invenitur. Job, xix, 13 : Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me. II ad Corinth. v, 16 : Nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus. Fratres enim Christi sunt Clerici : noti sui, viri valde litterati, et religiosi, inter quos non invenitur, sed recessit ab eis. Job, xix, 14 : Dereliquerunt me propinqui mei : et qui me noverant, obliti sunt mei. Psal. xxxvii, 12 : Qui juxta me erant, de longe steterunt.*

« Et non invenientes. »

Cantic. iii, 1 : *Quæsivi illum, et non inveni. Job, xxviii, 13 : Non invenitur in terra suaviter viventium. Baruch, iii, 27 : Viam disciplinæ non invenerunt : propterea perierunt. Hæc autem causa est, quia quæsierunt ubi numquam fuit, neque est, neque erit. Isa. lviii, 2 : Me de die in diem quærunť, et scire vias meas volunt : quasi gens quæ justitiam fecerit, et judicium Dei sui non dereliquerit. Horum igitur figura sunt hic quærentes, qui casso labore quærunť in commodo carnis et sanguinis.*

Meliori autem usi consilio, « *regressi sunt, »* secunda die, « *in Jerusalem, »* sciente quod non remansit post eos nisi

decore domus Dei illectus. Psal. lxxxiii, 11 : *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.*

« *Requirentes, »* hoc est, iterum et iterum quærentes. Psal. civ, 4 : *Quærite Dominum, et confirmamini : quærite faciem ejus semper.* Sed quæ fuit causa tantæ sollicitudinis in parentibus? Respondet Glossa, quod timuerunt quod illud quod Herodes tentavit parvulo facere, hoc Archelaus faceret jam juveni : et ideo per seipsos sollicite quæsierunt.

« Et factum est post triduum. »

Quia prima die recesserunt a Jerusalem, secunda redierunt, tertia invenerunt : et ita post partem diei tertiæ invenerunt. Et hoc vocatur per synecdochē *post triduum.*

« *Invenerunt illum. »* Cantic. iii, 4 : *Paululum cum pertransissem eos, scilicet cognatos et notos, inveni quem diligit anima mea : tenui eum, nec dimittam.* Non quæsierunt autem nisi in Jerusalem, sapienti usi consilio : quia scientes omnia miracula ipsius, et esse Filium Dei, sciverunt quod non nisi in divinis inveniretur : et ideo ad locum templi recursum habuerunt.

Et hoc est quod sequitur :

« In templo. »

Cultum enim Dei et contemplationem diligentes, qui sunt parentes ejus, invenerunt eum in templo. Pastores qui sunt Prælati curam habentes ovium, invenerunt eum in præsepio pastorem ovium. Reges autem qui sunt boni activi, inveniunt eum cum familia in domo. Et ita verificatur Psalmus xxxiii, 11, quod *inquirentes Dominum non minuentur omni bono, quod quærunť in eo. Contemplantibus apparet ut veritas, Prælatibus ut ubertas, activis ut virtus.*

« Sedentem, »

Ut quietum spiritum demonstraret. Isa. XLII, 1 et 2 : *Judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris.* Quiete enim et modeste proposuit, et respondit, non cum clamore et contentione.

« In medio Doctorum. »

Sedere non potuit, qui hoc per magnæ sapientiæ demonstrationem non evicit. Eccli. XXIV, 1 : *In medio populi sui gloriabitur.* Semper enim est in medio, ad quod omnia extrema habent respectum. Natus in medio duorum animalium jacens, nunc in medio Doctorum sedens, baptizandus in medio baptizandum. Joan. I, 26 : *Medius vestrum stetit.* Crucifixus in medio latronum<sup>1</sup> : resurgens immortalis in medio discipulorum<sup>2</sup>. In primo, medium pabulum gratiæ offerens : in secundo, Verbum sapientiæ illuminans : in tertio, sacramenta consecrans : in quarto, redemptionem communicans : in quinto, statum immortalitatis offerens. Et in omnibus ostendens, quod extrema immensitate abjicit, et medium secundum temperantiæ mensuram diligit.

*Doctores* autem dicuntur, qui docendi et magisterii promeruerant auctoritatem. Psal. CVI, 32 : *Exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum.*

« *Audientem illos,* » quia secundum disciplinam studii quam nobis commendat, prius est audire quam interrogare. Proverb. I, 5 : *Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit.*

« *Et interrogantem eos,* » de auditis. Deuter. XXXII, 7 : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi : majores tuos,*

*et dicent tibi.* Malach. II, 7 : *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirunt ex ore ejus.* Sic ergo interrogavit, nobis formam discendi præbens. Eccli. XXXII, 9 : *Audi tacens, simul et quærens : et pro reverentia accedet tibi bona gratia.*

Attende, quod quædam Glossa, et quidam expositores allegorice et moraliter exponentes « *triduum* » post quod inventus est Jesus, multipliciter ipsum exponunt. De triplici lege exponunt allegorice : quia Patriarchæ sub lege naturali quæsiverunt, et non invenerunt. Ad Roman. II, 14 et 15 : *Ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex,* scilicet naturalis : *qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Secundo die, sub lege scripta quæsiverunt Reges et Prophetæ, et non invenerunt. De hac lege, Eccli. XXIV, 33 : *Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum.* De Regibus et Prophetis, Luc. X, 24 : *Multi Prophetæ et Reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt : et audire quæ auditis, et non audierunt.* In tertio die in lege Christi, consecuta est gentilitas in lege Christi Dominum Jesum. Ad Roman. XI, 7 : *Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus : electio autem consecuta est.* De lege autem Christi, ad Roman. VIII, 2 : *Lex enim Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis.*

Est etiam triduum pœnitentiæ : compositio cordis, confessio oris, et satisfactio operis, in quo perfecte invenitur Jesus. Exod. III, 18 : *Ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro.*

Et triduum contemplationis, visio sensibilis, visio imaginativa, et visio intellectualis, et ibi invenitur. Genes. XXII, 4 : *Die tertio Abraham elevatis oculis, vidit locum procul.* Et hoc est tertium cælum in quod raptus est Paulus<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Cf. Luc. XXIII, 33.

<sup>2</sup> Cf. Joan. XX, 26.

<sup>3</sup> Cf. II ad Corinth. XII, 2.

Audiens ergo et interrogans, demonstrat sapientiam divinam illi tempori congruam. Unde Hieronymus in *Proœmio galeato* : « Salvator cum esset duodecim annorum, in medio Doctorum sedens, magis docet dum prudenter interrogat. » Ex hoc autem sequitur admiratio audientium.

Et hoc est :

« Stupebant autem omnes. »

Stupor est systoles cordis in magno et arduo apparente : ita quod cor quasi fit insensibile, dum nec modum nec causam valet agnoscere. Isa. LII, 14 : *Obstupuerunt super te multi.* Et ibidem, Ƴ. 15 : *Super ipsum continebunt reges os suum.* Job, XXIX, 21 : *Qui me audiebant, exspectabant sententiam, et intenti tacebant ad consilium meum.*

« *Super prudentia.* » Prudentia hic generaliter sumitur, quasi prudentia quæ quælibet prodit occulta. Job, XXVIII, 18 : *Trahitur autem sapientia de occultis.* Proverb. VII, 4 : *Dic sapientiæ, soror mea es : et prudentiam voca amicam tuam.* Et hæc fuit prudentia in iudicio auditorum.

« *Et responsis ejus,* » quibus respondit ad proposita. Vicit enim omnes, ita quod etiam ausi non erant interrogare. Matth. XXII, 46 : *Neque ausus fuit quisquam ex illa die eum interrogare.* Joan. II, 25 : *Opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine : ipse enim sciebat quid esset in homine.*

« Et videntes »

Hæc parentes, et alii quicumque, « *admirati sunt.* » Matth. VII, 28 et 29 : *Cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrinam ejus. Erat enim docens eos sicut potestatem habens.* Joan. XVI, 30 : *Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget.*

« Et dixit Mater ejus ad illum : »

Sicut ea quæ magis scivit mysteria, et sicut illa quæ vera mater fuit.

« *Dixit,* » ut provocaret eum aperire mysteria, non ut arguens de sui subductione. Hoc autem non fecit Joseph propter verecundiam et reverentiam. Secum enim bene agi reputabat, si obsequi taceans posset tantæ sanctitati Matris et Filii. Simile etiam, Joan. II, 3, ubi loquebatur, dicens : *Vinum non habent* : ut provocaret eum ad suæ gloriæ ostensionem, ut ex hoc fides confortaretur in discipulis.

Duo autem dicit, in quorum primo, petit de causa hujus facti illuminari, dicens : « *Fili,* » unice cordis mei, « *quid?* » Proverb. XXXI, 2 : *Quid, dilecte mi, quid, dilecte uteri mei, quid, dilecte votorum meorum?*

« *Fecisti nobis sic?* » Aperi causam. Job, V, 6 : *Nihil in terra sine causa fit.* Sapient. XIV, 5 : *Ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera,* hoc est, absque causa facta. Non enim sine magna causa fecisti : propter quod « *pater tuus et ego dolentes* » de absentia, « *quærebamus te.* » Tob. X, 5 : *Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis.* Aperi ergo tanti facti causam, et tuam in hoc demonstra sapientiam : ut judicantium te corda quiescant, et vincas cum judicaris, parentes ita non debuissent te dimittere.

« Et ait ad illos. »

Numquam negans devotis illuminationem. Eccli. XXIV, 45 : *Illuminabo omnes sperantes in Domino.*

« *Quid est quod me quærebatis?* » Quasi dicat : Non erat necessarium me quærere, quia scire poteratis me in meis inveniri. Non enim per diversa discurro, qui domum Patris determinatam et dedicatam habeo. Joan. I, 38 et 39 : *Rabbi, ubi habitas?... Dicit eis : Venite, et vi-*

*dete.* Ubi opportunum est me esse, me manere, scire debueratis.

Et hoc est quod sequitur : « *Nesciebatis quia in his,* » domo sive templo, et negotiis « *quæ Patris mei sunt,* » veri, substantialis et æterni, cui plus debeo quam vobis, « *oportet,* » hoc est, opportunum est « *me esse.* » Et in hoc ostendit, quid secundum deitatem debeat Patri. Isa. lvi, 7 : *Domus mea domus orationis vocabitur.* Unde et Matth. xxi, 12 et 13, expulit ementes et vendentes, idem allegans testimonium et arguens sacerdotes, quod domum suam fecissent speluncam latronum. Joan. xvii, 10 : *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt : et clarificatus sum in eis.* Templum igitur est, quod dicit esse suum et Patris : et declaratio veritatis est, id quod dicit esse negotium Patris : et hanc in templo et in festo fieri fuit opportunum. Et ideo « *in his* » se oportuisse mansisse. Et secundum Ambrosium, hic didicit Mater, quid majestatis ab eo peteret tempore virilis ætatis, quo gloria majestatis fuit ostendenda, quando mutaturus esset aquam in vinum.

Commendantur autem hic parentes de quatuor : de dolore amissionis, de sollicitudine quærendi, de discretionem et solertia inveniendi, et de gaudio inventi.

De dolore amissionis, quia malum et amarum est perdere Dominum. Jerem. ii, 19 : *Scito et vide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum.* Malum quidem, quia est summi boni, quod omnium bonorum bonum est, privatio. Amatam autem, quia ipse affectus nostri dulcedo est. Eccli. xxiv, 27 : *Spiritus meus super mel dulcis.*

De sollicitudine quærendi, Cantic. iii, 2 : *Surgam, et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea.* Sapient. i, 1 : *In simplicitate cordis quærite illum.* Psal. civ, 3 et 4 : *Lætetur cor quærentium Dominum. Quærite Dominum, et confortamini. Quærite faciem ejus semper.*

De solertia inveniendi : quia quærunt

ubi convenit eum esse. Unde sponsa in Canticis, i, 6 : *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie : ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Indicat sibi loca in quibus habitat, et ubi pascit pabulo verbi, sicut fecit in templo : et ubi cubat in contemplationis secreto cum sapientia in meridie plenæ lucis, cujus fulgores hic ostendit perfectissime in fervore charitatis. Eccli. xliii, 3 et 4 : *In meridiano exurit terram, et radiis refulgens suis obcæcat oculos.* Qui alibi quærunt, non inveniunt.

De gaudio inventi, Joan. xx, 20 : *Ga-visi sunt discipuli viso Domino.* Tob. xi, 20 : *Venerunt Achior et Iabath, consobrini Tobix, gaudentes ad Tobiam, et congratulantes ei de omnibus bonis quæ circa illum ostenderat Deus.* Tob. iii, 22 : *Post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum, exultationem infundis.*

Sequitur :

« Et ipsi non intellexerunt verbum. »

Intellexerunt quidem eum esse Verbum et sapientiam Patris : sed quod jam tunc in tali ætate ostensus esset, non intellexerunt. I ad Corinth. i, 25 : *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Psal. cxxxviii, 6 : *Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam.*

« *Quod locutus est ad eos.* » Ore enim divino loquebatur : et ideo non nisi in Spiritu divino intelligebatur. Job, xxvi, 14 : *Cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri ?* Si igitur Maria et Joseph Spiritu Dei pleni, sermones pueri non intelligunt, quis est qui sermones jam perfecti ad plenum dicat intelligere ? Et ideo dictum est, Exod. xii, 10 : *Si quid residuum fuerit, igne comburetis.*

Ostensa autem majestate in responsis sapientiæ, quia hoc debuit Patri : statim



secundum infirmitatem assumptam, nobis præbens exemplum, ostendit quid debeat Matri.

Unde sequitur :

« Et descendit cum eis. »

Congrue verbo descendendi utitur, et propter situm loci, et propter humilitatem : a majestate descendit cum parentibus, humilis sub ipsis, recordatus præcepti sui, Exod. xx, 12 : *Honora patrem tuum et matrem tuam*. Præpositio autem, « cum illis, » notat subjectionem, quia principalitas notatur in re ablativi.

« Et venit Nazareth, »

Semper florentem diligens patriam, qui flos erat egressus de radice Jesse <sup>1</sup>.

Et ut perfectam demonstraret humilitatem et obedientiam, subdit :

« Et erat subditus illis. »

Beatus Bernardus : « Quis, quibus ? » Deus hominibus, major minoribus : ut « nos etiam minoribus subdi doceret. » Psal. lxxv, 12 : *Imposuisti homines super capita nostra*. Ad Hebr. xiii, 17 : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis*.

« Et mater ejus conservabat »

In armario pectoris et memoriæ, « omnia verba hæc, » non simpliciter omnia. Joan. xxi, 25 : *Nec ipsum arbitror mundum posse capere eos, qui scribendi sunt, libros*.

« In corde suo : » nobis in hoc meditando et conferendi sermones Dei exemplum relinquens. Psal. cxviii, 47 : *Meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi*. Ipsa autem fuit, cui datum est nosse mysterium regni Dei <sup>2</sup>. Hoc autem fecit, ut congruo tempore de his sciret Prædicatores et

Evangelistas instruere. Isa. lix, 21 : *Spiritus meus qui est in te, et verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, amodo et usque in sempiternum*.

« Et Jesus proficiebat, etc. »

Ecce conclusio ex omnibus his, quam etiam supra ante hanc historiam præmissis probandam. Hic autem quasi concludendo infert probatam.

Dicit autem quod « proficiebat ætate, » per incrementum debitum corporis, et virtutis corporalis. Et hoc congrue : quia cum in unoquoque genere sit unum, quod est mensura aliorum, et ad cujus accessum alia participant naturam illam, convenit in genere hominum hanc esse mensuram in Dei Filio : et ideo nullo impedimento naturæ (sicut in aliis contingit) ad debitum quantitatis et virtutis profecit : ita quod, ad Ephes. iv, 13, dicitur, quod *omnes occurremus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Et ideo dicit, quod *profecit ætate*.

« Sapientia et gratia. »

Et de hoc dicit quædam Glossa : « Sicut est carnis ætate proficere, sic est rationalis animæ sapientia et gratia proficere : non quod hoc eguerit susceptor Deus, præsertim cum supra plenus fuisse sapientia describitur : sed quia hoc pro remedio nostræ salutis suscipere elegit : ut cum caro et anima rationalis suscipitur a Deo, utrumque salvaretur pariter. » Ex hac Glossa expresse habetur, quod profecit sapientia et gratia, ut veram animam humanam se accepisse demonstraret.

Contra istam Glossam est Glossa Hieronymi objiciens : afferens hoc quod habetur, Eccle. ii, 9, ubi nos habemus : *Sapientia perseveravit mecum, habet alia*

<sup>1</sup> Isa. xi, 1.

<sup>2</sup> Matth. xiii, 11.

translatio : « Sapientia mea stetit mihi. »  
Et dicit Hieronymus, quod non stetit  
sibi sapientia sua, cui per momenta sin-  
gula accedit profectus in sapientia.

Solvit autem adhuc tertia Glossa quæ  
dicit, quod juxta hominis naturam profi-  
ciebat sapientia : non quod esset sapien-  
tior ex tempore, sed quod plus et plus  
ostendit sapientiæ et gratiæ. Et ideo pro-  
fectum sapientiæ non ponit in eo Evan-  
gelista, sed in Deo profectum gloriæ et  
laudis, quæ accreverunt in ore hominum,  
et in hominibus per profectum virtutis.  
Et ideo non simpliciter dicit, quod pro-  
fecit sapientia, sed coram Deo per lau-

dem, et coram hominibus per ædificatio-  
nem.

De hoc autem jam in præcedentibus  
satis dictum est, quod per experimenta-  
lem cognitionem habuit, ut dicit prima  
Glossa. Quia hoc est de proprietate ani-  
mæ rationalis. Sed ex illa nec artem nec  
scientiam fecit, quia non indiguit : cum  
ex plenitudine Deitatis, quæ corporaliter  
in eo habitavit, scientiam et sapientiam  
stantes sibi, et gratiam nobilissimo modo  
habuit. Et quod nobilissimo modo habe-  
tur, supervacuum est ignobiliori modo  
per profectum acquirere. Et ita intelli-  
guntur aliæ Glossæ.



## CAPUT III.

*Joannes mittitur a Domino impleturus sua prædicatione Isaïæ vaticinium : et turbis, publicanis, ac militibus dat consilium : dicit quid singulos facere oporteat : testaturque Christi excellentiam et baptismi ipsius : super quem ab ipso baptizatum descendit columba, ac vox Patris auditur : textiturque ejus genealogia a Joseph usque ad Adam ascendens.*

1. Anno autem quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem, fratre ejus, tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha,
2. Sub principibus sacerdotum Anna et Caipha<sup>1</sup>, factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto.
3. Et venit in omnem regionem Jordanis<sup>2</sup>, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum,
4. Sicut scriptum est in libro sermonum Isaïæ prophetæ<sup>3</sup>: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus.
5. Omnis vallis implebitur, et omnis mons, et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas:
6. Et videbit omnis caro salutare Dei.
7. Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira?
8. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, et ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.
9. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur.
10. Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus?
11. Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: et qui habet escas, similiter faciat<sup>4</sup>.
12. Venerunt autem et publicani ut baptizarentur, et dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus?
13. At ille dixit ad eos: Nihil amplius quam quod constitutum est vobis faciatis.
14. Interrogabant autem eum et milites, dicentes: Quid faciemus et nos? Et ait illis: Neminem

<sup>1</sup> Act. iv, 6.

<sup>2</sup> Matth. iii, 1; Marc. i, 4.

<sup>3</sup> Isa. xl, 3; Joan. i, 23.

<sup>4</sup> Matth. iii, 7 et xxiii, 33.

<sup>5</sup> Jacob. ii, 13; I Joan. iii, 17.

- concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris.
15. Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus,
16. Respondit Joannes, dicens omnibus : Ego quidem aqua baptizo vos<sup>1</sup> : veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus : ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni<sup>2</sup> :
17. Cujus ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inexstinguibili<sup>3</sup>.
18. Multa quidem et alia exhortans evangelizabat populo.
19. Herodes autem tetrarcha<sup>4</sup>, cum corripere ab illo de Herodiade, uxore fratris sui, et de omnibus malis quæ fecit Herodes,
20. Adjecit et hoc super omnia, et inclusit Joannem in carcere.
21. Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato et orante, apertum est cœlum<sup>5</sup> :
22. Et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum : et vox de cœlo facta est : Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi<sup>6</sup>.
23. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat,
24. Qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph,
25. Qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge,
26. Qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda,
27. Qui fuit Joanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri,
28. Qui fuit melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her,
29. Qui fuit Jesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi,
30. Qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Eliakim,
31. Qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David,
32. Qui fuit Jesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson,
33. Qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Judæ,
34. Qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor,
35. Qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale,
35. Qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech,
37. Qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan,
38. Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

<sup>1</sup> Matth. III, 11 ; Marc. I, 8 ; Joan. I, 26.

<sup>2</sup> Act. I, 5 et XI, 16 et XIX, 4.

<sup>3</sup> Matth. III, 12

<sup>4</sup> Matth. XIV, 4 ; Marc. VI, 17.

<sup>5</sup> Matth. III, 16 ; Marc. I, 10 ; Joan. I, 32.

<sup>6</sup> Matth. III, 17 et XVII, 5 ; Infra, IX, 33 ; II Petr. I, 17.

## IN CAPUT III LUCÆ

## ENARRATIO.

- 1 « Anno autem quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem, fratre ejus, tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha,
- 2 Sub principibus sacerdotum Anna et Caipha. »

Missis his decem et octo annis, venit hic Lucas ad trigesimum annum Salvatoris : quia illa ætas apta est auctoritati docentis. Unde et David trigesimo ætatis suæ, regni suscepit gubernacula. II Reg. v, 4 : *Filius tringinta annorum erat David, cum regnare cœpisset.* Similiter autem et Ezechiel in hac ætate exorsus est prophetare. Ezechiel. I, 1 : *Et factum est in trigesimo anno,* etc. In hac enim ætate cessat incrementum corporis, et quieverunt passiones cordis residente complexione, ætas robusta et valida est ad implendum id, quod sermo doctrinæ præcipit. Et ideo infantilia et juvenilia facta transivit. Quæ licet bona fuerunt in Domino et Præcursore, tamen ne formam daret juvenibus et pueris docendi, et magna attentandi, omnia hæc transit. I ad Corinth. XIII, 11 : *Quando factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.*

Sicut autem in præcedentibus descripsit Christi generationem, et gratia ipsius induxit Præcursoris generationem, ita nunc regenerationem describit Redemptoris, et sicut inductivum præmittit baptismum Joannis. Et ideo habet partes duas, sicut patet ex dictis. De baptismo autem Joannis scribens, facit tria. De-

terminat enim tempus, doctrinam, et Joannis finem per incarcerationem : quæ per ordinem continentur in littera.

Tempus autem determinat, sicut dicit Gregorius, a principibus reipublicæ, et a Pontificibus.

Principes etiam reipublicæ commemorans, determinat monarcham omnibus imperantem, tetrarchas Judææ, et præsidem loco unius tetrarchæ regentem.

De monarcha quidem dicit :

« Anno autem quintodecimo. »

Sicut modo consuetum est, quod Papæ scribunt in datis litterarum publicarum annum pontificatus sui, ita tunc scripserunt Imperatores, et adhuc scribunt. Et iste annus fuit quintodecimus imperii « *Tiberii Cæsaris,* » qui Augusto, sub quo natus est Dominus, in imperio successit.

Statim autem fecit mentionem de præside, dicens : « *Procurante Pontio Pilato,* » quia ex hæreditate non habuit, sed tantum ex parte Imperatoris ibi rempublicam procuravit ad tempus, ut Imperator voluit. Dicuntur ante istum alii quatuor præsides Judæam post amotum regem ante Pilatum procurasse. Primus scilicet, Pompinius (alias, Pompeius), secundus Marcus, tertius Atricus rufus, quartus Nallus, cui quintus successit Pilatus, vocatus *Pontius* ab eventu : quia devicit Pontum insulam, et Romano eam subjecit imperio.

Dicitur autem hic : « *Judæam.* » Et hic stricte dicta est Judæa ubi sors duarum tribuum : quod primo regnum Judææ dicebatur : quia alii adhuc obtinebant tres partes regni duodecim tribuum, sicut statim patebit.

« Tetrarcha. »

Attende, quod Herodes Ascalonita, sub quo natus est Dominus, totum regnum Judæorum et Idumæorum obtinuerat : et regnavit in eo triginta septem

annis. Habuit autem quatuor uxores, primam Dosidem, ex qua genuit filium quemdam Antipatrem : quem propter hoc, quod insurrexit in patrem in libidine dominandi, adhuc vivens interfecit. Secundam habuit Mariannam, ex qua genuit duos filios, scilicet, Alexandrum et Aristobolum, quos pro simili ambitione ambos occidit adhuc vivens. Et tertiam habuit quamdam Machariam nomine, ex qua genuit Archelaum. Quidam tamen dicit Archelaum filium fuisse Mariannæ, sed hunc remansisse vivum, fratribus suis interfectis. Quartam habuit uxorem Cleopatram, ex qua genuit duos filios, Herodem Antipam, et Philippum. Mortuo autem Herode, filii coram Imperatore litigabant de successione in regnum. Archelaus enim dixit sibi deberi regnum, et propter ætatem, et propter secundum testamentum quod condiderat pater, in quo scripsit eum debere succedere. Herodes autem Antipas e contra dicebat testamentum a patre fuisse conditum, cum non esset mentis compos, et ideo sibi deberi voto primæ scripturæ, in quo scripserat pater eum debere succedere. Imperator autem more Romanorum, illis litigantibus, regnum ad se traxit, et in quatuor principatus totum regnum divisit. Et horum duos dedit Archelao, scilicet, Judæam et Idumæam. Tertium autem Galilæam dedit Herodi Antipæ. Quartum vero, scilicet Ituræam et Trachonitidem, dedit Philippo. Quod igitur dicitur Archelaus *regnare in Judæa pro Herode, patre suo*<sup>1</sup>, intelligendum quod hoc erat in lite, quando sua præsumptione regnavit : et non quod quiete totum regum patris habuit : sed se tempore litis regem scripsit. Archelaus autem propter tyrannidem quam exercuit, post nonnum annum sui regni, a regno per Imperatorem est amotus, et in exilium Lugdunum damnatus, et ibi mortuus. Et tunc præsides sunt instituti, quorum Pontius Pilatus (ut dictum est) fuit quintus.

Et hoc quod Archelaus est amotus factum est quadragesimo nono anno Augusti. Salvator enim natus est quadragesimo secundo anno regni ejus : et delatus in Ægyptum, septem annis mansit occulte ibidem : post quos annos statim Archelaus damnatus est : et sic novem annis regnavit. Dicit tamen Beda in Glossa hic, quod decem annis regnavit. Sed hoc est intelligendum, quod de decimo partem regnavit, sed non complevit : et ideo litteris suis non nisi novem inscripsit.

Hoc est igitur quod dicit :

« Procurante Pontio Pilato Judæam, »

Amoto jam Archelao, et aliis præsidibus romanis. « *Tetrarcha autem,* » hoc est, in quarta parte principante, « *Galilææ,* » quæ fuit una tetrarchiarum, « *Herode* » Antipa, et magni Herodis Ascalonitæ filio. « *Philippo autem,* » alio Herodis filio, « *fratre ejus,* » Herodis Antipæ : cui idem Herodes uxorem abstulit Herodiadem, « *tetrarcha,* » in quarta principante, « *Iturææ et Trachonitidis regionis,* » quæ duæ provinciæ simul junctæ valebant unam quartam.

Et « *Lysiana.* » Istum Lysaniam dicit etiam Beda, antiqui Herodis fuisse filium, quod quidem probabilius est : quia aliter cum filiis Herodis tetrarchiam in hæreditatem non accepisset. Tamen et Josephus narrat hunc fuisse filium cujusdam Ptolomæi de Libano, ex quadam Alexandra, sorore Antigoni, filii Aristoboli cujusdam, qui fuit filius cujusdam Alexandri, filii cujusdam Joannis. Sed potest esse, quod fuerant duo Lysaniæ unius nominis : unus, de quo dicit Beda, filius Herodis : alter de quo narrat Josephus. Et quocumque modo sit, nulla est vis penitus.

« *Abilinæ,* » hoc est, provinciæ sic vocatæ.

Hæc autem divisio a Deo fieri permis-

<sup>1</sup> Cf. Matth. II, 22.

sa est, ut sciretur, quod Judæa desolanda erat, quæ tot principibus divisa subja-cebat. Luc. xi, 17 : *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur : et domus supra domum cadet.* Proverb. xxviii, 2 : *Propter peccata terræ multi principes ejus.* IMachab. i, 10 : *Imposuerunt omnes sibi diademata, ... et multiplicata sunt mala in terra.*

« Sub principibus, »

Et cæteris aliis viginti quatuor exclusis, isti soli ab Imperatore emerant sacerdotium, et unus erat socer alterius : et aliquando ambo tenebant : ita quod uno anno, et alter sequenti principaretur : et pecunia donum Dei possederunt : et ideo facti sunt in perditionem <sup>1</sup>.

« *Sacerdotum,* » qui summum emerant sacerdotium, « *Anna et Caïpha,* » sibi mutuo per matrimonium copulatis : et ideo vacabat de jure sacerdotium, sicut et regnum, in signum quod Christus Rex et Sacerdos, utrumque repararet. Ad Hebr. vii, 1 : *Hic Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi.* Et post modicum, x. 3 : *Assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.* Psal. cix, 4 : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Illo ergo tempore, cum filii Israel essent sicut oves errantes, non habentes pastorem, congruum fuit ut prædicatio Joannis inciperet, qui eos ad verum dirigeret pastorem. I Petr. ii, 25 : *Eratis enim sicut oves errantes : sed conversi estis nunc ad pastorem et Episcopum animarum vestrarum.* Hujus autem pastoris Joannes fuit quasi opilio.

Sic ergo dictum sit de tempore, quo prædicandi Joannes sumpsit officium.

Sequitur :

« Factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto. »

Hic duo ponit Lucas : auctoritatem scilicet prædicandi, et doctrinam prædicationis.

Auctoritatem autem ponit in duobus : in missione scilicet, et Scripturæ testimonio.

Per missionem datur auctoritas Joanni. Per Scripturam auctoritas confertur his quæ dixit.

Circa primum horum duo sunt : jussio superioris mittentis, et obedientia inferioris obtemperantis.

In jussione sunt tria : jussio, et ad quem jussio facta est, et ubi.

Quatuor autem sunt in jussione : quorum primum est modus prædicandi verbi : secundum, verbum prædicatum : tertium, auctoritas injungentis : et quartum, ipsius prædicationis sublimitas.

De primo dicit :

« *Factum est.* » Ut ostendat instructiones fidei et morum plus esse in facto quam in dicto. Omnes enim practicæ scientiæ, hoc est, operativæ, stant ad opus confirmatæ, ut dicitur in libro I de *Anima*. Tales enim sermones non fiunt contemplandi gratia ut sciamus, sed ut boni fiamus : ut dicitur in libro I *Ethicorum*. Et ideo Prædicator Gentium futurus Paulus perficitur ad facere. Act. ix, 6 : *Dicetur tibi quid te oporteat facere.* Jacob. i, 22 : *Estote factores verbi, et non auditores tantum : fallentes vosmetipsos.* Factum enim in talibus, confirmatio est dicendorum. Cum autem tria exigantur ad bene vivere, scire, velle et perseveranter operari : dicit Philosophus, quod scire parum aut nihil confert : velle autem et operari multum conferunt. Congruus igitur ordo est facto incipere. Unde, Lucæ, i, 80 : *Erat in desertis, scilicet agens, usque ad diem ostensionis suæ ad Israel.* Ecce verus modus divina docendi et persuadendi.

Sequitur :

<sup>1</sup> Cf. Act. viii, 20.

« Verbum, »

Hoc est, notitia prædicata. Dicit enim Augustinus in libro IX de *Trinitate* : « Verbum quod insinuare intendimus, « cum amore notitia est. » Id ergo quod prædicare debemus, notitia Dei est cum amore Spiritus, qui ex Verbo procedit. Hoc enim est Verbum Dei, a quo semper procedit Spiritus. Psal. cxviii, 140 : *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Psal. xi, 7 : *Purgatum septuplum.* Hoc enim Verbum, est veritatis, sanctificationis, et Spiritus plenitudinis. Et de veritate simul et sanctificatione, Joan. xvii, 17 : *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.* Quod etiam diffundat Spiritum, Act. x, 44 : *Loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum.* Unde etiam de Joanne, Supra, i, 80, dicitur, quod *confortabatur Spiritu* : quia Spiritus lingua est istius Verbi. Unde igneis linguis apparuit super discipulos <sup>1</sup>.

Hoc est igitur verbum

« Domini. »

Ecce auctoritas. Dominus enim misit eum ad prædicandum : et aliter non prædicaret. Ad Roman. x, 15 : *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Joan. iii, 34 : *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* Infra, x, 3 : *Ite : ecce ego mitto vos.* Matth. x, 16 : *Ecce ego mitto vos.* Hoc igitur est verbum Domini, quod proponitur mittente Domino, penes quem est auctoritas missionis.

Sequitur de sublimitate verbi. Et hoc notat cum dicit :

« Super Joannem. »

Licet enim sensus sit : « *Super Joannem,* » hoc est, ad Joannem, tamen præpositio *super* notat sublimitatem : quia hoc

<sup>1</sup> Cf. Act. ii, 3.

<sup>2</sup> II ad Corinth. xii, 2.

est Verbum, quod est super Joannem, quod est de cælo descendens a regalibus sedibus, quod in cor hominis non ascendit, sed cor ascendit ad verbum : ad quod percipiendum, Paulus raptus est in tertium cælum <sup>2</sup> : quod Petrus vidit in superioribus domus <sup>3</sup> : quod Joannis, i, 1, *in principio apud Deum* dicitur intellectuale super sensum et imaginationem, Apostolo Paulo perceptum in superiori parte animæ intellectus, suprema parte Petro revelatum, ab æterno apud Patrem a Joanne prævisum. *Super* ergo est, et non juxta, vel infra. Unde cum sublime sit, pannis vilibus a matre in præsepio est positum : quia rudibus et vulgaribus vocibus, et non lepidis orationibus, est a Prædicatoribus expressum : et hominibus rudibus, a pecoribus parum distantibus, in pabulum propositum. I ad Corinth. ii, 1 et 4 : *Veni ad vos non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi... Sermo meus, et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus.*

Sic igitur est *super*

« *Joannem.* » Tangitur qualis debet esse, ad quem fit sermo Domini, scilicet, eum in quo est gratia, « *Joannem.* » Unde egregius Prædicator Gentium dicit, I ad Corinth. xv, 10 : *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit.*

« *Filium Zachariæ,* » magis imitatione quam carne. Isa. xliv, 26 : *Reduc me in memoriam, et judicemur simul.* Thren. iii, 19 : *Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absinthii, et fellicis.* Psal. lxxvi, 4 : *Memor fui Dei, et delectatus sum.*

« In deserto. »

Ecce ubi factum est verbum super eum : quia in deserto, ubi degebat Joan-

<sup>3</sup> Act. x, 11 et seq.



nes, longe a mundi habitatione, ne levi saltem maculare vitam flamine posset<sup>1</sup>. Hoc est desertum, de quo dicitur, Marc. vi, 31 : *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum*, scilicet a strepitu mundi. Ad hujus deserti interiora Moyses gregem minavit, et visionem magnam vidit<sup>2</sup>. In hoc deserto discipuli quieverunt, ut jam dictum est. In hoc deserto Elias Deum persecutus invenit. Interiora hujus deserti, sunt intellectus stantis contemplationis ab omni strepitu mundi liberæ, ubi Deus videtur. Et ibi est quies discipulorum Domini in disciplinis doctrinæ ipsius, ubi Deus invenitur consolans tribulatos<sup>3</sup>.

Si autem quæritur, Quale verbum sit illud? Dicit Glossa, quod hoc est verbum : Vade, prædica baptismum. Utrum autem hoc verbum fuerit eisdem syllabis prolatum, vel aliud? Constat quod illius sententiæ fuit : quia, Joan. i, 33, ipse Joannes dicit : *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendantem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto*. Et quocumque modo sit, continetur in verbo auctoritas missionis.

Sequitur de missi obedientia :

« Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum penitentiae in remissionem peccatorum. »

Tangit hic tria : locum prædicationis, rem prædicatam, et finem.

Locum prædicationis, quia « venit, » a Domino missus, « in omnem regionem, » non simul, sed successive : ad unum

prius, et ad alterum postea. « *Jordanis* : » quia ibi erant aquæ multæ<sup>4</sup>, ut haberetur aqua ad baptismum tot millium hominum. Tamen probabile erat, quod locus expressus sibi fuerit in voce injungentis officium : quia ibi præcesserat figura baptismi, in transitu filiorum Israel per Jordanem<sup>5</sup>, et in divisione Jordanis per Eliam et Eliseum<sup>6</sup>, et per ablutionem Naamam Syri<sup>7</sup>. Et ideo istis de causis venit in regionem Jordanis. Adhuc autem quia Isaias dixerat ibi primo esse prædicandum, Isa. ix, 1 : *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephthali : et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium*. Expressio ergo loci in sermone injungentis obedientiam, Jordanis abundantia aquarum, figura baptismatis, in Prophetis similitudo curationis, prædictio prophetiæ, fecerunt eum venire ad loca illa.

« Prædicans. »

Ecce actus prædicandi. Est autem prædicatio dicatio rerum divinarum antequam fiant. Joel, ii, 15 et 16 : *Prædicate<sup>8</sup> jejunium, vocate cætum, ... coadunate senes, congregate parvulos, et sugentes ubera*. Marc. xvi, 15 : *Prædicate Evangelium omni creaturæ*.

« Baptismum penitentiae. »

Ecce res prædicata. Baptismus autem Joannis, sicut super Matthæum diximus<sup>9</sup>, in nomine venturi dabatur : nec conferebat gratiam, sed in convenientia materiæ et actus, et vicinitate formæ, assuefecit

<sup>1</sup> Antra deserti teneris sub annis  
Civium turmas fugiens, petisti,  
Ne levi posses maculare vitam  
Crimine linguæ

Hymn. ad Matut. in festo S. Joannis Baptistæ, Stroph. I.

<sup>2</sup> Cf. Exod. iii, 2 et seq.

<sup>3</sup> Cf. III Reg. xvii, 19 et seq.

<sup>4</sup> Joan. iii, 23.

<sup>5</sup> Josue, iii, 15 et seq.

<sup>6</sup> IV Regum, ii, 8 et 14.

<sup>7</sup> IV Regum, v, 14.

<sup>8</sup> Vulgata habet, *Sanctificate jejunium*.

<sup>9</sup> Cf. Enarrationes in Matthæum, iii, 1 et seq. Tom. XX hujusce editionis.

ad baptismum Christi. Et qua non conferebat gratiam, ideo dicitur baptismus Joannis : quia nihil fuit ibi, nisi operatio Joannis. Cum autem Paulus, vel Petrus, vel alius discipulus Christi baptizavit, dicitur baptismus Christi, non Pauli, vel Petri : quia ille conferebatur in forma invocationis Trinitatis, et conferebat gratiam : quæ operatio Christi est, non Pauli, vel Petri. De tali baptismo, quod figura est baptismatis Christi dicitur, I ad Corinth. x, 1 et 2 : *Patres nostri omnes sub nube fuerunt : ... et omnes a Moyse baptizati sunt in nube, et in mari*, scilicet pœnitentiæ, hoc est, docens pœnitere antequam baptizentur : quia licet baptismus non exigit exteriorem planctum et lamentum, tamen exigit interiorem, quia aliter poneretur obex Spiritui sancto. Sapient. 1, 5 : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*. Vere enim Joannes pœnitere docuit : sed non cum effectu baptizavit. Et ideo ad baptismum Christi assuefecit.

« In remissionem peccatorum. »

Ecce finis pœnitentiæ. Baptismus enim suus, non in remissionem peccatorum fuit, sed in baptismum Christi. Sed pœnitentia quam docuit, fuit in remissionem peccatorum : quia in ista remittebantur per gratiam. Matth. III, 2 : *Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum*. Hæc autem pœnitentia est pœnæ tenentia : ut perseveret homo in pœna pro peccatis assumpta. Tunc enim peccata solvuntur : quia pœnitentia est secunda tabula post naufragium. Quid autem sit hæc pœnitentia, et qualiter sacramentum, et qualiter virtus, notatum est sub compendio super Matthæum, III, 2<sup>1</sup>. Joel, II, 12 et 13 : *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu : et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra*.

<sup>1</sup> Enarrationes in Matthæum, III, 2. Tom. XX

« Sicut scriptum est in libro sermonum Isaïæ Prophetæ : Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini : rectas facite semitas ejus. »

« *Sicut scriptum est.* » Quod dictum est, non est scriptum in Isaia, sed quod sequitur. Et ideo necesse est hoc ad sequens referri.

Et ideo incipit hic doctrina Joannis : Et habet duas particulas : in quarum prima ponit thema, ex quo extrahit doctrinam : et in secunda, secundum regulam præscriptam docet, prædicans multitudi.

Dicit ergo : « *Sicut scriptum est.* » Incipit Prædicator veritatis a Scriptura veritatis. Scriptura enim de libro vitæ in cor Sanctorum descendit : et de corde Sanctorum exemplata a libro vitæ, apicibus formata est in libris, ob utilitatem posteritatis, ut in memoria habeatur. De libro vitæ dicitur, Exod. xxxii, 31 et 32 : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*. De libro, qui est intellectus Sanctorum exemplatus a libro vitæ, dicitur, Daniel. VII, 10 : *Libri aperti sunt*, hoc est, corda Sanctorum. De libris scriptis, Isa. VIII, 1 : *Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis*. In hoc ergo libro testimonia sunt veritatis : quia aquæ salutaris doctrinæ egredientur de medio montium, legis scilicet, et Prophetarum. Psal. ciii, 10 : *Inter medium montium pertransibunt aquæ*.

« *In libro.* » Habacuc, II, 2 : *Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum*.

« *Sermonum* » dicit, quia multiplex est prophetia, comminationis, consolationis, prædestinationis, et aliquando historialis.

« *Isaïæ,* » de quo, Eccli. XLVIII, 27 : *Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes Sion*. Et ideo quæ

hujusce novæ editionis.

spiritu magno vidit, vera fuerunt.

« *Prophetæ,* » et ideo immobilis veritatis. Supra, I, 70 : *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum ejus.* Propheta enim os Domini est. Et ideo, sicut os Domini non mentitur, ita nec Propheta. Deuter. XVIII, 15 : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies.*

« *Vox clamantis.* »

Ecce thema. Et dicit duo. Primo enim thema proponit. Secundo, secundum thema procedit ad doctrinam.

In themate facit duo : in primo quorum ponit titulum : secundo autem, recitat id quod est intitulatum.

Titulus est : « *Vox clamantis.* » Quasi dicat : Hæc est vox clamantis. Et potest legi transitive, vel intransitive. Transitive, tunc ad diversa pertinent *vox,* et *clamantis* : ut sit sensus : Hæc est vox mea clamantis Dei de cælo. Quasi dicat : Ego quidem sum vox, sed clamans in voce mea Dominus est de cælo. Et sic per *clamantis* importatur auctoritas vocis. II ad Corinth. XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus ?* Cantic. II, 10 : *Dilectus meus loquitur mihi.*

Si autem legitur intransitive, tunc est sensus : « *Vox clamantis,* » hoc est, vox clamoris, hoc est, vox quæ est clamor. Et tunc clamor notat intensionem devotionis, et intensionis in voce : quia non tam iste clamor sonat exterius quam interius. Isa. XL, 6 : *Vox dicentis : Clama. Et dixi : Quid clamabo ?* Isa. LVIII, 1 : *Clama, ne cesses :... annuntia populo meo peccata eorum.*

Dicitur autem Joannes « *vox,* » quia est vehiculum verbi. Verbi autem non potest esse vehiculum, nisi spiritu attracto, tento, et formato, et emisso ad alterum. Sic ergo Verbum increatum non fit, nisi Spiritu attracto. Psal. CXVIII, 131 : *Os meum aperui, et attraxi Spiri-*

*tum.* Oportet etiam quod teneatur attractus et confortetur. Supra, I, 80 : *Puer autem crescebat, et confortabatur Spiritu.* Oportet etiam quod formetur et articuletur : quia aliter verbi non habebit intensionem. Sapient. I, 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum : et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis,* hoc est, habet formatæ vocis intensionem et significationem. Et tunc demum emittitur ad alterum, et ibi proferentis eruat intellectum. Psal. CIII, 30 : *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur.* Et de his quatuor dicitur in Psalmo LXVII, 34, quod *dabit voci suæ vocem virtutis.* Sic Deus majestatis in Joanne intonuit super aquas multas in prædicatione baptismatis.

Subjungit autem quænam sit hæc vox, dicens :

« *In deserto parate viam Domini.* »

Hoc autem quod dicit, « *in deserto,* » non refertur ad hoc quod dicit in deserto secundum litteralem sensum : quia nec Joannes clamavit in deserto. Joan. I, 28 : *Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.* Neque etiam secundum litteram, vox clamantium ad redeundum de Babylonica captivitate facta est in deserto, sed in Babylone. Et præterea similis modus loquendi in sequentibus docet, quia hoc quod dicit, « *in deserto,* » referendum est ad vias : quia sequitur, Isa. XL, 3 : *Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.*

His ergo prælibatis, dicimus quod in themate isto tria præmittit, scilicet, quod parandæ sunt viæ et semitæ, et qualiter parandæ, et quis sit effectus præparationis.

Et cum dicit, quod parandæ sunt viæ, dicit duo : unum quod est necessarium ad salutem, quod pertinet ad omnes communiter : aliud autem quod est perfectionis, quod pertinet ad perfectos specialiter.

De primo dicit tria : quod via est paranda, qua necessitate, et quanto studio.

Quod paranda sit via, dicit :

« *Parate,* » hoc est, præparate « *viam,* » hoc est, mandatorum observantiam. Psal. xxiv, 4 : *Vias tuas, Domine, demonstra mihi.* Præparatur autem hæc via per remotionem impediens peccatorum. I Reg. vii, 3 : *Præparate corda vestra Domino, et servite ei soli.* Præparatur etiam per confortationem ad currendum. Et hoc fit fervore devotionis, et latitudine charitatis. Psal. cxviii, 32 : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Præparatur etiam via, cum sternitur exemplis bonorum operum. Marc. xi, 8 : *Multi vestimenta sua straverunt in via*<sup>1</sup>. Necessitas autem est, quia est in deserto quod inivium est : quia licet lex data fuerit, tamen gratiam non contulit, et ideo invia remansit. Psal. lxxii, 3 : *In terra deserta, et invia, et inaquosa, sic in sancto apparui tibi.* Deuter. xxxii, 10 : *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis.*

Studium vero indicitur, quando dicitur : « *Domini,* » qui non ambulat nisi per vias decoras et pulchras. Proverb. iii, 17 : *Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ.* Propter hoc dicitur, I Reg. xxi, 5 : *Via hæc polluta est, sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis,* hoc est, in cordibus nostris. Sic ergo parantur viæ in deserto, ut Christo placeat ambulare per eas, et venire ad nos, sicut dictum est, Supra, i, 76 : *Tu, puer, propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.*

Sequitur hoc quod pertinet ad perfectos :

« Rectas facite semitas. »

Et dicit in hoc duo, scilicet, quod re-

ctificentur semitæ, et causam subjungit per hoc quod dicit : « *Ejus.* » Quia enim Dei sunt, ideo debent rectificari. Rectum autem, ut dicit Plato, brevissimum est inter duos terminos : ita consilium brevissimum inter Deum et hominem. Matth. xix, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, ... et veni, sequere me.* Et similiter de aliis consiliis. Isa. xxvi, 7 : *Semita justi recta est : rectus callis justi ad ambulandum.* Ibidem, x, 8 : *In semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te : nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ meæ.* Causa autem indicitur, quia Dei sunt semitæ. Unde petit Psalmista, Psal. xvi, 5 : *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Toto enim nisu satagendum est, ut pulchræ sint consiliorum semitæ : ne forte speciosus præ filiis hominum gressum ponens veniendo ad nos, retrahat polluta semita pedem, et tardet venire : lavit enim pedes suos, et quomodo inquinabit illos<sup>2</sup> ?

« Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas :

Et videbit omnis caro salutare Dei. »

Ecce docet qualiter viæ et semitæ sunt parandæ, ponens pravæ viæ quinque differentias : dicens valliculosa esse implenda, cum dicit : « *Omnis vallis implebitur.* » Valliculosum autem est suffossum ex timore male humiliante. Psal. lxxix, 17 : *Incensa igni et suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt.* Isa. xxiv, 17 : *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ,* hoc est, cordis suffossio per timorem in desperationem inclinantem, hoc est, implenda

<sup>1</sup> Cf. Matth. xxi, 8.

<sup>2</sup> Cantic. v, 3.

Dei misericordia, et promissis quod quacumque die ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor <sup>1</sup>. Hoc enim fecit in David, in Manasse <sup>2</sup>, in Magdalena <sup>3</sup>, et in aliis multis. Et tunc vallis impleta est, et fovea. Unde, Tob. viii, 20, salvatis Tobia et Sara a dæmone, præcepit Raguel impleri fossas, quæ fossæ fuerant.

Deinde tangit duas simul :

« Et omnis mons et collis humiliabitur. »

Montuosa sunt elevata per ambitionem dignitatum. Colliculosa sunt tumorosa per tumores jactantiarum, et inanum gloriarum. Et hæc sunt humilianda. Zachar. iv, 7 : *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel? in planum, hoc est, in planum deduceri per humilitatem.* Luc. xiv, 11 : *Qui se exaltat, humiliabitur.*

De colle, Psal. xiv, 11 : *Hermoniim a monte modico.* Hermoniim interpretatur *anathema* : quia talis tumor cordis anathema est. Job, xv, 13 : *Quid tumet contra Deum spiritus tuus?* Ezechiel. xxxii, 19 : *Quo pulchrior es, descende.* Luc. xiv, 10 : *Recumbe in novissimo loco.*

Quarta differentia est quod dicit :

« Et erunt prava, »

Hoc est, distorta in moribus. Distortum enim nulli recto commensuratur, sed undique in angulo pungens recedit. Ita distorti in moribus, bonis sunt infesti, et recedunt ab eorum similitudine et quiete : sicut spina quæ distorta est, et undique acutis angulis secat manum tangentis. Cantic. ii, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

Hæc igitur erunt « *in directa*, » hoc est, rectificata. Psal. v, 9 : *Dirige in con-*

*spectu tuo viam meam.* Osee, xii, 3 : *In fortitudine sua directus est cum Angelo.* Multum enim rectificatus est, qui ad Angeli rectitudinem se direxit.

« Et aspera in vias planas. »

Quinta est differentia. Et sunt aspera, lapidibus inæqualiter portionatis complantata, et scandalosa, et scopulosa : in quibus undique pes euntis impingit. Et significant eos, quorum vita plena est scandalis, apertis scilicet peccatis. Eccli. xxi, 11 : *Via peccantium complanata lapidibus, supple, est, et in fine illorum inferi, et tenebræ, et pœnæ.* Psal. cxxxix, 6 : *Juxta iter scandalum posuerunt mihi.* Hæc est plananda, ad æqualitatem justitiæ deducenda. Luc. i, 6 : *Incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.*

« Et videbit omnis caro salutare Dei. »

Ecce prædicationis finis, qui continetur in themate : quia hoc facto, « *omnis caro*, » hoc est, omnis homo. Isa. xl, 6 : *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri.* Dicitur autem *caro* homo, quia inter tot partes hominis, quæ actu sunt partes, nulla habet tantum de anima sicut caro, quæ est sensibilis et animata. Hæc igitur caro licet deformalis sit, videbit corporeis oculis. Job, xix, 26 : *In carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Et in hoc innuit, quia Salvator *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* <sup>4</sup> : quia aliter corporeis oculis non videretur. Unde sequitur, Joan. i, 14 : *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.*

Et hoc innuit quod dicit : « *Salutare Dei.* » Luc. ii, 30 et 31 : *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante*

<sup>1</sup> Cf. Ezechiel. xviii, 21 et 22.

<sup>2</sup> Cf. II Paralip. xxiii, 13.

<sup>3</sup> Cf. Luc. vii, 48.

<sup>4</sup> Joan. i, 14.

*faciem omnium populorum.* Et hoc modo distributio distribuit pro generibus singulorum, et non pro singulis generum. Videbit enim masculus et fœmina, nobilis et ignobilis, servus et liber, dives et pauper, Judæus et Gentilis, bonus et malus.

Glossa tamen quædam, hæc omnia exponit de secundo adventu. Dicit enim Hieronymus in libro de *Quindecim signis præcedentibus diem judicii*, quod unum illorum signorum erit, quod montes cadent in valles, et distorta erunt recta, et prava erunt plana : et tunc omnis homo, bonus et malus, videbit Christum in majestate sua venientem. Apocal. 1, 7 : *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Sed boni videbunt eum in gloria deitatis cum gaudio : mali autem in eo non videbunt nisi faciem servi, in qua crucifixus est. Et hoc est quod dicitur, Isa. xxvi, 10 : *Misereamur impio, ... et non videbit gloriam Domini*, hoc est, non videbit eum in forma gloriosa, quia illam nemo sine gaudio videre potest, ut dicit Augustinus.

Hæc igitur est expositio thematis Joannis.

7 « Dicebat ergo ad turbas quæ exhibant ut baptizarentur ab ipso : Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira ? »

Hic incipit ponere processum super thema inductum. Habet autem duas partes : in prima quarum prædicat baptismum pœnitentiæ, docens pœnitere : in secunda autem, reddit testimonium Christo, dirigens ad baptismum ipsius, in quo gratia remissionis invenitur.

Adhuc autem in prima duo facit : primo enim instruit generaliter turbas, et

secundo, specialiter instruit diversas hominum differentias.

In prima harum ponit quatuor paragraphos : malos enim et indevotos acerime increpat : pœnitentibus viam pœnitendi parat : quærentibus excusationem, rationem excusationis amputat : et tandem sententiam condemnationis jam imponentem et iminentem significat.

In primo horum paragraphorum (quia sermones secundum materiam inquirendi sunt) primo ostendit quibus increpationes ponit : secundo, ponit increpationem : et tertio, judicii cito imminētis comminationem.

De primo dicit sic :

« Dicebat ergo ad turbas. »

Bene *turbas*, quia turbata multitudo fuit coram ipso : turbata quidem varietate cultus, quia Gentiles, et Judæi. Romani enim milites, Gentiles fuerunt, et alii Judæi. Judæi autem intra se turbati, diversitate sectarum : sicut dicitur, Act. xxiii, 7 et 8, quidam fuerunt Pharisei de sua falsa justitia præsumentes : quidam Sadducæi, qui resurrectionem dicebant non esse : quidam Essæi<sup>1</sup>, nec spiritum nec Angelum esse dicentes. In moribus etiam discrepabant : quidam publicani existentes : et quidam peccatores : et quidam hypocritæ demonstrantes in vestimentis ovium, et intrinsecus erant lupi rapaces, potius ad tentandum et explorandum venientes, quam propter devotionem. Quorum omnium, ut dicit Glossa, corda non spiritu suo, sed Spiritu sancto vidit Joannes. Omnes tamen veniebant propter stupendam vitam, quæ fuit in austeritate Joannis : qui ignotus omnibus exivit de deserto, novæ gratiæ mediator et annuntiator : et ideo omnes currebant. Isa. 11, 2 : *Fluent ad eum omnes gentes.* Isa. lx, 3 : *Ambulabunt gentes in lumine tuo.*

<sup>1</sup> I Machab. 11, 42, vocantur *synagoga Assi-*

*dæorum.*

« Quæ exhibant, »

Relinquentes domicilia propria, aviditate videndi tantum prodigium. Significat autem iste exitus exitum de amore sui et suorum, ut veniamus ad viam Christi, quam nuntiat prædicator veritatis et præco. Genes. XII, 1 : *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi.* Psal. XLIV, 7 : *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui : et concupiscet rex decorem tuum.* Ad Hebr. XIII, 13 : *Exeamus igitur ad eum extra castra, improprium ejus portantes.* Apocal. XVIII, 4 : *Exile de illa, populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus.*

Sic igitur exitur de mundo.

Ad quid autem exhibant, subjungit dicens :

« Ut baptizarentur ab eo »

Baptismo, quo non exhibuit nisi officium exterius, assuefaciendo ad baptismum Christi. Tamen moraliter loquendo, volebant baptizari ad emendationem. Ad hoc enim exeundum est, ut a Joanne gratia Dei baptizemur. I ad Corinth. X, 1 et 2 : *Nolo vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari.* Act. II, 38 : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi.*

« Genimina viperarum. »

Ecce increpatio durissima indevotorum et non credentium. Vipera dicitur vi pariens, et est serpens ad pectus strictus, et inferius ad ventrem amplus : et ideo primo concipit ovum in stricto sub pectore, quod descendens ad latiore

alvum erumpit in animal : et tunc maturato animali parit testam pullum animalis, quod est serpens. Et ideo dicitur vi pariens, quod violentia quadam primo deprimit ovum, et postea enitur et testam, et animal. Quod autem quidam potius truffatores quam philosophi dicunt, quod in conceptu illius masculus ponat caput in os feminae, et femina concipiat ex capite masculi morso : et cum pariat femina, pulli mordendo lacerant uterum matris : et sic pater in conceptu, mater autem in partu moriatur : contra naturam est, et falsum : nec indiget Deus nostro mendacio, ut pro illius mysteriis fingamus mendacia. Sed primus modus est verus, et a nobis in libris *Animalium* explanatus <sup>1</sup>.

Isti ergo venenati venenatorum filii venerunt ad Joannem Pharisæi, et Sadducæi. Et sic ideo vocantur, Isa. LIX, 5 : *Ova aspidum ruperunt, et telas araneæ texuerunt : qui comederit de ovis eorum, morietur : et quod confotum est, erumpet in regulum.* Isa. XIV, 29 : *De radice colubri egredietur regulus, et semen ejus absorbens volucrem.* Psal. LVII, 5 et 6 : *Sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium.* Ita enim venerunt ad Joannem, non ut incantarentur, hoc est, converterentur ab ipso, sed ut inficerent credere volentes : et ideo sic increpantur. Deuter. XXXII, 33 : *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.*

Sic ergo sunt genimina viperarum.

Excusabant tamen hoc per hypocritism, loquentes mendacium. Matth. XXIII, 30 et seq. : *Si fuisset in tempore patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum.* Et respondet eis Dominus, dicens : *Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum qui Prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum.*

<sup>1</sup> Cf. Lib. XXV *Animalium*, n. 61. Tom. XII

hujusce novæ editionis.

Sequitur iudicii comminatio :

« Quis ostendit vobis? »

Quasi dicat : Nullus ostendere potest : quia Pharisei præsumentes de sua iustitia, iudicium futurum non timebant : et ideo non fugerunt. Sadducei autem iudicium futurum non credebant : et ideo nec illi fugerunt. Istis autem duabus sectis, fere tota innitebatur Synagoga : et ideo non fugit, sed incidit in iudicium excisionis et destructionis totius patriæ, et perditionis loci. Quod Dominus describit, Matth. xxiv, per totum. Et in hoc periculum præcipitaverunt eos Pharisei et Sadducei. *Etenim, cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*<sup>1</sup>.

Et hoc est quod dicit : « *Quis ostendit?* » Nullus enim digitus adeo directus est, qui solem ostendere possit oculos non habenti. « *Fugere,* » hoc est, vos subducere, « *a ventura ira,* » iudicii divini, quam incurritis Christum per fidei devotionem non suscipiendo : et temporaliter per Romanos, et æternaliter per condemnationem Dei. Job, xix, 29 : *Fugite a facie gladii, ... et scitote esse iudicium.* Dies autem iudicii dicitur *dies iræ*, quia tunc ut iratus Dominus condemnabit. Isa. x, 3 : *Ad cuius confugietis auxilium? et ubi derelinquetis gloriam vestram?* Joel, ii, 11 : *Magnus enim dies Domini, et terribilis valde : et quis sustinebit eum?* Isa. xxx, 27 : *Ardens furor ejus, et gravis ad portandum.*

Ambrosius tamen istud legit, non increpative, sic : « *Genimina viperarum,* » supple, estis, non tamen venenati. Et hoc commendabile, quod filius venenati non sit venenatus, sed sit serpens prudentia, non veneno. Matth. x, 16 : *Estote prudentes sicut serpentes,* providendo iudicium imminens futurum. Et

secundum hoc, loquitur devotis qui fuerunt ante eum : « *Quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* » supple, nisi ego, qui a Deo revelationem accepi, ut vos ad Christum dirigam, qui serpens est non venenatus, sed morsus venenatorum curans. Numer. xxi, 8 : *Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo : qui percussus adspexerit eum, vivet.* Joan. iii, 14 et 15 : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Adspicite igitur ad ipsum, et curabimini a veneno patrum venenatorum.

Hoc igitur est quod dicit secundum Ambrosium.

Attende autem, quod nullus effugiet iudicium futurum, nisi prius fugiat consortia venenatorum, et ipsa venena. Venenati sunt peccatores mundi. Jerem. li, 6 : *Fugite de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam.* Venena autem sunt mundi tentationes per vanitates temporalium, per illecebras carnalium, per divitias temporalium, per delectationes rememorationis peccatorum, per turpes circumstantias pessimorum actuum. Vanitates temporalium significantur per Laban, qui *candidatio* interpretatur : et fuit situs sublimis in illis, quem fugit Jacob luctator bonus<sup>2</sup>. Illecebræ voluptatum carnalium significantur per lascivam mulierem Putiphari, quam foras fugit Joseph<sup>3</sup>. Eccli. ix, 8 : *Averte faciem tuam a muliere compta.* Divitiæ autem temporalium a Domino contemptæ sunt, cum a diabolo ostenderentur, Matth. iv, 9, et Luc. iv, 6 et 7 : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoreris me.* Et ideo, Joan. vi, 15, cum quæreretur ut constituerent eum regem, fugit in montem. Delectationes autem præteritarum culparum fugiendæ sunt, sicut dicitur, Eccli. xxi, 2 : *Quasi a fa-*

<sup>1</sup> Matth. xv, 14.

<sup>2</sup> Cf. Genes. xxxii, 24 et 25.

<sup>3</sup> Genes. xxxix, 12.



*cie colubri fuge peccata: et si accesseris ad illa, suscipient te.* Circumstantiæ etiam fugiendæ sunt, sicut dicitur, Genes. XIX, 17: *Non stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac.*

Sic ergo effugietis venturam iram.

Sequitur:

8 « Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. »

Ecce demonstrat modum fugæ per pœnitentiam, dicens quatuor quæ ad pœnitentiam pertinent.

Primum est opus satisfactionis, quod tangit cum dicit: « *Facite* » pœnitentiam in opere, non in sermone. Act. IX, 8: *Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum.* Ad manus trahere prostratum, est trahere eum ad opera satisfactionis: et sic ingreditur civitatem, hoc est, ad communionem Sanctorum. Proverb. XXXI, 13: *Operata est consilio manuum suarum.*

Secundum est voluntarius et affectatus dolor, et afflictio pœnitentiæ assumptæ. Unde Augustinus: « Semper doleat, et de dolore gaudeat: » ita quod quasi fruatur dolore, sicut prius fruebatur peccati delectatione. Et notatur hoc per « *fructus*: » quia, ut dicit Augustinus, « Frui, est cum gaudio uti. » Cantic. II, 3: *Fructus ejus dulcis gutturi meo.* Et ideo dicitur dolor ille, *refectio*, Psal. LXXIX, 6: *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis.* Iste est panis subcinericius, relectio pœnitentiæ, et potus lacrymarum: in cujus fortitudine Elias fugit Jezabel, et pervenit ad montem Dei <sup>1</sup>.

Tertium est quod sint digni. Et hoc notat cum dicit: « *Dignos.* » Et hoc fit in confessione, in qua ponderantur afflictiones pœnitentiales, et proportionantur ad species peccatorum, et ad pondus eorum. Deuter. XXV, 2: *Pro mensura pec-*

*cati erit et plagarum modus.* Glossa Bedæ: « Non debet esse par fructus boni operis ejus qui nihil vel minus peccavit, et ejus qui graviter vel multum cecidit. » Isa. XXVII, 8: *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam.* Apocal. XVIII, 7: *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Ad Roman. VI, 13: *Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo,* etc. Baruch, IV, 28: *Sicut fuit sensus vester ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum.*

Quartum est quod dicit: « *Pœnitentiæ,* » hoc est, pœnæ tenentiæ. Et hoc notat perseverantiam in cordis compunctione. Joel, II, 13: *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* Psal. I, 5: *Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.*

« Et ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham. »

Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur. »

Exclusio est excusationis. Et habet duo: exclusionem excusationis, et rationem exclusionis.

Exclusionem excusationis dicit: « *Et ne cœperitis.* » Isti enim dicebant, quod propter hoc quod Synagoga radicata est in Patriarchis dilectissimis, non esset extirpanda, nec judicium commendationis immineret ei. Psal. LXXXVIII, 31-35: *Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulerint, etc.,... visitabo in virga peccata eorum:... misericordiam autem meam*

<sup>1</sup> Cf. III Reg. XIX, 8.

*non dispergam ab eo.* Hujus auctoritate et similium, dicebant Synagogam numquam fore extirpandam, tamquam in Abraham et Patriarchis radicatam.

Contra hos dicit: « *Ne cœperitis dicere.* » Et dicit, *cœperitis*, quia quod incipit imperfectum est, et inceptio dicti, in cogitatu est. Quasi dicat: Ne cogitetis quidem, nedum quod perfecte dicatis:

« Patrem habemus Abraham. »

Quasi dicat: In patre Abraham sumus radicati, nec evelli possumus. Dictum est enim Abrahæ, Genes. xv, 5: *Suspice cœlum, et numera stellas, si potes.* Et subjunxit: *Sic erit semen tuum.* Et arguebant ex hoc sic: Sicut stellæ de cœlo cadere non possunt, sic Synagoga non potest excidere de promissis patrum. Et hoc frivolum est, quia dicitur, ad Roman. ix, 8: *Non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine.* Isa. lxiii, 16: *Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos.* Ad Roman. ix, 25: *Vocabo non plebem meam, plebem meam: et non dilectam, dilectam: et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam*<sup>1</sup>.

Et hoc est quod dicit:

« Dico enim vobis, »

In veritate Spiritus, a quo revelationem accepi. Ad Roman. ix, 1: *Veritatem dico in Christo, non mentior: testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto.*

« *Quia potest Deus.* » Ratio est et causa, qua excludit excusationem. Est autem notandum, quod in ripa Jordanis jacebant duodecim lapides silices, accepti de fluentis Jordanis, cum filii Israel transirent<sup>2</sup>. Et hos demonstrabat, intelligens per eos Gentiles futuros credentes, dicens: « *Quia potest Deus,* » de potentia disposita per consilium sapien-

tiae æternæ. Potens est, inquam, salva veritate promissionis, « *suscitare* » in populum suum. Jerem. xxiii, 5: *Suscitabo David germen justum.*

« *Filios Abrahæ,* » qui filii sunt promissionis, non carnis. Ad Roman. ii, 28 et 29: *Non enim qui in manifesto, Judæus est: neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio: sed qui in abscondito, Judæus est: et circumcisio cordis in spiritu, non littera: cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.*

« De lapidibus istis. »

Attende autem, quod lapides isti silices, ut dicit Ambrosius, sunt Gentiles: quia qui amisso sensu rationis, lapidibus putant inesse rationem alicujus divinitatis: ipsi in natura lapidum, non naturæ usu, sed mentis habitu, proprietate quadam similitudinis utuntur. Lapidibus autem comparantur silicibus: quia illi lapides sunt deformes ad usum, quia formari non possunt, ideo quod dolationem non sustinent. Hi sunt etiam nudi ad ornatum, quia etiam ornari non possunt aliquo decore figuræ: steriles ad fructum, quia non generant, irrationabiles ad profectum. Tales enim lapides jacent in aquis, qui *silices* vocantur. Et quia gentilitas fuit in omnibus his proprietatibus, deformis quidem ad usum ædificii, nuda ad ornatum virtutis, sterilis ad fructum boni operis, irrationabilis ad profectum intellectualis contemplationis: ideo lapidibus comparantur, et per lapides illos significantur.

Et de his lapidibus, salva veritate promissionis,

« *Potest Deus suscitare filios Abrahæ,* » qui sunt filii promissionis: sicut jam diximus. Ad Galat. iii, 16: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus.* Multiplex enim est semen carnis, sed promissionis stat in uno, quod est

<sup>1</sup> Cf. Osee, ii, 24; I Petr. ii, 10.

<sup>2</sup> Cf. Josue, iv, 8 et 9.

Christus. Ad Roman. III, 27 et 28: *Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei. Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Non ergo dicatis: « *Patrem habemus Abraham.* » Tamen hoc dixerunt, Joan. VII, 33: *Semen Abraham sumus, et nemini servivimus umquam.* Simile faciunt illi qui gloriantur in Sanctis suis: volentes ex hoc extolli, vel in Benedicto vel in Bernardo, vel in Francisco, vel in Dominico, cum non sequantur vestigia eorum. Quibus dicitur, Joan. VIII, 39: *Si filii Abraham estis, opera Abraham facite.* Jerem. IX, 24: *In hoc gloriatur, qui gloriatur, scire et nosse me.*

Sequitur:

« Jam enim securis. »

Comminatio est sententiæ jam arbori imminentis. Est autem arbor, Synagoga: radices ejus, regnum legem regens, et sacerdotium legem docens, et sacramenta legis exhibens: securis autem est sententia præcisionis facta per Titum et Vespasianum Augustos Romanos. Vel etiam sententia æternæ damnationis.

Continua sic: Ita dico: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Et ne dicatis, excusando vos: Patrem habemus Abraham. « *Enim,* » hoc est, quia « *jam.* » Notatur nunc propinquum præsentem in futuro. « *Securis,* » hoc est, sententia præcisionis « *posita est ad radicem* » regni et sacerdotii, ut radicitus evellatur Synagoga. Daniel. IV, 10 et 11: *Vigil et sanctus de cælo descendit. Clamavit fortiter, et sic ait: Succidite arborem.* Ezechiel. XVII, 9: *Radices ejus evellet, et fructus ejus dstringet, et siccabit omnes palmites germinis ejus, et arescet.* Securis hæc aliquando manubrium effugit, et in profundum aquæ, hoc est, misericordiæ dissimulantis mersa est. Nunc autem per Prophetam potentem in opere et ser-

mone<sup>1</sup> manubrium humanitatis porrigente, tulit ferrum de abyssu misericordiæ propter peccata Synagogæ, et ad siccum iræ Dei redivit: et ideo Synagogam funditus evertit<sup>2</sup>.

Sic igitur securis ad radicem arboris istius posita est.

Dat autem rationem de proprio actu et usu securis sumptam, dicens:

« Omnis ergo arbor, »

Hoc est, quilibet homo, vel quilibet status hominum, « *non faciens fructum bonum.* » Synagoga quidem in suis sacramentis et lege in morte Christi mortua fuit, et ideo nullum fructum fecit. Post prædicationem enim fidei, non solum mortua, sed etiam mortifera fuit: et ideo tunc fructum malum fecit: et ideo excidetur. Luc. XIII, 7: *Ecce anni tres sunt ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio: succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat?*

« *Et in ignem mittetur,* » tribulatio nis per captivitatem, et inferni per condemnationem æternam. Joan. XV, 2 et 6: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, ... et in ignem mittent, et ardet.* Isa. XXX, 33: *Præparata est enim ab heri Topheth... Nutrimenta ejus, ignis et ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.*

Est etiam, moraliter loquendo, omnis homo arbor per vitam suam. Psal. I, 3: *Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.* Radix ejus, calor et humor. Jerem. XVII, 8: *Erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas.* Securis, est sententia imposita, quæ quolibet die dat sectionis ictum, quia omni die vitam diminuit. Et quando non fert fructum boni operis, exciditur per mortem, et mittitur in ignem infernalem in æternum. Matth.

<sup>1</sup> Luc. XXIV, 19.

<sup>2</sup> Cf. IV Reg. XXV.

xiii, 30 : *Colligite zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum.*

Attende etiam, qualiter secundum Ambrosium primo lapidibus comparavit Gentiles, et ita proficiens transit ad metaphoram arboris, quæ aptior est in multis quam lapis. Hæ enim rationabili quodam naturæ munere, jam sunt decoræ ad usum, venustæ ad adspectum, optimæ ad fructum. Decor enim virtutis facit ad usum ædificii utiles : pulchritudo facit exemplares : fœcunditas verbi facit fructificantes. Surgunt cacuminibus contemplationum, funduntur brachiis bonarum congregationum, replentur fructibus bonorum operum, vestiuntur frondibus verborum sanctorum. Dicit enim Glossa quædam, mystice exponens per allegoriam : » *Non faciens fructum bonum,* » ut Gentiles et hypocritæ, qui nullum : et hæretici, qui malum. Gentiles enim et hypocritæ non habent dispensare sacramenta : et ideo nec in se, nec in alio fructum aliquem faciunt. Sed hæretici servantes formam Ecclesiæ, dispensant sacramenta : et ideo quamvis in se nullum faciant fructum, tamen in aliis fructum faciunt, sed malum : quia licet tales ab hæreticis sacramentum recipiant, tamen rem sacramenti non percipiunt, et ideo fructum malum faciunt<sup>1</sup>. Sapient. iv, 5 : *Fructus illorum inutiles, et acerbi ad manducandum.* Jerem. xxix, 17 : *Et ponam eos quasi ficus malas, quæ comedi non possunt, eo quod pessimæ sint.* Matth. vii, 18 : *Non potest arbor mala bonos fructus facere.*

Sic ergo Joannes comminatur pœnam sententiæ, quæ est præcisio imminens ex judicio in proximo futuro per Titum et Vespasianum. Et sic terminatur instructio generalis.

10 « Et interrogabant eum turbæ, dicentes : Quid ergo faciemus ?

11 Respondens autem dicebat illis : Qui

habet duas tunicas, det non habenti : et qui habet escas, similiter faciat.

Venerunt autem et publicani ut baptizarentur, et dixerunt ad illum : Magister, quid faciemus?

At ille dixit ad eos : Nihil amplius quam quod constitutum est vobis faciatis.

Interrogabant eum et milites, dicentes : Quid faciemus et nos? Et ait illis : Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris. »

Hic, post instructionem generalem, tangitur specialis instructio secundum diversitates præsentium.

Et primo ponitur instructio simplicium de turba, qui publica officia, vel dignitates non habebant. Et potest attendi hic mirabilis efficacia sermonis Joannis, qui tot diversitates hominum movebat ad pœnitentiam. Et verificatur de eo quod dictum est de Elia, Eccli. xlviii, 1 : *Surrexit Elias propheta, quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.* Et quod supra, 1, 16, dixit de eo Angelus : *Multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum.*

De simplicibus igitur plebeiis hominibus dicitur :

« Et interrogabant eum turbæ. »

Verbis suis concussæ turbæ ad terrorem, quærebant effugiendi consilium, « *dicentes* » ad eum : « *Quid ergo faciemus?* » Da consilium quod faciamus dignos fructus pœnitentiæ. Mich. vi, 6 : *Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso.*

« Respondens autem, »

Præco pietatis, « *dicebat illis,* » a mi-

<sup>1</sup> Vide IV Sententiarum, Dist. XIII, Art. 30,

ad objecta. Tom. XXIX hujusce novæ editionis.

sericordia incipiens : quia scivit, quod iudicium sine misericordia fiet illi, qui non facit misericordiam : et quod misericordia superexaltat iudicium<sup>1</sup>. Quia sicut dicit Glossa : « Misericordia est plenitudo virtutum. » Quidquid enim in virtutibus deest, per misericordiæ opera redimitur et impletur. I ad Timoth. iv, 8 : *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ.* Pietas enim in triplici est apud Sanctos significatione. Dicit enim Augustinus, quod « pietas est *θεοσεβεία*, hoc est, cultus Dei. » Et dicit Tullius, quod « pietas est benevolentia in parentes. » Ambrosius autem dicit, quod « pietas est benevolentia in pauperes, Patris nostri spiritalis imaginem habentes. » Et illi sunt pauperes spiritu. Daniel. iv, 24 : *Rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Luc. xi, 41 : *Quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Tob. iv, 11 : *Eleemosyna a morte liberat.*

Unde subdit :

« Qui habet tuas tunicas, etc. »

Duæ tunicæ dicuntur hic duorum tunicæ : quia tunica unius, duobus non sufficit. Nec dicitur hic tunica, nisi tegumentum quodcumque. Quia sicut dicit Glossa, « tunica unius si scindatur, ad inutilitatem deducitur : nec illi valet qui dividit, nec ei cui porrigitur pars. » Psal. xxi, 19 : *Diviserunt sibi vestimenta,* etc. Tangit autem tunicam quæ interior est, et non pallium, quia magis necessaria est tunica : innuens, quod etiam de necessario aliquid subtrahendum est, et dandum pauperibus. Tob. iv, 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Necessarium ei est retinendum, superfluum largiendum. II ad Co-

rinth. vii, 13 et 14 : *Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. In præsentī tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat : ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* Proverb. xiv, 21 : *Qui credit in Domino, misericordiam diligit.* Proverb. xix, 17 : *Fæneratur Domino qui miseretur pauperis.*

Discretio ergo notatur per hoc quod dicit : « *Duas tunicas.* » Hæc enim sunt tegumenta duorum, ne aliquis sibi manus injiciat. Altera enim vestis ejusdem speciei superfluit. Vestes enim hominis diversæ non sunt unius speciei : sed tunica induitur homo, cum supertunica, et pallio. Et hujusmodi duæ tunicæ, vel duo pallia, vel hujusmodi sunt mutatoria vestium, ad superfluitatem et non ad necessitatem ordinata. I ad Timoth. vi, 8 : *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus.*

Et subjungit, cui dandum, dicens : « *Det,* » hoc est, unam mutatoriam superfluam, « *non habenti.* » Non habenti enim dandum est : et non est dandum habenti. Et in hoc peccant plurimi, qui libentius dant habentibus quam non habentibus. Luc. xiv, 13 et 14 : *Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et cæcos. Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi.* Est enim eleemosyna semen : semen autem non projicitur super agrum seminatum. Psal. cxl, 9 : *Dispersit, dedit pauperibus.* Isa. lviii, 7 : *Egenos vagosque induc in domum tuam, et cum videris nudum, operi eum.*

« Et qui habet escas, »

Duorum vel plurium. Job, xxxi, 17 et 18 : *Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea, quia ab infantia crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum.* Isa. lviii, 7 : *Frange esurienti panem tuum.*

<sup>1</sup> Jacob. ii, 3 : *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam : superexaltat autem*

*misericordia iudicium.*

Eccle. xi, 11 : *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post multa tempora invenies illum.* Transeuntes aquæ, sunt prætereuntes pauperes. Proverb. iii, 9 et 10 : *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei, scilicet pauperi : et implebuntur horrea tua saturitate,* etc. Job, xx, 21 : *Non remansit de cibo ejus, et propterea nihil permanebit de bonis ejus.*

Et hoc est quod subditur : « *Similiter faciat,* » scilicet, quod det non habentibus. Nehemiæ, seu II Esdræ, viii, 10 : *Mittite partes his qui non præparaverunt sibi.* Matth. xxv, 35 : *Esurivi, et dedistis mihi manducare : sitivi, et dedistis mihi bibere.* Isa. xxiii, 18 : *His qui habitaverint coram Domino,* Glossa : « Veris pauperibus, » *erit negotiatio ejus, scilicet mercedes ejus, ut manducent in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem.* Et præmisit, quod mercedes non condentur neque reponentur<sup>1</sup>, sed potius in misericordias pauperum expendantur et mercedes Ecclesiæ.

Et attende, quod misericordia habet tria : compassionem, per quam delet peccata cordis : et elargitionem, per quam delet peccata operis : et subtractionem materiæ voluptatis, per quam delet peccata concupiscentiæ carnalis. Et ideo delet omne peccatum, hoc est, facit ad omnis peccati deletionem. Et ideo dicitur, quod eleemosyna redimit peccata : quia cum in peccato tria sint quæ delectationem afferunt, cor, corpus, et supplementa exterius ministrata : eleemosyna, sicut jam dictum est, aliquid habet contra quodlibet istorum : et ideo etiam dicitur, I ad Timoth. iv, 8, quod *pietas ad omnia utilis est.* Et, Tobix, iv, 11, quod *eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras.*

Hæc ergo est causa, quare taliter a

pietate et misericordia et eleemosynis incepit Joannes prædicando.

« Venerunt autem, »

Ex devotione, « *et publicani,* » qui præ cæteris peccatores erant. Et quia ex devotione venerunt, ideo non increpantur, quamvis illicitis lucris dediti essent, ut dicit Gregorius. Psal. xxxiiii, 12 : *Venite, filii, audite me : timorem Domini docebo vos.* Venite autem, dicit accessum voluntarium, quia non tracti, sed per se « *venerunt.* » Matth. xi, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis.*

Dicitur ad quid venerunt : « *Ut,* » sub forma quam prædicavit, quod in venturum post se crederent, « *baptizarentur ab eo,* » et sic eis via pararetur ad Christum peccati mundatorem. Et hæc est secunda differentia post humilem turbam plebeiam. Et consideratur magna virtus sermonis ejus. Jerem. xxiii, 29 : *Verba mea sunt quasi ignis, ... et quasi malleus conterens petram.* Sunt autem publicani a publicis officiis dicti, quia vectigalia publica sive telonea colligebant, et merces per terras vectas auctoritate publica conducebant, et vias pacificabant. I ad Corinth. ix, 7 : *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* Unde hoc justum est, quantum ad justitiam publicam.

« Et dixerunt ad illum, »

Consilium requirentes : « *Magister.* » Solus enim ille divinæ voluntatis gnarus est, qui Deo docente quæ Dei sunt, intellexit. Psal. xxxii, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini : et facies vestræ non confundentur.* Isa. l, 4 : *Dominus mane*

<sup>1</sup> Isa. xxiii, 18 : *Et erunt negotiationes ejus et mercedes ejus sanctificatæ Domino : non condentur neque reponentur, quia his qui habitaverint*

*coram Domino erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem.*

*erigit mihi aurem, ut audiam eum quasi magistrum.*

« Quid faciemus? »

Virtus enim in opere est; et non in scientia vel sermone. I ad Corinth. II, 5 : *Fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Eccli. III, 24 et 22 : *In pluribus operibus Dei non eris curiosus :... quæ enim præcepit tibi Deus, illa cogita semper.* Psal. CII, 18 : *Memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.* Matth. XIX, 16 et 17 : *Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam? Et respondens Jesus dixit illi : Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

« At ille dixit ad eos. »

Ecce responsio. I Petr. III, 15 : *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe.*

« *Nihil amplius.* » Unum dicit, et duo intelligit. Vult enim quod nihil amplius accipiant « *quam quod constitutum est,* » et nihil amplius in conducendo, quam sicut est constitutum : quia aliter teloneum est injustum. Ratio autem in accipiendo est secundum proportionem laboris et expensarum, quæ ad vias pacificandas requiruntur. In faciendo autem constitutum est, ut ad tantum viæ ducatum et securitatem præsent, quantum ad tale vectigal secundum æquitatem legis est statutum. Et ideo interdicens, quod nihil amplius accipiant vel faciant, compescit ab injuria, qua sæpe tales grassantur in transeuntes, metas sibi positas transgredientes. Proverb. XXII, 28 : *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Hæc transgressio describitur, Isa. X, 6 et 7 : *Mandabo illi ut auferat spolia, et diripiat prædam... Ipse autem non sic arbitrabitur, et cor ejus non ita existimabit : sed ad conterendum erit cor ejus, et ad in-*

*ternecionem gentium non paucarum.* Hoc ergo quod ex cordis malitia et avaritia amplius quam ad utilitatem patriæ statutum est, interdicit.

« Interrogabant eum et milites. »

Ecce tertia differentia instructorum. Milites autem erant Romani, qui ad defensionem reipublicæ, communibus stipendiis acceptis, pro pace omnium militabant. Tales enim in qualibet terra Romanus Imperator habuit per legiones et cohortes distributos. Sic etiam habuit David<sup>1</sup>. Minimus centum militibus præerat, et maximus mille. Publicani autem et milites plerumque erant Gentiles, qui devotius accedebant, quam Judæorum Sacerdotes et Pharisæi. Hujus signum est, quod non reprehenduntur.

« *Dicentes,* » quærendo consilium salutis suæ : « *Quid faciemus et nos? »* Mich. VI, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te.*

« Et ait illis »

Doctor salutis. Ad Galat. VI, 1 : *Vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Dicit autem hic tria : duo per recessum a malo, et unum quod est necessitatis, indulget.

Per recessum a malo, primo prohibet violentiam, dicens :

« *Neminem concutiatis,* »

Per violentiam opprimendo, et sua diripiendo. Isa. III, 14 et 15 : *Rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis? Isa. III, 12 : Populum meum exactores sui spoliaverunt.* Dicuntur autem hic milites, omnes qui defendere deberent populum, quibus interdicitur ne in tyrannide sua abutantur potesta-

<sup>1</sup> Cf. II Reg. XXIV, 9.

te. Mich. iii, 1 et seq. : *Audite, principes Jacob, et duces domus Israel : Numquid non vestrum est scire iudicium? qui odio habetis bonum, et diligitis malum : qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnem eorum desuper ossibus eorum. Qui comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt, et ossa eorum confregerunt, et conciderunt sicut in lebetes, et quasi carnem in medio ollæ.* Pellis signat superflua : carnes autem, ea quæ sunt ad fomentum delectationis pertinentia : ossa vero, necessaria. Omnia enim hæc tyranni rapiunt, et in his luxuriantur. Lebetes autem significant angarias, et perangarias, quibus sicut in fritorio frigunt pauperum corpora. Psal. ci, 4, secundum Septuaginta : « Ossa mea sicut in fritorio confrixerunt<sup>1</sup>. »

« Hæc igitur omnia excludit, quando dicit : « *Neminem concutiatis.* »

Secundum, quod est secundum recessum a malo, dicit :

« Neque calumniam faciatis. »

Calumnia est impostura quæ fit pauperibus, ut imposito, aliquo falso, auferatur pecunia ab eis. Sub isto etiam continentur iniquæ tyrannorum leges et litteræ calumniosæ, ex industria scriptæ, ut per lites suscitatas pecunia acquiratur. Job, iv, 8 et 9 : *Vidi eos qui... seminant dolores, et metunt eos, flante Deo periisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos.* Seminant dolores, qui seminant legibus vel litteris suis calumnias. Metit autem, cum de talibus lucra sua constituit. Matth. xiii, 27 et 28 : *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit.* Bonum semen, est simplicitas æqui et justii, cognita in verbo et justitia Dei. Zizaniæ, sunt calumniæ inventæ, quas quotidie omnis boni et

<sup>1</sup> Vulgata habet, Psal. ci, 4: *Ossa mea sicut cremium aruerunt.*

æqui et justii inimicus invenit, et superseminat. Et hoc maxime hi faciunt, qui pro aliis militare se dicunt in potestatibus, et officiis publicis : et plus ecclesiastici iudices et advocati, quam sæculares. Osee, v, 11 : *Calumniam patiens est Ephraim fractus iudicio, quoniam,* scilicet in iudiciis suis, *cæpit abire post sordes.* Levit. xix, 13 : *Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum.* Isa xxxiii, 14 et 15 : *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?... Qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere.*

Tertium, quod necessitatibus militantium indulget, dicit :

« Contenti estote stipendiis vestris. »

Stipendia dicuntur a stipe pendenda : quia pendebatur unicuique militi donativum publicum suæ militiæ. Et hoc dicit debere esse contentos, nec amplius exigere. Matth. x, 10 : *Dignus est operarius cibo suo.* Matth. xx, 8 : *Voca operarios, et redde illis mercedem, scilicet suam.* Sed hodie non sunt contenti : imo dicitur de eis, Mich. ii, 2 : *Concupierunt agros, et violenter tulerunt : et rapuerunt domos : et calumniabantur virum, et domum ejus.*

« Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipset esset Christus, »

Respondit Joannes, dicens omnibus : **16** Ego quidem aqua baptizo vos. »

Hic ascendit Lucas ad ponendum testimonium Joannis de Christo, ut præcursorem ostendat. Et sicut dicit Glossa, omittit hoc quod Joannes primo narrat<sup>2</sup> : qualiter miserunt ad ipsum ab Jerosolymis Sacerdotes et Levitas, ut interro-

<sup>2</sup> Cf. Joan. i, 19 et seq.



garent eum : *Tu quis es ?* Vel, sicut alii dicunt, primo testificatus est turbis, et hoc ponit Lucas : et postea Sacerdotibus, et hoc ponit Joannes.

Habet autem hæc particula duo. Primo enim dicit necessitatem testimonii : et secundo, subjungit ipsum testimonium.

Necessitas fuit : quia populus, et omnes alii tam sapientes quam insipientes venerant in opinionem quamdam de ipso, an forte esset ipse Christus, et sic non dirigeret viam ad alterum, sed potius esset finis viæ : et venerunt ad ipsum, quibus viam ostendit.

Et hoc est quod dicit :

« Existimante autem populo. »

Existimatio autem est conceptio ex signis collecta. Considerabant enim virtutem verbi in prædicatione, austeritatem vitæ in conversatione, certitudinem revelationis divinæ in missione, famam miraculorum in nativitate : et ex his collegerunt Joannem esse majorem homine : sicut expresse dicitur, Matth. XI, 7 et seq. : *Quid existis in desertum videre ? arundinem vento agitatam ?* Quasi diceret : Non : cum nihil infructuosum, nihil in concupiscentiæ humore radicatum fuerit in ipso. *Sed quid existis videre ? hominem mollibus vestitum,* vel usum ? Quasi diceret : Non : cum in vita ejus nihil molle fuerit. Utpote, cujus habitatio horror fuit deserti, cujus vestitus pili camelorum hispidi et duri, cujus decor zona fuit pellicea penitus inculta, cujus potus, ut dicit Heronymus, laticis unda<sup>1</sup>, simplex aqua. *Sed quid existis videre ? Prophetam ? Etiam dico vobis, et plus quam Prophetam... Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista.* Utpote, qui sanctitate major fuit homine : revelatione ma-

ior in Prophetis, spiritu et virtute Eliæ : stupore par Angelis, vel superior judicabatur. Inde fuit existimatio populi.

Et ne populus stultam forte existimationem habere judicaretur, sicut dicitur, Joan. VII, 49 : *Turba hæc quæ non novit legem, maledicti sunt :* ideo subjungit :

« Et cogitantibus omnibus. »

Quod enim omnes opinantur probabile est, ut dicit Philosophus : et quod ab omnibus dicitur, vel in parte, vel in toto est verum.

« *In cordibus suis.* » Has autem cogitationes scivit Joannes per Spiritum Dei, quo plenus fuit. I ad Corinth. II, 10 : *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Et iterum, I, 12 : *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est : ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.*

« *De Joanne* » Baptista, qui, sicut dicitur, Joan. I, 6 : *Fuit homo missus a Deo : ac si non de terra, sed de cælo descendisset.*

« *Ne forte,* » hoc est, an forte « *ipse esset Christus.* » Et ex hoc intelligitur, ut dicit Glossa, quod sciverunt tempus esse tunc impletum, quo Christus esset venturus. Christus enim promissus fuit in lege, præfiguratus a Patriarchis, a Prophetis prænuntiatus. Et hæc omnia præcesserant : et ideo non restabat, nisi quod digito monstraretur ubi esset. Et ad hoc venit Joannes. Unde, Joan. I, 45 : *Quem scripsit Moyses in lege, et Prophetæ, invenimus : Jesum,* scilicet Messiam. Indiguit tamen indicante propter humilitatem. Isa. LIII, 3 : *Quasi absconditus est vultus ejus, et despectus.* Isa. XLV, 15 : *Vere tu es Deus absconditus.*

Ista occasione testimonium ferendi sic exorta,

<sup>1</sup> Præbuit durum tegumen camelus  
Artubus sacris, strophium bidentes,  
Cui latex haustum, sociata pastum

Mella locustis.

Hymn. ad Matutin. in festo S. Joannis Baptistæ, Stroph. II.

« Respondit Joannes. »

« Cogitationibus eorum. Matth. ix, 4 : *Cum vidisset cogitationes eorum, dixit. Nec respondit in angulo uni, vel duobus, vel paucis, sed publice « dicens omnibus. »* Quia, ut dicit Gregorius, « cum tantus esset, quod Christus credi potuisset, elegit magis solide subsistere « intra se, quam humana opinione inanimiter levare supra se. » Scivit enim quod dicit Psalmus lxxv, 6 : *Qui hominibus placent, confusi sunt : quoniam Deus sprexit eos.*

Dicit autem in hac responsione duo : primum est officium suum : secundum autem dignitas, et ordo adventus, et officium Christi.

De officio suo dicit :

« Ego quidem. »

Ut minister, « baptizo vos, » actu meo, non Dei : quia non est in actu meo collatio gratiæ : quæ si adesset, non ego baptizarem, sed Deus. Joan. i, 33 : *Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat, hoc est, qui animas lavat.*

« Ego quidem baptizo, » quia tingendo corpora, ad baptismum vere baptizantis assuefacio : « aqua, » quæ sine illius virtute non lavat nisi corpora. Ad Hebr. ix, 9 et 10 : *Non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, et in potibus, et variis baptismatibus, et justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.* Sicut enim baptismata legis non conferunt gratiam, ita nec baptismus Joannis. Et hoc significans dicit : « Ego quidem aqua baptizo vos. Act. i, 5 : *Joannes quidem baptizavit aqua.*

« Veniet autem fortior me, cujus

non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus »

Ecce dignitas Christi.

Et dicit tria : dignitatem Christi, ordinem Christi et tempus, et Christi actum.

Dignitatem autem et ordinem simul determinat, dicens : « *Veniet autem, etc.* »

Dignitatem autem determinat in duobus : quorum unum est fortitudo virtutis : secundum autem, eminentia dignitatis.

De fortitudine autem virtutis dicit : « *Veniet fortior me.* » Fortior autem fuit in expellendo dæmonem, quem Joannes non expulit : sed tantum indicavit expellendum a regno suo. Luc. xi, 21 et 22 : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet*<sup>1</sup>. Hic enim fortis fuit, qui sic describitur in Job, xli, 24 : *Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.* Unde oportuit quod de cælo descenderet, qui fortior eo esset : quia, Joan. iii, 31 : *Qui de cælo venit, super omnes est.* Et ideo fortior eo est, et expulit eum. Numer. xxiii, 8 : *Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis.* Et ideo, Apocal. v, 5, dicitur : *Ecce vicit Leo de tribu Juda.*

Iste ergo Joanne, et omni Sancto fortior « *veniet,* » non quidem in mundum, quia jam in mundum venerat, sed ad baptizandum, in quo tunc Joannes Baptista præcurrebat.

Et ideo immiscens temporis ordinem, dicit : « *Post me* »<sup>2</sup>. Non quidem ordine dignitatis et virtutis, sed ordine temporis, in quo præcursoris officium semper præcedit officium regis. Unde, Joan. i, 27 : *Post me venturus est qui ante me factus est.* Luc. i, 76 : *Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.*

<sup>1</sup> Cf. Ma th. xii, 29.

<sup>2</sup> Vulgata habet tantum : *Veniet fortiorme.*

Potest etiam dici, quod etiam fortior fuit ad miraculorum operationem. Quæ omnia vel fecit, vel in nomine ejus facta sunt. Unde, Joan. III, 30 : *Illum oportet crescere, me autem minui*. Non quidem, quia indignus fuerit Joannes plusquam alii Sancti ad facienda signa, sed officio suo non competebat : quia suum officium fuit ad alium dirigere, qui divinæ fuit potestatis : et ideo nihil divinæ potestatis in se debuit ostendere. Secus autem fuit de Apostolis, qui etiam auditores duxerunt ad Christum, quia illis dirigentibus jam notitia Christi præcesserat : quod non fuit, quando Joannes ad Christum dirigebat : et ideo divinum nihil in se ostendebat, licet hoc ex vitæ merito potuisset. Et ideo secundum congruentiam sui officii loquens dicit : *Illum oportet crescere, me autem minui* : ut me sicut parvo et minuto deserto, ad illum sicut magnum, et in fide crescentem convertantur.

« Cujus non sum dignus, etc. »

Tangit hic dignitatem Christi. Et hoc quidem quatuor modis exponitur : tribus quidem sicut est in Glossa, et quarto secundum Chrysostomum.

Primus quidem modus secundum Glossam, est quod pes Christi sit divinitas. Psal. cxxxI, 7 : *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus*, hoc est, duæ virtutes divinitatis, creationis et recreationis. In utroque enim pede, sicut dicit Augustinus, reliquit vestigiorum suorum indicia. Calceamentum autem ejus, est humanitatis ejus pellis morticina, quia in mortem est cæsa humanitas. Psal. LIX, 10 : *In Idumæam extendam calceamentum meum*, hoc est, in sanguineam de sanguine hominis factam humanitatem. Corrigia autem est unio deitatis ad humanitatem, quasi ligatura pedis cum calceo. Et Joannes quidem dicit se non esse dignum hanc corrigiam solvere,

hoc est, modum hujus unionis investigare. Isa. LIII, 8 : *Generationem ejus quis enarrabit ?*

Secundus modus qui in Glossa est, qui tangitur Deuter. xxv, 5-11, ubi dicitur, quod cum aliquis moritur uxoratus sine hærede, debet frater defuncti vel alius propinquus ejus, uxorem defuncti ducere : et sponsus uxoris et maritus pro ipso factus, uxorem defuncti fœcundare, et semen defuncto suscitare, et primogenitum nomine defuncti appellare. Quod si non fecerit, alium post eum propinquiorem illum discalceare, et uxorem defuncti ducere : deinde autem uxorem defuncti ducere nolentis, *domum discalceati* in Israel in improprium suum appellari. Secundum hoc igitur est sensus : « *Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus*, tamquam ipse sponsam Ecclesiam repudiet, quam ego ducam. Ipse enim vere sponsus est : ego autem sponsi amicus, non discalceator, qui sibi sponsam præripiam. Joan. III, 29 : *Qui habet sponsam, sponsus est : amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi et sponsæ*.

Tertius sensus secundum Glossam est, quod calceamentum est præparatio evangelizandi : sicut dicitur, ad Ephes. VI, 15 : *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis*. Cantic. VII, 1 : *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis !* Est ergo sensus : « *Non sum dignus* » ex officio, « *corrigiam calceamentorum ejus*, » hoc est, Evangelii, de suo pede, hoc est, circumportatione, « *solvere*, » et in mundo circumferre : ut per me evangelizetur illud in Gentibus, et in omnem terram exeat sonus : quia hoc non est officii mei qui præcurro, sed hoc est officii Apostolorum, quorum prædicatio sequitur prædicationem Domini : ut soluto a pede suo Evangelio, pedibus suis alligent, et in totum mundum circumportent. Isa. LII, 7 : *Quam pulchri supra super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum,*

*prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus!*

Quarta expositio est Chrysostomi, et est planior et verior omnibus. Quia scilicet solutio calceamenti, est humillimum obsequium, quod potest homini præstari. Et est sensus, quod humillimum obsequium, quod potest homini præstari, non sit dignus præstare et impendere sibi. Job, iv, 18 et 19: *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem: quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea?* Hoc est quod dicit: « *Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.* » Josue, v, 16: *Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, sanctus est*<sup>1</sup>.

« Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni:

17 Cujus ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam. »

Hic tangit proprium Christi actum. Et hoc dupliciter: tangit enim actum sacramenti, et actum judicii.

De actu sacramenti dicit: « *Ipse vos baptizabit,* » hoc est, a peccato interius mundabit. Matth. iii, 14: *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* Glossa, hoc est, a peccato mundari. Matth. xxviii, 19: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

« *In Spiritu sancto et igni.* » Duplex effectus baptismi Christi significatur: acceptio Spiritus sancti, et ignitio fervoris devotionis in consumptione peccati.

De primo dicit: « *In Spiritu sancto,* » quia visibiliter descendit Spiritus sanctus super baptizatos. Luc. iii, 22: *Descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum.*

<sup>1</sup> Exod. iii, 5: *Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.*

Secundus effectus notatur quando dicit: « *Et igni,* » ut notetur peccati consumptio, Ad Hebr. xii, 29: *Deus noster ignis consumens est*<sup>2</sup>. Et notatur charitatis accensio, Luc. xii, 49: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Et notatur fervoris devotio, III Reg. xviii, 24: *Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus.* Act. 1, 5: *Vos baptizabimini in Spiritu sancto non post multos hos dies.* Hic ignis accensus post Christum (pulso nubilo mortalitatis et persecutionis) quasi sol ad alta se contulit. II Machab. i, 22: *Utque hoc factum est, et tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.*

Alterum autem actum determinans ait:

« Cujus ventilabrum in manu ejus. »

Et tangit duo, scilicet, actum districti examinis, et effectum.

Actum quidem examinis tangit, cum dicit: « *Cujus ventilabrum.* » Tangit autem metaphorice actum examinis. Ventilabrum enim est instrumentum, cujus eventatione purgantur grana a quisquiliis palearum. Dicit igitur, quod in manu Christi, hoc est, in potestate judiciaria Christi: quia sicut dicitur, Joan. v, 22: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* In hac ergo manu est ventilabrum, quod alio nomine dicitur *vannum*, per quod notatur discretio salvandorum et damnandorum. Matth. xxv, 33: *Statuet oves quidem a dextris, hædos autem a sinistris.*

Unde sequitur:

« Et purgabit, »

Hoc est, usque ad purum permundabi « *aream suam.* » Psal. xvii, 43: *Com-*

<sup>2</sup> Cf. Deuter. iv, 24.

*minuam eos ut pulverem ante faciem venti : ut lutum platearum delebo eos.*

« *Aream suam,* » hoc est, præsentem Ecclesiam, et in iudicio extremo futuram. Jerem. xv, 7 : *Et dispergam eos ventilabro in portis terræ.* Ezechiel. xxii, 15 : *Dispergam te in nationes, et ventilabo te in terras.*

Hoc etiam modo multipliciter facit Dominus. Aream enim conscientiaë permundat a palea vanæ cogitationis, reservans granum contemplatæ veritatis. Psal. cxlv, 4 : *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Jerem. xxiii, 28 : *Quid paleis ad triticum, dicit Dominus ?* Est etiam area Scriptura, in qua est mixta palea cum tritico, hoc est, litteralis intelligentia cum spirituali. Isa. xxx, 24 : *Pulli asinorum... commistum migma comedent sicut in area ventilatum est.* Pulli asinorum sunt simplices, qui accipiunt granum non nudum, sed in rudi palea : et alii cibantur grano nudo, quod in area ventilatum est a Doctoribus Scripturæ. Area etiam est cor hominis, in quo seminatur granum nudum frumenti<sup>1</sup>, quod tamen surgit cum palea multa temporalis velamenti, quo absconditur a nobis. Sed hoc vellentes granum, dulce verbi et gratiæ inveniemus. Matth. xii, 1, Discipuli transeuntes per sata, vellebant spicas, et paleas quidem abjiciebant : granum autem colligebant, et comedebant. Est area aromatum, quæ non indiget ventilatione, nisi a palea inanis gloriæ. Hæc enim est area virtutum. Cantic. vi, 1 : *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum.*

Sic ergo « *purgabit aream suam.* »

« *Et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* »

Ecce effectus iudicii : « *Et congregabit triticum.* »

Dicit autem tria : associationem electorum hic in Ecclesia et in futuro in patria, et quod ipsi sunt triticum, et quo congregabuntur.

De associatione dicit : « *Congregabit.* » Dispersi enim sunt dispari cultu, et dispari vita, et divisione cordium. Et dispari cultu congregabit in unum cultum, Psal. cv, 47 : *Salvos nos fac, Domine Deus noster : et congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomini sancto tuo.* De dispari vita congregabit in unam gratiam, Ezechiel. xxxvi, 24 et 25 : *Tollam vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram, et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* De divisione cordium congregabit eos in unum cor charitatis, Act. iv, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una : nec quisquam, eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat : sed erant illis omnia communia.*

« *Triticum* » dicit, hoc est, electos, quorum quilibet per bonum quod est in eo, pastus est alterius. Psal. cxlvii, 14 : *Adipe frumenti satiat te.*

Quo autem congregat, subjungit : « *In horreum suum,* » quod est continentia et capacitas Ecclesiæ in gratia, et communione Sanctorum, et communio et capacitas cœlestis patriæ. Matth. xiii, 30 : *Triticum congregate in horreum meum.* Proverb. iii, 10 : *Implebuntur horrea tua saturitate.* Hæc sunt horrea Ægypti, in quibus servantur cibi gratiæ, perseverantes a futura sterilitate : quia ubi sunt electi, ibi est cibus gratiæ et verbi Dei. Multi enim cibi sunt in novalibus patrum.

Secundus effectus est, vel altera pars effectus, quod « *paleas,* » vacuas a gratia, « *comburet igni.* » I ad Corinth. iii, 13 : *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* Unde, vel est ignis tribulationis præsentis peccata auferens : vel

<sup>1</sup> Cf. Joan. xii, 24 et 25.

ignis purgatorius peccata venialia comburens : vel ignis inferni inexstinguibiliter peccatum insequens : et de hoc videtur intelligi, quia in littera ignem illum dicit *inexstinguibilem*. Cum enim ignis duabus de causis exstinguatur, scilicet, a contrario, vel quia deficit sibi materia, ignis inferni neutram habet causam extinctionis. Non enim est contrarium inferno nisi gratia : et hujus non sunt susceptibles qui in inferno sunt. Similiter materia illius ignis est peccator sub peccato : et peccatum sub inferno non est solubile a peccatore, et peccator non consumptibilis ab igne : ideo numquam exstinguitur ignis ille. Isa. LXVI, 24 : *Ignis eorum non exstinguetur : et erunt usque ad satietatem visionis omni carni*. Ideo peccatores dicuntur ligna illum ignem nutrientia, Isa. xxx, 33 : *Præparata est ab heri Topheth, a rege præparata, profunda, et dilatata. Nutrimenta ejus, ignis et ligna multa : flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam*.

18

« Multa quidem et alia exhortans evangelizabat populo. »

Hæc est clausula Evangelistæ qua concludit Joannis prædicationem. Horum autem quæ hic de verbis ejus omittuntur, quædam ponit Matthæus <sup>1</sup>, quædam autem et plura Joannes <sup>2</sup>. Sicut id quod dixit pœnitentiam agentibus appropinquare regnum cœlorum, quod dicit Matthæus. Et quod dixit medium baptizandorum stetisse Jesum, quod digito monstravit, quod Agnum Dei pronuntiavit auferentem peccata mundi, quod discipulos ad eum misit, quod se non esse sponsum confessus est, quod confitebatur et non negavit se non esse Eliam, neque Prophetam, neque Christum, sed

<sup>1</sup> Cf. de Joanne Baptista, Matth. III, 1-17 ; XI, 2-19 ; XIV, 1-12. Marc. I, 1-16 ; VI, 14-29.

<sup>2</sup> Cf. etiam de Joanne Baptista, Joan, I, 19 ; III, 22-36.

vocem Christi et præcursorem : et hujusmodi alia.

Quæ omnia dicebat, « *evangelizans*, » hoc est, verum Evangelium, hoc est, bonum nuntium annuntians, « *populo*. » Isa. XL, 9 : *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion : exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem : exalta, noli timere. Dic civitatibus Juda : Ecce Deus vester, etc.*

« Herodes autem tetrarcha, cum corripere ab illo de Herodiade, uxore fratris sui, et de omnibus malis quæ fecit Herodes,

19

Adjecit et hoc super omnia, et inclusit Joannem in carcere. »

20

Hic breviter per anticipationem agitur de incarceratione Joannis, de qua nos multa diximus, Matth. XIV, 3 et seq., et ibi requirantur <sup>3</sup>. Causa autem quare Lucas anticipat, est, quia festinat ad miracula Christi, quæ præcipue facta sunt in duobus ultimis annis prædicationis Christi. In primo enim anno Joannes incepit invitare ad Christum, et statim inclusus est : et revoluto anno eodem decollatus. Et in illo anno Christus pauca fecit, nisi quod mutavit aquam in vinum : quod fecit circa principium secundi anni suæ prædicationis, post annum revolutum sui baptismatis : quod Joannes ponit <sup>4</sup>, et iste præterit. Causam autem mysticam Glossa tangit, quia Joannes divinitatem Christi prosequitur, in qua nullum habuit mediatorem vel præcursorem : ideo indifferenter scribit, et ea quæ ante Joannis alligationem facta sunt, et ea quæ sunt facta post ipsam. Sed alii Evangelistæ scribunt humanitatem Christi, in qua habuit præcursorem : et ideo

<sup>3</sup> Cf. Enarrationem in cap. XIV Matthæi, § 3 et seq. Tom. XX hujus novæ editionis.

<sup>4</sup> Joan. II, 1 et seq.

de his quæ facta sunt ante præcursionem illius pauca dicunt, nisi quod duodecim annorum ostendit sapientiam : quod tamen non fuit miraculum, licet esset divinum. Et hoc quidem dicit Glossa, nescio quare, quia etiam miraculum de vino, verum est quod post incarcerationem Joannis est factum eodem die, revolutum anno, quando baptizatus est, sicut celebrat Ecclesia. Sed vera causa est, quod anticipat Lucas breviter, quod scivit positum esse sufficienter in Matthæo<sup>1</sup>. Et anticipat, ut postea de Christo continua sit historia.

Tangit autem hic tria, scilicet captivitatem, causam captivitatis, et modum. Captivitatem tangit, cum dicit :

« Herodes, »

Antipas, Herodis Ascalonitæ filius, non tam carne quam malitiæ imitatione, et successione crudelitatis, et hæreditariæ tyrannidis. Sapient. iv, 6 : *Ex iniquis somniis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiae adversus parentes.* Isa. xiv, 20 : *Non vocabitur in æternum semen pessimorum.*

Tangit principatum :

« Tetracha. »

Et ideo quia princeps erat quartæ partis regni Dei (quod Judæorum erat) clementia, justitia, et legi Dei congruentia fovere et manutenere debuit. III Reg. xx, 31 : *Reges domus Israel clementes sunt.* Unde, Proverb. xx, 28 : *Roboratur clementia thronus ejus,* hoc est, regis. Proverb. xxxi, 26 : *Lex clementiæ in lingua ejus.*

De justitia autem dicitur, Isa. xxxii, 8 : *Princeps ea quæ digna sunt principe, cogitabit.* Et præmittitur, x. 1 : *Ecce in justitia regnabit rex, et principes in iudicio præerunt.*

De congruentia legis Dei præcipitur,

Deuter. xvii, 18, quod quando rex inthronizatus est, accipiant deuteronomium legis : et secundum illum iudicabit. Hic autem e contra de dolis injustus et fraudulentus fuit.

Tangit autem causam incarcerationis cum dicit :

« Cum corriperetur ab illo. »

Et tangit causam in speciali vitio et in generalitate vitiorum. In speciali vitio ex parte Joannis, est correptio vitiosi : quæ causa est præcepta, justa, honesta, et pia. Præcepta quidem, I ad Timoth. v, 20 : *Peccantes coram omnibus argue.* Matth. xviii, 15 : *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum,* etc. Justa autem est causa, quia justa est correptio delinquentis. Unde, Eccli. xxi, 7 : *Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris.* Honestata etiam est, quia est de honestate matrimonii et nuptiarum. Sapient. iii, 13 : *Hæc est quæ nescivit thorum in delicto.* E contra, Sapient. xiv, 24 : *Neque nuptias mundas jam custodiunt.* Pia fuit, quia pro injuriâ passo patrociniatus est Joannes : sicut et Moyses, Exod. ii, 13 : *Quare percutis proximum ?* I ad Corinth. vi, 8 : *Vos injuriam facitis et fraudatis, et hoc fratribus.* Hæc etiam causa in patribus est commendata, et maxime in eo in cujus spiritu cucurrit Joannes, hoc est Eliæ, de quo dicitur, Eccli. xlviii, 13 : *In diebus suis non pertimuit principem.* Et de Moysese, ad Hebr. xi, 27 : *Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis.* Hæc igitur causa fuit ex parte Joannis.

Sequitur :

« De Herodiade. »

Hæc Herodias, ut dicit Chrysostomus, fuit filia Aretæ regis, quam prius dederat Philippo, et ista procurante, Philippo

<sup>1</sup> Cf. Matth. v et seq.

eam abstulit, et Herodi fratri suo eam conjunxit. Et ideo ipsa fœmina fuit exitialis meretrix, et pejor meretrice : scortatrix, et pejor scorto fuit adultera. Exitium enim domus fratris Herodis procuravit per patrem Aretam, socerum Philippi : cum tamen conjugis sit ædificare et manutenere domum, sicut dicitur, Tob. x, 13, quod parentes Saræ monuerunt eam regere familiam, diligere maritum. Unde de ipsa dicitur, Eccle. vii, 27 : *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius.* Eccli. xxvi, 10 : *Sicut boum jugum quod movetur, ita et mulier nequam : qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem.* Ista fuit pejor meretrice, quia meretrix a merendo dicitur : ista autem nihil per hoc meruit, sed insatiabilem libidinem quam ad coitum habuit, et in Philippo explere non potuit, in Herode quæsivit, qui totus libidini etiam per medicinas inservivit : et ideo scortum fuit, quæ in hoc differt a meretrice, quod non nisi libidinem quærit, meretrix autem non libidinem, sed pretium. Ezechiel. xvi, 33 et 34 : *Omnibus meretricibus dantur mercedes, tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis.* Et in hoc quod dedisti mercedes, et mercedes non accepisti, *factum est in te contra consuetudinem mulierum in fornicationibus suis.* Hæc est mulier ultro virum rapiens <sup>1</sup>. Scortatricis etiam malitiam vicit, quia adultera.

Unde dicit :

« Uxore fratris sui. »

Eccli. xxiii, 32 et 33 : *Mulier omnis relinquens virum suum, et statuens hæredem ex alieno matrimonio, peccabit.* Primo quidem, quia *in lege Altissimi incredibilis fuit* : et secundo, quia *in virum suum deliquit* : tertio, quia *thorum viri, et fidei suæ sponsionem viola-*

vit. Et hoc totum notat cum dicit : *In adulterio fornicata est.* In hoc autem quod maritus ejus verus frater fuit, etiam stupri rea : sicut et ipse Herodes contra legem, Levit. xx, 21 : *Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam.* Ergo stuprator et adulter fuit : sicut et ipsa Herodias, exitialis meretrix.

« Et de omnibus malis. »

Ecce generalis correptio : quia de omnibus malis corripuit eum : quia Herodis malum exemplum fuit pessimum : quia, ut dicit Gregorius, « in exemplum culpa vehementer extenditur, cum pro reverentia gradus peccator honoratur. » Et ideo minus est dissimulandum in Præfato, quam in subdito. Nec erat ulla tergiversatione celanda : quia notorium erat, quod ea erant « *quæ fecerat Herodes,* » et negari non poterant. Psal. xlix, 21 : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam.* III Reg. ii, 44 : *Tu nosti omne malum, cujus tibi conscium est cor tuum.*

« Adjecit et hoc supra omnia, etc. »

Ecce effectus causæ præinductæ : quia pro bono reddidit malum. Jerem. xviii, 20 : *Numquid redditur pro bono malum ?* « Adjecit » autem dicit, quia cum in omnibus aliis fuerit scelestus et malus, in hoc etiam fuit sacrilegus, et temerarius, et ingratus. Sacrilegus quidem, quia in eum, qui ab utero matris consecratus est, misit manum. Eccli. xlix, 9 : *Male tractaverunt illum, qui a ventre matris consecratus est.* Temerarius autem, quia injecit manus violentas in Prophetam : cum dicit Psalmista, Psal. civ, 15 : *Nolite tangere Christos meos, et in Prophetis meis nolite malignari.* Ingratus autem, quia pro bono malum reddidit. Psal. cviii, 4 : *Pro eo ut me diligenter, detrahebant mihi.*

<sup>1</sup> Cf. I Reg. xx, 30.



« *Adjecit* » ergo tantum pondus iniquitatis « *super omnia* » peccata sua. Psal. xxxvii, 6 et 5 : *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ, ... et sicut onus grave gravatæ sunt super me.*

« Et inclusit Joannem, »

Ab utero sanctificatum, cujus natiuitas miraculum, cujus vita sanctitas, cujus officium via fuit salutis, cujus vox libera Verbum ostendit æternum. Hunc ergo et talem « *inclusit in carcerem,* » viam ad Christum quantum in se fuit auferens, verbum Dei alligans, salutarem præconem silentio perpetuo condemnans : eum qui illuminare missus est his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, tenebris carceralibus includens.

Ecce quantum malum suis malis adjecit Herodes.

21 « Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato et orante, apertum est cælum :

22 Et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum : et vox de cælo facta est : Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi. »

Hic agitur de baptismo Christi quod est sanctificatio nostri baptismatis, et generatio nostræ regenerationis. Agendo autem de Christi baptismate facit quatuor. Primo enim ostendit, qualiter Christi baptismus est terminus baptismatis Joannis. Secundo ostendit, quæ devotio habenda est ad nostrum baptismum percipiendum. Tertio ostendit, quis sit effectus baptismatis in eo qui digne percipit. Quarto ostendit, quæ sint sanctificantia nostrum baptismata.

De primo autem determinans dicit : « *Factum est,* » secundum ordinationem divinam, quæ omnia præordinat antequam fiant, « *cum baptizaretur omnis*

*populus.* » Accommoda est distributio pro generibus singulorum, hoc est, de quolibet populo aliqui, hoc est, divites et pauperes, nobiles et ignobiles, servi et liberi, masculi et fœminæ, Judæi et Gentiles, et sic de quibuslibet differentiis hominum : inter quos etiam « *et Jesu baptizato,* » qui sicut dicit, Joan. 1, 26, medius stetit baptizandorum.

Si autem quæritur, Quare Christus voluit baptizari? Dicimus, quod plurimæ et rationabiles causæ assignantur : quarum una potissima est, ut tactu suæ mundissimæ carnis vim regenerativam conferret aquis. Sicut enim in quolibet tactu suo semper aliquid operatus est divinum : sicut tetigit leprosum, et sanatus est per virtutem divinitatis : et tetigit eum hæmorroissa, et sanata est : ita etiam tactu aquæ vis influxit aquis quod possent mundare animas, quæ *vis regenerativa* dicitur : tamen hæc vis est in habitu in aquis, et non reducitur ad actum nisi per invocationem sanctæ Trinitatis, et tunc agit regenerationem : sicut etiam in baptismate Christi Trinitas apparuit, Spiritus sanctus in columba, Pater in voce, et Filius in aqua. Et hæc est vera causa.

Tamen aliæ causæ assignantur : sicut ut baptismo justitiam suam compleret, verbi gratia, ut pateretur legem quam ipse tulerat, quia dedit legem, Joan. iii, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et ideo ut eamdem legem subiret, baptizatus est : sicut subivit legem circumcisionis quam dederat.

Altera causa est ut nobis exemplum præberet baptismi suscipiendi. Joan. xiii, 15 : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Libentius enim et devotius sacramentum in elemento visibili suscipit servus, quod ante eum suscepit Dominus : et magis credit in elemento visibili invenire gratiam, quando scit non esse egenum, et vacuum esse elementum ex susceptione Domini.

His igitur de causis baptizari voluit Dominus.

Sequitur :

« Et orante. »

Instruit Dominus in qua devotione accipiendus est baptismus. Oratio enim, ut dicit Augustinus, est pius affectus mentis in Deum directus. Et in hoc pio affectu suscipi debet et conservari : quia cum indevotus accedit, obicem Spiritui sancto ponit : et licet sacramentum consequatur, tamen rem sacramenti non suscipit. Sapient. 1, 3 : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, et corripitur a superveniente iniquitate.* Sic ergo per orationem pietas monstranda et exercenda est : ut virtutem suam faciat baptismus.

Sequitur de effectu baptismi :

« Apertum est cælum. »

Non quod divisum fuerit, sed quia secreta cæli patuerunt. Cælum enim a celando est dictum, et usque ad illud tempus, quamvis aliquando alicui Sanctorum aliquid de secretis cæli revelatum fuerit ad sciendum : tamen secreta cæli non sunt aperta ad dandum, et exhibendum communiter. Et sic aperti sunt cæli in baptismo. Ad litteram autem tantus spendor super Christum emicuit, quasi inferiori cælo cedente per modum quo nubes a cælo recedunt, totum cælum empyreum revelaretur, et totum splendorem suum in Christum super terram dirigeret, et terram lumine repletet, facto dicens hoc quod dicitur de illo, ad Hebr. 1, 3, quod *Christus est splendor gloriæ et figura substantiæ æterni solis, hoc est, Patris.* Sapient. vii, 26 : *Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis.* Figurabatur mystice baptizatis Christi baptismate cælum aperiri. Baptismus enim cælum aperit per hoc quod aufert

impedimentum ascendendi in cælum. Passio autem Christi aperit per pretii solutionem, et Ascensio Domini aperit per loci adeptionem et mansionis præparationem. Unde baptismus removet repagulum, Psal. cvi, 16 et 17 : *Contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit : suscepit eos de via iniquitatis eorum.* Passio autem solvit pretium de emenda mansione, Genes. xxxi, 39 : *Ego damnum omne reddebam : quidquid furto peribat, a me exigebas.* Ascensio autem in redemptum per passionem intrat locum, Joan. xiv, 2 et 3 : *Vado parare vobis locum... Iterum venio, et accipiam vos ad meipsum : ut ubi sum ego, et vos sitis, scilicet mecum.*

« Et descendit Spiritus sanctus, etc. »

Sequitur de sanctificantibus baptismum. Hæc autem sunt, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus : Pater in voce, Filius in carne, Spiritus sanctus in columna. Et ideo sine invocatione Trinitatis per propria nomina, baptismus non sanctificatur : quia tres personæ per sibi propria ibi apparuerunt sanctificantes. Matth. xxviii, 19 : *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

Quia autem in sanctificando, ut dicit Augustinus, Spiritus sanctus persona vicinior nobis est, ideo incipit a Spiritu, dicens tria : descensum, et descendentem, et descendendi modum.

Descensum tangit cum dicit : « *Et descendit,* » descensione sua declarans sanctificationis infusionem in baptismum. Isa. lxvi, 12 : *Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam Gentium.* Flumen pacis significatio est Spiritus. Et quia nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia, ideo appropriatur torrenti inundanti. Torridus quidem calore charitatis : inundans autem abundantia cha-

rismatis. Et hæc est gloria gentium quæ veniunt cum devotione ad baptismum.

Descendentem autem tangit Spiritum sanctum:

« *Et descendit Spiritus sanctus,* » per spirationem renatis ferens spiritum vitæ, et per sanctitatem expellens peccatum quod fuit causa mortis. Facit autem hæc duo septem quibusdam appropriatis sibi effectibus. Primo enim munditia creat cor novum, Psal. L, 12: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Secundo, creatum autem et mundatum et rectificatum renovat virtute, Psal. ciii, 30: *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ.* Ezechiel. xxxvi, 26 et 25: *Dabo vobis Spiritum novum, ... et effundam super vos aquam mundam.* Tertio, renovatum eripiens de servitute facit liberum, II ad Corinth. iii, 17: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas,* Quarto, liberum facit Deo reconciliatum amicum, Genes. viii, 11, Columba retulit ramum virentis olivæ, reconciliatum et propitiatum ostendens Deum. Quinto, reconciliatum adhuc infirmum adjuvat ad bonum, ad Roman. viii, 26: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Sexto, adjutum et confortatum suspirare facit de exilio ad patriam, ad Roman. viii, 26: *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Septimo, suspirantem pennis desideriorum et contemplationum elevat in requiem beatorum in cælum, Psal. liv, 7: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? et volabo, et requiescam.* Sic ergo descendit Spiritus sanctus.

Descendendi autem modum tangit in duobus, scilicet, in genere, et in specie.

In genere quidem, quia descendit

« Corporali specie. »

Hæc autem species fuit verum corpus oculis hominum quibus Deus revelari voluit visibiliter apparens. Tamen species vocatur, quia Spiritui sancto corpus il-

lud non fuit unitum, sicut Filio fuit unitum corpus hominis quod assumpsit. Hæc igitur est causa quod dicitur, non corpore, sed *corporali specie*: quia in eo Spiritus sanctus fuit ad expletionem operis quod exercuit, et non ad esse unionis in persona.

Et in specie tangit modum cum dicit:

« Sicut columba, »

Quæ quidem vera columba fuit: quia pura veritas nescit uti figmentis phantasticis. Joan. iv, 24: *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.*

Proprietatibus autem decem mirabiliter columbæ convenientibus, voluit potius uti columba quam alia specie corporali: quarum una est, quod non habet fel in hepate, in quo secundum Platonem est vis appetitiva: quod signat nihil fellitum et amarum secundum indignationem, vel iram, vel odium, vel invidiam, communicationem habere cum Spiritu sancto. Ad Hebr. xii, 15: *Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediatur, et per illam inquinentur multi.*

Secunda est, quia avis est innocua ore, non mordax: et si mordeat, non dat læsuram, signans nihil mali in ore habere qui habet Spiritum sanctum. Ad Ephes. iv, 29: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.*

Tertia est, quia est avis innocua unguibus, nihil lacerans pede vel ungue. Psal. xxxvi, 37: *Custodi innocentiam, et vide æquilatem.*

Quarta est, quod est avis cibata nudo grano, et tectum pede non eruit vertendo sicut gallina, vel rostro fodiendo sicut corvus: in quo notatur frugalitas parsimonie. Eccli. xxxi, 19: *Utere quasi homo frugi his quæ tibi apponuntur.*

Quinta est, quod est avis osculativa sui generis, significans in hoc dulcedi-

nem Spiritus. Et, sicut dicit Augustinus, etiam cum mordens est, dulciter quasi osculando et non lædendo mordet, significans quoniam reprehensio et correctio est dulcis et non dente canino illata. Unde Augustinus : « Gratanter recipit « osculum columbinum benignissima « charitas : dentem autem caninum vel « evitat cautissima humilitas, vel retundit solidissima charitas. » Eccli. xxiv, 27 : *Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.*

Sexta proprietas est, quod mirabili sagacitate cavet accipitrem. Si enim videat falconem qui non accipit eam nisi ictum dando in aere, fugit vel ad terram vel ad arborem. Si autem videat aquilam quæ accipit in terra, statim declinat ad aerem vel ad arborem. Et si videat larum accipientem in arbore, declinat ad terram vel ad aerem. Et ideo sedet super aquas : ut si forte per negligentiam non consideret rapacem venientem, saltem umbram ejus in aqua perpendat : significans quam sagaciter tentator est declinandus, et per veritatem vel in fluentis Scripturæ considerandus. Cantic. v, 12 : *Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum.*

Septima esse dicitur, quod pullos alienos nutrit et fovet sicut suos : et commendat dilectionem proximi. Levit. xix, 18 : *Diliges amicum tuum sicut teipsum.*

Octava est, quod gemitum habet pro cantu. Proverb. xiv, 10 : *Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus.*

Nona est, quod gregatim volat, concordiam et socialem civilitatem custodiens. Eccli. xxv, 1 et 2 : *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : concordia fratrum, amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes.*

Decima est, quod in petra nidum suum

collocat vel alio tuto loco, propter animalia nido insidiantia. Petra autem est Christus<sup>1</sup> : et foramina nidis nostris apta, aperturæ vulnerum ipsius : in quibus abscondit cordis sui partum per memoriam passionis quisquis tutus esse desiderat. Jerem. XLVIII, 28 : *Estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.* Isa. II, 10 : *Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo.*

His ergo proprietatibus elegit columbam : non quidem quod esset illi columbæ unitus, sive incolumbatus : sicut Christus incarnatus, et humanatus : sed quod vera et viva sit columba, tunc ad usum Spiritus creata, et post peractum officium in pristinam materiam resoluta. Noluit enim manere eam adorandam, sicut Christi caro adoratur : quia non erat sibi unita : sicut et confringi et comburi pulverem serpentis, quem Moyses fecerat, voluit per Ezechiam<sup>2</sup>, ne a populo adoraretur, et sic in idololatriam induceret. Apparuit autem super Apostolos in igne<sup>3</sup> : quia eos ad charitatem accendit, et peccatum consumpsit, quod non erat opus in Christo.

Sic igitur Spiritus sanctus corporali specie descendit sicut columba « in ipsum, » ita quod Spiritus descendit in ipsum : columba autem mansit super eum usque post baptismum, et tunc desiit. Joan. I, 33 : *Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat.*

« Et vox de cælo facta est. »

Et in hac voce apparuit Pater in suæ proprietate personæ. Sicut enim columba inter omnia corporalia, sola propria Spiritus sancti, non Filii, neque Patris : ita vox ista sola inter omnia corporalia, propria est solius Patris, non Spiritus sancti, neque Filii. Et ita caro assumpta sola est propria Filii, non Patris, nec

<sup>1</sup> I ad Corinth. x, 4.

<sup>2</sup> IV Regum, xviii, 4.

<sup>3</sup> Act. II, 3.

Spiritus sancti. Omnia enim alia corporalia communiter sunt trium: licet per aliquam convenientiam attribuantur aliquando uni personæ, sicut ignis, Spiritui sancto, cum tamen sit communis trium. Et hoc est quod dicit Psalmista, Psal. xxviii, 3: *Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas.* Psal. lxxvii, 34: *Dabit voci suæ vocem virtutis.*

Sonuit autem tribus vicibus vox de cœlo: vox Patris in baptismo quidem ad sanctificandum<sup>1</sup>: in transfiguratione ad beatificandum<sup>2</sup>: in passione autem ad reconciliandum<sup>3</sup>. In baptismo acceptat sacramentum: et ideo dicit: *In quo mihi complacui.* In transfiguratione beatificandos invitat ad obediendum: et ideo dicit: *Ipsium audite.* In tempore passionis ad purificandum, ut aptus sit homo splendori gloriæ: et ideo dicit: *Clarificavi, et iterum clarificabo.*

Quid autem dicit vox, subjungit cum dicit:

« Tu es filius, etc. »

Tria dicit: discretionem Filii ab aliis, professionem dilectionis, et acceptationem sui operis.

Discretionem quando dicit: « *Tu es Filius meus,* » ab aliis discretus in hoc quod tu per naturam, alii autem per adoptionis gratiam. Joan. i, 14: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* In hoc autem quod est Filius naturalis et proprius, adoptamur nos in filios. Ad Coloss. i, 14: *Transtulit nos in regnum Filii dilectionis suæ.*

Professionem dilectionis in hoc quod dicit: « *Dilectus,* » qui nihil habet non dilectum: quia non nascitur filius iræ sicut cæteri<sup>4</sup>: quia ipse principium est suæ dilectionis, hoc est, Spiritus sancti: sicut et Pater. Et hanc dilectionem in-

fundit fidelibus, ad Roman. v, 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Placitum operis Filii dicit:

« In quo complacui mihi. »

Quia *mea omnia tua sunt, et tua mea sunt. Et clarificatus sum in eis*<sup>5</sup>. Et ideo quia mea in te sunt: sicut placeo mihi in meis nihil displicentiæ inveniens, ita placeo mihi in tuis nihil inveniens displicentiæ. Et hæc est lectura Ambrosii. Beda autem legit: « In te complacuit mihi, » hoc est, in te simul placitum meum resedit: quia per te placet totum quod prius displicuit. Genes. vi, 7: *Pœnitent me fecisse eos, scilicet homines.* Sed modo complacet in te reparare: et ideo totum meum placitum, hoc est, pascens in volito voluntas, est in te: et ideo acceptabo pro redemptione hoc quod feceris. Psal. l, 21: *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta.*

Sic ergo Pater in voce apparuit sibi, et non alii personæ propria.

« Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat,

Qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph,

Qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge,

Qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda,

Qui fuit Joanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri,

<sup>1</sup> Cf. Matth. iii, 17.

<sup>2</sup> Cf. Matth. xvii, 5.

<sup>3</sup> Cf. Joan. xii, 28.

<sup>4</sup> Ad Ephes. ii, 3: *Eramus natura filii iræ, sicut et cæteri.*

<sup>5</sup> Joan. xvii, 10.

- 28** Qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her,
- 29** Qui fuit Jesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi,
- 30** Qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Eliakim,
- 31** Qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David,
- 32** Qui fuit Jesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson,
- 33** Qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Judæ,
- 34** Qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor,
- 35** Qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale,
- 36** Qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech,
- 37** Qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan,
- 38** Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei. »

Hic tangit duo : præsentiam Filii tactu suæ mundissimæ carnis sanctificantis aquam baptismatis, et genealogiam.

Præsentiam filii tangens, innuit præsentiam, et determinat ætatem.

Præsentiam innuens, dicit : « *Et ipse*

*Jesus.* » Quasi dicat : Cum Spiritu et Patre erat ipse Jesus. Joan. xiv, 9 et 10 : *Qui videt me, videt et Patrem :... Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est ?* Tres ergo sic baptismum sanctificant, significantes quod oportet esse baptismum in nomine Trinitatis : quia una est sanctificatio trium, et una est operatio trium.

Hic ergo Jesus « *erat incipiens* » facere, et docere, et Ecclesiam in unum congregare. Act. i, 1 : *Cœpit Jesus facere, et docere.* Matth. iv, 17 : *Exinde cœpit Jesus prædicare, et dicere : Pœnitentiam agite.*

« Quasi annorum triginta. »

Vera lectura est : quia Jesus erat incipiens aperte docere, et prædicare : cum esset « *quasi annorum triginta,* » hoc est, circa triginta annos : quia habuit triginta annos et tredecim dies. Isto enim tempore, sicut dicit Glossa, Joseph recepit Ægypti gubernacula<sup>1</sup> : David regalem accepit dignitatem<sup>2</sup> : Ezechiel prophetare exorsus est<sup>3</sup>. Et quod a Patriarchis voluit præfigurari, a Prophetis prædici, a Regibus observari : et ipse post alios voluit confirmare, ne aliquis exemplum sumens ab ipso, præsumeret ante ætatem legitimam publicum regimen assumere, vel officium docendi. Propter quod Apostolus, I ad Timoth. iii, 6, dicit : *Non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.* Paucissimis tamen et non sine aperto iudicio revelationis divinæ, concessum est ante iudicare et prophetare, sicut Jeremiæ<sup>4</sup> et Daniel<sup>5</sup>. Et si ab his locis rationem dispensandi accipiunt summi nostri Pontifices et Cardinales cum suis nepotibus, quos pueros in dignitatibus et Prophetarum officiis constituunt, ostendant saltem ab utero sanctificatos, sicut Jere-

<sup>1</sup> Genes. xli, 46.

<sup>2</sup> II Reg. v, 4.

<sup>3</sup> Ezechiel, i, 1.

<sup>4</sup> Cf. Jerem. i, 6.

<sup>5</sup> Daniel xiii, 45.

miam : et quod Deus eis honorem contulerit senectutis, sicut in Daniele. Alioquin pro certo sua abutuntur potestate.

Quidam autem aliter legunt sic : « *Ipsse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta,* » hoc est, annum trigesimum, quia de trigesimo anno habuit tredecim dies : et ideo annum trigesimum incepserat. Sed hæc lectura nihil penitus valet, et de littera extrahi non potest : quia tunc non esset ut annorum triginta, sed ut incipiens trigesimum : nisi vellet aliquis dicere, quia sapientia in eo et gratia erat sicut esset annorum triginta. Sed hoc nihil est : quia tunc etiam in primo anno erat sicut esset centum annorum. Unde prima lectura sola est vera.

« *Erat autem incipiens quasi esset annorum triginta,* » secundum illum modum ætatis humanæ, « *ut putabatur filius Joseph,* » hoc est, secundum quod erat homo, et non Deus : quia secundum quod Deus erat, non erat incipiens triginta annorum, sed ab æterno. Joan. v, 17 : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.*

Et ab hinc textit genealogiam, in qua in tribus differt a Matthæo.

Primum est, quod Matthæus genealogiam textit descendendo, Lucas autem ascendendo. Secundum est, quod Matthæus ponit genealogiam in principio suæ narrationis, Lucas autem post baptismum. Tertium autem, quod Matthæus ponit quadraginta duas generationes, si Christus simul, et Jechonias sicut in Evangelio positus bis computetur. Alioquin si Christus non computetur, et Jechonias tantum semel computetur, tunc non ponit nisi quadraginta. Lucas autem textit septuaginta septem.

Causa autem istarum differentiarum est, quod Matthæus quidem carnalem describit generationem, per quam Christus per corpulentam substantiam descendit ad nos : et ideo descendendo describit. Lucas autem spirituales magis describit adoptionem, per quam in filios

adoptamur : et ideo describit ascendendo : quia sic filii Dei efficimur. Joan. 1, 12 : *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Causa secundæ differentię est eadem : quia cum Matthæus corporalem in Christo generationem describat, a principio inchoare debuit : quia illa prima est secundum processum temporis. Cum autem Lucas spiritualem generationem filiorum Dei per Christum factam describat, quæ a baptismo incepit, post baptismum illam ascendendo texuit usque in Deum.

Quod autem Matthæus quadraginta vel quadraginta duas ponit generationes, Lucas vero septuaginta septem, causa est, quia Matthæus describit ea quibus militatur in hac vita : quia quaternarius pertinet ad quatuor mundi climata, vel quatuor anni tempora : et ideo significat hoc quod in hoc mundo est ubique et semper faciendum. Denarius autem ad præcepta refertur quibus militatur. Quadraginta autem ex quater decem componitur. Si autem duo addantur : opera duo dilectionis (quibus præcepta implentur) significantur. Et sic numerus militię Christianæ quadragenario numero significatur. Et similiter per quadraginta duo : qui numerus mansionibus filiorum Israel significatur. Et sicut quadragesima mansione, diviso Jordane, terra promissionis intratur, ita per quadragenarii numeri partes ad quinquaginta pervenitur : qui numerus est remissionis et libertatis : sicut dicunt Sancti. Sed septuagesimus septimus est annus remissionis, quia constat ex septies undecim. Et numerus undecim quidem (quia denarium excedit, et ad duodenarium non pervenit) signat transgressionem. Septenarius autem ad tempus universale refertur quo illa transgressio perpetratur. Septenarius autem qui remanet, significat septem remissiva, quæ sunt septem sacramenta, vel septem Spiritus dona, vel etiam septem quæ remittuntur vitia. Et ideo ad universalem pertinet remissionem. Matth.

xviii, 22 : *Non dico tibi, Petre, dimittendi usque septies, sed usque septuagies septies.* Et hæc omnia sunt in Glossa.

Adhuc autem, Matthæus utitur hoc verbo, « *Genuit* : » Lucas autem verbo, « *Qui fuit.* »

Item, Matthæus non ponit nisi filios naturales : Lucas autem etiam ponit adoptivos et legales.

Item, Matthæus in regali progenie a David descendit per Salomonem : Lucas autem tacito Salomone, per Nathan ascendit ad David.

Adhuc autem, Matthæus patrem Joseph dicit fuisse Jacob : Lucas autem patrem Joseph, sponsi Mariæ, dicit fuisse Heli.

Ad hæc autem respondent Sancti, quod quia Matthæus textit veram genealogiam, ideo utitur verbo veræ generationis : Lucas autem cum textit magis adoptionis genealogiam, non ponit, « *Genuit,* » sed, « *Qui fuit.* » Adoptivus enim filius et legalis sunt filii : et tamen non generantur ab eo cujus sunt filii. Alii etiam dicunt quod adoptio confert verum esse : de quo dicit Boetius : « *Esse, est quod ordinem retinet, servatque naturam.* » Et ideo utitur verbo pertinente ad esse. Matthæus autem quia carnalem textit propinquitatem, quæ non multum confert, non utitur verbo essendi, sed generandi.

Quod autem Matthæus non ponit nisi filios naturales, causa est, quia carnalem textit generationem. Et quod Lucas ponit adoptivos et legales, causa est, quia textit spiritualem generationem.

Quod autem Matthæus descendendo genealogiam textit a David per Salomonem, causa est, quia regalem secundum carnem in Christo vult ostendere dignitatem. Lucas autem connectit genere sacerdotali, potius in Christo ostendens quod hostia est quam rex : et ideo per Nathan qui Propheta fuit, David redarguens de peccato quod in Bethsabee

commiserat, et annuntians quod remissum fuit sibi peccatum <sup>1</sup>. Et ideo a David (eumdem Nathan adoptante in filium) ascendendo per Nathan filium gratiæ, ascendit ad David : Salomone tacito, qui secundum naturam natus est de peccatrice, et adultera : et ab adultero, et homicida, et proditore.

Quod autem Matthæus patrem Joseph, sponsi Beatæ Mariæ Virginis, dicit esse Jacob, cujus patrem Lucas dicit esse Heli, causam dicit Africanus in expositione Lucæ, quod Jacob pater carnalis fuit Joseph, et hoc ponit Matthæus : legalis autem fuit Heli, et hoc ponit Lucas. Cujus modum ponit talem, et est in Glossa. Dicit enim quod Mathan et Mathat fuerunt fratres uterini : Mathan autem descendit per Salomonem, et duxit uxorem nomine Hastra, et ex ea genuit filium Jacob nomine : et defunctus est. Quia autem sine liberis prolibus defunctus est, ideo eamdem Hastram post Mathan, duxit frater ejus Mathat, et genuit ex ea Heli : et ita Jacob et Heli fuerunt fratres uterini ex duobus patribus et una matre. Heli autem accepta uxore moritur sine semine, cujus uxorem duxit Jacob, et genuit Joseph. Et ita Joseph carnalis fuit filius Jacob, et legalis Heli : quia Jacob eum genuit de uxore Heli, ipsi Heli fratri suo semen suscitando. Hoc est ergo quod dicit in littera.

Et sic fere per totum patet genealogia.

Adhuc ergo attendendum est, quod Augustinus in Libro *Quæstionum Vestris et Novi Testamenti*, dicit ubique *Qui*, articulare nomen, referri ad Christum : eo quod attendit interpretationes nominum, et quod secundum virtutes quas interpretationes nominum indicant generati vel adoptati pertinent ad Christum : sicut membra ad caput. Ambrosius autem accipiens personas numeratas quoad esse naturale dicit, quod « *Qui fuit,* » refertur semper ad immediate præcedentem. Ut sit sensus : Putabatur Christus

<sup>1</sup> Cf. II Reg. xii, 1 et seq.



filius Joseph, qui Joseph fuit Heli filius, qui Heli fuit filius Mathat. Et sic de omnibus aliis.

His prælibatis, attendendum est ad litteram quæ jam patet fere per totum.

Denarius  
primus.

Colligamus enim primos decem patres, qui sunt Joseph, Heli, Mathat, Levi, Melchi, Janne, Joseph, Mathathias, Amos, Nahum : et dicemus, quod Joseph *appositio* interpretetur, Heli *fortis* vel *ascendens*, Mathat autem *donans peccatum*, Levi autem *additus*, Melchi *rex meus*, Janne *dextra*, Joseph *augmentum*, *donum Domini* vero interpretetur Mathathias, Amos autem *onerans*, Nahum vero *consolator*. Et isti decem significant decem gratias in adoptionis generatione extrahentes hominem de peccato.

Primum est, quod extrahit gratia libero arbitrio appositæ : quia homo est spiritus vadens et non rediens <sup>1</sup>. Per se quidem vadit in peccatum : non autem redit de peccato nisi gratia appositæ. Nisi autem fortis sit contra peccatum, iterum relabitur : ideo « *Heli*, » qui *fortis* interpretatur, ex appositione gratiæ nascitur. Josue, 1, 6 : *Confortare, et esto robustus*. Heli autem pater est « *Mathat*, » qui *donans peccatum* interpretatur : quia in tali fortitudine, peccati vires salvantur, et quoad illas vires peccatum condonatur. Ad Roman. vi, 14 : *Peccatum vobis non dominabitur*. Ex destructo autem peccati dominio, « *Levi*, » qui *additus* interpretatur, nascitur : quia tunc virtus bene operandi homini additur ad eam quam prius habuit gratiam. Matth. xxv, 29 : *Omni habenti dabitur, et abundabit*. Tali autem additione facta, « *Melchi* » nascitur, qui *rex meus* interpretatur : quia tunc homo regere se sufficit, et per justitiam gubernare. Isa. xxxii, 1 : *Ecce in justitia regnabit rex, et principes in judicio præerunt*. Ab hoc « *Janne*, » qui *dextra* interpretatur, oritur : quia tunc in potestate constitutus, fortia operatur : sicut dicit Psalmus cxvii, 16 : *Dextera*

*Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me*. Ab hoc item iterato, « *Joseph*, » hoc est, *auctus* oritur : quia tunc victoriæ contra insidias peccatorum frequentes obtinentur : ex quibus homo auctus in bonis spiritualibus inclytus efficitur. Genes. xxxi, 1 : *Tulit Jacob omnia quæ fuerunt patris nostri, et de illius facultatibus ditatus, factus est inclytus*. Ab hoc autem « *Mathathias* » nascitur, qui et ipse *donum Dei* interpretatur : quia cum homo crebris victoriis gratiam adjutricem sensit, quid aliud nisi qualibet victoria semper nova Dei cognoscit ? Jacob. 1, 5 : *Dat omnibus affluenter, et non impropere*. Ab hoc autem « *Amos* » nascitur, qui *onerans* interpretatur : quia quanto plura dona Dei recipiuntur, tanto plus ipse qui recipit, ad rationem oneratur : quia, ut dicit Gregorius, cui plus committitur, ab eo plus exigitur : et cum crescunt dona, rationes etiam crescunt donorum. Matth. xviii, 23 : *Assimilatum est regnum cælorum homini regi qui voluit rationem ponere cum servis suis*. Ab Amos autem tandem « *Nahum* » nascitur, qui *consolator* interpretatur : qui cum misericorde Domino rationem ponimus, qui cum non habemus unde solvamus, si devoti sumus, totum dimittit. Luc. vii, 42 : *Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque*. Matth. xviii, 27 : *Miseratus dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei*.

Sic ergo per istos decem effectus gratiæ perfecte receditur a peccato in bonum.

Consequentes autem decem sunt, Helli, Nagge, Mahath, Mathathias, Semei, Joseph, Juda, Joanna, Resa, Zorobabel.

Denarius  
secundus.

Hi autem, decem virtutibus perficiunt hominem secundum animæ vires. « *Helli* » enim qui interpretatur *adjuvame* : « *Nagge*, » qui interpretatur *meridianum* : et *Mahath*, » qui *donatio temporis* : « *Mathathia*, » qui « *donum Dei* » Semei, qui *obediens* : « *Joseph*, »

<sup>1</sup> Psal. lxxvii, 39 : *Recordatus est quia caro*

*sunt, spiritus vadens et non rediens.*

qui *accrescens*, et « *Juda*, » qui confitens, significant rationis perfectionem secundum suos actus. Hæc enim septem ad perfectionem ejus exiguntur.

Secundo etiam oportet quod a Deo tenebræ ejus in quibus nascitur, lumine suo pellantur : et hoc fit per « *Nagge*, » qui *meridies* interpretatur. Isa. LVIII, 10 » *Orietur in tenebris lux tua : et tenebræ tuæ erunt sicut meridies*. Hæc autem lux non datur nisi quærenti adjutorium ab eo qui habitat lucem inaccessibilem. Et hoc adjutorium fit per « *Hesli*, » qui *adjuva me* interpretatur. Non autem fit illuminatio rationis solum per donum divinum, sed etiam per studium Scripturarum. Unde tertius, « *Mahath* » accedit, qui *donatio temporis* dicitur, in quo homo per Scripturarum studium illuminatur et per experimentum. Unde Gregorius : « Intellectum dat, dum de auditis mentem illuminat. » Psal. CXVIII, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis*. Dicunt enim Philosophi, quod ideo datur homini tempus vivendi, ut intellectum lumine scientiæ per studium perficiat. Sed omnem intellectum in captivitate oportet redigere sub articulis fidei, sicut dicitur, II ad Corinth. x, 5. Ideo oportet rationem obedientem esse fidei. Oportet enim discentem, credere, ut dicit Philosophus. Et hoc facit « *Semei*, » qui *obediens* interpretatur. Psal. XVII, 45 : *In auditu auris obedivit mihi*. Isa. I, 5 : *Dominus Deus aperuit mihi aurem : ego autem non contradico, retrorsum non abii*. Talis autem crescit sapientia et scientia tam dono Dei quam etiam studio : et hoc incrementum est « *Joseph*, » sicut supra, II, 52, habitum est, quod puer *Jesus proficiebat sapientia, et ætate*, etc. Sic autem accepto incremento scientiæ fidei, ore confitetur quod intus intelligit : et hoc est « *Judas*. » Ad Roman. x, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*.

Concupiscibilis autem perficitur per specialem gratiam : ipsa est corrupta et

infecta, et gratia magna indiget ut corruptioni et infectioni possit resistere. Unde « *Joanna* » *gratia* interpretatur. Sapient. VIII, 21 : *Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det : et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum*. Per gratiam igitur perficitur sic contra malum inflictum sibi ex peccato. Ejusdem autem est esse benignam et misericordem ad proximum : et hoc est « *Resa*, » qui *misericors* interpretatur. Luc. VI, 36 : *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est*. Irascibilis autem perficitur dominali insurrectione, contra omnia confusionem inducentia. Et hoc est « *Zorobabel*, » qui *dominus* vel *magister*, vel *dominus Babylonis* vel *confusionis* interpretatur.

Sequentes autem in tertio denario perficiunt hominem ad tres theologicas virtutes, qui sunt Salathiel, Neri, Melchi, Addi, Cosan, Elmadam, Her, Jesu, Eliezer, Jorim. Et novem quidem antecedentes perficiunt tres virtutes ad suos actus. Decimus autem qui sequitur, respicit omnes tres quoad effectum quem faciunt in anima.

Habet enim charitas actum primum qui est desiderare : et quoad hunc ex desiderio multa petit, et quoad hunc actum perficitur per « *Salathiel*, » qui *petitio mea Deus* interpretatur. Psal. LXXII, 25 : *Quid enim mihi est in cælo, et a te quid volui super terram ?* Hoc enim est verbum charitatis, quod omnis petitio sua Deus est, ad quem suspirat. Actus autem primus fidei est, quod illuminat ad credenda : et hoc perficitur per « *Neri*, » qui *lucerna* interpretatur. Psal. CXXXI, 17 : *Paravi lucernam Christo meo*. Primus autem actus spei est expectatio regni Dei et non alterius : et hoc perficitur per « *Melchi*, » qui *regnum meum* interpretatur : quia spes est certa expectatio futuræ beatitudinis ex meritis et gratia proveniens : per quæ merita et gratiam, regnum expectat. Per spem efficitur suum. Psal. XXVI, 14 : *Exspecta Dominum, viriliter age : et confortetur*

Denarius  
tertius

*cor tuum, et sustine Dominum.* Secundus actus spei est, tutare et confortare animam : sicut dicitur, ad Hebr. vi, 19 : *Spem sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Et sic confortatur per « *Addi,* » qui *robustus* vel *violentus* interpretatur : quia sic robore per conscientiam meritorum confortat animam, quod non fluctuat. Ad Roman. v, 5 : *Spes non confundit.* Psal. xxxi, 10 : *Sperantem in Domino misericordia circumdabit.* Fides autem secundum actum habet, quod est argumentum rerum non apparentium : et quoad hoc divinatur de occultis Dei, et perficitur per « *Cosan,* » qui *divinans* interpretatur. Ad Hebr. xi, 1 : *Est fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Charitas autem secundum actum habet, quod ipsa est mensura meritorum, et sic per « *Elmadam* » perficitur, qui *dimensum* interpretatur. Luc. vi, 38 : *Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Quantum enim diligis, tantum mercedis habebis. Luc. vii, 47 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Tertius actus [fidei] est, vigilare semper ad Deum, et contra diabolum, per considerationem eorum quæ credidit, et sic perficitur per « *Hcr,* » qui *vigilans* interpretatur. Cantic. v, 2 : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Tertius autem actus spei est, salvare per certitudinem expectati : et sic perficitur per « *Jesum,* » qui *savaltor* interpretatur. Joan. xvi, 33 : *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum.* Confidere enim est proprium certæ spei. Tertius autem actus charitatis est, destitui amore dilecti, et nullo posse jurari nisi Domino, et sic perficitur per « *Eliezer,* » qui *Deus meus adjutor* interpretatur. Cantic. v, 8 : *Nuntiate dilecto, quia amore languero.* Hos autem omnes sequitur gaudium in anima de tot bonorum adeptione : quia quasi regnum Christi in tali anima convaluit : et hoc perficit « *Jorim,* » qui *Dominus exsultans*

interpretatur. Ad Roman. xiv, 17 : *Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.*

Sequentes decem qui sunt in quarto denario sunt, Mathat, Levi, Simeon, Juda, Joseph, Jona, Eliakim, Melcha, Menna, Mathatha. Et faciunt ad perfectionem virtutis consuetudinalis secundum suum genus. Hæc enim virtus est, ut dicit Augustinus, bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nemo male utitur, quam Deus operatur in nobis sine nobis. Unde non dicitur *consuetudinalis*, quod consuetudine acquiratur, sed quia consuetudine radicitur et confirmatur. Et sic ex diffinitione sua habet quatuor, et quintum habet ex nomine. Ex diffinitione enim habet, quod Deus eam sine nobis per modum doni operatur in nobis. Habet etiam, quod est bona qualitas menti addita. Et habet, quod ea recte vivitur. Et habet, quod ea nemo male utitur. Ex nomine autem habet quod consuetudine crescit, et confirmatur.

Denarius  
quartus.

Ex hoc autem, quod Deus operatur eam in nobis sine nobis, donatur et perficitur per « *Mathat,* » qui *donatio* interpretatur. Jacob. i, 3 : *Dat omnibus affluenter, et non impropere.* Ex hoc autem quod est bona qualitas mentis, mentem bonificans, ut ita dicam, perficitur « *Levi,* » qui *additus* interpretatur. Matth. xxv, 29 : *Omni habenti dabitur, et abundabit.* II Reg. xii, 8 : *Si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora.* Ex hoc autem quod ea recte vivitur, quod est gloriosum in exemplo extra, perficitur per « *Judam,* » qui *glorificans* interpretatur. Matth. v, 16 : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Et per hoc quod ea nemo male uti potest, perficitur per « *Simeon,* » qui *signum* interpretatur. Signum enim non potest esse in usu nisi signati. Joan. iii, 33 : *Qui accepit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est.* Non enim vincitur virtus in signando

bonum. In hoc autem quod consuetudine confirmatur et radicitur, perficitur per « *Joseph*, » qui *augmentum* interpretatur. Ad Hebr. vi, 14 : *Benedicens benedicam te, et multiplicans multiplicabo te*<sup>1</sup>.

Hæc autem virtus duo sibi præsupponit in subjecto : unum autem statim facit infusa in anima, et per hoc distribuitur partibus animæ, et unum relinquit suo possessori quando in omnibus est perfecta. Primum autem quod præexigit in subjecto, est dolor de bono amisso, et quoad hoc perficitur per « *Jonam*, » qui *dolens* vel *columba* interpretatur, et significat columbinum dolorem, et gemitum pro donis columbæ amissis. Psal. lxxviii, 30 : *Ego sum pauper et dolens : salus tua, Deus, suscepit me*. Secundum quod præexigit in subjecto, est quod non desperet de acquisitione virtutis, sed mente in altum surgente, sollicitè quærat eam, et sic perficitur per « *Eliakim*, » qui *resurrectio Domini* interpretatur. Psal. iii, 6 : *Exsurrexi, quia Dominus suscepit me*. Ad Coloss. iii, 1 : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens*. Glossa ibidem : « Sursum sunt virtutes. » Quod autem facit statim cum infunditur in anima, est quod rectificat eam in omnibus, et sic significatur per « *Melea*, » qui *rex meus* interpretatur. Psal. xlv, 7 : *Virga directionis virga regni tui*. Hæc enim virga rectitudo est virtutis. Hæc autem rectitudo distribuitur in omnibus animæ intimis, et sic per « *Mennam* » significatur, qui *viscera* interpretatur. Ezechiel. iii, 3 : *Viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi* : hoc enim est, volumine virtutis. Quod autem relinquit possessori, sicut dicit Ambrosius, est quod delectat sancta et sincera delectatione, et sic significatur per « *Mathatha*, » qui *dulcedo saturitatis* interpretatur. Cantic ii, 3 : *Fructus ejus dulcis*

*gutturis meo*. Ezechiel. iii, 3 : *Factum est in ore meo sicut mel dulce*.

Quatuor autem sunt virtutes cardinales, ad quarum perfectionem referuntur viginti qui sequuntur. Sunt enim quatuor præparatoria ad particulares virtutes, et sunt ipsæ quatuor virtutes, et sunt quatuor actus substantialia virtutum, et sunt quatuor propria virtutes illas habentia, et sunt quatuor consequentia illas virtutes.

Quatuor quidem præparatoria sunt quasi causæ earum. Quatuor autem sunt effecta per illas virtutes, scilicet, actus quatuor sunt quos eliciunt. Et quatuor propria quæ ex ipsis fluunt. Et quatuor consequentia sunt quæ ipsas semper consequuntur. Et in his est homo perfectus in virtute.

Præparatoria autem sunt ad dona Dei patens et idoneum desiderium, robur animæ ad difficile bonum et non esse remissum, fervor cordis ad contendendum ab bonum, et continua perseverantia in bonis operandis. Et quoad primum quidem significatur per « *Nathan*, » qui *donans gratiæ* interpretatur. Ad Ephes. iv, 8 : *Dedit dona hominibus*. Quæ non dat nisi idoneis : qui si etiam daret non idoneo pigro, auferretur ab eo<sup>2</sup>. Quoad secundum autem significatur per « *David*, » qui *manu fortis* interpretatur. Josue, i, 6 : *Confortare, et esto robustus*. Quoad tertium significatur per « *Jesse*, » qui interpretatur *incendium* vel *incensum*. Psal. xxxviii, 4 : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis*. Quoad quartum autem significatur per « *Obed*, » qui *servitus* interpretatur. Servit enim semper in frequenti opere, ut tandem virtutem accipiat in munere. Genes. xxix, 20 : *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*.

<sup>1</sup> Virtutes autem ipsæ significantur per quatuor sequentes. Fortitudo enim quæ secundum nomen suum prima est, si-

<sup>1</sup> Cf. Genes. xxii, 16 et 17.

<sup>2</sup> Matth. xxv, 28.

gnificatur per « *Booz*, » qui *fortis* interpretatur. Proverb. xxxi, 17 : *Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum*. Temperantia autem quæ pax est in delectationibus sensibilibus, significatur per « *Salmon*, » qui *sensibilis et pacificus* interpretatur. Job, v, 24 et 23 : *Scies quod pacem habeat tabernaculum tuum, hoc est, corpus tuum, ... et bestię terrę pacificę erunt tibi*, hoc est, motus bestialis concupiscentiæ in corpore. Prudentia vero quæ serpentium est, significatur per « *Naason*, » qui *serpentinus* interpretatur. Matth. x, 16 : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbę*. Justitia vero quæ remanet, et libera voluntate reddit unicuique quod suum est, significatur per « *Aminadab*, » qui *populus voluntarius* interpretatur. I Machab. ii, 26 et seq., Omnis voluntarius in lege, et omnes qui fugiebant a malis, additi sunt Mathathię zelatori legis. Voluntarius autem in lege justus est, quia justitia congruentia legum est.

Propria autem opera istarum virtutum sunt : fortitudinis quidem contra malum insurgere, temperantię autem in delectationibus modum et medium tenere, prudentię autem ea quæ ad vitam conferunt sagaciter eligere, justitię autem secundum æquale damni et lucri unicuique quod suum est distribuere. Actus igitur fortitudinis qui est insurgere, significatur per « *Aram*, » qui *erectus* vel *excelsus* interpretatur : quia non insurgit nisi erectus et excelsus, de robore fortitudinis confidens. Unde isti parati sunt ad suscitandum contra se adversarium. Job, iii, 8 : *Qui parati sunt suscitare Leviathan*. Proprius autem actus temperantię, est mediare in delectabilibus innatis : sicut in his quæ faciunt delectationem in cibis et in venereis : et hanc oportet esse valde velocem, ne præoccupetur a concupiscentia : et quasi sagittam esse convulnerantem concupiscentiam, ut infra terminos eorum quæ necessaria sunt et rationabilia et ho-

nesta possit teneri. Semper enim dolosa lingua loquitur concupiscentia, quasi sub pallio necessitatis, volens obtinere quod necessitatis est. Et ideo significatur istud moderamen per « *Esrion*, » qui interpretatur *sagitta*. Psal. cxix, 3 et 4 : *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam ? Sagittę potentis acutę, cum carbonibus desolatoriis*. Actus autem prudentię qui est eligere quod utile est ad vitam, significatur per « *Phares*, » qui *divisio* interpretatur : quia non fit electio nisi per multam eligendorum divisionem. I ad Corinth. ii, 15 : *Spiritualis judicat omnia, et ipse a nemine judicatur* : quia spiritualiter examinatur, hoc est, examinatio fit et divisio judicandorum per spiritum rationis. Actus autem justitię proprius, ut dictum est, secundum æquale damni et lucri unicuique quod suum est tribuere : quod significatur per « *Judam*, » qui interpretatur *confessio* : quia in tali iudicio per æquilibrium veritatem confitetur : dans unicuique quod sibi debetur, dignitate propria distributa. Et ideo justitia non sine ratione facit quod facit (Genes. xlix, 8 : *Juda, te laudabunt fratres tui*) eo quod unicuique debita distribuit, et injuriam non patitur fieri.

Propria autem harum virtutum sunt quæ manant ex ipsis. Fortis enim proprium est, confidentem et imperterritum esse. Temperati autem proprium est, ipsum quidem modestum esse in omnibus. Prudentis autem, in his quæ agit circumspectum esse. Justi autem, in omnibus esse directum et rectum. Quæ aptissime significantur per quatuor, qui sequuntur. Imperterritus enim et confidens est quasi « *Jacob* » luctator, cui dictum est, Genes. xxxii, 28 : *Si contra Deum fortuis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis ?* Modestus autem cui numquam ex intemperantia ingeritur tristitia, significatur per « *Isaac*, » qui *risus* vel *gaudium* interpretatur, dicente matre in conceptu, Genes. xxi, 6 : *Risum fecit mihi Deus* : cum tamen

omnem voluptatem abominaretur. Unde dicit, ibidem, xviii, 12 : *Postquam consenui, et Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo ?* Quasi dicat : Voluptatem quam in juventute abominata sum, in senectute non exercebo. Proprium autem justitiæ quæ hic prudentiæ præponitur, significatur per « *Abraham*, » qui *pater multarum gentium* interpretatur, inter quas quod justum est distribuit. Genes. xvii, 5 : *Patrem multarum gentium constitui te*, scilicet ante Deum cui credidisti. Unde iste est qui divisit inter filios liberæ hæreditatem, *filiis autem concubinarum largitus est munera* <sup>1</sup>. Proprium autem prudentis qui hic in ultimo ponitur, per « *Thare* » significatur, qui *exploratio* interpretatur : quia circumspexit omne quod agendum est, prius explorat si vere sit vel non sit agendum. Unde Josue exploratores misit, qui viam et terram quam intraturus erat explorarent <sup>2</sup>.

Consequentia autem harum virtutum sunt quatuor : fortitudinis quidem consequens est audacia ex frequentibus victoriis. Temperantiæ autem frugalitas vel parsimonia ex delectabilium abstinentiis. Prudentiæ autem cautela magna in faciendis. Justitiæ vero inflexibilis rectitudo veritatis et æquitatis. Et ista non eodem ordine quo dicta sunt, significantur per quatuor sequentes patres. Cautela enim prudentiæ significatur per « *Nachor*, » qui *requievit lux* interpretatur : quia in eo jam lux cautelæ per multam requievit circumspectionem. Daniel. i, 4 : *Eruditos omni sapientia, cautos scientia, et doctos disciplina*. Frugalitas autem temperantiæ significatur per « *Sarug*, » qui *lorum* vel *corrigia* interpretatur, quo concupiscentia ligatur. Ad Hebr. xii, 16 : *Ne quis fornicator, aut profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua*. Eccli. xxxi, 10 : *Uttere quasi homo frugi his quæ tibi apponuntur*. Audacia autem

fortis significatur per « *Ragau*, » qui *pascens* interpretatur : quia dum multis victoriis spolia diripit, spoliis inimicorum domesticos pascit, et audaciæ coacuit ex sapore spoliiorum. Proverb. xxxi, 15, de forti muliere : *De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis*. Inflexibilis autem æquitatis rectitudo justitiæ per « *Phaleg* » significatur, qui *dividens* vel *divisum* interpretatur. Hæc enim omnia æqui libertate justitia dividit, et numquam quod rectum est dimittit, unicuique dicens illud Matthæi, xx, 14 : *Tolle quod tuum est, et vade*.

Post harum autem omnium virtutum habitum, sequitur status perfectionis, ad quem decem exiguntur, quæ per decem subsequentes positos patres intelliguntur. Horum autem tria sunt : consideratio præsentis peregrinationis, quæ facit non attendere præsentibus. Secundum autem, sublevatio desiderii in cœlestia, quæ facit gustare æterna. Tertium autem, planctus incolatus præsentis qui quasi stimulus pungit ad fugiendum de ista miseria. Et hæc tria tribus primis significantur. Consideratio quidem peregrinationis significatur per « *Heber*, » qui *transiens* interpretatur. II ad Corinth. v, 6 et 8 : *Scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino.... Audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentibus esse ad Dominum*. Sublevatio autem desiderii in cœlestia significatur per « *Sale*, » qui *attollens* interpretatur. Ad Philip. iii, 20 : *Nostra conversatio in cælis est : unde etiam Salvatorem exspectamus*. Planctus incolatus præsentis per « *Cainan* » significatur, qui *lamentatio* interpretatur. Psal. cxix, 5 : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est !*

Tria alia quæ ad statum perfectionis exiguntur, sunt sanare primo omnia quæ ante fuerunt saucia : hoc enim exigit pro-

<sup>1</sup> Genes. xxv, 6.

<sup>2</sup> Cf. Josue, ii, 1 et seq.

pinquus finis. Secundum, famositas ex nomine sanctitatis. Tertium autem, requies perfecta cordis ex tranquillitate conscientiae proveniens. Et hæc tria per sequentes tres significantur. Sanatio quidem significantur per « *Arphaxad*, » qui *sanans* interpretatur. Jerem. xvii, 14 : *Sana me, Domine, et sanabor : salvum me fac, et salvus ero : quoniam laus mea tu es*. Famositas autem sanctitatis longa perfectione acquisita, significantur per « *Sem*, » qui *famosus* vel *nominatus* interpretatur. Eccli. xliv, 7 : *Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus*. Tertium autem quod est conscientiae requies, significantur per « *Noe*, » qui *requies* interpretatur. Deuter. xxxiii, 12 : *Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo : quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet*. Isa. xi, 2 : *Requiescet super eum Spiritus Domini*.

Tres autem alii significant tres virtutes jam perfecti et ad plenum consummati : quorum primus, status perfectæ humilitatis. Secundus, status perfectæ charitatis. Tertius autem, status perfectæ sanctitatis. Perfecta humilitas se sub omnibus humiliat : et hoc per « *Lamech* » significantur, qui *percussus et humiliatus* interpretatur. Isa. liii, 4 : *Putavimus eum quasi leprosum, percussum a Deo et humiliatum*. Status autem perfectæ charitatis, cum per mortem transitur ad Christum : et hoc per « *Mathusalem* » significantur, qui *mortis emissio* interpretatur. Ad Philip. i, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo*. Perfectio autem sanctitatis per « *Henoah* » significantur, qui *dedicatus Deo* interpretatur. Eccli. xxiv, 16 : *In plenitudine sanctorum detentio mea*.

Post has novem perfectiones continentiae virtus additur, non ea quæ est castitatis, sed illa quam Aristoteles *heroicam* sive *dominalem* vocat virtutem, quæ est idem quod mora in mente, quan-

do nihil penitus humanorum in cogitatu vel dicto vel facto evadit, cui mens non immoretur, et limites imponat rationis et sapientiae : et hoc significantur per septuagesimum, qui est « *Jared*, » qui *continens* interpretatur. Eccli. xv, 1 et 2 : *Qui continens est justitiæ apprehendet illam : et obviabit illi quasi mater honorificata*.

Restant autem adhuc soli quinque, qui <sup>Septenarius.</sup> cum Joseph primo putativo patre, et cum Deo vero Christi patre faciunt septuaginta septem. Sed Joseph illius genealogiæ principium et truncus : Deus autem Pater est finis, et in quem porrigitur terminus. Hi autem quinque significant quinque in quibus vita Sanctorum in quolibet statu semper agitur, et per quæ continuo revolvitur : quæ sunt quatuor passiones, quæ ordinatæ, semen sunt virtutis : et inordinatæ, sunt semen vitiorum : quæ sunt semen vitiorum : quæ sunt gaudium, tristitia, spes, et timor. Quorum primum quidem, scilicet gaudium, significantur per « *Malaleel*, » qui *laudans Deum* interpretatur : et hoc fit in gaudio cordis. Isa. lxi, 10 : *Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo*. Est enim quædam repræsentatio cœlestis patriæ, alacritas laudantium Deum. Secundum autem quod est tristitia per « *Cainan*, » qui *lamentatio* interpretatur, significantur. Quia dum seipsum vir factus recogitat, continuo lamentatur. Thren. i, 2 : *Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus : non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus*. Spes autem per « *Henos* » significantur, qui *desperatus et invocatus* interpretatur. Ex parte enim sua desperat : ex parte Dei auxilium invocat : quod et non invocaret, nisi speraret. Psal. xxxvi, 3 et seq. : *Spera in Domino, et fac bonitatem*, etc. Timor autem qui primum semen est bonæ vitæ per « *Seth*, » qui *semen* interpretatur, intelligitur. Psal. cx, 10 : *Initium sapientiæ timor Domini, intellectus bonus omnibus facienti-*

*bus eum*. In his autem passionibus omnis terrenus homo volvitur : quod per « *Adam* » significatur, qui *terrenus* interpretatur.

Hæc autem omnia bona a « *Joseph* » incipiunt, qui pater secundum carnem Christi est putativus : secundum spiritum autem incrementum gratiæ significat, quæ Christum in corde ut pater format. Ad Galat. iv, 19 : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*. Hæc autem corda sicut funis in Deum verum Patrem colligata sublevat, ut vere Christus dicat, Joan. xx, 17 : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum*. Et, illud Osee, xi, 4 : *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*.

Hæc igitur sunt quæ de genealogia Christi mystice sunt dicenda.

Attende autem, quod quæstio est Augustini in libro de *Quæstionibus Veteris et Novi testamenti*, Ad quid referatur *Qui*? Et dicit, quod ad Christum in omnibus. Ut sit sensus : Qui Christus fuit Heli. Qui Christus fuit Mathat. Et sic de aliis ubique. Et hoc ideo facit, quia nomen ut diximus attendit interpretationes. Non enim secundum legem concupiscentiæ a patribus descendit Christus, sed secundum corpulentam substantiam, perficiens in eis gratiam quam nomina præsignant. Alii autem Sancti dicunt, quod refertur semper ad proximum, ut sit sensus : Qui Joseph fuit filius Heli. Qui Heli fuit filius Mathat. Et sic de aliis per totum.

His autem habitis, tota patet littera, nisi in hoc quod hic dicitur de Mathusale, quod anni ejus computantur ultra diluivium per duodecim annos. Quod esse non potest, cum non legatur salvatus in

arca. Et ad hoc dicendum, quod in veritate multus error est in computatione annorum secundum hebraicam veritatem, et secundum Septuaginta. Et ita credo, quod Mathusale ante diluivium mortuus est, quia in computatione annorum est erratum.

Adhuc autem hic dicitur, quod Sale genuit Cainan. Cainan autem genuit Arphaxad. Et hoc non invenitur in Genesi<sup>1</sup>, neque in I Paralipomenon<sup>2</sup> : imo in utrisque libris legitur secundum hebraicam veritatem, quod Sale genuit Arphaxad. Et nulla fit mentio de Cainan. Ad hoc autem dicit Glossa, quod in veritate in quibusdam exemplaribus antiquis inveniebatur quod Sale genuit Cainan : Cainan autem Arphaxad. Et ab his translulerunt Septuaginta, et ita posuerunt. Et hos secutus est Lucas. Quædam autem posteriora a quibus transtulit Hieronymus, non habuerunt Cainan : sed quod Arphaxad sit filius Sale. Quid autem horum sit verius, Deus utique novit.

Quærent etiam aliqui, Qualiter plures ponat Lucas quam Matthæus? Et dicunt, quod potuit esse quod illi quos ponit Matthæus tardius genuerunt, et diutius vixerunt : illi autem quos ponit Lucas citius genuerunt, et citius mortui sunt. Et ita paucorum vita secundum tempus coæquatur vitæ plurium. Sed hoc nihil est : quia vera causa est, quod tam naturales quam multos legales et adoptivos patres ponit Lucas. Et ideo multo plures efficiuntur quam Matthæus ponat, qui non ponit nisi naturales patres. Et causa hujus jam ante dicta est.

Ex his satis patet littera.

<sup>1</sup> Cf. Genes. x, 17.

<sup>2</sup> Cf. I Paralip. i, 18.





## CAPUT IV.

*Jesus post jejunium quadraginta dierum, ac devictas Satanæ tentationes, in synagoga Nazareth legit factam de se Isaïæ prophetiam; dicitque prophetam non esse acceptum in patria propria, quapropter volunt eum de monte præcipitare: ejicit in Capharnaum dæmonium, sanatque socrum Simonis, et plures alios, a variis languoribus, ac dæmonia ejicit.*

1. Jesus autem, plenus Spiritu sancto, regressus est a Jordane, et agebatur a Spiritu in desertum<sup>1</sup>:
2. Diebus quadraginta, et tentabatur a diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis: et consummatis illis esuriit.
3. Dixit autem illi diabolus: Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat.
4. Et respondit ad illum Jesus: Scriptum est: Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei<sup>2</sup>.
5. Et duxit illum diabolus in montem excelsum, et ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis,
6. Et ait illi: Tibi dabo potestatem hanc universam et gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, et cui volo do illa.
7. Tu ergo si adoraveris coram me, erunt tua omnia.
8. Et respondens Jesus, dixit illi: Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies<sup>3</sup>.
9. Et duxit illum in Jerusalem, et statuit eum super pinnam templi, et dixit illi: Si Filius Dei es, mitte te hinc deorsum.
10. Scriptum est enim<sup>4</sup> quod angelis suis mandavit de te, ut conservent te:
11. Et quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.
12. Et respondens Jesus, ait illi: Dictum est: Non tentabis Dominum Deum tuum<sup>5</sup>.
13. Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus.
14. Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam<sup>6</sup>, et fama exiit per universam regionem de illo.
15. Et ipse docebat in synagogis eorum, et magnificabatur ab omnibus.
16. Et venit Nazareth<sup>7</sup>, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et surrexit legere.

<sup>1</sup> Matth. iv, 1; Marc. i, 12.

<sup>2</sup> Deuter. viii, 3; Matth. iv, 4.

<sup>3</sup> Deuter. vi, 13 et x, 20.

<sup>4</sup> Psal. xc, 11.

<sup>5</sup> Deuter. vi, 16.

<sup>6</sup> Matth. iv, 12; Marc. i, 14.

<sup>7</sup> Matth. xiii, 54; Marc. vi, 1; Joan. iv, 45.

17. Et traditus est illi liber Isaïæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat :
18. Spiritus Domini super me<sup>1</sup>: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde :
19. Prædicare captivis remissionem, et cæcis visum : dimittere confractos in remissionem : prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis.
20. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum.
21. Cœpit autem dicere ad illos : Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.
22. Et omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius, et dicebant : Nonne hic est filius Joseph?
23. Et ait illis : Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice, cura teipsum : quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.
24. Ait autem : Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua.
25. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus et mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra :
26. Et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam<sup>2</sup>.
27. Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo propheta : et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus<sup>3</sup>.
28. Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes.
29. Et surrexerunt, et ejecerunt illum extra civitatem : et duxerunt illum usque ad supercilium montis super quem civitas illorum erat ædificata, ut præciperent eum.
30. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat.
31. Et descendit in Capharnaum, civitatem Galileæ<sup>4</sup>, ibique docebat illos sabbatis.
32. Et stupebant in doctrina ejus<sup>5</sup>, quia in potestate erat sermo ipsius.
33. Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum<sup>6</sup>, et exclamavit voce magna,
34. Dicens : Sine, quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei.
35. Et increpavit illum Jesus, dicens : Obmutesce, et exi ab eo. Et cum projecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit.
36. Et factus est pavor in omnibus, et colloquebantur ad invicem, dicentes : Quod est hoc verbum, quia in potestate et virtute imperat immundis spiritibus, et exeunt?
37. Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.
38. Surgens autem Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis : socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus<sup>7</sup>, et rogaverunt illum pro ea.
39. Et stans super illam, imperavit

<sup>1</sup> Isa. LXI, 1.<sup>2</sup> III Reg. XVII, 9.<sup>3</sup> IV Reg. V, 14.<sup>4</sup> Matth. IV, 13 ; Marc. I, 21.<sup>5</sup> Matth. VII, 28.<sup>6</sup> Marc. I, 23.<sup>7</sup> Matth. VIII, 14 ; Marc. I, 30.

- febri : et dimisit illam. Et continuo surgens ministrabat illis.
40. Cum autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.
41. Exhibant autem dæmonia a multis, clamantia et dicentia : Quia tu es Filius Dei<sup>1</sup> : et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.
42. Facta autem die, egressus ibat in desertum locum, et turbæ requirebant eum, et venerunt usque ad ipsum : et detinebant illum, ne discederet ab eis.
43. Quibus ille ait : Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei : quia ideo missus sum.
44. Et erat prædicans in synagogis Galilææ.

## IN CAPUT IV LUCÆ

## ENARRATIO.

« Jesus autem, plenus Spiritu sancto, regressus est a Jordane, et agebatur a Spiritu in desertum

Diebus quadraginta, et tentabatur a diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis : et consummatis illis, esuriit. »

Hic agit de victoria Christi super tentatorem : ut ostendat quoniam per Spiritum qui datur in baptismo vincitur diabolus et tentationes ejus.

Tangit autem in hac parte duo : opportunitatem tentationis ex parte tentati, et ipsam tentationem.

Opportunitatem autem ex parte tentati tangit in opportunitate septem concurrentium. Unum quidem, plenitudinem Spiritus. Secundum autem, puritatem actus cui erat deditus. Tertium, impetum Spiritus sui ad bonum. Quartum, loci opportunitatem. Quintum, congruitatem temporis ad mysterium. Sextum,

permissionem diabolicæ potestatis. Septimum, dispensativam tentati qualitatem ad tentatorem fallendum. Primum arma efficacia exhibet tentato ad se munientem. Secundum autem attentum facit tentatum ad ictum tentatoris prævidendum. Tertium autem vires administrat ad resistendum, et aufert vires tentatori ad pugnandum. Quartum subtrahit arma diaboli ad certandum. Quintum non modicum in tentatione ex consortio bonorum adjutorum fert contra hostem præsidium. Sextum, ut laudabilior sit victoria, hostis impugnationibus dat locum. Septimum autem super carnem confortat pugnantem spiritum.

Hæc autem Christus non propter se, sed propter nos effecit : quia Christi actio nostra est instructio. Quamvis enim Christus contra se hostem provocaverit, tamen nostrum est declinare ubi possumus, et non vires tentatori subministrare : quia nos non sumus adeo fortes sicut Christus.

Si autem aliquis dicat, quod David petit tentari, dicens, Psal. xxv, 2 : *Proba me, Domine, et tenta me : ure renes meos et cor meum.* Dicendum, quod petit a Deo hic tentationibus purgari, et non in inferno, secundum quod dicitur, Sapient. iii, 5 : *Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se.* Sed non petit tentari a diabolo. Sic autem petit purgari tri-

<sup>1</sup> Marc. i, 34.

bulationibus, quod de via iniquitatis deducatur in via æterna, et in tentationem non inducatur. Multa autem de tentationum generibus et modis et causis et objectis notata sunt a nobis<sup>1</sup>: et ideo hic illa repeti non est necesse.

De primo igitur dictorum septem dicit:

1 « Jesus autem plenus Spiritu sancto. »

Hic est fontalis plenitudo exuberans et redundans in omnis rationalis creaturæ sanctificationem. Psal. xxxv, 10 : *Domine, apud te est fons vitæ*. Fons autem vitæ est spiritus, quia vita est spiritus proprius actus. Joan. vi, 64 : *Spiritus est qui vivificat*. De plenitudine autem dicitur, Joan. i, 16 : *De ejus plenitudine nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia*. Est autem alia plenitudo sufficientiæ Sanctorum, Act. vii, 55 : *Cum esset Stephanus plenus Spiritu sancto*. Est etiam plenitudo copiæ in quibusdam Prælatiis : sicut, Numer. xi, 16 : *Auferam de spiritu tuo, tradamque septuaginta viris*. Et hæc est plenitudo gratiæ Beatæ Virginis, Luc. i, 28 : *Gratia plena*. Et illud, y. 35 : *Spiritus sanctus superveniet in te*. Sed plenitudo Christi est excellentiæ et redundantæ, qui Spiritum sanctificationis spirat in omnes. Eccli. iv, 12 : *Sapientia filiis suis vitam inspirat*. Plenitudo Sanctorum est ad operationem virtutum. Plenitudo Beatæ Virginis ad intercessionem peccatorum. Plenitudo Prælatorum ad sacramentorum ministerium. Plenitudo vero Christi ad omnis gratiæ in omnes sanctificandos profluvium. Joan. vii, 38 et 39 : *Flumina de ventre ejus, scilicet credentis, fluent aquæ vivæ*<sup>2</sup>. *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Hoc

igitur Spiritu plenus sit, qui cum tentatore congregari debet.

Secundum, scilicet, puritas actus, cui Christus deditus fuit, importatur per hoc quod dicit :

« Regressus est a Jordane. »

Hic enim regressus est reditus a tumultu ad suæ considerationis et divinæ contemplationis secretum. Isa. xxiv, 16 : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi*. Sapient. viii, 16 : *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa*, scilicet sapientia : *non enim habet amaritudinem conversatio illius*. Qui talibus non est deditus, neque sua vulnera considerat, nec ictum ferientis potest prævidere : et ideo incautus vadit ad pugnam.

Tertium notatur per hoc quod dicit :

« Et agebatur a Spiritu, »

Scilicet suo. Hoc enim significat impetum Spiritus sui ad bonum. Agit enim Spiritus cum præit, et rationem illuminans, et voluntatem movens, et naturam ordinans, et concupiscentiæ motus firmans : quia tunc solus est actor. Ad Roman. viii, 14 : *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*. Ezechiel. i, 12 : *Ubi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur*. Dicit autem Matthæus, quod *ductus est a Spiritu*<sup>3</sup>. Tunc enim Spiritus ducit, quando per rationem operis præit. Isa. lxiii, 14 : *Spiritus Domini ductor ejus fuit*. Psal. cxlii, 10 : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. Marci autem, i, 12, dicitur, quod *Spiritus expulit in desertum*. Spiritus autem cum zelo indignationis contra malum expellit. Isa. lix, 19 : *Cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit*. Cum fervore ergo devotionis Spiritus agit : cum ratione persuasionis ducit :

<sup>1</sup> Cf. Enarrationem in Matthæum, iii, 1 et seq. Tom. XX hujusce novæ editionis.

<sup>2</sup> Cf. Isa. xliv, 3 et lviii, 11; Joel, ii, 28;

Act. ii, 17.

<sup>3</sup> Matth. iv, 1.

cum zelo autem indignationis contra malum expellit.

Quartum autem innuit per hoc quod dicit :

« In desertum. »

Et subtrahit arma diabolo ad pugnam. Arma enim diaboli quibus utitur ad impugnandum, sunt quæ ponit, I Joan. II, 16 : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ*, hoc est, deliciæ, divitiæ, et honores. Et hæc non sunt in deserro, si desertum dicatur active a *desero, deseris*, et passive a *deseror, desereris*. Hæc enim deserenda sunt potius quam deserant. Et quia hæc tria deserenda sunt, ideo dicitur, Exod. III, 18, et V, 3 : *Ibimus viam trium dierum in solitudinem ut immolemus Domino Deo nostro*. Genes. XXII, 4 : *Die tertio... Abraham vidit locum procul*. Marc. VI, 31 : *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum*. Hic ergo pugnam, et non ubi vires et mundus, et caro administrant tentatori.

De quinto dicit :

« Diebus quadraginta. »

Sicut Moyses<sup>1</sup> et Elias<sup>2</sup>. Quod enim legislator fecerat, et quod fecerat eximius Prophetarum, hoc facto suo confirmavit Christus, ostendens in facto suo testimonium legis et Prophetarum : innuens ulterius, quoniam ubi habet homo testimonium legis et Prophetarum et auctoris fidei nostræ Domini Jesu, ibi securus est : et tunc fortiter et audacter pugnet : quia talibus adjutus adiutoribus non superabitur. Genes. XXXII, 2 : *Castra Dei sunt hæc*. IV Reg. VI, 16 : *Noli timere : plures enim nobiscum sunt quam cum illis*.

<sup>1</sup> Cf. Exod. XXIV, 18 et XXXIV, 23.

De sexto dicit :

« Et tentabatur a diabolo. »

Ubi impugnationibus hostis licentia et locus datur, ut laudabilior sit victoria. Non enim tentaret si potestatem non haberet. Job, I, 12 : *Ecce universa quæ habet in manu tua sunt : tantum in eum ne extendas manum tuam*. Joan. XIX, 11 : *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset de super*. Propterea vocatur tentator, Matth. IV, 3 : *Accedens tentator dixit ei*. I ad Thessal. III, 5 : *Ne forte tentaverit vos is qui tentat*, hoc est, is qui tentandi habet potestatem et officium.

Diabolus autem secundum significationem dicitur *deorsum fluens*, et secundum græcum dicitur *criminator*. Secundum etymologiam autem dicitur a *δύο* quod est *duo*, et *βόλος* quod est *morsus* : quasi duo mordens, corpus scilicet, et animam. Quicumque enim consentit eidem et deorsum fluit, et criminator, hoc est, accusator, et impositor criminum efficitur, et in corpore et anima condemnatur. Ezechiel. XXVIII, 17 : *In terram projecisti te, ante faciem regum dedi te*. Ecce deorsum fluens. Apocal. XII, 10 : *Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte*. Ecce criminator. I Petr. V, 8 : *Tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*. Ecce corporis et animæ devorator.

Septimum notatur in hoc quod dicit :

« Et nihil manducavit, etc. »

Et dicit duo : unum quidem quod est divinum, alterum autem quod est humanum, in eo quod esuriit.

De primo dicit : « *Et nihil manducavit in diebus illis*. » Hoc enim in Moyse fuit et in Elia : sed in illis quidem fuit ex hoc quod Moyses et Elias ex multa in-

<sup>2</sup> Cf. III Regum, XIX, 8.

tensione intellectus in Deum, vires inferiores, sicut sensum sensibilantem, et vegetabilem vegetantem, habuerunt multum abstractas : ita quod neque digestiva digessit, nec attractiva attraxit, neque divisiva divisit, neque consumptiva consumpsit, nec expulsiva expulit, sed corpus sic stans remansit. Unde Paulus, II ad Corinth. XII, 2, dicit : *Sive in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio, Deus scit.* Quia nescit usquequo sensibilis et vegetabilis in corpore operata sit. In Christo autem qui fuit viator et comprehensor utrumque remansit. Et ideo hoc majoris et divinæ potentiae fuit quod nihil comedit : et tamen sensibilis et vegetabilis in suis fuerat virtutibus et operationibus. Et ideo nos instruens dicit, Joan. VI, 27 : *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam : quem Filius hominis dabit vobis.* Iste enim cibus est qui non perit, qui sic animam intus reficit. Joan. IV, 34 : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.*

« Et consummatis illis. »

Tangit id quod est humanum.

Dicit autem : « *Consummatis illis,* » hoc est, ad summam mysterii deductis illis quadraginta diebus. Quia sicut ante diximus, quadraginta dies partibus suis ad quinquaginta consurgunt : et ideo post quadraginta dies, qui sunt nostrum jejunium, die quinquagesima recipimus Spiritum, quo Jesus auctor fidei plenus fuit quando ad jejunium accessit. Quadraginta enim partibus suis, in quinquaginta perficit. Et quadraginta etiam decima pars est anni : quia sex septimanæ quadraginta duos dies faciunt, a quibus subtractis sex diebus Dominicis, quibus non jejunatur, triginta sex remanent, qui sunt trecentorum sexaginta dierum. Quinque autem qui remanent dies et quartus, unius habent decimam dimidium diem et decimam quartæ. Ponitur autem in quadragesima jejunii primi,

quod est quatuor temporum : et loco illorum et dimidiæ diei ponuntur quatuor dies primi : ut sit completus numerus quadragenarius. Novenarius enim cum citra perfectum remaneat, indigentem liberatione significat qui decimam solvere debet liberatori, qui per decimam significatur. Et ideo hoc jejunium sancitum est a Domino, præfiguratum a lege, et testificatum a Propheta. Sacramentaliter ergo « *illis consummatis,* » hoc est, sic ad summam reductis, quod humanum est in se ostendit,

« Esuriit, »

Cibum quærens secundum naturam : ut ostendat quod homo in necessitate persuadenti inimico consentire non debet, quando etiam necessitas famis cibum exigit. Non enim aliquid ab inimico impetrandum est, neque consilio ejus in aliquo acquiescendum : quia per omnia talia appropinquat homini, et facilius decipit. Unde, Jacob. IV, 7 : *Resistite diabolo, et fugiet a vobis.* Unde, II Machab. IV, 16, in vituperium quorundam dicitur : *Per omnia his consimiles esse cupebant, quos hostes et peremptores habuerant.* Ideo et Christus hosti numquam consentit : quamvis necessaria aliquando persuadere, et rationabilia, et per Scripturam probata videretur.

Hæc igitur sunt quæ opportunitatem tentationis ex parte tentati faciebant.

« Dixit autem illi diabolus : Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat. » 3

Et respondit ad illum Jesus : Scriptum est : Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. 4

Et duxit illum diabolus in montem excelsum, et ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, 5

Et ait illi : Tibi dabo potestatem 6

hanc universam et gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, et cui volo do illa.

7 Tu ergo si adoraveris coram me, erunt tua omnia.

8 Et respondens Jesus, dixit illi : Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. »

Hic incipit tentatio. Et habet duas partes : perfectam tentationis victoriam, et ejusdem victoriæ effectum in tentato.

Victoria in tribus pugnis describitur : gulæ, avaritiæ, et inanis gloriæ. Quæ secundum ordinem historiæ sic gestæ sunt prout sunt enumeratæ. Tamen a Matthæo media ponitur tertia, et e converso : quia ipse prosequitur eas per tentationem Adæ, qui primo de gula, secundo de inani gloria, et tertio de avaritia est tentatus : sicut patet in ordine horum verborum. *Quocumque die comederis ex eo*<sup>1</sup> : ecce gula. *Eritis sicut dii*<sup>2</sup> : ecce inanis gloria. *Scientes bonum et malum*<sup>3</sup> : ecce avaritia, quæ non tantum est pecuniæ, sed etiam scientiæ : quia avaritia large sumpta vocatur omnis immoderatus et improbus amor aliquid habendi vel adipiscendi. Lucas autem ordinat secundum ordinem rei gestæ, in quo ordine sibi succedunt tentationes in deserto factæ : et sequitur illa quæ facta est in templo. Si enim in deserto de gula tentasset, et postea in templo de inani gloria, oportuisset iterato eum reduxisse in desertum ad tentandum de avaritia, quod non esset compendium.

Cum autem sicut ex verbis Gregorii super Matthæum diximus, sex modis tentet diabolus : aut enim opprimendo rapit, aut insidiando circumvolat, aut minando terret, aut promittendo decipit, aut desperando frangit, aut suadendo blanditur : Christum Jesum Dominum

non potuit opprimendo rapere, quia infinitæ fuit virtutis, et opprimi non potuit : neque comminando potuit eum terrere, quia ex conjuncta sibi divinitate infinita gaudebat et securitate : neque etiam desperando eum potuit frangere, quia nihil umquam potuit facere desperandum. Et ideo relinquitur quod aliis tribus modis eum tentaverit, et victus fuerit.

Adhuc autem sciendum, quod cum diabolus quosdam tentet intus, suggestionem, delectationem, consensum : quosdam autem extra tantum, exhibendo visui et auditui incitamenta suorum tentaminum : Jesum Christum intus tentare non potuit, quia nihil intus corruptum habuit : sed forinsecus tentamenta exhibuit, et sic tentavit.

His visis, accipienda est littera : quia alia dicta sunt super Matthæum quæ ad tentationis intellectum sunt necessaria .

« Dixit autem illi diabolus, »

Per speciem assumpti corporis forinsecus, loquens ad sensum.

Et habet duas partes hæc de gula tentatio : propositionem tentationis, et elisionem ejusdem.

De propositione tentationis dicit :

« Si Filius Dei es. »

Patet quod in ipsa tentatione insidiando circumvolat, et duo dicit : explorat enim circuminsidiando, et inclinatur ad illicitum : quia omnis tentatio impulsus est vel persuasio ad illicitum.

Exploratio insidiarum est in hoc quod dicit : « *Si Filius Dei es.* » Sicut enim dicit Ambrosius, Dei Filium in mundum venturum esse noverat per vaticinia, et figuras Scripturarum : ipsum etiam Dei Filium esse ex quibusdam signis timebat, ex stella, ex Magis, ex pastoribus, ex

<sup>1</sup> Genes. III, 17.

<sup>2</sup> Ibid. IV, 5.

<sup>3</sup> Ibid.

<sup>4</sup> Cf. in tomo XX hujusce novæ editionis luculentam enarrationem in Matth. III, 1 et seq.

Simeonis et Annæ et Zachariæ et Elisabeth et Beatæ Virginis præconiis. Nullo modo tamen ipse superbus credere potuit, quod usque ad tantum humilitatis, paupertatis, et passibilitatis descenderet. sicut eum humilem et pauperem et passibilem videbat : et sic utrumque dubitabat : ideo insidians et circumvolans explorabat, dicens : « *Si Filius Dei es.* » Joan. x, 24 : *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Joan. vii, 4 : *Nemo quippe in abscondito quid facit, et quærit ipse in palam esse : si hæc facis, manifesta te ipsum mundo.* Ecce exploratio.

« Dic lapidi huic ut panis fiat. »

Tria notantur in persuasione. Primum quidem, quia facile. Secundum autem, quia modestum. Tertium est, quia necessarium videtur persuadere.

Facile enim est, quod dicto fit. Psal. xxxii, 9 : *Ipse dixit, et facta sunt.* Modestum autem est, quod unus lapis unus panis fiat : et non multi panes fiant. Et ideo dicit : « *Lapidi.* » Necessarium autem, quod est ad necessitatem sicut panis, et non ad delicias. Hoc autem facit ut facilius persuadeat. Videntur enim esse rationabilia quæ proponit, et necessaria, et levia. Rationabile enim est lapidem panem fieri, quia melior est panis quam lapis. Matth. vii, 9 : *Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei?* Panis etiam de primis necessariis est corpori. Unde, Eccli. xxix, 28 : *Initium vitæ hominis aqua et panis.* Hoc etiam est quod ab omni homine petendum quotidie docetur. Matth. vi, 11 : *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Sic ergo et facile, et rationabile, et necessarium esse videtur : et tamen Christo non persuadetur, propter causam quam diximus.

« Et respondens ad illum Jesus. »

Attende qualiter eum diabolus sic explorat ut tentet, sic tentat ut exploret. Dominus, qui sapientia Dei est, sic diabolum decipit ut vincat, sic vincit ut decipiat.

Quod autem dicit quod *respondit*, notatur quod respondit ad rem quam proposuit. Et per hoc quod dicit, « *ad illum,* » notatur quod etiam respondit quærenti, non solum orationi, vel interrogationi. Hæc enim est plena responsio quæ et quæstioni satisfacit, et tamen mirabiliter sine dolo, fallacem fallit.

« Scriptum est. »

Ecce responsio a confirmatione Scripturæ incipiens. Et attende, quod est Scriptura divinitus inspirata, sicut prophetia. Quædam autem divinitus inspirata et ore Dei edita, sicut Lex. Quædam autem et divinitus inspirata et ore Dei edita et per iterationem confirmata, sicut est Deuteronomius. Et quia hæc est magis authentica, ideo a confirmatione istius non recedit Christus summa Dei sapientia.

« *Scriptum est* » enim hoc Deuter. viii, 3, quod dicit. Ista etiam responsio significatur per limpidissimos lapides quos elegit David de torrente ad sternendum Goliath Gethæum<sup>1</sup>. Limpidus enim lapis est solidissimæ auctoritatis veritas. Hæc est etiam sagitta acuta de arcu Scripturæ emissa in cor tentatoris, Psal. cxix, 3 et 4 : *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam?* Respondet : *Sagittæ potentis acutæ.*

« Quia non in solo pane vivit homo. »

Panis enim verbo Dei constat, et a verbo Dei quo factus est, dependet secundum esse et virtutem cibandi. Et

<sup>1</sup> Cf. I Reg. xvii, 40.



ideo si verbum Dei non esset panis, nec panis esset, nec cibaret : et ideo a verbo Dei cibatur : et ideo « *non in solo pane vivit* » qui vivit, « *homo*, » qui pane vescitur, « *sed in omni verbo Dei.* »

Distributio autem quæ hic ponitur, tria habet appellata. Est enim Verbum increatum Dei, quod est causa rei. Et est Verbum quod est ratio rei, quæ est idea rei in mente Dei. Et est Verbum incorporatum quod est forma, in qua res creata est a Verbo Dei, et secundum ideam Dei. Et in omnibus his vivit homo : quia materia panis non cibaret, nisi forma cibi panis esset in ea : nec hæc forma cibi esset, nisi esset idea : nec idea esset, nisi esset Verbum Dei, quod est ars et causa subsistendi omnibus, quæ in sapientia sua fecit.

Dicit ergo : « *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei.* » Sapient. xvi, 26 : *Non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderunt, conservat.* Sic enim dicit Psalmus lxxvii, 25, quod *panem Angelorum manducavit homo.* Sed panem Verbi sapientiæ purum in lumine intellectus Dei manducat Angelus : eundem autem materiis rerum influxum et incorporatum manducat homo. Ecce quam caute respondet, quam vere : ostendens panis primam virtutem quæ in verbo Dei est, esse quærendam tam ab Angelo quam ab homine. Et sic latet veritate Scripturæ Christus veritas, et fallit omnis auctorem fallaciæ.

Hæc est litteralis veritas.

Sunt tamen quidam hæc mystice exponentes, et per lapidem duritiam legis, et duritiam cordis hominis obstinati intelligentes. Et ideo dictum dæmonis de peccatore accipientes : Dic, oro, ut lapis qui est lex dura, vel cor hominis durum, panis, hoc est, tua per emollitionem pietatis fiat refectio. Quod reputo absurdam esse expositionem, et contra mentem auctoris inductam.

Congrue autem diabolus in lapide exemplum accepit, qui fronte et obstinatione cordis *lapis* dicitur, Job, xli, 15 : *Cor ejus indurabitur tamquam lapis, et stringetur quasi malleatoris incus.*

« Et duxit illum diabolus, »

Præcedens eum, non portans, ut quidam dicunt. *Duxit* autem, sed non abduxit, nec seduxit : sed patienter secutus est eum, ut vinceret in quibus primum hominem vicerat, et sic dejiceret a potestate.

« *In montem excelsum,* » ut ex situ loci facilius undecumque longe prospiceret. Baruch, v, 5 : *Sta in excelso...*, et *vide.* Montem autem quæsivit ei quem purum hominem arbitrabatur, ut etiam ipsa loci eminentia fastum indicaret ambitionis. In montibus enim talibus vulnerati ambitione ceciderunt multi ex fortibus Israel <sup>1</sup>.

Mons autem iste in deserto quod est inter Jerusalem et Jericho, ubi hæc tentatio perfecta est, inventus est : et in istum montem Dominus dispensative est ductus a diabolo. Et quod quidam dicunt, quod portavit eum illuc, est valde absurdum. Nec dicitur hoc nisi a quibusdam fabulas judaicas diligentibus.

Unde in ista secunda tentatione duo dicuntur : tentatoris instantia, et tentationis exclusio.

Tentatoris autem instantia ad tentandum intelligitur ex tribus : ex loci congruentia, ex ejus de quo tentat ostensionis evidentia, et ex promissione deceptiva.

Loci congruentia est in hoc quod dicit, quod « *duxit illum diabolus in montem excelsum :* » ut ex ipsa loci altitudine fastum conciperet. Zachar. iv, 7 : *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel ? in planum.* Diligit enim loca excelsa diabolus. Job, xli, 25 : *Omne su-*

<sup>1</sup> Cf. I Reg. iv, 10 et II Reg. i, 4.

*blime videt: ipse est rex super universos filios superbix.*

« Et ostendit illi omni regna orbis terræ. »

Cum tribus modis res ostendatur : ampliacione videlicet spiritus, quo Deus ostendit Prophetis: sicut, III Reg. xxii, 19: *Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cæli assistentem ei a dextris et a sinistris.* Et per lumen quod per modum speculi præsentatur oculis, in quo cuncta apparent quæ sunt orbis: sicut Beato Benedicto ostensus est mundus. Et tertio, per digiti demonstrationem. Nullo istorum modorum ostendit diabolus nisi ultimo, ut dicit Chrysostomus. Sicut si diceret: Romanum regnum est ad plagam occidentalem, Persidis regnum ad plagam orientalem, Chaldæorum ad aquilonem, et Græcorum ad meridiem. Et gloria, magna, major, maxima, est in singulis eorum.

Et hoc fecit « *in momento temporis,* » hoc est, in parvo tempore: quia momentum quadragesima pars est horæ, et ponitur hic pro tempore parvo. Et licet velit decipere, tamen ex rebus congruentibus cogitur loqui. Sicut enim cum deciperet Adam, coactus est in forma serpentis venire, in qua facile posset deprehendi: sic et nunc ex rebus convenientibus loqui cogitur: et ex ipso momento significatur, quod omnis gloria mundi est momentanea: et ideo nec curanda. Isa. xl, 6: *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri.*

« Et ai illi, etc. »

Ista tentatio est, qua promittendo decipere quærit. Et ideo quatuor facit: promittit, rationem promissionis subdit, et ad illicitum inducit: et si committatur illicitum, promissum se soluturum ostendit.

Dicit ergo promittendo:

« Tibi dabo potestatem, »

Quia in talibus dignitatibus sub potestate continentur et divitiæ et honores et gloria. Qui enim in talibus potestate potiuntur sicut domini, accipiunt terrarum divitias, et glorificantur a subjectis. Non enim quærunt veram gloriam, sed eam quæ est ab hominibus. Joan. v, 44: *Gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis.* Sunt enim potestates quærentes, et in turbis populorum et sceptris sibi placentes plerumque Sardanapalitæ, qui non quærunt nisi ea quæ coram hominibus sunt. Et tales sibi adjungunt: a quibus gloriosi habentur, et quorum viribus, ut tyranni, divitias multitudinis subjectæ diripiunt. Sapient. vi, 22, datur talibus consilium sic: *Si delectamini sedibus et sceptris, o reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis.* Præterea, potestas citius movet cor quam divitiæ: quia divitiæ non appetuntur, nisi quia sunt necessitatis futuræ sufficiens in omni tempore et loco fidejussor: et in hanc necessitatem cadere non potest, qui super multos habet potestatem. Adhuc autem, divitiæ non nisi organice et instrumentally deserviunt ad regna: potestas autem substantialis est regnis.

Vide ergo quam astute tangit ea quæ cor movere possunt, etiam boni hominis in regimine, et tacet id quod non movet nisi per accidens, et propter aliud, vel non movet nisi cor vile et deficiens. Eccli. x, 10: *Nihil est iniquius quam amare pecuniam: hic enim et animam suam venalem habet: quoniam in vita sua projecit intima sua.* Versute ergo proponit ea quæ cor generosum facilius moveant.

Dicit autem, « *hanc universam,* » ne potestas appetita ab alio, contradicibilis sit, vel a quoquam superiore mutanda. Sic enim non ita appeteretur: quia derisibilis est qui depositus est ab ea, qua

aliquando potitus est dignitatis potestate. Unde, Matth. iv, 9: *Hæc omnia tibi dabo.* Eccli. xxiv, 11: *Omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi.* Isa. x, 14: *Universam terram ego congregavi: et non fuit qui moveret penam, et aperiret os, et ganniret.*

Addit autem de gloria, dicens:

« Et gloriam eorum, »

Quia gloria etiam movet generosum animum, ut propter eam appetantur divitiæ plusquam propter se. Gloria enim est late patens præconium, vel clara cum laude notitia, quam claritatem multi appetunt, non attendentes quod dicitur, I Machab. ii, 62 et 63: *Gloria ejus, scilicet viri peccatoris, stercus et vermis est: hodie extollitur, et cras non invenietur, quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus perit.* Et illud Isaiaë, xl, 6 et 7: *Omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo.*

Subjungit autem rationem hujus promissionis, dicens:

« Quia mihi tradita sunt. »

Et mentitur: quia gloriam suam Deus alteri non dat<sup>1</sup>. Potestatem autem ordinat et committit, sed non nisi a se teneri permittit. Ad Roman. xiii, 1: *Non est potestas nisi a Deo.* Matth. xxviii, 18: *Data est mihi omnis potestas in cælo, et in terra.* Neque mirum si mentitur mendacii pater et inventor, Joan. viii, 44: *Ipse mendax est, et pater ejus.* Tamen potestatem videtur dicere, potestatis abusum, hoc est, tyrannidem: quia illam de permissione divina exercet per malos in bonos. Job, ix, 24: *Terra data est in manus impii, vultum judicum ejus operit.*

<sup>1</sup> Isa. xlii, 8.

<sup>2</sup> Verbum *procidens* non est in textu Lucæ.

« Et cui volo do illa. »

Hoc est simpliciter falsum: quia etiam malis Deus dat quibus vult: sicut Nabuchodonosor dedit Ægyptum, et multis aliis. Job, i, 21: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est.* Sed diabolus loquitur secundum communiorem usum: quia multi mali sunt quibus ipse permissa sibi potestate ordinat divitias ad tentationem, et laqueum suæ perditionis. I ad Timoth. vi, 9: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.* Sapient. xiv, 11: *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in muscipulam pedibus insipientium.*

« Tu ergo si procidens<sup>2</sup>. »

*Procidens* est pronus cadens: quia non adorat dæmonem, nisi cadat pronus. Et iste est major casus qui esse potest: quia honor Creatoris ad infimam et omni vilitate viliores et incurabiliter corruptam transfertur creaturam. Sic enim usurpando divinitatem, et ipse pronus cecidit, Isa. xiv, 12: *Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram.* Et ideo sui casus persuadet similitudinem. Altitudo enim quam in cælo concepit, adhuc in corde suo perseveravit. *Et imitantur illum qui sunt ex parte illius*<sup>3</sup>. Psal. lxxiii, 23: *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.*

« Si adoraveris coram me, »

Adoratione latriæ, quæ soli Deo debetur. Semper enim illam usurpat quæ Dei est: sicut fecit in cælo. Et hoc facit promittens avaritiam: quia sicut dicitur, ad Ephes. v, 5: *Avaritia est idolorum*

<sup>3</sup> Sapient. ii, 25.

*servitus*. Ostendit enim se hic secundum cordis sui tumorem, tamquam ipse sit Deus. Daniel. xi, 36 : *Elevabitur, et magnificabitur adversus omnem deum, et adversus Deum deorum loquetur magnifica.*

« *Coram me* » dicit : quia multi adorant eum non coram, qui facto adorant eum. Ad Philip. iii, 19 : *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Sed coram adorant, qui cognito dæmone, per adorationes et prostrationes honorem latriæ exhibent et sacrificia : sicut faciunt necromantici, et illi qui spe lucri faciunt : sicut fecit Theophilus. Et ad hoc a Domino Jesu Christo exegit. Non enim sufficit ei quod exhibeatur ei obsequium in malo opere, nisi etiam a bonis eruat fundamenta fidei, et excluso Creatore quem odit, ad se transferat honorem divinitatis. Psal. cxxxvi, 7 : *Dixerunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Job, xl, 18 : *Absorbebit fluvium, et non mirabitur : et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.* II ad Thessalon. ii, 4 : *Adversatur, et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.*

« *Erunt tua omnia.* »

Ecce confirmatio promissionis, si perficitur persuasio iniquæ voluntatis. Genes. xxxiv, 11 et 12 : *Quæcumque statueritis, dabo. Augete dotem, et munera postulate, et libenter tribuam quod petieritis : tantum date mihi puellam, hoc est, animam.* Genes. xiv, 21 : *Da mihi animas, cætera tolle tibi.*

« *Et respondens Jesus, dixit illi.* »

Ecce tentationis exclusio cauta, sine consecutione ejus quod tentator intendit. « *Respondit* » autem ad tentationem, « *et dixit illi* » ad tentantis nequitiam :

<sup>1</sup> Cf. Exod. xx, 3.

quia, sicut dicit Apostolus, II ad Corinth. ii, 11, *non ignorabat cogitationes ejus.* Proverb. i, 17 : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Et, ut dicit Matthæus, iv, 10, ad hanc tentationem cum indignatione respondit, dicens : « *Vade, Satana :* » quia, sicut dicit Chrysostomus, in propriis injuriis esse quempiam patientem laudabile est : Dei autem injurias dissimulare nimis impium est. Unde, Esther, xiii, 14 : *Timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.*

« *Scriptum est.* »

Deuter. vi, 13, quia ab Deuteronomii auctoritatibus, ratione superius inducta, non recedo : « *Dominum,* » legis positorem. Isa. xxxiii, 22 : *Dominus legifer noster, Dominus rex noster.* « *Deum,* » creatorem, et inspectorem, et provisorem. Esther, xiii, 10 et 9 : *Tu fecisti omnia, cælum et terram, et quidquid cæli ambitu continentur, ... in ditone tua cuncta sunt posita.* « *Tuum,* » per cultum et illius beneficium. Ad Hebr. xi, 16 : *Non confunditur Deus vocari Deus eorum.* Exod. iii, 15 : *Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob misit me ad vos : hoc nomen mihi est in æternum.* Unde hæc omnia tria unum nomen sunt : « *Dominus Deus tuus.* » Deuter. vi, 4 : *Dominus Deus noster Dominus unus est.* Ibidem, v, 7 : *Non habebis deos alienos in conspectu meo* <sup>1</sup>.

« *Adorabis* »

Prostratione : quia ille solus te sublevavit in esse, cum non esses. Et ideo adoratio prostrationis sibi soli debetur. Psal. xlv, 12 : *Ipsa est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.* Psal. lxxv, 4 : *Omnis terra adoret te, Deus.*

« Et illi soli servies »

Cultu latriæ: quia illa servitus nulli nisi a Deo debetur. Hieronymus in epistola sua, dicens in cordibus vestris, te oportet adorare Dominum. Exod. xx, 5: *Non adorabis ea, neque coles: ego enim Dominus Deus tuus fortis, zelotes.* Sapiënt. xiv, 27: *Infandorum idolorum cultura, omnis mali causa est, et initium, et finis.*

« Et duxit illum in Jerusalem, et statuit eum supra pinnam templi, et dixit illi: Si Filius Dei es, mitte te hinc deorsum. »

Ecce tertia tentatio de inani gloria quæ in deserto non est perfecta, sed in templo in Jerusalem. Præcessit ergo diabolus, et sequebatur eum Dominus, et non fuit portatus ab eo, ut quidam dicunt. Sequebatur autem eum quo voluit, ubi multos per inanem gloriam præcipitaverat, et ubi multi magni gloriosi apparuerunt: quia ibi citius tentatur aliquis ad magna ostendenda, ut inter gloriosos gloriosior appareat: et ubi locus est sanctificationis, ut ibi minus a tentatore caveat. Isa. LXIV. 10 et 11: *Jerusalem, ... domus sanctificationis nostræ et gloriæ nostræ.* Isa. LII, 1: *Jerusalem, civitas sancti.*

Tanguntur ergo hic duo: tentatio, et tentatoris confusio.

In tentatione tria: loci scilicet communis opportunitas, et loci proprii ad tentationem congruitas, et persuasionis versuta malignitas.

De loci communis ad tentandum oportunitate jam dictum est: dixit enim in corde suo illud Ecclesiastici, xxiii, 30 et 31: *Ubi non speravit, apprehendetur. Et erit dedecus omnibus.*

« Et statuit eum, »

Ascendens ante eum per gradus ad exedram in alto collocatam, unde sacerdotes docebant populum, quam hic vocat « *pinnam templi,* » quia per modum pinnæ templo adhærebat, sicut apud nos propugnacula adhærent turribus et domibus: ubi multi per gloriam apparuerant: ut in alto loco Prælatorum stans, gloriam cogitaret: similitudinem sui cordis persuadere intendens. Isa. xiv, 13: *Super astra Dei exaltabo solium meum.* Cum econtra doceat Dominus, Luc. xiv, 10: *Recumbe in novissimo loco.* Psal. i, 1: *In cathedra pestilentiæ non sedit.*

« Et dixit illi. »

Ecce tentationis propositio. Est autem tentatio in qua suadendo blanditur, et ideo componitur ex tribus, scilicet, exploratione, tentatione illiciti, et blanda persuasionem.

Explorationem aperit cum dicit: « *Si Filius Dei es,* » et propria virtute per generationem a Patre habita. Hæc satis. Sapiënt. ii, 16 et 17: *Gloriatur patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sint, et tentemus quæ ventura sunt illi.*

« Mitte te deorsum. »

Absque intentione, competentia dicit: quia qui voluntatem diaboli facit, mittit se deorsum: quia diabolus *deorsum fluens* interpretatur. Isa. xiv, 15: *Ad infernum detraheris in profundum lacu:* quia licet malitiam habeat voluntatis, a sapiente Deo illa sic ordinatur, ut facile a considerato et circumspecto deprehendatur. Job, xli, 4: *Revelabit faciem indumenti ejus.*

« Scriptum est enim quod Angelis suis mandavit de te, ut conservent te: **10**

Et quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. **11**

**12** Et respondens Jesus, ait illi: Dicitum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.

**13** Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus. »

Ecce blandimentum persuasionis. Et habet tria: astutam Scripturæ confirmationem, male tamen allegatam: et Scripturæ necessariam impletionem: et impunitatis dolosam promissionem.

Scriptura autem est, Psal. xc, 11 et 12, de custodia animarum, ordinata a Deo per Angelos <sup>1</sup>, quam inconvenienter diabolus adhibuit Christo capiti, qui sibi sufficiens nulla indiguit custodia.

Dicit ergo:  
« *Scriptum est,* » et ideo certum. Matth. v, 18: *Iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.*

« *Quoniam Angelis suis.* » Psal. ciii, 4: *Qui facis Angelos tuos, spiritus, et ministros tuos ignem urentem.*

« *Mandavit* » Deus Pater, « *de te,* » qui dilectus Dei es: sicut sonuit in baptismo: *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi* <sup>2</sup>. Et ideo certe specialiter mandavit, cum dixit Angelos custodire debere.

« *Ut custodiant te.* » Isa. lxi, 6: *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes: tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt, scilicet laudare nomen Domini.* Ad Hebr. i, 4: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis?*

« *In omnibus viis tuis.* » Psal. xxxi, 8: *In via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.* Psal. cxx, 4: *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.* Sapient. x, 12: *Custodivit illum*

<sup>1</sup> Psal. xc, 11 et 12: *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*

*ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum.* Ista custodia dicitur aliquando *murus*: sicut, Isa. xxvi, 1: *Urbs fortitudinis nostræ Sion: Salvator ponetur in ea murus et antemurale,* hoc est, custodia Angelorum, et Sanctorum præsidium.

Et allegat istius Scripturæ adimplendam necessitatem, dicens:

« Et quia in manibus, »

Hoc est, in potestate defensionis, « *tollent te,* » hoc est, portabunt te: et ita habet littera Psalmi xc, 12. Sed quia dicit, quod ex alto dimittat se, dicit: *Tollent,* hoc est, sustollent te, ne collidaris vel collisionem patiaris. Quasi dicat: Qui Prophetam Eliam sublevavit in cœlum manibus Angelorum subvectum <sup>3</sup>, ipse te sublevabit qui es Filius, et non patietur te collidi.

« Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. »

Ecce impunitatis promissio: quia nec minimam læsuram quæ est ex offensa pedis ad lapidem eum incursum promittit. Hoc autem quod de membris opportune intelligitur, diabolus inconvenienter adaptat capiti, quod tali custodia non indiget: et tacet hoc quod contra se esse novit in sequentibus: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et concubabis leonem et draconem.* Aspis enim est diabolus, in quantum obturat se ad Dei verbum, et basiliscus est, in quantum invisibilis interficit. Leo autem, in quantum esuriens peccatores circuit et rugit. Draco autem, in quantum carnalibus vitiis pectore et ventre repens homines involvit. Et ipse statim est concucandus, et caput ejus conterendum. Et hoc superbia deceptus, non præsensit.

<sup>2</sup> Supra, iii, 22. Cf. Matth. iii, 17.

<sup>3</sup> IV Regum, ii, 11.

<sup>4</sup> Psal. xc, 13.

« Et respondens Jesus dixit illi. »

« *Respondens* » quidem orationi, « *dixit* » malignæ intentioni. Psal. XLIX, 21 : *Arguam te, et statuum te contra faciem tuam.*

« *Dictum est,* » Deuter. vi, 16, quia a Deuteronomio propter secundæ legis præfigurationem non recedit : quia, « *Non tentabis Dominum Deum tuum.* » Tentare Deum, est se discrimini committere, ut videatur an Deus pro ipso miraculum velit facere. I ad Corinth. x, 9 : *Neque tentemus Christum, scilicet Deum, sicut quidam tentaverunt, et a serpentibus perierunt.* Psal. LXXVII, 18 : *Tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis.* Eccli. XVIII, 23 : *Noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Ideo enim dedit homini intellectum et sensum, ut in talibus sit in manu consilii sui. Eccli. XVII, 5 : *Consilium, et linguam, et oculos, et cor dedit hominibus excogitandi, et disciplina intellectus replevit illos.* Et ideo dedit ei hæc adjutoria quod videret quid ageret, et se discrimini non committeret.

« Et consummata omni tentatione. »

Ecce effectus victoriæ : quia, cum ad summum perfectionis et victoriæ tentatio deducta est, « *diabolus recessit ab illo.* » Jacob. IV, 7 et 8 : *Resistite diabolo, et fugiet a vobis : appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* I Petr. v, 9 : *Cui resistite fortes in fide.*

« *Usque ad tempus.* » Hoc autem est tempus passionis, quando iterum tentavit fortiter per uxorem Pilati, et per Judam. Per Judam primo, quærens occidere : præsumptione autem habita de Filio Dei per uxorem Pilati quæsivit redimere.

**14** « Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam : et fama exiit per universam regionem de illo.

Et ipse docebat in synagogis eorum, et magnificabatur ab omnibus. **15**

Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et surrexit legere. **16**

Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat : **17**

Spiritus Domini super me : propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde : **18**

Prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem : prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis. **19**

Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. **20**

Cœpit autem dicere ad illos : Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. **21**

Et omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius. » **22**

Hic incipit pars quæ est de illuminatione doctrinæ.

Et tangit ab hoc loco usque ad vigesimum secundum capitulum, omnes ordines ecclesiasticos : ordines, inquam, qui sunt in fundamento, in capite, in dignioribus, et quasi officialibus membris, sicut Apostolis, et successoribus eorum Episcopis : et membris inferioribus, sicut discipulis. et successoribus eorum presbyteris, qui sunt secundi ordinis viri. Et quia nihil aliud Lucas inducit nisi quod est ecclesiasticum, ideo suam formam in quatuor animalibus probat esse vituli. Et ideo etiam non sequitur ordinem temporis in re gesta : sed sequitur ordinem ecclesiasticum in constitutione graduum Ecclesiæ, et illuminatione uniuscujusque gradus. Et inducit

gesta secundum quod opportune probant gradus, et confirmant eos, et probant illuminationem eorum.

Hæc autem omnia suis locis patebunt.

In omni autem ædificio oportet primum jacere fundamenta : sicut dicitur, Matth. vii, 24, quod vir sapiens ædificans domum, primum fodit in altum, et ponit fundamentum supra firmam petram : ita Lucas intendens construere Ecclesiam in suis gradibus, et ministeriis, et officiis, præponit fundamenta omnium in residuo istius capituli : et deinde construit ordinum officia usque ad passionem.

Fundamenta autem omnium ecclesiasticorum sunt tria : veritas, potestas, et operatio. Veritati innitur doctrina ministrorum. Potestati divinæ innituntur sacramenta. Operationi innitur officium prædicationis, et auctoritas missionis. De his autem in propriis locis reddetur ratio.

Et ideo tria facit in residuo istius capituli. Primo autem horum omnium ostendit veritatem : et circa hanc facit tria, quorum primum est ea qua ad veritatis ostensionem venit, opportunitas. Secundum est ex Prophetarum eximio testificata veritas. Tertium est testimonii inducti explanata perspicuitas.

Opportunitas autem adhuc est in tribus : loco videlicet, et tempore, et legentis dispositione.

De loco autem dicit duo, scilicet, de loco communi, et loco proprio.

De loco communi adhuc duo innuit, Tangit enim locum communem habitationis audientium, et locum communem ad docendum, conventibus audientium deputatum.

Circa locum communem habitationis audientium dicit tria : Doctoris videlicet ad audientes adventum, loci dispositionem, Doctoris famam.

De Doctoris adventu dicit adventum, utilitatem, et efficaciam in docendo.

Adventus notatur in hoc quod dicit :

« Et regressus est Jesus »

Non quidem immediate post tentationem fuit de Judæa in Galilæam regressio, sed potius illa quam describit Joannes, i et ii. Et est quando in Galilæa ad testimonium Joannis quibusdam discipulis innotuit, et aquam in vinum convertit : et tunc iterum in Judæam secundo anno a baptismo, Joanne jam incarcerato iterum in Judæam exivit de Galilæa, et post aliqua facta iterato in Galilæam rediit : et tunc hæc quæ hic describuntur perficit. Lucas autem qui Joannem prævidit scripturum, non posuit : maxime ideo, quia licet deitatem Christi ostenderent, tamen ad probationem ordinis ecclesiastici non multum faciunt, quem ipse prosequendum suscepit.

De hac ergo dicit :

« *Regressus est* : » qui regressus est reductio illuminationis super audientes post egressum ab eis factum in contemplationem veritatis, et confutationem hostis. Ad hæc enim duo a cura sua egreditur : ut contemplando veritatem hauriat, quam prædicando effundat : et ut in oratione pro subditis dæmonem vincat, et a subditis compescat. Ezechiel, i, 14 : *Animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis*. Ideo dictum est Abrahæ, Genes. xii, 1 : *Egredere de terra tua, et de cognatione tua* : ut de suis aliquando ad contemplationem et orationem egrediatur. Et dictum est Jacob ut in terram suam revertatur<sup>1</sup>, ut significetur, quod Prælati per regimen et actionem virtutis ostendendæ, aliquando ad suos revertatur. Et hoc Christus nos instruit, cujus omnis actio nostra est instructio.

Qua autem utilitate dicit : « *Jesus* : » quia salutis viam monstrans suis : propter quod etiam *pontifex* appellatur, ad Hebr. ix, 11 : *Christus assistens pontifex*

<sup>1</sup> Genes. xxxii, 9.



*futurorum bonorum.* Jesus enim semper dat documenta salutis. Luc. I, 77 : *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum.*

De efficacia sui in docendo subjungit :

« In virtute Spiritus, »

Qui est vehiculum omnis virtutis. Oportet enim quod doctrina inspirationis Spiritus, virtute Spiritus demonstratur : quia aliter caret effectu. Dat enim Spiritus inspirationem intellectus, Job, xxxii, 8 : *Ut video, Spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* Sed virtus Spiritus dat probationem : quia ejicit dæmonem, Luc. xi, 20 : *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* Et ideo Dominus monet Apostolos ne ante doceant quam virtutem Spiritus accipiant, Luc. xxiv, 49 : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* I ad Corinth. ii, 5 : *Fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.*

Tangit autem locum communem habitationis audientium, dicens :

« In Galilæam. »

Unde, Luc. xxiii, 5 : *Commovet populum docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc.* Ibi enim fuit principalium discipulorum communior habitatio, Act. ii, 7 : *Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt?* Causa autem in præmissis est habita : quia hunc inceptionis doctrinæ suæ locum determinaverat prophetia Isaïæ, ix, 1 et 2 : *Trans Jordanem Galilææ Gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam.* Ex eo autem quod Propheta ibidem dixit, incipiendum fuit ut vocarentur ad fidem Gentes, quæ ibi mixtim cum Judæis habitabant : et ex Judæis et Gentibus oves Christi erant

congregandæ, et sub uno Ecclesiæ ovili concludendæ.

De fama autem quæ omni Doctori necessaria est subjungit, dicens :

« Et fama exiit per universam regionem de illo. »

Est enim fama sicut odoris diffusio bonæ opinionis in omnes. Sicut enim gustus est, ita et odor : dulcis enim saporis, dulcis est et odor. Cum autem sapor sit sequela complexionis : ubi bona est complexio, ibi bonus sapor, et inde debet causari bonus odor. Bona autem complexio in bona et subtili humidi digestionem, est bona humorum ad medium reducta temperantia. Et sic in humoribus spiritualibus, qui sunt quatuor passionem naturales : gaudium, tristitia, spes, et timor. Ubi enim charitas est hæc bene digerens, et ratio sapientiæ hæc bene ad medium ordinans, ibi est bona cordis complexio et bona digestio. Et iste homo optimus est in se, dulcissimus in societate, et fragrans in opinione. Bonus igitur Dominus de quo dicitur, Psal. cxviii, 68 : *Bonus es tu, et in bonitate tua doce me.* Dulcis Dominus in societate participantium eum, de quo dicitur, I Petr. ii, 3 : *Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus.* Et ideo necesse fuit quod bono odore fragraret in opinione omnium. Bonum autem odorem venenata refugiunt. Unde, II ad Corinth. ii, 15 et 16 : *Christi bonus odor sumus in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt : aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* Sed mirum esset in naturalibus, si id quod malæ est complexionis et malæ digestionis, haberet saporem dulcem et odorem delectabilem. Monstruosum ergo est in moribus quod velis esse malus, et tamen hominibus delectabilis, et apud omnes esse bonæ opinionis. Isa. xxxiv, 3 : *Et de cadaveribus eorum ascendet foetor.* Psal. v, 11 : *Sepulcrum patens est guttur eorum.* Econtra de bonis,

Cantic. iv, 10 : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata*, hoc est, secundum virtutes conversationis. Genes. xxvii, 27 : *Statim ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedixit illi.*

« Et ipse docebat. »

Hic tangit locum communem, qui determinatus est docenti. Synagoga enim dicitur a *σύν* quod est *cum*, et *ἀγω* quod est *duco*, quasi *conduco*. Et quia brutorum est alio quodam ducente et trahente, conduci : ideo infidelium conventus vocatur *synagoga*. Ecclesia autem dicitur *congregatio*, et illa est rationalium quia congregantur, quæ congregantur proprio motu. Et ideo utentes ratione ad lumen fidei in unam congregantur fidem. Et ideo non Synagoga, sed Ecclesia vocatur.

Synagoga autem hic dicitur domus in quam convenerunt Judæi audire verbum Domini. In has ergo domos Jesus et Apostoli frequenter convenerunt proponere multitudini verbum Dei : quia verbum Dei in publico et non in angulis est proponendum. Eccli. vi, 35 : *In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere.* Joan. xviii, 20 : *Ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil.* Matth. x, 27 : *Quod in aure auditis, prædicate super tecta.*

« Et magnificabatur, »

Hoc est, magnus prædicabatur, « *ab omnibus*, » propter dictorum veritatem, propter virtutis in exemplis ostensionem, et propter miraculorum ostensionem. Luc. xxiv, 19 : *Qui fuit vir propheta potens in opere et sermone coram Deo et omni populo.* Luc. vii, 16 : *Quia Propheeta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam.* Matth. vii, 29 :

<sup>1</sup> Vulgata habet, Psal. xci, 13 : *Justus ut pal-*

*Admirabantur turbæ super doctrina ejus. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi.*

« Et venit Nazareth. »

Hic tangit locum proprium tam auditoris quam Doctoris : auditoris, « *Nazareth* : » Doctoris, « *Synagogam*, » quæ fuit in Nazareth. Et ibi innuit congruitatem temporis : « *In die sabbati.* »

Dicit ergo : « *Et venit Nazareth*, » semper floris amans speciem, flos de radice Jesse, « *ubi nutritus fuerat.* » Cantic. ii, 16 et 17 : *Qui pascitur inter lilia, donec adspiret dies, et inclinentur umbræ.* Justus germinabit sicut liliam, et florebit in æternum ante Dominum<sup>1</sup>. « Rex enim apum, ut dicit Ambrosius, de rore florum concipitur et nascitur. » Christus autem rex apum, hoc est, Sanctorum est, qui in principio, hoc est, in primo adventu prædicato ab ipsis, habent dulcorem : in fine autem, hoc est, in secundi adventus prædicatione, habent aculeum : quia ibi pungunt per timorem judicii. Eccli. xi, 3 : *Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius.* Eccli. xxiv, 27 : *Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.* Cantic. iv, 11 : *Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua.* « Mel enim, ut dicit Avicenna, est ros collectus linguis apum de floribus. »

« Et intravit secundum consuetudinem. »

Hic est argumentum, quod bonæ consuetudines sunt tenendæ, quas ipse Dominus suo confirmavit opere. Ad Hebr. x, 25 : *Non deserentes collectionem nostram sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, et tanto magis quanto videritis appropinquantem diem. Et,*

*ma florebit : sicut cedrus Libani multiplicabitur.*

infra, ̄. 36 : *Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.*

Hic ostenditur moraliter ad similitudinem Domini quoniam Ecclesias a quibus nutrimenta accipimus, verbi Dei prædicatione, et laude Dei, et consilio frequentare debemus. Aliter ipsi agri Ecclesiæ qui nos nutriunt, contra nos clamabunt. Job, xxxi, 38-40 : *Si adversum me terra mea clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent : si fructus ejus comedi absque pecunia, et animam agricolarum ejus affixi : pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina.* Terra enim clamat, cujus fructibus non deservimus. Sulci deflent, quibus pro fructu nobis ministrato spiritualia non rependimus. Fructus absque pecunia comeditur, quando temporalia avare sumimus, et honorum operum fructu, eadem tamquam pro pecunia non comparamus. Anima agricolarum afflicta est, quando oblationes fidelium accipimus, et animas a peccatis non liberamus : de quo dicitur, Osee, iv, 8 : *Peccata populi mei comedent*, hoc est, oblata pro peccatis, *et ad iniquitatem sublevarunt animas eorum* Pro frumento autem oritur tribulus, quando pro adipe quo nutrimur ab Ecclesiis, punctura oritur conscientiæ. Et pro hordeo spina nascitur, quando pro pabulo quod animalibus hominibus exhibere debuimus, punctura germinat pœnæ æternæ.

Tangit autem convenientiam temporis, dicens :

« Die sabbati. »

In quo duo commendantur : unum quidem, ut in festis templum visitemus : et ut in docendo locum ad docendum privilegiatum observemus.

De primo dicitur, Exod. xxiii, 17, ubi præcipitur, quod in festis solemnibus coram Domino quilibet appareat <sup>1</sup>. Ad hoc enim indicti sunt dies feriat, ut illis die-

bus, privatis operibus et re familiari non retracti, omnes ad templum veniant, et ibi laudibus divinis intersint, et verbo Dei et orationi intendant.

Locum etiam privilegiatum et ad hoc ordinatum publicus eligit Doctor : quia ibi disciplina tenetur, et non excitatur tumultus, doctrinam impediens. Eccli. li, 31 : *Appropriate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ.* Et ideo præcipitur hoc, quia in domo illa et publicus est auditus, et humilis : quia oportet ut ad pedes sedeant publici Doctoris. Deuter. xxxiii, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.* Eccli. xxxii, 6 : *Ubi auditus non est, non effundas sermonem, et importune noli extolli in sapientia tua.* Importune enim extollitur in sapientia, qui ubi non debet, et quando non debet, et quibus non debet, ingerit suam sapientiam. Et ideo propter publicum privilegiatum, et die sabbati intravit in Synagogam, quo omnes intentione audiendi conveniunt.

Ecce hoc est quod dicit de loci et temporis opportunitate.

Et de docentis dispositione subjungit, dicens :

« Et surrexit legere. »

Dicit autem quinque, et innuit ante hæc omnia sextum. Innuit enim quod primo reverenter sedit ad auditum : secundo, devote surrexit ad doctrinæ verbum : tertio, ordinem Lectoris per seipsum confirmando assumpsit : quarto, non per se, sed ab alio traditum sibi accepit librum : quinto, librum ut sapiens et sciens libri continentiam revolvit : sexto, Scripturam competentem suæ intentioni de libro accepit. Arguit autem exemplo suo plurimos, qui horum nihil observant, et tamen docere præsumunt. Per sessionem enim docet nos primo sedere ad auditum et studium : per sur-

<sup>1</sup> Cf. Exod xxxiv, 23 ; Levit. xxv, 1 et seq. ;

Deuter. xvi, 16.

rectionem, reverentiam debitam exhibere ad proponendum verbum : per lectionem, docet non contemnere ordinem ecclesiasticum : per assumptum ab alio librum, subire examen ante nos approbatorum magistrorum : per libri revolutionem, habere notitiam Scripturarum : per inventionem intenti, discernere id de Scripturis quod ad nostrum valet intentum.

De sessione autem ad studium gloriatur Apostolus, Act. xxii, 3 : *Secus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ legis.*

De surrectione, Nehemiæ seu II Esdræ, ix, 3 et 4, quod surrexerunt super gradum Levitarum, et consurrexerunt, et legerunt in volumine legis Domini Dei sui, quater in die, et quater in nocte.

De ordine Lectoris (qui est ordo ecclesiasticus, quem Dominus ibi suscepit ministrare, et consecravit in seipso legendo prophetias) dicitur, Nehemiæ seu II Esdræ, viii, 8 : *Legerunt in Libro legis Dei distincte, et aperte ad intelligendum : et intellexerunt cum legeretur.*

De quarto dicit :

« Et traditus est illi liber. »

In hoc enim quod per se non accepit, ostendit quod magisterii officium non est sumendum ab eo qui examinatus et probatus non fuerit ab antiquioribus præceptoribus. Ad Hebr. v, 4 : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Multum enim temerarium est per se sumere librum : cum nec in cælo, nec in terra inventus sit dignus qui solvere possit præter Leonem de tribu Juda. Apocal. v, 9, dicitur de Agno : *Dignus es, Domine, accipere librum, et solvere septem signacula ejus, quoniam occisus es, etc.*

Dicit autem quod fuit

« Liber Isaiæ Prophetæ. »

Causa autem est quod illum librum sibi tradi voluit : quia prophetia est expla-

natio legis. Et quia legem explanare et implere spiritualiter voluit, ideo ab explanatione testimonium sumpsit. Isaias autem inter sanctos Prophetas, primus fuit cui omnes innituntur : et ideo ab ipso potius quam ab alio incepit. Præterea, præcursor ab ipso inceperat. Adhuc autem, quia vocationis Gentium prænuntiator apertior fuit, ut dicit Ambrosius. Ideo ergo ab Isaiâ exorsus est doctrinam.

De quinto autem dicit :

« Et ut revolvit librum. »

Revolutio libri significat universalem libri notitiam. Et arguit eos qui antequam principia sciant librorum, docere præsumunt : contra quos dicit Dominus, Joan. v, 39 : *Scrutamini Scripturas : quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere.* Isa. xxxiv, 16 : *Requirite diligenter in libro Domini, et legite.*

De sexto dicit :

« Et invenit locum ubi scriptum erat. »

Ecce congruum intentioni suæ et ad materiam propositam testimonium : contra quosdam, de quibus dicit Hieronymus, quod ad suam intentionem contra mentem Auctoris trahunt scripturam repugnantem. Psal. lxxvii, 9 : *Filii Ephrem, intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli.* Arcum enim Scripturæ tendit, qui ultra quam Auctor intendat eam in austeritatem trahit. Remittit autem qui præter intentionem Auctoris eam enervat ad impunitatem. Aliquando etiam non facit ad propositum id quod inducunt, sed ad id quod volunt nituntur Scripturam repugnantem exponere. Isa. xxxii, 6 : *Stultus fatua loquetur.* Eccli. xx, 13 : *Gratiæ fatuorum effundentur.* Ibidem, x. 22 : *Ex ore fatui reprobabitur parabola : non enim dicit illam in tempore suo.*

« Spiritus Domini super me. »

Ostensa opportunitate loci, et temporis, et perfecta dispositione docentis, tangit testimonium inductum.

Tangit autem hic quatuor : ungentem, unctionem, officium, et auctoritatem : quæ necessaria sunt in omni Doctore, et Prælo, et Prædicatore.

Circa ungentem quidem tangit duo : naturam, et dignitatem.

Naturam autem cum dicit : « *Spiritus Domini.* » Et potest esse constructio transitiva et intransitiva. Si est transitiva, tunc Dominus supponit pro Patre, et Spiritus pro tertia in Trinitate persona. Et est sensus : Spiritus Domini, hoc est, qui procedit a Domino Patre. Joan. xv, 26 : *Spiritus veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Sapient, 1, 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Si autem est intransitiva locutio, tunc *Spiritus Domini* idem est quod Spiritus Dominus : et tunc *Domini* supponit pro tota Trinitate essentialiter, quia Deus Trinitas est spiritus. Joan. iv, 24 : *Spiritus est Deus : et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Et, supra, x, 22 : *Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum.*

Dignitatem autem tangit sive auctoritatem, quando dixit :

« Super me. »

Et si| secundum hominem loquatur, plana est locutio : quia sic Spiritus utroque modo super eum est dignitate. Joan. xiv, 28 : *Pater major me est.* Et sicut dicit, *Pater major me est*, ita potest dicere : Spiritus major me est. Si autem loquatur secundum deitatem, tunc Spiritus non potest stare nisi pro Patre. Et sic exponit Hilarius in libro de *Synodis*. Ut sit sensus : *Spiritus Domini super me*

est auctoritate paternitatis : et ego tamen non sum sub ipso, sed æqualis sibi : quia generatio sua in omnibus divitiis facit me æqualem sibi, et in nullo sibi inferiorem. Isa. xi, 2 : *Requiescet super eum Spiritus Domini.* In nullo enim perfecte, in nullo disturbatus quievit nisi in ipso. Joan. 1, 33 : *Super quem videris Spiritum descendantem, et manentem super eum, hic est qui baptizat.* Genes. viii, 8 et 9, Noe emisit columbam, quæ cum non inveniret ubi requiesceret pes ejus, ad arcam, hoc est, ad Christum reversa est. Christus enim est arca in qua pacata fuerunt omnia animalia.

Tangit autem unctionem cum dicit :

« Propter quod unxit me. »

Et bene dicit : « *Propter quod,* » quia unctionis causa est Spiritus super nos existens. *Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia*, scilicet Spiritus sapientiæ, sicut dicitur, Sapient. vii, 24 : ita quod etiam *per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit*<sup>2</sup> : et ubicumque penetrat, ibi ungit sicut unguentum, quod ingrediendo penetrat, et dolorem, vel consumendo morbum, vel ampliando locum, lenit : vel forte utrumque faciendo. Ad Hebr. i, 9 : *Propterea unxit te Deus... præ participibus suis.* Psal. xlv, 8 : *Unxit te Deus, Deus tuus, ... præ consortibus suis.* I Joan. ii, 27 : *Unctio docet vos de omnibus.* Act. iv, 27 : *Puerum tuum Jesum quem unxisti.* Hæc autem unctio est plenitudo charismatum ex unione proveniens naturarum, de qua *nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia*<sup>1</sup>. Hoc est quod dicitur in Psalmo cxxxii, 2 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus.*

<sup>1</sup> Sapient. vii, 27.

<sup>2</sup> Joan. 1, 16.

Sequitur de auctoritate, cum dicit :

« Evangelizare, etc. »

« Et tangit duo : auctoritatem, et officium ad quod datur auctoritas. Missio autem confert auctoritatem, cum dicit : « *Misit me.* » Isa. XLVIII, 16 : *Et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus.* Ad Roman. x, 15 : *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur ?* Et in hoc formam dat ne aliquis doceat nisi Spiritum habeat, et unctione doctus sit, et auctoritatem habeat missionis.

Officium autem est evangelizare : et de hoc tangit, in communi scilicet, et in speciali.

In communi dicit : « *Evangelizare pauperibus.* »

Attende, quod littera Isaïæ<sup>1</sup>, habet sic : *Ad annuntiandum mansuetis misit me.* Est enim aliud evangelizare, et aliud prædicare, et aliud annuntiare, et aliud docere : sicut accipitur ex verbis Chrysostomi super *Matthæum*. Evangelizatur enim quod bono et gaudio plenum est in auditu de donis, Isa. XL, 9 : *Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem : exalta, noli timere, dic civitatibus Juda : Ecce Deus vester.* Prædicatur autem quod de fide est supra rationem, I ad Corinth. I, 23 et 24 : *Nos prædicamus Christum crucifixum : Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Annuntiatio autem est nuntium divinæ voluntatis : sicut est de mandatis, et consiliis, vel de aliis secretis Dei patefactis homini, Isa. XII, 5 : *Cantate Domino quoniam magnifice fecit : annuntiate hoc in universa terra.* Doctrina autem est de his quæ subsunt rationi, quia illa per causam possunt ostendi : sicut est de moralibus pertinenti-

bus ad virtutes morales, Matth. v, 2 et seq. : *Et aperiens os suum, docebat eos, dicens : Beati pauperes, etc. Beati mites, etc. Beati misericordes, et hujusmodi.*

Dicit ergo : « *Evangelizare,* » propter primi adventus gratiam : *annuntiare* autem propter divinæ voluntatis ad Christum faciendam notitiam. Psal. CXLVII, 20 : *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.* Luc. IV, 43 : *Oportet me evangelizare regnum Dei : quia ideo missus sum.*

Quibus autem evangelizandum, dicit dupliciter : in communi, et per partes.

In communi Propheta dicit : *Mansuetis*, Christus autem : « *Pauperibus.* » Duo enim sunt in verbo Dei : unum quidem, quod aliquando acriter reprehendit et compungit : aliud, quod ea quæ supra sunt, promittit, vel comminatur. Et si quis propter ista impatienter audiat verbum, numquam suscipiet verbum Dei. Et contra hæc duo dicit Propheta, quod mansuetis venit annuntiare, quia alii non suscipiunt verbum. Jacob. I, 21 : *In mansuetudine suscipite insitum verbum, scilicet Dei, quod potest salvare animas vestras.* Isa. XI, 4 : *Judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Matth. XI, 29 : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Mansuetus enim est qui manu trahenti, vel ducenti, vel impingenti est assuetus : ita quod nec impatientiam ostendit, nec aliquid molestiæ manu inferat. Et ille est qui nec provocatur alienis injuriis, nec irrogat proprias. Et hæc est optima dispositio ad auditum. Quia verbum est adversarius noster : et si simus impatientes, numquam consentiemus eidem. Matth. v, 25 : *Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo.* Sunt etiam quidam quibus fiunt verbi promissiones, et non aliis : et illi sunt quos mundus iste bonis suis non consolatur :

<sup>1</sup> Isa. LXI, 1 et 2 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me : ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et*

*prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem : ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro.*

sed habitis omnibus hujus mundi divitiis et deliciis, se nihil habere reputant nisi cœlestia acquirant: et illi vocantur *pauperes spiritu*. Et hanc auditorum idoneitatem tangit Christus cum dicit: *Pauperes*. Matth. xi, 5: *Pauperes evangelizantur*. Isa. xxix, 19: *Pauperes homines in sancto Israel exsultabunt*.

« *Misit me.* » Joan. x, 36: *Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum*. Genes. xxxvii, 14: *Missus de valle Hebron, venit in Sichem*.

Quod autem in communi dixerat, explicat per partes, dicens:

« *Sanare contritos corde.* »

Habet autem duos paragraphos: unum, qui pertinet ad eos quibus missus est: et alium, qui pertinet ad tempus missionis.

Ille quidem qui pertinet ad eos quibus missus est, habet quatuor beneficia, contra quatuor defectus: quorum unus est interior, de quo dicit: « *Sanare contritos corde.* » Littera qua utimur in Isaia, habet: *Ut mederer contritis corde*. Sed quia finis medicaminis est sanatio, ideo Christus ponit quod perfectum est. Servi enim Christi medentur, sed ipse Christus sanat. Psal. cxlvi, 3: *Qui sanat contritos corde, et alligat omnes contritiones eorum*. Unde, Joan. xi, 43 et 44, Lazarum suscitavit per seipsum, et præcepit discipulis ut solverent eum. Jerem. xvii, 14: *Sana me, Domine, et sanabor: salvum me fac, et salvus ero: quoniam laus mea tu es*. Est autem sanitas, perfecta ad æqualitatem complexionis reductio cum virium et substantiæ restitutione: et talem restitutionem non facit nisi Deus per gratiam et virtutem. Contriti autem corde sunt pœnitentes, per dolorem cor in multa et minuta scindentes: ut secundum omnem peccati delectationem, sit dolor specialis cor conterens et dividens. Joel, ii, 13: *Scindite corda vestra*. Isa. xxx, 13 et 14: *Veniet con-*

*tritio ejus, et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida: et non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea*. Testa in qua portatur igniculus est pars cordis, retinens adhuc aliquid concupiscentiæ. Testa in qua hauritur aqua, est pars cordis in qua retinetur aliquid consolationis peccati, quæ facta est sicut aqua. Jerem. vi, 7: *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam*.

Dicit autem. « *Corde,* » quia corde contrito, omnes solvuntur peccatorum adhæsiones. Psal. l, 19: *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias*.

Tangit autem tria alia beneficia per figuram in similitudine corporalium defectuum extra.

Dicit ergo:

« *Prædicare captivis remissionem.* »

Isaias dicit sic: *Prædicare captivis indulgentiam*. Non legitur Dominus aliquem de carcerali captivitate redemisse, sed multos de diabolica captivitate usque hodie redimit. Proverb. v, 22: *Funibus peccatorum suorum quisque constringitur*. Vinculati igitur captivi peccatis *resipiscant a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem*<sup>1</sup>. Hi sunt in custodia carcerali (ne possint egredi) malæ consuetudinis, et in fovea perditionis desperationis. Thren. iii, 7: *Circumædificavit adversum me, scilicet lapidibus quadris, ut non egrediar*. Lapidibus quadris: quadri per delectationem, consensum, operationem, et consuetudinem. Captivis istis prædicat indulgentiam peccatorum, et remissionem vinculorum, et carceris. Psal. cxxiii, 7 et 8: *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus: adjutorium nostrum in nomine Domini*. Isa. lxi, 2: *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion*. Jerem.

<sup>1</sup> II ad Timoth. ii, 26.

xxix, 14 : *Reducam captivitatem vestram, et congregabo vos de universis gentibus et de cunctis locis ad quæ expuli vos.* Psal. cxlv, 7 : *Dominus solvit compeditos, qui scilicet ligatis affectibus delectationes sequuntur peccatorum.*

« Et cæcis visum. »

Ecce secundus exterior defectus. Et pro isto ponit Isaias : *Clausis apertionem* : quia qui clausus est in tenebris, non potest uti visu. Est autem captivitas impedimentum motus ad bonum. Cæcitas autem, vel in tenebris conclusio, est impedimentum intellectus ad videndum verum : quibus Christus, sapientia, reddit lumen fidei : sicut Christus, virtus Dei, prioribus dat motum ad bonum : et sicut Christus plenus gratia, sanat contritos in pœnitentia. I ad Corinth. i, 24 : *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Et de gratia, Joan. i, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* De apertione autem in tenebris clausorum, Isa. xlix, 9 : *Ut diceretis his qui vincti sunt : Exite : et his qui in tenebris sunt : Revelamini.* Michææ, vii, 8 : *Consurgam cum sedero in tenebris : Dominus lux mea est.* Isa. xxxv, 5 : *Tunc aperientur oculi cæcorum.*

« Dimittere confractos in remissionem. »

Pro isto nihil respondens invenitur in Isaia, quia Dominus legem non solum implet, sed adimplet. Istud tamen intelligitur ex aliis ante positis. Neque enim legit in libro Christus, quod per explanationem nihil adderet.

Confracti sunt membris et viribus destituti propter gravitatem oneris impositi et laboris exacti. Onus enim grave est lex, quæ nihil levita is habuit. Onus gravius est peccatum, quod depressit. Onus gravissimum est servitus diaboli, quæ numquam quiescere sinit. De onere legis, Act. xv, 10 : *Quid tentatis Deum,*

*imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus ?* De onere peccati, Psal. xxxvii, 5 : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* De onere servitutis, Isa. lviii, 6 : *Omne onus dirumpe.* De ista remissione dicitur, Matth. xi, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Isa. lviii, 6 : *Dimitte eos qui confracti sunt liberos.* Hæc enim omnia perfecit Christus gratia, virtute, et verbo : gratia sacramentorum, virtute operum, et verbo illuminationum. Et ideo dicitur, Sapient. xvi, 12 : *Neque herba neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo qui sanat omnia.* Psal. cvi, 20 : *Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum.* Verbum enim sapientiæ illuminat : Verbum a quo procedit Spiritus, gratiam donat : et Verbum Christi virtutis Dei, dat virtutem ad operationem.

Postea subjungit ea quæ sunt temporis :

« Prædicare annum Domini acceptum. »

Et dicit duo. Primum est quod est primi adventus, et jam inductum est. Hoc Isaias dicit sic : *Ut prædicarem annum placabilem Domino.* Hic annus est tota revolutio temporis gratiæ, in quo Deus placatur pœnitentia, et acceptat per Christum ea quæ offerimus bona nostra. Isa. xlix, 8 : *In tempore placito exaudivite, et in die salutis auxiliatus sum tui.* II ad Corinth. vi, 2 : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Psal. lxiv, 2 : *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Annus enim iste est annus Jubileus, hoc est, remissionis. Jubel enim hebræum, remissionem sonat.

Id vero quod est secundi adventus adjungit, cum dicit :

« Et diem retributionis. »

Et hoc Isaias dicit sic : *Et diem ultionis*



*Deo nostro.* Et hoc terret et inducit timorem : quia hæc est dies, aut in morte, aut in universali iudicio : quando unicuique reddetur pro meritis. II ad Corinth. v, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Isa. LXIII, 4 : *Dies ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit.* Deuter. XXXII, 35 : *Ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum*<sup>1</sup>.

« Et cum plicuisset librum. »

Ecce hic post assumptum coram omnibus thema, parat se ad docendum.

Tangit autem tria : libri complicationem ad secretorum revelationem : libri redditionem ad ministrorum instructionem : ejus qui legerat sessionem, ut ostendat docentis tranquillitatem.

Cum enim dicit : « *Et cum plicuisset librum,* » quem solus aperuerat, docet quod liber ad aliud est aperiendus, et ad aliud plicandus. Aperiendus ad ædificatoria pro capacitate audientium : ut rudia populo, et sapientiam loquamur inter perfectos<sup>2</sup>. Matth. VII, 6 : *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Aliter et aliter prædicandum diversis, ut docet Gregorius in *Pastorali*. Et Dominus hic confirmat. Daniel. XII, 4 : *Claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum.* Propter hoc Dominus, Matth. XXIV, 45, et Luc. XII, 36-38, commendat servum prudentem qui scit quid cui debeat ministrare pro tempore.

Attende autem quod sunt et alii libri : sicut Liber vitæ, Libri iudicii seu conscientiarum, et Libri creaturarum.

Liber vitæ intellectus Dei : in quo nomina prædestinatorum quoad esse, et gratiam, et gloriam, sunt descripta. Apocal. XX, 12 : *Alius Liber apertus est, qui est vitæ.*

Libri autem iudicii sunt conscientie Sanctorum, legis et justitiæ Dei depicti codices, secundum quos sententia dabitur in die iudicii. Apocal. XX, 12 : *Libri aperti sunt.* Daniel. VII, 10 : *Libri aperti sunt.* Psal. CXLIX, 9 : *Ut faciant in eis iudicium conscriptum.*

Libri creaturarum sunt in quibus legimus Creatorem et suam notitiam. Qui complicabuntur post diem iudicii. Isa. XXXIV, 4 : *Complicabuntur sicut liber cæli, et omnis militia eorum defluet.* Apocal. VI, 14 : *Cælum recessit sicut liber involutus.*

De talibus autem libris non loquitur hic : sed loquitur de libro hoc, qui est codex Isaïæ ad litteram : et illum complicuit, ut mystica quæ sunt in ipso doceret non adhuc esse revelanda.

Sequitur :

« Reddidit eum ministro, »

Hoc est, custodi sive thesaurario ad reservandum : in hoc approbans gradum Janitorum et ordinem, quorum officium est res Ecclesiæ reclusas conservare. Minister autem libri etiam Doctor est, cui Dominus reddidit librum reservandum : qui Doctor Christo porrigit librum ad illuminandum : Christus autem reddit Doctori ad interpretandum, et custodiendum, et se per studium in illo cibandum. Ezechiel. III, 1 et 2 : *Quodcumque inveneris, comede : comede volumen istud... Et cibavit me volumine.*

« Et sedit. »

In quo notatur quies et tranquillitas docentis : cujus est sedere in cathedra, quæ est sedes catechizantium, hoc est, prædicantium sive docentium. Et tunc implevit Dominus hoc quod in Psalmo CVI, 32, dictum est de ipso : *Exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra se-*

<sup>1</sup> Cf. Eccli. XXVIII, 1 ; ad Roman. XII, 19 ; ad Hebr. X, 30.

<sup>2</sup> I ad Corinth. II, 6.

*niorum laudent eum.* Luc. II, 46 : *Inven-  
nerunt illum in templo sedentem in me-  
dio doctorum, audientem illos, et inter-  
rogantem eos.* Daniel. XIII, 50 : *Veni, et  
sede in medio nostrum, et indica nobis :  
quia tibi Deus dedit honorem senectutis.*  
II Reg. XXIII, 8 : *David sedens in cathe-  
dra sapientissimus princeps inter tres,  
scilicet Patriarchas, et Legislatores, et  
Prophetas.*

« Et omnium in Synagoga oculi,  
etc. »

Hic tangit omnium audientium atten-  
tionem. Et tangit tria : attentionem om-  
nium quæ fuit ante Scripturæ explana-  
tionem, et explanationem, et diversam  
in auditoribus explanationis receptio-  
nem.

De attentione dicit : « *Et omnium in  
synagoga oculi erant intendentes in  
eum.* » Oculus enim cordis est nuntius :  
et directio ad ipsum oculorum, significa-  
bat corda esse directa in eum, ut audi-  
rent quid dicere vellet. Hoc tamen qui-  
dam devotione, quidam curiositate, et  
quidam observantes eum, fecerunt, ut  
caperent eum in sermone. Psal. CXLIV,  
15 : *Oculi omnium in te sperant, Do-  
mine.* Psal. XXIV, 15 : *Oculi mei semper  
ad Dominum.* II Paralip. XX, 12 : *Cum  
ignoremus quid agere debeamus, hoc so-  
lum habemus residui, ut oculos nostros  
dirigamus ad te.*

« Cœpit autem dicere ad illos. »

Ecce Scripturæ inductæ explanatio.  
Nec intelligitur quod ita breviter expla-  
naverit ut hic dicitur : sed potius sermo-  
cinando plura est prosecutus. Et ideo  
dicit : « *Cœpit.* » Quasi dicat : Sic cœ-  
pit : sed multa interserens, ista inten-  
dit.

« *Quia hodie,* » clara die, lucente ve-  
ro lumine. Joan. I, 9 : *Erat lux vera*

*quæ illuminat omnem hominem venien-  
tem in hunc mundum.*

« *Hæc Scriptura,* » Isaïæ Prophetæ,  
« *impleta est* » per promissionis exhibi-  
tionem, « *in auribus vestris :* » quia me  
missum a Patre in mundum hæc legen-  
tem audivistis. Matth. V, 18 : *Iota unum,  
aut unus apex non præteribit a lege.* Ec-  
cli. XLVIII, 27 et 28 : *Isaias spiritu ma-  
gno vidit ultima, et consolatus est lu-  
gentes in Sion usque in sempiternum.  
Ostendit futura et abscondita antequam  
evenirent.*

Sequitur de differenti verbi effectum in  
cordibus auditorum. Et primo tangit ef-  
fectum in cordibus simplicium devoto-  
rum populi, postea in cordibus Scriba-  
rum et Phariseorum.

Dicit igitur :

« Et omnes testimonium illi da-  
bant. »

« *Omnes,* » inquam, de populo sim-  
plici et devoto, « *dabant ei testimo-  
nium,* » quia ipse esset ille de quo Pro-  
pheta hoc dixerat. Joan. I, 49 : *Rabbi,  
tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.* Luc.  
VII, 16 : *Magnificabant Deum, dicentes :  
Quia Propheta magnus surrexit in nobis,  
et quia Deus visitavit plebem suam.*  
Act. I, 8 : *Eritis mihi testes in Jerusa-  
lem, et in omni Judæa et Samaria, et  
usque ad ultimum terræ.* Sic ergo da-  
bant ei testimonium veritatis prophetiæ.

In aliis autem dictis ejus, « *et mira-  
bantur* » de altitudine dictorum. Esther,  
XV, 17 : *Valde mirabilis es, domine, et  
facies tua plena est gratiarum.*

« *In verbis gratiæ,* » hoc est, efficienti-  
bus gratiam in cordibus audientium.  
Eccli. XX, 13 : *Sapiens in verbis seipsum  
amabilem facit : gratiæ autem fatuorum  
effundentur.* Ad Ephes. IV, 29 : *Omnis  
sermo malus ex ore vestro non procedat,  
sed si quis bonus ad ædificationem fidei,  
ut det gratiam audientibus.*

<sup>1</sup> Cf. Joan. VI, 14.

« *Quæ procedebant,* » hoc est, ordinate cedebant et procul in corda : processio enim ordinata est : « *de ore ejus.* » Deuter. xxxii, 2 : *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina.*

Sunt autem quidam qui non habent verba gratiæ, sed gratiam verborum loquendi facete, et oratione lepida multa dicentes, et gratiam in cordibus auditorum non excitantes, sed contentiones et rixas. I ad Corinth. ii, 1 et 2 : *Veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.* Et, ibidem, v. 4 : *Sermo meus, et prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.* Quidam sunt qui verba projiciunt, de quorum ore non procedunt : sed jactant ea incaute in spiritu indignationis, homines non emendantes, sed confundentes. Proverb. xxx, 14 : *Est generatio quæ pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, et pauperes ex hominibus.* Alii sunt etiam quibus verba cadunt in terram, vel terreno pulvere per inanem gloriam tecti, vel per spem quæstus terreni obruti : contra quos dicitur in Psalmo i, 3 : *Folium ejus non defluet, et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.* Folia enim sunt verba. Ezechiel. xlvii, 12 : *Folia ejus erunt ad medicinam.* Verbum enim Domini debet procedere mature et ordinate, sicut decet verbum Dei, et sicut procedit de ore Dei. Eccli. xxiv, 3 : *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.*

« Et dicebant : Nonne hic est filius Joseph ? »

Ecce hic secundum Chrysostomum tangitur effectus Verbi Dei in indevotis Scribis et Pharisæis. Omnes enim de po-

pulo sanctificabant eum, et testimonium illi dabant. Soli autem Scribæ et Pharisæi, ut dicit Chrysostomus, similes sunt terræ arenosæ, quæ quanto plus pluit, tanto magis aret. Et ideo maledicti sunt : sicut dicit Apostolus, ad Hebr. vi, 7 et 8 : *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo : proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, et maledictioni proxima : cujus consummatio in combustionem ignis.*

Dividitur autem hæc pars in tres partes : in quarum prima Scribarum et Pharisæorum in paucis verbis innuit contemptum : in secunda autem Christus excludit ipsorum tacitam objectionem quam fecerunt, populum a fide concepta volentes avertere : in tertia autem aperta eorum ponitur malignitas, ad quam induxerunt populum, et quam volebant Domino violenter inferre.

Primum horum est valde parvum, sed prægnans magna malignitate :

« Et dicebant, »

Supple, Scribæ et Pharisæi ad populum qui jam fidem et devotionem conceperat : « *Nonne hic est.* » Despectionis nota est demonstratio ejus, quem nominare non sunt dignati. Sapient. ii, 15 : *Gravis est nobis etiam ad videndum.* Psal. xv, 4 : *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

« Filius Joseph. »

Minus hic dicit Evangelista quod tam a Matthæo quam a Marco plenius sciverat esse positum. Matth. xiii, 53 et 56 : *Nonne hic est fabri filius ? Nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus, Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas : et sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt ?* Marc. vi, 3 : *Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Jacobi, et Joseph, et Judæ, et Simonis ?* Hæc omnia despective dicta sunt. Faber

enim lignarius dicitur fuisse Joseph, arte et usu manuum victum quærens, et non in otio et deliciis panem manducans, sicut Scribæ et Pharisæi fecerunt. Maria etiam quam objiciunt ei quæstuarium fuit, ut dicit Hieronymus, colo et consilio manuum victum quærens. Fratres autem vocant hic consobrinos ejus, filios sororis Beatæ Virginis ex Cleopha patre, tres Apostolos Simonem, et Judam, et Jacobum minorem. Quartus autem Joseph fuit qui justus cognominabatur : qui cum Matthia sortes habuit quis eorum in locum Judæ substitueretur. Et est sensus : Hic despectæ et pauperrimæ nativitatis faber lignarius vocatione, non potest esse Christus Dominus quem unxit Deus. Et ideo sibi non est credendum tam rusticano et tam vili.

Faber tamen erat Dominus : quia Propheta dicit de ipso : *Tu fabricatus es auroram, et solem* <sup>1</sup>. Similis modus despectivæ locutionis est in I Reg. x, 11, ubi Saul promotus in regnum suum, dixerunt : *Videntes autem omnes qui noverrant eum heri et nudiustertius, quod esset cum Prophetis, et prophetaret, dixerunt ad invicem : Quænam res accidit filio Cis? Num et Saul inter Prophetas est?*

Parva ergo locutio eorum magnum importat despectum,

23

« Et ait illis : Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice, cura teipsum : quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua. »

Hic ponitur istorum verborum aptissima responsio.

Et dicit tria. Primo enim ante responsionem ponit objectionem cordium ipsorum, quam populo susurrando fecerunt : et secundo, verbis despectivis respondet : et tertio, solvit objectio-

nem quam ex cordibus eorum induxit. Objectio autem talis fuit, quod dixerunt contra famam miraculorum quæ in terram exivit, quod non esset vera. Quia si miracula posset facere, magis ex ordine charitatis fecisset tales curationes suis quam alienis : sed suis non fecisset : ergo nec alienis. Falsa ergo esset fama quæ de eo exivisset.

Et hoc est :

« Et ait illis, »

Antipophorans ex cogitationibus eorum : « *Utique,* » vos famæ miraculorum contradicentes, « *dicetis mihi,* » objicientes, « *hanc similitudinem,* » et me arguere putantes per illam :

« Medice, cura teipsum. »

Si enim facis curationes verbo, quare latera doles? Tibi enim plus debes quam aliis. Denique, Qui sibi nequam, cui bonus? Eccli. xxx, 24 : *Miserere animæ tuæ placens Deo.*

Et explanat quid intendit per similitudinem dicens :

« Quanta audivimus facta in Capharnaum, »

Apud extraneos. Si habes ordinatam charitatem, « *fac et hic in patria tua,* » circa teipsum. Tui enim quos debes reputare ut teipsum, multis subjacent defectibus, et indigent beneficiis tuis. Si hæc ergo facis, primo fac circa tuos. Ecce objectio. Tamen Dominus vere fuit spiritualis medicus, et sui discipuli et sacerdotes spirituales sunt medici. Psal. lxxxvii, 11 : *Numquid medici suscitabunt?* Eccli. xxxviii, 1 : *Honora medicum propter necessitatem : etenim illum creavit Altissimus.* Vasa autem sua medicinalia sunt sacramenta, quibus et humores malos, hoc est, malos mores ex-

<sup>1</sup> Psal. lxxiii, 16.

pellit, et sanitatem inducit. Jerem. viii, 22 : *Numquid resina non est in Galaad ? aut medicus non est ibi ? quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei ?* Sic enim purgat. Malach. iii, 3 : *Purgabit filios Levi, ... et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia.* Sic dicit, Matth. ix, 12 : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Augustinus : « Ne-  
« cesse fuit ut magnus veniret medicus,  
« quia magnus ubique jacebat ægrotus. »

24

« Ait autem : Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. »

Hæc est pars in qua ponitur responsio. Et sunt duæ responsiones, ut diximus, in quarum prima respondet ad verba despectus : in secunda autem ad objectionem.

Ad despectum dicit : « *Amen dico vobis,* » hoc est, vere dico vobis cum confirmatione : quia omne quod dicit, vere dicit : quia mentiri non poterit. Ad Roman. iii, 4 : *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Ad Tit. i, 2 : *Non mentitur Deus.*

« Quia nemo propheta acceptus est in patria sua. »

Non propheta enim in illa, nisi hæc exhibens, potest esse acceptus in patria sua : quia per illa est similis omnibus compatriotis : et quod magnificent in ipsis, magnificent etiam in illo. Propheeta autem quia dissimilis est aliis, æstimatur secundum principia suæ generationis, aut secundum ea quæ visa sunt in eo in pueritia : et quando magna quæ videntur, parvis comparantur principiis, vilescunt. Alia etiam causa est quæ in Glossa ponitur, quod quasi naturale est cives civibus sibi invicem invidere : et ideo facta sua ubi possunt denigrant.

Hæc ergo est causa ejus quod dixit Dominus, loquens ut in pluribus, et secundum consuetudinem sæcularem.

Se autem prophetam hic dicit Dominus ratione ejus quod dicitur, Deuter. xviii, 15 : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies.* Est autem Propheta ab actu prophetandi, et non ab inspiratione prophetica. Ipse enim cui omnia per divinitatem nota sunt, nullam penitus recipit inspirationis revelationem. Ad Coloss. ii, 3 : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ, scilicet Dei, absconditi.*

Patriam autem suam vocat hic stricte locum conceptionis et nutritionis, et non totam provinciam Galilææ : quia Capharnaum est etiam in Galilæa ubi pluribus valde fuit acceptus. Suis autem convicaneis qui invidia incitabantur ad ipsum, non fuit acceptus. Joan. vi, 5 : *Neque enim fratres ejus credebant in eum.* Hinc, I Reg. xxv, 10 : *Quis est David ? et quis est filius Isai ?* Genes. xxxvii, 23 et seq., Joseph in terra sua a suis affligitur, apud extraneos in exilio exaltatur <sup>1</sup>. Propter hoc dicitur Abrahæ, Genes. xii, 1 et 2 : *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, ... faciamque te in gentem magnam.* Numer. xii, 1 et seq., Maria et Aaron contra Moysen jurgantur, cui obedierunt extranei. Numer. xvi, 1 et seq., Dathan et Abiron insurgunt contra Moysen et Aaron, quos alii cum reverentia sequuntur.

Quod autem dicit quod in patria signa non fecit, Marc. vi, 5, causa redditur, ubi sic dicitur : *Non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit.* Hæc autem impotentia, sicut patebit ex sequentibus, non fuit in Domino, sed in ipsis. Impedivit enim hoc eorum incredulitas, et indevotio : quia in fide devote non petebant. Et ideo quod Dominus poterat de potentia absoluta, non poterat de justi-

<sup>1</sup> Cf. etiam Genes. xli, 40 et seq.

tia. « Non enim, ut dicit Augustinus super *Joannem*, aliquem sanabat Dominus in corpore quem prius non sanaret in anima. » Et ideo dicitur, Joan. vii, 23, quod totum hominem sanum fecit. Et quia interius sanari ab ipso noluerunt, ideo indigni fuerunt quod exterior sanitas præstaretur eis. Hæc ergo est causa quod apud alios etiam Gentiles multas perfecit sanitates, et paucas apud suos.

Hoc autem quod nunc dictum est, intendit instruere duobus exemplis, dicens :

**25** In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cælum annis tribus et mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra :

**26** Et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam.

**27** Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta : et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.

Hic enim incipit respondere inductæ objectioni. Et dividitur in duo : in solutionem objectionis, et indignationem eorum ortam ex solutione.

Solvit autem per duo exempla. Et hoc habet partes duas.

Primum est de vidua Sareptana et Elia.

Et circa hoc dicit quatuor. Primum tangit multitudinem viduarum Israeliticarum indevotarum. Secundum est, necessitas Eliæ (quæ omnibus fuit necessaria) ex fame omnes æqualiter opprimente : cui fami solus Elias subvenire potuit. Tertium est, de missione Eliæ ad subveniendum uni devotæ. Quartum inquit devotionem viduæ, hospitio reci-

piensis Eliam, salvantem eam et filium a famis oppressione.

De primo ergo dicit :

« In veritate dico vobis. »

Hoc est idem quod *Amen*. Sed hic tangit Scripturæ veritatem. Ad Roman. ix, 1 : *Veritatem dico in Christo, non mentior*. II ad Corinth. i, 18 et 19 : *Non est in illo : Est, et Non :... sed Est in illo fuit*.

« *Multæ viduæ*, » a viris suis viduæ, hoc est, per mortem divisæ, « *erant* » solatio indigentes, « *in diebus Eliæ*, » quando Elias claruit sermone et operibus signorum. Et bene dicit : « *In diebus*, » quia omnia erant in luce quæ fecit Elias. Sapient. xviii, 1 : *Sanctis tuis maxima erat lux*.

« *In Israel*, » doctrinam Dei habentes ex lege, et ex lumine Eliæ illuminationem doctrinæ : et tamen indevotæ ad Eliam.

« Quando clausum est cælum. »

In hoc tria notantur secundum litteram, et unum quartum secundum spiritum. Cælum enim dicitur aereum quod ex vaporibus conceptis et ex mutatione sui in aquam materialiter habet distillare in guttas pluviae. Psal. lxxvii, 9 : *Terra mota est : etenim cæli distillaverunt*. Isa. xlv, 8 : *Rorate, cæli, desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem*. Alii cæli sunt cæli stellarum quæ ortibus suis et occasibus faciunt pluvias. Job, ix, 9 : *Qui facit Arcturum, et Oriona, et Hyadas, et interiora Austri*. Arcturus enim frigiditate constare facit nubes et aerem in aquam. Orion autem tempestatem commovet, agitantem nubes. Hyadæ autem eliciunt pluvias. Et ideo dicuntur *hyades* a græco ἕδωρ<sup>1</sup>, quod est *humor*. Job, xxxviii, 31 : *Numquid conjungere vale-*

<sup>1</sup> Vel melius a γ 1 r.

*bis micantes stellas Pleiadas?* Gregorius : « Pleiades dicuntur quasi pluviales, « quia pluvias faciunt. » Tertium est cœlum cœli quod est Domini, cujus imperium super secundum cœlum quod est stellatum : ut primo vel producat, vel non producat pluvias. Psal. cxiii, 16 : *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Quartum est cœlum gratiæ Dei, quod clauditur ne pluat in corda hominum propter indevotionem eorum. Joan. 1, 51 : *Videbitis cœlum apertum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis.* De omnibus his simul dicitur, Job, xxxviii, 33 : *Numquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra?* Ratio enim cœli in terra ponitur, quando terra per rationem justam, vel beneficia cœli consequitur, vel eisdem justitia Dei privatur. Levit. xxvi, 18 et 19 : *Si non obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra, et conteram superbiam duritiæ vestræ. Daboque vobis cœlum desuper sicut ferrum, et terram æneam.* Deuter. xxviii, 23 : *Sit cœlum quod supra te est, æneum, et terra quam calcas, ferrea.* Sic ergo clauditur cœlum a stillicidio beneficii cœlestis propter peccata habitantium in terra.

« Annis tribus. »

Quia in tanto tempore germen præsens exstinguitur. Clausura enim unius anni fructus laboris illius anni destituto humore cœlesti, exsiccat : sed annus ex præcedenti fertilitate communiter abundat. Secundus autem annus abundantiam pristinam tollit, et devorat : et tertius pestilentia famis laborat. Genes. xlv, 6 : *Biennium est enim ex quo fames cepit esse.* Quasi dicat : Jam consumptum est quidquid habebatur de superfluo aliorum annorum.

Dicit autem : « *Et mensibus sex,* » quia illi propter intemperiem non valent seminationi. Et quidem illi in terris ca-

lidis, sunt menses æstatis, et autumnii in parte, et veris in parte. Medietas enim autumnii et medietas veris non prosunt seminationi. Hæc ergo est causa litteralis.

Mystice autem sunt tres status qui gratiam non stillaverunt. Status videlicet ante diluvium, quando peccatum inundavit : et status Patriarcharum, quando notitia Dei non perfecta fuit in lege naturali : et status legis, quando peccatum ostendebatur, sed non curabatur. Sex autem menses fuerunt, sex legis revolutiones, et imperfectæ illuminationes in cæremoniis, sacramentis, judiciis, moralibus, regno, et sacerdotio : in quibus nihil gratiæ fundebatur quantumcumque tonaret verbis Legislatoris et Prophetarum. Isa. v, 6 : *Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Jerem. iii, 2 et 3 : *In malitiis tuis... prohibiti sunt stillæ pluviarum, et serotinus imber non fuit.*

Tangit autem effectum siccitatis, famem dicens : et tangit famem, et famis magnitudinem, et famis generalitatem.

De fame dicit :

« Cum facta esse fames, »

Ex siccitate materiali et spirituali. Amos, viii, 11 : *Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Thren. iv, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Magna famem enim est defectus intellectus verbi Dei. Magna etiam est cum nec verbum Dei habetur : sicut nec granum in cortice. Cum enim deest panis, famem est. Cum etiam desunt alia cibaria, magna famem est. Sic in spiritualibus cum deest mysticus intellectus, famem est : quando vero etiam littera deficit, famem magna est. Pulli enim asinorum, hoc est, simplices cibarentur migmate, si granum non haberent. Isa. xxx, 24 : *Pulli asinorum... commistum migmate comedent sicut in area ventilatum est.*

« *In omni terra.* » Ecce famis generalitas : et hæc spiritualiter est, quando apud nullum invenitur pluvia doctrinæ, neque prælatum, neque subditum, nec religiosum, neque sæcularem. Jerem. XIV, 2 et 3 : *Luxit Judæa, et portæ ejus corruerunt, et obscuratæ sunt in terra, et clamor Jerusalem ascendit. Majores miserunt minores suos ad aquam : venerunt ad hauriendum, non invenerunt aquam, reportaverunt vasa sua vacua : confusi sunt et afflicti, et operuerunt capita sua.* Genes. XLVII, 13 : *Oppresserat fames terram, maxime Ægypti et Chanaan, hoc est, sæculares laicos, et clericos, qui per Ægyptum : et Chanaan, quæ interpretatur transmutata, et significat religiosos.*

Sequitur :

« Et ad nullam earum »

Viduarum quæ fuerunt in Israel, « *missus est Elias,* » ad salvandum a fame, quia indignæ fuerunt : « *nisi in Sareptam,* » quæ fuit villa, non in Israel, sed « *Sidonix,* » quia sic vocabatur provincia in qua fuit Tyrus quasi metropolis. Et ista vidua fuit Gentilis, et significabat transitum Christi ad Gentes. Et de ista provincia fuit etiam vidua Syrophœnissa Chananæa quæ, Matth. xv, 22-28, interpellavit Christum pro filia, et de qua dixit : *O mulier, magna est fides tua ! fiat tibi sicut vis.*

Et devotionem hujus viduæ significantis gentilitatem, colligit Glossa ex habitatione et actibus ejus. Sarepta enim *incendium* vel *angustia panis* interpretatur : Sidon autem *venatio inutilis*. Mulier ergo Gentilis in concupiscentia inflammata Gentilium, et angustia panis verbi Dei habitans, et dedita venationi inutili temporalium lucrorum, hoc devotione promeruit quod Israeliticis negatum fuit, quarum lex concupiscentiam inhibuit et pabulum verbi habuit. Hæc

enim duo ligna in modum crucis collegit et propheticum desiderium implevit <sup>1</sup>. Et ita æstimate de vobis, quod ego sicut et Elias, cives diligo : sed indevotio vobis beneficia et stillicidium cœlestis gratiæ abstulit, sicut et in diebus Eliæ. Et quod vos repulistis, Gentibus et extraneis propter devotionem datur. Act. XIII, 46 : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.*

« Et multi leprosi. »

Secundum est exemplum de eo qui etiam Gentilis fuit, in patria Prophetæ exsul quæsivit Prophetam, et devotione sua sanitatem promeruit : cujus lepra concellaneo et concivi propter indevotionem adhæsit <sup>2</sup>.

Et hoc est quod dicit : « *Et multi leprosi erant in Israel,* » concives Prophetæ et vicini, « *sub Eliseo.* » Hoc notat quod virtutem curandi eos bene habuit Eliseus. « *Et nemo eorum,* » leprosororum Israeliticorum, « *mundatus est nisi Naaman Syrus,* » qui Gentilis fuit : quia sicut dicitur, Matth. VIII, 10 : *Non inveni tantam fidem in Israel,* sicut in Naaman Syro.

Attende, quod lepra morbus est de hepatis vitio natus, cujus corruptio ad fontes membrorum pertingit : et ideo membra deformat, corrumpit, et aliquando amputat. Et significat hæresim quæ ex vitio propriæ voluntatis nascitur, et erronei intellectus : et pertingit ad fontes membrorum, qui sunt doctrina et prædicatio quibus membra corporis mystici infunduntur et nutriuntur : et ideo membra deformantur, et corrumpuntur, et abrumpuntur. Ezechiel. XXIII, 25 : *Ponam zelum meum in te, quem exercebunt tecum in furore, scilicet Chaldæi : nasum tuum et aures tuas præcedent.* Matth. VIII, 2 : *Ecce leprosus ve-*

<sup>1</sup> Cf. III Reg. XVII, 12 et seq.

<sup>2</sup> Cf. IV Reg. V, 1 et seq.



*niens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Ecce devotio quam cives et Israelitæ non habuerunt.*

Significat enim etiam nomine suo Naaman devotos, qui *decorus* interpretatur. Psal. ciii, 1 et 2: *Confessionem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.* Isa. xxxv, 2: *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, et Saron. Libanus candidatio, significat pœnitentiam. Carmelus scientia circumcisionis, significat satisfactionem præcedentem concupiscentiam. Saron princeps mæroris, significat compunctionis gratiam.*

28 « Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes.

29 Et surrexerunt, et ejecerunt illum extra civitatem: et duxerunt illum usque ad supercilium montis supra quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.

30 Ipse autem transiens per medium illorum, ibat. »

Hic tangitur ex solutione proposita, ostensio indevotionis per quam indigni sunt ad curationes sanitarum. Et dicuntur tria: indevotionis indignatio, periculi intentatio, et Jesu Christi liberatio.

Indevotionis indignatio tangitur cum dicit: « *Repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes.* »

Tanguntur autem tria. Primum, quod repleti sunt indignatione. Repletio autem sonat impletionem pectus prementem: sic enim malitia et indignatio replevit eos, quod pectus sic pressit, quod continere non poterant ex multa amaritudine fellis. Act. viii, 23: *In felle amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse.* Indignationem habebant contra eum quem contemptui habebant. Ad Hebr. x, 29: *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei*

*conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit?*

Tangitur etiam communitas eorum, cum dicitur: « *Omnes in synagoga.* » Psal. xiii, 3: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Isa. i, 6: *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.*

« *Ira.* » Ira est vindictæ appetitus ex exasperatione fellis, ut dicit Damascenus. Deuter. xxxii, 33: *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Matth. xxvii, 34: *Dederunt ei vinum bibere cum felle mistum.*

« *Hæc audientes.* » Ecce tertium in quo ex verbis vitæ mortem concipiunt. Proverb. xv, 12: *Non amat pestilens eum qui se corripit.* Tullius in libro de *Amicitia*: « *Veritas odium parit.* » E contra dicitur, Eccli. xx, 24: *Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam! sic enim effugies voluntarium peccatum.*

« Et surrexerunt, et ejecerunt illum. »

Ecce periculi intentatio. Et tangit tria: ejectionem, ad supercilium deductionem, et præcipitationis suæ malam intentionem.

De ejectione dicit: « *Et ejecerunt illum extra civitatem,* » tamquam immundum quo civitas eorum pollui non deberet. Act. vii, 58: *Ejicientes eum extra civitatem, lapidabant.* Luc. vi, 22 et 23: *Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis: gaudete in illa die, et exsultate.*

« *Et duxerunt illum,* » tamquam malefactorem. « *Et duxerunt.* » Modo flagellatum ducent ad crucifigendum<sup>1</sup>: hic

<sup>1</sup> Matth. xxvii, 26, et Luc. xxiii, 26.

autem ad præcipitandum : « *ad supercilium montis* » prærupti in rupe alta, « *super quem* » montem, « *civitas illorum erat ædificata.* » In monte etiam superbiam diaboli ædificaverant isti. Abdiæ, 3 : *Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum.*

« *Ut præcipitarent eum.* » Ecce intentio pessimæ voluntatis. Pejores in hoc dæmone. Dæmon enim dixit : *Mitte te hinc deorsum* <sup>1</sup>, et manum non extendit. Sed isti sacrilegas manus extenderunt in Christum Domini. Psal. civ, 15 : *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari.* Ne enim in eum manum extenderet diabolus, præcipit, Job, 1, 12 : *Tantum in eum ne extendas manum tuam.*

« Ipse autem transiens. »

Ecce liberatio : quia nec hoc genus mortis elegerat, nec hoc tempus. De genere mortis, Joan. xii, 32 : *Ego si exaltatus fuero a terra.* De tempore, Joan. ii, 4 : *Nondum venit hora mea.* Joan. vii, 6 : *Tempus meum nondum advenit.*

« *Per medium illorum ibat,* » invisibilis eis. Percussi enim sunt acrisia, sicut Sodomitæ circa ostium Lot <sup>2</sup>.

Dicitur autem, quod de monte descendens, mons cedens sinum fecit, et eum in se recepit : ita quod usque hodie vestigia vestimentorum et pedum apparent in lapide. Proverb. xii, 13 : *Effugiet justus de angustia.* Simile, Joan. viii, 59 : *Jesus abscondit se, et exivit de templo.* Psal. xxxvii, 15 : *Factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.* Sic hodie multi Jesum in supercilium montis per dignitatem adeptam præcipitant : quia de eo non curant, sed contemnunt. Ad Hebr. vi, 6 : *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes.*

« Et descendit in Capharnaum, civitatem Galilææ, ibique docebat illos sabbatis.

Et stupebant in doctrina ejus, quia in potestate erat sermo ipsius. »

Post constructionem veritatis ecclesiasticæ, tangit constructionem potestatis ejusdem Ecclesiæ. Et hoc facit universaliter, et particulariter. Particulariter autem duobus modis, tam super spiritualem creaturam, quam super corporalem.

Et hæc per ordinem in tribus verbis historicis jacent in littera, et sic etiam ista miracula introducuntur, et non secundum ordinem temporis, quem Matthæus determinat <sup>3</sup>. Ista autem Lucas hic tangit secundum quod faciunt ad probationem potestatis ecclesiasticæ.

Tangit igitur primo potestatem ecclesiasticam super creaturam spiritualem, et tangit tria : primo enim potestatis ostensionem : secundo, ejusdem potestatis efficaciam super dæmonis ejectionem : tertio, fidelium ex hoc ad devotionis excitationem.

Circa primum tria dicit. Primum est potestatis ostensio per verbi propositionem. Secundum est stupor audientium per eam quæ fuit ad verbum auditum devotionem. Tertium autem est quod publice ecclesiasticam et divinam profitentur potestatem.

In primo horum dicit sex. Quorum primum est quod « *descendit,* » non quidem immediate a Nazareth, sed a Judæa ad quam a Nazareth ascenderat. Nunc autem de Judæa in Galilæam descendit iterum. Et hæc descensio suæ humilitatis significat condescensionem. Isa. lxiv, 1 : *Utinam dirumperes cælos, et descenderes,* hoc est, ad nostra humilia te inclinares. Matth. viii, 1 : *Cum descendisset Jesus de monte, secutæ sunt*

<sup>1</sup> Supra, 3. 9.

<sup>2</sup> Cf. Genes. xix, 11.

<sup>3</sup> Cf. Matth. ix, 1 et seq.

*eum turbæ multæ*, quæ, sicut dicit Chrysostomus, montem eminentiæ intellectus sui ascendere non valebant.

Descendit autem

« Capharnaum, »

Quæ *villa pulchritudinis*, et *villa pinguedinis* interpretatur. Pulchritudinis quidem in actione, et pinguedinis in contemplatione. Pulchritudinem habet immaculationis per peccati immunitatem. Cantic. iv, 7 : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*. Pulchritudinem etiam habet conversationis in virtute. Psal. xlv, 5 : *Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna*. Adhuc autem pulchritudinem splendoris in exempli ostensione, Judith, x, 4 : *Cui etiam Dominus contulit splendorem : quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat*. Matth. v, 16 : *Luceat lux vestra coram hominibus*. Habet autem pinguedinem in orationis devotione, Psal. lxii, 6 : *Sicut adipe et pinguedine repletur anima mea*. Habet pinguedinem in sui spiritus quotidiana oblatione, Psal. xix, 4 : *Holocaustum tuum pingue fiat*. Eccli. xxxviii, 11 : *Impingua oblationem*. Habet pinguedinem in sacramenti susceptione, Genes. xlix, 20 : *Aser, pinguis panis ejus*. Habet pinguedinem in sancti Spiritus consolatione, Jerem. xxxi, 14 : *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine*.

Sic ergo descendit in Capharnaum, « civitatem » præcipuam, quæ significat devotorum unionem. Act. iv, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una*.

« Galilææ, » quæ est *transmigratio facta* : ut ostendat nos omnes esse hospites super terram. Ad Hebr. xi, 13 et 14 : *Confitentes, quia peregrini, et hospites sunt super terram. Qui hæc dicunt, significant se patriam inquirere*.

« Ibiq̄ue docebat illos. »

Ecce suæ potestatis manifestatio. Joel, ii, 23 : *Lætamini in Domino Deo vestro : quia dedit vobis doctorem justitiæ, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum*, hoc est, doctrinam potestatis primi adventus et secundi.

« Sabbatis. » Hoc est tempus. In sabbato enim docebat, quia tunc plures ad auditum confluebant : eo quod tunc vacabant a servilibus, et quieti cordis vacabant ut intelligere possent verbum Dei. Isa. ii, 3 : *Ibunt populi multi, et dicent : Venite et ascendamus ad montem Domini, ... et docebit nos vias suas*.

« Et stupebant. »

Ecce tangit devotionis auditum fidelium, quam concives sui Nazareni non habebant. Est autem *stupor* cordis insensibilitas in magna admiratione. Cor enim audiens magna et devota quæ super ipsum sunt, stat et efficitur insensibile in seipso : cum nihil talium cognoscere possit neque facere. Luc. v, 9 : *Stupor circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant*, hoc est, Petrum. Job, ix, 10 : *Qui facit magna, et incomprehensibilia, et mirabilia quorum non est numerus*.

« In doctrina ejus. » Supra, in eodem, x, 22 : *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius*.

« Quia in potestate erat sermo ipsius. »

Ecce professio divinæ et ecclesiasticæ potestatis : sicut statim patebit per effectum. Est autem sermo quadrupliciter in potestate. Est enim in potestate dicentis, in potestate sermonis, in potestate virtutis, et in potestate divinæ operationis.

In potestate quidem dicentis : quando non per furorem, vel ambitionem, vel jactantiam est extortus : sed potius in

mansuetudine, et pietate propositus. Non enim in potestate habuit sermonem, cum ex timore dixit, Job, iv, 2 : *Conceptum sermonem tenere quis poterit ?* Nec in potestate sermonem habuit qui ex impatientia dixit, Job, xxxii, 19 et 20 : *En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas dirumpit. Loquar et respirabo paululum.* Sed in potestate Domini erat sermo, qui mansuete et sine clamore proposuit, potens addere et minuere, et silere et dicere sicut voluit. Et ideo dicitur de eo, Eccle. viii, 4 : *Sermo illius potestate plenus est.* Econtra de stultis, Proverb. xxv, 28 : *Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.*

Aliter dicitur esse sermo in potestate sermonis et veritatis. Et hoc est, quando bene probatur, et bene exponitur, et bene adaptatur ad propositum. Proverb. xv, 23 : *Lætatur homo in sententia oris sui, et sermo opportunus est optimus.* Psal. cxi, 6 : *Audient verba mea, quoniam potuerunt,* hoc est, potestatem veritatis habuerunt.

Est etiam in potestate virtutis, quando virtute perficit omne quod ore suo dicit. Act. i, 1 : *Cæpit Jesus facere, et docere.* Matth. vii, 29 : *Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum, et Pharisæi.*

Iterum dicitur in potestate divinæ operationis, quando verbo virtutem Dei per miracula ostendit, ad minus dæmones ejiciendo de cordibus auditorum. Psal. lxxvii, 34 : *Dabit voci suæ vocem virtutis.* Deuter. xxxiii, 2 : *In dextera ejus,* hoc est, in potestate ejus, *ignea lex,* hoc est, verbum Spiritum sanctum diffundens. I ad Corinth. iv, 20 : *Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute.*

33

« Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum. »

Hic tangit potestatis dictæ efficaciam.

Tangit autem duo : perfectionem miraculi, et fidelium ædificationem ex visa potestate Dei.

Perfectio miraculi est in tribus. Tangitur enim primo dæmoniaci dispositio : secundo, dæmonis voce, potestatis Domini protestatio : tertio autem, dæmonis ejectio.

Per quinque autem dæmoniaci ostenditur dispositio : per locum religionis, per naturam divinæ imaginis, per culpam criminis, per modum dæmonis, et per malitiam infestationis.

Per locum religionis : quia « *erat in synagoga.* » Illuc eum exagitans dæmonium, plures ibi a cultu divino disturbavit. Unde legitur in Vitis Patrum, quod parvi Æthiopes monachos a laudibus divinis retrahebant. Job, i, 6 : *Quadam die, cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.* Zachar. iii, 1 : *Satan stabat a dextris Jesu, sacerdotis magni, ut adversaretur ei.*

« Homo »

Ecce tangit naturam ad imaginem Dei insignitam, cui misericordia est præstanda propter imaginis honorem quam dæmon deturpare intendit. Semper enim usurpat Dei similitudinem. Et ideo quia Dominus miseretur imaginis, ejiciens dæmones de hominibus, mittit in porcos, et illos dimittit perire. Luc. xiii, 16, Filiam Abrahamæ oportuit solvi a vinculo isto die sabbati quam alligavit Satanas. Similiter, Matth. xv, 28, salvavit filiam Chananæ quæ male a dæmonio vexabatur. Et, Luc. ix, 43 : *Erat ejiciens dæmonium.* Et sic semper videbis, quod curat eos quos ad suam formavit imaginem, eripiens suam similitudinem de potestate diaboli. Eccli. xvii, 1 : *Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum.* Et ideo tangit hominem, quia Deus non vult homines esse in potestate diaboli.

Tangit etiam culpam criminis per

quam datus est in potestatem diaboli, per hoc quod dicit :

« Habens. »

Non enim dicit habitus a dæmone : quia tunc forte traditus esset sine culpa sua in potestatem dæmonis. Job, I, 12 : *Ecce, universa quæ habet in manu tua sunt.* Job, II, 6 : *Ecce in manu tua est : verumtamen animam illus serva.* Iste autem habuit dæmonem per culpam quam commiserat, potius quam a dæmone haberetur ex ordinatione divinæ dispensationis. Joan. VI, 71 : *Ex vobis unus diabolus est, scilicet per culpam quam commisit.* I Reg. XVI, 14 : *Spiritus Domini recessit a Saul, propter suum peccatum : et exagitabat eum spiritus nequam, a Domino.*

« Dæmonium. »

Remigius dicit, quod *dæmon* est persona : *dæmonium* autem collectio, sicut populus vel turba. Marc. V, 9 : *Legio mihi nomen est, quia multi sumus.* Idem est, Matth. XIII, 28, et Luc. VIII, 30. Est autem δαίμων in græco idem quod *intellectus* vel *stella*. Unde etiam Athenienses dixerunt de Paulo, Act. XVII, 18 : *Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse, hoc est, substantiarum intellectualium quas nescimus.* Et in usum venit accipere dæmonium in mala significatione : quia Stoici dicebant cacodæmones esse qui in isto aere caliginoso circa nos principantur. Ad Ephes. VI, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed... adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in cælestibus.*

Hoc autem dæmonium dicitur

« Immundum, »

Formaliter et effective. Formaliter enim immundum est per peccatum quod commisit : et effective, quia immundat et

animam, et corpus. Matth. XII, 43 : *Cum immundus spiritus exierit ab homine.* Marc. I, 23 : *Erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo.*

Immundat corpus, et immundat animam, et immundat instrumentum animæ quo movet corpus, et immundat organa quibus utitur anima in corpore, et immundat operationes, et sic totus homo immundus efficitur.

Corpus enim immundat : quia humoribus, ut dicit Augustinus, se immiscet. Et maxime melancholiæ et cholæræ, et conturbat, quæ turbatæ et non receptæ in vasis suis totum corpus inficiunt. Et sic dicitur, Job, II, 7 et 8, quod *Satan percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem ejus : qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.*

Immundat autem animam : quia in hac parte quæ *rationalis* dicitur (secundum quod *ratio* large sumitur pro eo quod ordinabile ratione, quod dicitur aliquantulum participare rationem) facit quidem in ratione phantasias protervas : phantasias quidem, quia pura intelligibilia et rationalia non præsentantur : protervas autem, quia veritas non consideratur, sed contra eam protervitur. In concupiscibili autem facit concupiscentiam dementem : concupiscentiam quidem, quia ignit appetitum ad concupiscibile : dementem autem, quando nulla meta frænatur honesti, ut coram hominibus non retracti invadant fœminas ad venerea, et non distinguant inter suas et alias, et matres et sorores. In irascibili autem facit ex fellis evaporatione furorem irrationalem : ita quod ira ferventi invadant homines et lacerent : sicut, Matth. VIII, 28, et Marc. V, 3, dicitur de his quæ in monumentis habitabant, et exhibant homines invadentia.

In instrumentis etiam animæ faciunt immunditiam, hoc est, in spiritu naturali et sensibili : quia faciunt illos non claros : et ideo spumant et volutantur sicut epileptici. Marc. I, 26 : *Discerpens eum spiritus immundus, ... exivit ab eo.* Et talia

dæmonia erant in illo de quo dicitur, Marc. v, 13, quod exibant ab eo in porcos, et statim impetu magno præcipitaverunt se in mare.

Organa sensuum etiam tam interiorum quam exteriorum concludunt, sicut, Luc. xi, 14 : *Erat Jesus ejiciens dæmonium : et illud erat mutum.* Et dicit Glossa, quod erat cæcum et surdum.

Operationes etiam confundit : quia dum spiritus impedit et turbat, necesse est quod confusa sequatur operatio. Maxime quando calorem acuit : ut nubes et nigras evaporationes ex melancholia ad caput elevet. Tunc enim inordinatissimæ operationes fiunt : quia tunc ad omne phantasma movetur, sicut ad rei veritatem, et aliquando irascitur, aliquando ridet, aliquando insurgit, aliquando placatur, et totus efficitur inordinatus. Tunc enim fit quod dicit Habacuc, i, 4 : *Quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur iudicium perversum,* hoc est, quia prævalet dæmon adversus justam ordinationem corporis et animæ.

Sic ergo dicitur *spiritus immundus.*

« Et exclamavit voce magna,

34

Dicens : Sine, quid nobis et tibi, Jesu Nazarene ? venisti perdere nos ? scio te quis sis, Sanctus Dei.»

Hic tangitur dæmonis manifestatio.

Et dicuntur quinque, quorum primum est inordinati clamoris excitatio. Secundum est, ut non compescatur a læsione, dæmonis petitio. Tertium, contra Christum quædam in possessione illius hominis, dæmonis allegatio. Quartum, temporis permissi ad tentandum nondum finitio vel expletio. Quintum, virtutis divinæ super spiritualem creaturam extorta et invita confessio.

De clamoris autem inordinati excitatione dicit Lucas : *Exclamavit voce magna, dicens,* » hoc est, extra vires et or-

dinem clamorem hominis vi et vitio dæmonis clamavit. Scelus enim clamorem exaltat, sicut et virtus. Genes. xviii, 20 : *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est.* Tamen « voce » clamavit quæ est cum intellectu : quod coactus facit, quia confusos clamores excitare consuevit : « magna » autem voce clamavit, quia præsentiam magni sensit : et ideo se ejiciendum magno timore timuit. Job, xxxix, 25 : *Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus.* Iste enim est ululatus dæmonum quem contemnit equus vehens contra dæmonem Deum.

« Sine. »

Ecce, ne compescatur a læsione petitio. Intendit enim, « sine, » hoc est, permittite nos in potestate lædendi, sicut fuimus. Job, i, 11 : *Extende paululum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet.* Job, ix, 24 : *Terra data est in manus impii.* Et in hoc significatur, quod dæmon non habet potestatem nisi in quantum permittitur ei. Joan. xix, 11 : *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.*

« Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene ?

Ecce contra Christum sui juris in hominis illius possessione allegatio. Est sensus : Si tuus fuisset, et non se nobis dedisset per peccatum, nihil haberemus in eo. Sed quia se nobis tradidit, nil tibi commune est in eo nobiscum. II ad Corinth. vi, 15 : *Quæ conventio Christi ad Belial ? Eccli. xiii, 22 : Quæ communicatio sancto homini ad canem.* Jerem. xxiii, 28 : *Quid paleis ad triticum, dicit Dominus ?*

Attende autem, quod hanc communicationem, « Jesu Nazarene, » primus in Evangelio fecisse legitur dæmon : quæ adeo bona et vera est, quod Dominus eam in cruce sua omnibus legendam

scribi voluit <sup>1</sup>. Et hoc quidem dæmon fecit ut sub isto pallio veri et boni, multa falsa in absentia Domini intersereret, et sic induceret in errorem : et ideo compescitur taciturnitate sibi imposita a Domino. Sic etiam in Genesi, inter omnes creaturas inter se de Creatore loquentes, primus Deum nominavit, dicens, Genes. III, 1 : *Cur præcepit vobis Deus*, etc. Hoc autem ideo fecit, ut nominans Deum, citius a muliere audiretur, et melius sibi in falsis quæ inserere voluit crederetur. Et hæc est forma hæreticorum.

« Venisti perdere nos? »

Matth. VIII, 29, ponitur : *Venisti ante tempus torquere nos*. Et allegat nondum expletum esse tempus ad tentandum et vexandum concessum : et ideo injuriam sibi fieri.

Et attende, quod dicit se perdi si cogatur cessare a vexatione. Et in hoc perpenditur obstinatio dura suæ pertinacis ad nocendum malignitatis. Isa. x, 7 : *Ad conterendum erit cor ejus, et ad interuersionem gentium non paucarum*. Job, XLII, 13 : *Cor ejus indurabitur tamquam lapis, et stringetur quasi malleatoris incus*. Jerem. VI, 23 : *Crudelis est, et non miserabitur*.

« Sciote quis sis, Sanctus Dei. »

Ecce divinæ potestatis confessio. Sanctus enim idem est hic quod *fortis*. Et est sensus : Scio quod sis ille fortis, qui nos fortes alligabit et vasa nostra distribuēt in quibus confidebamus <sup>2</sup>.

Sed qualiter dicit : *Scio*. » Contra, I ad Corinth. II, 8 : *Quam nemo principum hujus sæculi cognovit : si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent*. RESPONSIO. Scire hic dicitur vehementer opinari, et non falli per signa

quidem. Unde expressam scientiam non habuit, sed vehementem opinionem. Sed in passione quando cælum et mundus dabat signa sursum, et infernus deorsum in mortuis, tunc vere scivit. Matth. XXVII, 54 : *Vere Filius Dei erat iste*. Act. II, 19 : *Dabo signa in cælo sursum, et prodigia in inferno deorsum* <sup>3</sup>.

« Et increpavit illum Jesus, dicens : Obmutesce, et exi ab eo. »

Hic tangitur de dæmonis ejectione.

Et tanguntur tria, dæmonis increpatione, dæmonis per præceptum Christi ejectione, et exitus ipsius.

De increpatione dicitur : « *Et increpavit illum Jesus*. » Et hic Dominus humiliter assumpsit actum et opus Exorcistarum. Luc. IV, 41 : *Increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum*. Psal. CXVIII, 21 : *Increpasti superbos : maledicti qui declinant a mandatis tuis*.

« Dicens : Obmutesce, et exi ab eo. »

Duo dat præcepta : primum quod a laude sua obmutescat : secundum, quod exeat.

Videtur quod Apostolus, ad Philip. I, 18, contrarium hujus dicat, et sic veritati contradicat. Dicit enim : *Sive per veritatem Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo*. Ad hoc dicendum, quod est per occasionem annuntiare Christum tripliciter. Uno quidem modo, quando aliquis vera prædicat et male vivit : sed tamen non est scandalum manifestum de vita ejus. Et ille permittendus est prædicare, et Joan. X, 12 et 13, vocatur *mercenarius*. Et de hoc dicitur, Luc. IX, 49 et 50, cum Joannes quibusdam non sequentibus Christum, et tamen prædicantibus eum, imponeret silentium, dixit Christus : *Nolite prohi-*

<sup>1</sup> Joan. XIX, 20 : *Jesus Nazarenus, rex Judæorum*.

<sup>2</sup> Matth. XII, 29, et Luc. XI, 22.

<sup>3</sup> Cf. Joel, II, 30.

*bere: qui enim non est adversum vos, pro vobis est.*

Secundo modo est de his qui vera prædicant, et cum scandalo malæ vitæ. Et illi sunt prohibendi non propter se, sed propter scandalum. Eccli. xv, 9: *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Psal. xlix, 16: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?*

Tertio modo aliqui vera prædicant qui multa falsa nituntur inserere sub pallio quorundam verorum: sicut hypocrita hæreticus. Et ille est omnino compe-scendus et præcidendus. Et in hujus rei significationem compe-scuit Christus dæ-mones qui hoc idem intendebant. Dæ-mon enim est mendax, et pater ejus<sup>1</sup>. Et hæc est causa, quod licet libri hæreti-corum quædam vera contineant et au-ctoritates Evangelii et aliarum Scriptu-rarum, tamen totum damnatur: quia to-tum et mala intentione, et in perverso sensu est inductum.

Secundum præceptum est:

« Exi ab eo. »

Et hoc est de ejectione. Dicitur autem *exire*, quando cessat a vexatione et im-pedimento operationum et immunda-tione qua immundat hominem. Isa. xlv, 2: *Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo: portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam.* Juste enim ejicitur et obmutescit qui injusto dolo possedit hominem, et per ejus linguam serpentinam mors intravit in mundum. Sapient. xi, 17: *Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur.*

« Et cum projecisset illum dæmo-nium in medium, exiit ab illo, nihil-que illum nocuit. »

Ecce hic tangitur exitus dæmonis.

<sup>1</sup> Cf. Joan. viii, 44.

Et tria tangit: afflictionem exeuntis, exitum, et salutem dæmoniaci.

Circa afflictionem dicit duo: ipsam scilicet afflictionem, et afflictionis mani-festationem.

De afflictione dicit: « *Et cum proje-cisset illum.* » In afflictione autem duo importantur. Unum quidem propter quod Deus afflictionem permisit, quod est pec-catum præcedens dæmonis qui delectatur in pœnis. Thren. iii, 10: *Ursus insidians factus est mihi, leo in absconditis.*

Publicum autem tangitur in hoc quod dicit: « *In medium,* » quia non tantum punire sicut leo desiderat dæmon, sed etiam confundere. Jerem. xxxi, 19: *Confusus sum, et erubui: quoniam sus-tinui opprobrium adolescentiæ meæ.* Tamen sæpe contingit quod dæmon in-tendit confundere per infamiam: et cum ille erubescit de infamia, emundat pec-catum, et dæmon exit ab eo: sicut hic exit a præcipitato in medium coram om-nibus. Psal. lxxxii, 17: *Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine.* Mich. iv, 10: *Venies us-que ad Babylonem, ibi liberaberis.* Eccli. iv, 25: *Est confusio adducens pec-catum.*

« *Exiit ab illo.* » Reliquit obsidere eum. Infra, in eodem, x. 41: *Exibant dæmonia a multis.*

« *Nihilque illum nocuit,* » hoc est, nullum membrum ab eo avulsit: licet discerperet eum, sicut dicit Marcus, i, 26, sed tamen integram sanitatem rece-pit. Joan. vii, 23: *Totum hominem sa-num feci in sabbato.* Joan. v, 14: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne de-terius tibi aliquid contingat.* Psal. cii, 3: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.*

« Et factus est pavor in omnibus, et colloquebantur ad invicem, dicentes:



Quod est hoc verbum, quia in potestate et virtute imperat immundis spiritibus, et exeunt?

**37** Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis. »

Ecce excitatio devotionis ad manifestationem potestatis.

Et dicit duo: admirationem apud præsentibus, et divulgationem famæ apud absentes.

Admirationem autem apud præsentibus magnificat in tribus: in pavore stuporis in corde, in admirationis ad invicem colloquutione, in causa quæ movet omnes in pavore et colloquutione.

De admirationis pavore dicit: « *Et factus est pavor in omnibus.* » Pavor scilicet stuporis ex magnitudine facti. Psal. LIV, 6: *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ.* Quia non potui ut silerem, vel causam in tantis viderem factis. Job, IV, 14 et 15: *Pavor tenuit me, et tremor: ... et cum spiritus me præsentibus transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.*

« Et colloquebantur ad invicem, dicentes. »

Omnes enim colloquebantur. Et naturale est in stupore quod unus ab alio de visis et auditis quærat exempla. Isa. LXVI, 8: *Quis audivit umquam tale? et quis vidit huic simile?*

« *Quod est hoc verbum?* » hoc est, res de qua est verbum. Joel, I, 2 et 3: *Si factum est verbum istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum, super hoc filiis vestris narrate, et filii vestri filiis suis, et filii eorum generationi alteræ.*

« *Quia in potestate et virtute.* » Ecce tangunt causam: quia sine exorcismis et adjurationibus, sola voluntatis potestate et virtute spiritus, « *imperat immundis spiritibus, et exeunt.* » Luc. XI, 20: *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto*

*pervenit in vos regnum Dei, hoc est, in demonstratione potestatis et virtutis.* Exod. VIII, 19: *Digitus Dei est hic.*

« Et divulgabatur fama de illo. »

Psal. XVIII, 5: *In omnem terram exivit sonus eorum.*

Et hoc est: « *In omnem locum regionis* » illius. Isa. LII, 15: *Quibus non est narratum de eo, viderunt: et qui non audierunt, contemplati sunt.* Proverb. XV, 30: *Fama bona impinguat ossa.*

Hoc igitur est quod dicit de ejectione dæmonis.

« Surgens autem Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis: socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, et rogaverunt illum pro ea. » **38**

Hic agitur de potestate ecclesiastica super corpus anima rationali animatum, cujus infirmitates sæpe causantur a peccato: et ad illarum infirmitatum curas ordinatur potestas ecclesiastica in impositione manuum, et in unctione extrema, et in aliis multis ecclesiasticis sacramentis.

Dicit autem hic quatuor: quorum primum est visitatio ægrotantis. Secundum, dispositio infirmæ mulieris. Tertium, deprecatio Sanctorum pro ea rogantium. Quartum autem, sanatio perfecta.

In primo horum tria dicuntur. Primo, præparatio operantis potestatis, quam tangit cum dicit:

« Surgens autem Jesus. »

Surgit enim qui paratus est juvare, et erigere jacentem. Psal. XLIII, 23: *Exsurge, quare obdormis, Domine? exsurge, et ne repellas in finem.* Et infra, Psalmo eodem, v. 26: *Exsurge, Domine, adjuva nos, et redime nos.* Matth. VIII,

26: *Surgens Jesus, imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.*

« De synagoga. »

Ecce secundum, synagogæ (in qua prædicaverat) derelictio: quod significat relictionem indevotorum de circumcissione. Osee, iv, 17 et 18: *Particeps idolorum Ephraim dimitte eum. Separatum est convivium eorum.* Jerem. xii, 7: *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam.* Matth. xxiii, 38: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Synagoga enim sonat conductionem, quæ sicut acervus lapidum conductorum est sine cæmento gratiæ et charitatis. Sic est collectio peccantium, vel Judæorum, vel aliorum quorumcumque. Michææ, iii, 12: *Jerusalem quasi acervus lapidum erit.* Eccli. xxi, 10: *Stuppa collecta synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis.* In tali autem conductione non est temperamentum liniens et continens: sed unum inordinate premit, et alterum premitur: et unum trudit, et alterum truditur et retruditur. Sic unus supergreditur, et circumvenit, et supplantat alterum inter eos, qui nulla societate charitatis junguntur. I ad Thesal. iv, 6: *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum.* Ezechiel. xiii, 11: *Dic ad eos qui liniunt absque temperamento, quod casurus sit.*

Hos ergo hac de causa dereliquit, et

« Introivit in domum Simonis. »

Ubi familia Simonis habitavit, et significat domum obedientiæ: quia Simon *obediens* interpretatur, ubi præceptis Christi et Apostolicis obeditur. Ad Hebr. xiii, 17: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Joan. iv, 34: *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.*

Attende autem, quod tunc fuit sabbatum, in quo maxime Dominus perfecit gratias curationum propter duas causas: quarum una est, ut se Dominum ostenderet sabbati, Matth. xii, 8: *Dominus est Filius hominis etiam sabbati.* Secunda est, ut se Patri conformaret. Pater enim ab exordio mundi creaturas corporales ad sabbatum terminavit, sanctificationem mentis, et quietem in sabbato inchoans. Et ita fecit Christus vetera terminans legalia opera quæ in corporalibus operibus consistebant, spirituales sanctificationes et sanitates a sabbato inchoavit. Joan. v, 17: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* II ad Corinth. v, 17: *Si qua in Christo nova creatura, vetera transierunt, et ecce facta sunt omnia nova.* Unde domus Simonis novam de Gentibus et Judæis collectam significat Ecclesiam. Matth. xvi, 18: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

« Socrus autem Simonis, »

Mater suæ uxoris, « *tenebatur*, » ad impedimentum virium et operationum, « *magnis*, » vehementer æstuantibus « *febris*. » Febris est calor extraneus in corde inflammatus, et per venas et arterias et spiritum et sanguinem procedens in totum corpus ad impedimentum operationum, et nocumentum substantiæ et virtutum. Et hæc erat dispositio infirmi. Quæ socrus allegorice quidem synagoga. Filia autem uxor Petri est Ecclesia. Moraliter autem est caro contraria spiritui: febris autem ejus concupiscentia. Unde Glossa dicit, quod vir a dæmonio liberatur, cum anima ab immunda cogitatione purgatur. Fœmina a febribus curatur, cum caro a concupiscentiæ fervore refrænatur. Eccli. xxiii, 22: *Anima calida quasi ignis ardens non exstinguetur, donec aliquid gluttiat.* Osee, vii, 4: *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus.* Deuter. xxxii, 22: *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque*

*ad inferni novissima.* Hic calor est extraneus concupiscentiæ. Levit. x, 1 et 2, cum ignem alienum offerrent filii Aaron in conspectu Domini, combusti sunt.

Hæc est ergo infirmi dispositio.

« Et rogaverunt eum pro ea. »

Ecce deprecatio Sanctorum et intercessio. Quia, ut dicit Gregorius, « quæ prædestinavit Deus facere, frequenter sic prædestinavit ut fiant orationibus Sanctorum. » Genes. xxv, 21 : *Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis: qui exaudivit eum, et dedit conceptum Rebeccæ.* Ecce hic facit oratione Sanctorum, quod tamen se promiserat facturum, quando dixit, Genes. xxv, 12 : *In Isaac vocabitur tibi semen.* Jacob, v, 14 et 15 : *Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum :... et oratio fidei salvabit infirmum :... et si in peccatis sit, remittentur ei.* Tamen, Matth. viii, 13, et Marc. i, 30 et 31, non dicunt, quod aliquis rogaverit eum. Quia, ut dicit Glossa, « Salvator modo rogatus, modo non rogatus curat, ostendens se contra vitiorum quascumque passiones, et precibus fidelium se semper annuere : et ea nonnumquam quæ ipsi in se non intelligunt, et ideo non rogant, vel intelligenda dare, vel pie petentibus etiam non intellecta dimittere. » Unde, Psal. xviii, 13 et 14 : *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo.*

39

« Et stans super illam, imperavit febrili : et dimisit illam. Et continuo surgens, ministrabat illis. »

Curatio est ægroti.

Et tangit tria : modum curationis, curationem, et virtutis integram restitutionem.

Modus curationis est in facto, et in verbo.

In facto quidem, quia « stans super

*illam.* » Stando autem ostendit paratum illi adjutorium, et ostendit servandam rectitudinem. Psal. cxviii, 114 : *Adjutor et susceptor meus es tu, Domine.* De rectitudine autem, ad Ephes. v, 14 : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Act. ix, 41 : *Dans illi manum, erexit eam, et cum vocasset sanctos et viduas, assignavit eam vivam.*

De verbo dicit : « Imperavit febrili. » Solo enim verbo fugavit, quod est Christo proprium. Sancti autem faciunt per imprecationes et exorcismos. Unde Christus non utebatur instrumentis clavium : quia super talia erat solo imperio solvens, et ligans. Psal. xxxii, 9 : *Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt.*

« Et dimisit illam. »

Ecce sanitas perfecta. Sapient. xvi, 12 : *Neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo qui sanat omnia.* Act. iii, 16 : *Nomen ejus, et fides quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.*

« Et continuo surgens, »

Hoc est, corpore et mente in superiora se agens. Ad Coloss. iii, 2 : *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

« Ministrabat eis, » hoc est, mensam parabat et necessaria, in signum restitutionis omnium virium et operationum. Hoc autem spiritualiter impletur : quando sicut servivimus peccando diabolo, ita curati servimus Deo. Ad Roman. vi, 19 : *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.*

« Cum autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languo-

40

ribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos. »

Idem quod ante de potestate ecclesiastica particulariter ostendit, nunc universaliter probat: tam universalitate infirmantium, quam varietate infirmitatum.

Et tangit tria: temporis congruitatem, infirmorum curationem, et dæmonis ejectionem.

Temporis congruitatem per hoc quod dicit:

« Cum sol occidisset. »

Quia tota die per totum tempus in prædicatione secum fuerant. Nocte autem domi, virtutes ipsius vicinis nuntiabant: et ideo timentes ne in crastinum discederet, statim ipsa nocte cum infirmis veniebant. Spiritualiter autem sol est ipse Christus, qui sicut dicitur, Joan. i, 9, solus lucens *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Malach. iv, 2: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ: et sanitas in pennis ejus*. Hic Sol multos curavit lumine suo, fulgens in vita: sed multo plures perfecit sanitates occumbens in morte. Luc. xxiii, 44 et 45: *Obscuratus est sol, ... et tenebræ factæ sunt*. Et statim sequitur, Matth. xxvii, 52: *Et multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt*. Statim enim infernus reddidit mortuos suos. Judic. xvi, 30, Samson, qui *sol fortis* interpretatur, multo plures Philisthæos prostravit occumbens quam ante vivens fecerat. Philisthæi autem significant dæmones ægritudines facientes.

« Omnes qui habebant infirmos, etc. »

Ecce infirmorum generalitas. Matth. xi, 28: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis*.

« Variis languoribus. » Ecce infirmi-

tatum diversitas. *Languor* autem dicitur quasi longus angor: quia etiam chronicas sanabat infirmitates, et ab inferis revocabat mortuos. Eccli. x, 11 et 12: *Languor prolixior gravat medicum: brevem languorem præcidit medicus*. Brevis autem languor improprie dicitur.

Et est oppositio in adjecto: « *Ducebant eos ad eum*. » Ducatus sonat motum voluntarium, quia manu ducebant eos. Propter quod etiam patrini et instructores in Ecclesia vocatur *anadochi* et *manuduci*: quia docendo ducunt, et in-flectunt ad bonum voluntates eorum. Deuter. xxxii, 12: *Dominus solus dux ejus fuit, et non erat cum eo Deus alienus*. Quia etiamsi alius adducat, tamen facit in Domino.

« At ille, etc. »

Tangitur sanitatum perfectio.

Tanguntur autem duo: modus curationis, et ipsa cura.

Curationis, quia « *singulis manus imponens*. » Manus autem impositio duo significat: potestatis traductionem, et manuum, hoc est, operum impressionem. Potestatis traductio significatur per porrectionem manuum. Manuum impressio significatur in impressione vestigiorum manuum. De traductione, Joan. xx, 22 et 23: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Manuum impressio, Exod. xxxiv, 29, Moyses portabat tabulas lapideas scriptas digito Dei. Scriptura enim est vestigium digitorum. Et ita traducit in eos spiritum in sanctificando, et imprimit digitos in observatione suorum mandatorum. Et hic est modus curationis.

Unde sequitur infallibilis cura: « *Curabat eos*. » In sanctitate enim spiritus, et in vestigiis mandatorum non potest esse infirmitas diaboli: sed ejicitur. Luc. xi, 20: *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei*.

**41** « Exibant autem dæmonia a multis, clamantia et dicentia: Quia tu es Filius Dei: et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum. »

Et tangitur hic dæmonum ejectio.

Et tanguntur hic tria: exitus dæmoniorum, veritatis coacta confessio, et ipsorum a Domino increpatio.

Dæmonum ejectio tangitur per hoc quod dixit: « *Exibant autem dæmonia a multis,* » quæ causam dederant infirmitatibus: sicut legitur in vita Beati Bartholomæi, quod inferebant læsiones: et hæc Christus a potestate lædendi ejecit. Act. x, 38: *Pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo: quoniam Deus erat cum illo.*

« *Clamantia et dicentia,* » in veritatis confessione, sed coacta: quia dæmon de sua voluntate non loquitur nisi mendacium. Joan. viii, 44: *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax est, et pater ejus.*

« Quia tu es Filius Dei: »

Et ideo tuo imperio compellis nos. Hoc autem non scientes dixerunt, sed vehementer opinantes, sicut in præhabitis dictum est. Tamen quædam Glossa dicit, quod sciverunt esse Filium Dei: sed non credebant, quod sua crucifixione essent damnandi: et si hoc cognovissent, numquam eum crucifigi persuasissent. Anterior autem solutio verior est, quod scilicet eum non cognoverunt cognitione certa, sed opinabantur vehementer. Sapient. ii, 13, 16 et 17: *Filium Dei se nominat, ... et gloriatur patrem se habere Deum: videamus ergo si sermones illius veri sint.*

« Et increpans non sinebat ea loqui. »

Cujus causa jam dicta est, ne scilicet

sub pallio quorundam verorum multa falsa intersererent. Matth. xiii, 28 et 29: *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit.* Et de his sub veris falsa introducentibus dicitur, Isa. i, 22: *Vinum tuum mistum est aqua.* Joan. ii, 10: *Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, scilicet homines, tunc id quod deterius est.*

« *Quia sciebant,* » hoc est, vehementer opinabantur, « *ipsum esse Christum.* » Act. x, 38: *Jesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute.* Christus enim unctus interpretatur. Cantic. i, 2: *Oleum effusum nomen tuum.*

« Facta autem die, egressus ibat in desertum locum, et turbæ requirebant eum, et venerunt usque ad ipsum: et detinebant illum, ne discederet ab eis. **42**

Quibus ille ait: Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum. **43**

Et erat prædicans in synagogis Galilææ. » **44**

Hinc tangit tertium Ecclesiæ fundamentum: et hoc est doctrina in prædicatione fidei et bonorum morum.

Et tangit quatuor: primum quidem, Domini a tumultu declinationem: secundum, audientium eum inquisitionem et devotionem: tertium, ad generalem prædicationem ministrorum obligationem: quartum autem, illius officii ad quod dicit esse ministros propriam operationem.

De primo dicit: « *Facta autem die.* » Quia nocte circa curationem infirmorum erat occupatus: et ideo in die ad desertum causa quietis et contemplationis declinavit.

« *Egressus ibat in desertum locum.* »  
 Marc. vi, 31 : *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.* Et hoc in « *die,* » hoc est, in claro sapientiæ lumine. Sapient. vii, 29 : *Est hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum : luci comparata, invenitur prior.*

« *Et turbæ requirebant eum.* »

Ecce devote audientium eum inquisitio. Isa. lv, 6 : *Quærite Dominum, dum inveniri potest : invocate eum, dum prope est.*

« *Et venerunt usque ad ipsum.* » Tria faciunt. Quærent per devotionem. Veniunt usque ad ipsum per contemplationem. Joan. i, 39 : *Venerunt, et viderunt ubi maneret, et apud eum manserunt.*

« *Et detinebant illum, ne discederet ab eis,* » per charitatis fervorem. Cantic. iii, 4 : *Tenui eum, nec dimittam.* Genes. xxxii, 26 : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Joan. iv, 40 : *Cum venissent ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret.*

« *Quibus ille ait.* »

Hic tangit ad generalem prædicationem ministrorum Ecclesiæ exemplo sui obligationem.

Unde dicit : Non teneatis me, « *quia et aliis civitatibus,* » et ruribus, et villis, et vicis, et pagis. Omnia enim hæc per civitates comprehendit.

« *Oportet me,* » hoc est, opem portat in me, in ministris autem obligationem. Ad Roman. ii 14 et 15 : *Sapientibus debitor sum. Ita, quod in me, promptum est et vobis, qui Romæ estis, evangelizare.* I ad Corinth. ix, *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* II ad Corinth. vi, 4 : *In omni-*

*bus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros.* I ad Corinth. iv, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi.* Act. i, 8 : *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Reprehenduntur hoc exemplo in uno loco jacentes, non evangelizantes, sed comedentes et bibentes ea quæ per Evangelium sunt acquisita. Marc. xvi, 20 : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, etc.* Job, xxxvii, 11 : *Nubes, hoc est, prædicatores, ubique spargunt lumen suum.*

« *Evangelizare,* » hoc est, bonum nuntium gratiæ, et indulgentiæ manifestares. Hoc enim est lumen spargere. Isa. xlix, 6 : *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas : ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

« *Regnum Dei.* » Matth. vi, 33 : *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Regnum autem Dei quo Deus regnat in nobis, est omnis finis, boni, legis, et ordinis distributio, sicut dicit Dionysius. Et hoc superius est expositum. Ad Roman. xiv, 17 : *Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.* Quidam autem hoc non faciunt, sed fabulas prædicant. Psal. cxviii, 85 : *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.*

« *Quia ideo missus sum.* »

Ecce finis legationis. Abdiæ, y. 1 : *Auditum audivimus a Domino, et legatum ad gentes misit.* II ad Corinth. v, 20 : *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.* Modo autem legati qui veniunt, ad concutiendum et spoliandum terras veniunt : et sunt illi legati Antiochi et non Dei<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Cf. II Machab. iv, 23 et seq.

« Et erat prædicans. »

Ecce actus officii ad quem consecran-  
tur Episcopi: sicut patet in manus im-  
positione Episcoporum.

« *In synagogis Galilææ.* » Locus ubi  
multi confluxerunt. Ad Titum, 1, 9: *Am-*

*plectentem eum, qui secundum doctri-  
nam est, fidelem sermonem: ut potens  
sit exhortari in doctrina sana, et eos  
qui contradicunt arguere.*

Hæc est ergo constructio fundameto-  
rum Ecclesiæ.



## CAPUT V.

*Ubi de navicula Petri docuisset, ille laxato ipsius jussu reti, conclusit copiosam piscium multitudinem : curatum leprosum mittit ad sacerdotes : paralytico, remissis primum peccatis, jubet ut lectum suum tollat : discumbens cum Levi, quem ex telonio vocaverat, causam dat murmurantibus Pharisæis, quare cum peccatoribus conversetur, et cur ipsius discipuli non jejument.*

1. Factum est autem, cum turbæ irruerent in eum ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth.
2. Et vidit duas naves stantes secus stagnum<sup>1</sup> : piscatores autem descenderant, et lavabant retia.
3. Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas.
4. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem : Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam.
5. Et respondens Simon, dixit illi : Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus : in verbo autem tuo laxabo rete.
6. Et cum hoc fecissent, concluderunt piscium multitudinem copiosam : rumpebatur autem rete eorum.
7. Et annuerunt sociis qui erant in alia navi, ut venirent, et adjuvarent eos. Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur.
8. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens :  
 Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.
9. Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant, in captura piscium quam ceperant :
10. Similiter autem Jacobum et Joannem, filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus : Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens.
11. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum.
12. Et factum est, cum esset in una civitatum, et ecce vir plenus lepra<sup>2</sup>, et videns Jesum, et procidens in faciem, rogavit eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare.
13. Et extendens manum, tetigit eum, dicens : Volo, mundare. Et confestim lepra discessit ab illo.
14. Et ipse præcepit illi ut nemini diceret : sed : Vade, ostende te sacerdoti, et offer pro emundatione tua sicut præcepit Moyses, in testimonium illis<sup>3</sup>.
15. Perambulabat autem magis sermo de illo : et conveniebant turbæ multæ ut audirent, et curarentur ab infirmitatibus suis.

<sup>1</sup> Matth. iv, 18 ; Marc. i, 16.

<sup>2</sup> Matth. viii, 2 ; Marc. i, 40.

<sup>3</sup> Levit. xiv, 4.



16. Ipse autem secedebat in desertum, et orabat.
17. Et factum est in una dierum, et ipse sedebat docens. Et erant Pharisei sedentes, et legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, et Judææ, et Jerusalem : et virtus Domini erat ad sanandum eos.
18. Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus<sup>1</sup> : et quærebant eum inferre, et ponere ante eum.
19. Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, et per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum.
20. Quorum fidem ut vidit, dixit : Homo, remittuntur tibi peccata tua.
21. Et cœperunt cogitare Scribæ et Pharisei, dicentes : Qui est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?
22. Ut cognovit autem Jesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos : Quid cogitatis in cordibus vestris?
23. Quid est facilius dicere : Dimittuntur tibi peccata : an dicere : Surge, et ambula?
24. Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico : Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.
25. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum in quo jacebat, et abiit in domum suam, magnificans Deum.
26. Et stupor apprehendit omnes, et magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes : Quia vidimus mirabilia hodie.
27. Et post hæc exiit, et vidit publicanum nomine Levi<sup>2</sup>, sedentem ad telonium, et ait illi : Sequere me.
28. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum :
29. Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua : et erat turba multa publicanorum, et aliorum qui cum illis erant discumbentes.
30. Et murmurabant Pharisei et Scribæ eorum, dicentes ad discipulos ejus : Quare cum publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis?
31. Et respondens Jesus, dixit ad illos : Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent.
32. Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.
33. At illi dixerunt ad eum : Quare discipuli Joannis jejunant frequenter<sup>3</sup>, et obsecrationes faciunt : similiter et Phariseorum : tui autem edunt et bibunt?
34. Quibus ipse ait : Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere jejunare?
35. Venient autem dies cum ablatu fuerit ab illis sponsus, tunc jejunebant in illis diebus.
36. Dicebat autem et similitudinem ad illos : Quia nemo commissuram a novo vestimento immittit in vestimentum vetus : alioquin et novum rumpit, et veteri non convenit commissura a novo.
37. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres : alioquin rumpet vinum novum utres, et ipsum effundetur, et utres peribunt.

<sup>1</sup> Matth. ix, 2; Marc. ii, 3.<sup>2</sup> Matth. ix, 9; Marc. ii, 14.<sup>3</sup> Marc. ii, 18.

38. Sed vinum novum in utres novos mittendum est, et utraque conservantur.

39. Et nemo bibens vetus, statim vult novum : dicit enim : Vetus melius est.

## IN CAPUT V LUCÆ

### ENARRATIO.

« Factum est autem, cum turbæ irruerent in eum ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth. »

Constructis ecclesiastici ordinis fundamentis, tangit Lucas ecclesiasticum ordinem in eo penes quem est plenitudo potestatis, et in Episcopis, et Presbyteris : sicut innuit quædam Glossa super cap. xi.

Et ideo dividitur in tria : in quorum primo tangit ordinem capituli, in quo est summa potestas ad membra : in secundo autem tangit ordinem nobiliorum membrorum, in his qui primi ordinis sunt in Ecclesia, et hoc in sequenti capitulo : in tertio autem tangit ordinem eorum qui secundi ordinis sunt in Ecclesia, sicut Presbyterorum, et hoc incipit cap. xi, infra.

Constructionem autem potestatis ecclesiasticæ in capite tangit in hoc capitulo in quinque, penes quinque quæ sunt de officio capituli : quorum primum est universalitas potestatis in mundo : secundum est penes usum clavis, et jus oblata recipiendi, et discernendi de lepra et lepra, et mundatione lepræ : tertium est penes potestatem ligandi et solvendi a peccato : quartum autem est penes auctoritatem vocandi et constituendi et dispo-

nendi gradus ecclesiasticos, et distinguendi eosdem : quintum autem est penes potestatem dispensandi et remittendi circa eos quos regit. Et hæc per ordinem tanguntur in quinque historiis hic introductis, scilicet, de piscium conclusionem, de leprosi sanatione et oblatione, de peccatorum in paralytico absolutione, de Matthæi vocatione, de discipulorum dispensatione, contra quam Pharisæi murmurabant. Et hæc per ordinem patent in littera.

Ex omnibus autem his scitur quod Lucas in historia non sequitur ordinem temporis, sed inducit omnia, secundum quem modum probant ecclesiasticum ordinem, ut se esse probet vitulum in Dei animalibus.

Prima autem historia in qua construit universalitatem regiminis esse in uno, habet tres partes : in quarum prima submit occasionem veniendi ad propositum : in secunda, ostendit et construit hoc per miraculum : in tertia autem, omnibus ad hoc stupentibus, explanando dicit hoc quod dictum est, esse suum intentum.

Circa primum autem in quo accipit occasionem, sunt quatuor paragraphi. Tangit primo audiendi ex parte turbæ aviditatem, et ex hoc sibi excitari tumultuationem, et loci ubi stabat ad tumultum sustinendum incongruitatem. In secundo, dicit navium de quibus sine tumultu docere posset, considerationem. In tertio, dicit unius navis ad tumultum declinandum ascensum. In quarto, dicit ex illa turbarum eruditionem et illuminationem. Hæc autem per ordinem patent in littera.

In primo horum duo sunt : turbarum ad audiendum tumultus, et ad tumultum portandum importunus locus.

Attende autem istud ante incarcerationem

tionem Joannis esse factum. Et ideo præcedenti immediate secundum ordinem temporis non continuatur. Sed hunc ordinem non sequitur Lucas. Secundum ordinem autem ecclesiastici gradus optime continuatur: quia prius est fundare Ecclesiam, quam constitutio ministrorum. Et ad sequens continuatur: quia prius est disponere caput, postea membra. Et inter actus, prius est cura pastoralis universalis regiminis, quam usus clavis. Et sic patet ordo valde rationabilis.

Dicit ergo:

« Factum est autem. »

Quod ante mundi constitutionem ordinatum est, tunc in exsecutione « *factum est.* » Sic enim eum Pater genuit, in quo splenderet omnis gradus sanctitatis ab æterno, ab eodem ipso perficiendus in tempore. Psal. cix, 3: *In splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.* Sic Jerusalem terrestris Ecclesia descendit a cœlesti quæ est in dispositione divina. Apocal. xxi, 2: *Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam viro suo.*

Sic ergo, « *Factum est,* » tali sumpta occasione, « *cum turbæ,* » permixtæ multitudines, « *irruerent* » tumultuantes « *in eum,* » cupientes audire viam salutis, « *ut audirent verbum Dei.* Matth. xiii, 2: *Congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet.*

Causa autem audiendi diversa fuit in diversis. Quidam enim cibum cogitantes qui perit, propterea sequebantur eum ut de panibus suis saturarentur: et hi fuerunt carnales, Joan. vi, 26: *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus.* Alii autem sequebantur eum ut observarent et caperent eum in sermone, et accusarent eum: et hi fuerunt invidi, Matth. xxii, 13: *Abeuntes Phariæi consilium inierunt ut cape-*

*rent Jesum in sermone.* Alii autem sequebantur eum ut sanarentur ab ipso infirmi eorum, Joan. vi, 2: *Sequebatur eum multitudo magna: quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur:* et hi erant providi. Alii autem sequebantur ut viderent mirabilia et audirent, Luc. v, 26: *Vidimus mirabilia hodie:* et hi sunt curiosi. Alii autem sequebantur eum ut de via salutis et animæ eruditione instruerentur: et hi erant devoti, Joan. vi, 69: *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.*

Isti autem tria attendebant quæ erant in ipso: dulcedinem spiritus qui verba concepit, dulcedinem linguæ et labiorum quæ verba proposuit, dulcedinem verbi quod in aures sonuit. De primo horum, Eccli. xxiv, 27: *Spiritus meus super mel dulcis.* De secundo, Psal. xlv, 3: *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Cantic. iv, 11: *Mel et lac sub lingua tua.* De tertio, Cantic. ii, 14: *Vox tua dulcis.* Cantic. iv, 3: *Eloquium tuum dulce.*

« Et ipse stabat secus stagnum Genesareth. »

Ecce loci incommoditas, tanta pressura turbarum. Poterant enim eum impingere et comprimere. Est autem stagnum ubi aqua stans et in se recollecta stagnatur. Unde etiam *stagnum* a stando dicitur. Idem autem hebræo sermone *mare* dicitur: non quod amarum fuerit, sed consuetudo est hebræis omnem stantem magnam aquam mare vocare. Genes. i, 10: *Congregationes aquarum appellavit maria.* Sed dicitur *mare Tiberiadis* a civitate adjacente metropoli, quæ Tiberias vocabatur, dicta sic, quia Herodes Antipas eam ædificavit ob honorem Tiberii Cæsaris, sub quo ipse regnavit. Idem dicitur *mare Galilææ* ab adjacente provincia. Idem dicitur « *stagnum* » vel mare « *Genesareth,* » quia cum sit de fontibus confluentibus et aquis influentibus collectum, collisio confluentium aquarum facit crispam superficiem ipsius, et non

sinit eam stare plane : et motus superfici-  
ciei tactum movet et impellit aerem, et  
ita lenem ex se generat auram. Et ideo  
*generans auram*, hoc est « *Genesareth* »  
vocatur a *genes* quod est *generatio*, et  
*areth* quod est *aura*.

Per hoc igitur patet expositio littera-  
lis.

« *Ipsa*, scilicet *Jesus*, *stabat secus stag-  
num Genesareth*. » Statu suo, suæ divi-  
nitatis ostendens immobilitatem : posi-  
tione corporis, docens justitiæ rectitudi-  
nem : porrectione capitis, divinam in-  
nuens contemplationem : erectione vultus,  
instruens ad rectam in omnibus  
intentionem.

De primo autem horum dicitur in  
Psalmo cii, 28 : *Tu autem idem ipse es, et  
anni tui non deficient*. De secundo, Psal.  
x, 8 : *Justus Dominus, et justitias di-  
lexit*. De tertio, Joan. iii, 13 : *Nemo as-  
cendit in cælum, nisi qui descendit de  
cælo, Filius hominis qui est in cælo*.  
Non solum per divinitatem, sed per  
æterni luminis contemplationem. Ad  
Philip. iii, 20 : *Nostra conversatio in cæ-  
lis est*. De quarto, ad Coloss. iii, 1 et 2 :  
*Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus  
est in dextera Dei sedens : quæ sursum  
sunt sapite, non quæ super terram*.

Per hoc autem quod dicitur : « *Secus*, »  
notat propinquitatem. Propinquus enim  
est tribulatis, petentibus, et devotis. De  
primo, Psal. xxxiii, 19 : *Juxta est Do-  
minus his qui tribulato sunt corde*. De  
secundo, in Psalmo cxliv, 18 : *Prope est  
Dominus omnibus invocantibus eum,  
omnibus invocantibus eum in veritate*.  
De tertio, Isa. lv, 6 : *Quærite Dominum  
dum inveniri potest : invocate eum dum  
prope est*.

« *Stagnum*, » quod aquæ labilitate,  
vitæ hujus significat mortalitatem : aquæ  
motu, significat vitæ instabilitatem :  
aquæ effectu, significat hujus gloriæ va-  
porem, ad modicum apparentem. De  
primo dicitur, II Reg. xiv, 14 : *Omnes  
morimur, et quasi aquæ dilabimur in  
terram*. De secundo dicitur, Job, xiv, 1 :

*Homo natus de muliere, brevi vivens  
tempore*. Et, infra, x. 2 : *Numquam in eo-  
dem statu permanet*. De tertio, Jacob.  
iv, 15 : *Quæ est vita vestra ? vapor est  
ad modicum parens*. Et ideo dicitur  
« *Genesareth*, » auram quamdam lenem  
generans.

« Et vidit duas naves stantes secus  
stagnum : piscatores autem descende-  
rant, et lavabant retia. »

Hic tangitur loci opportuni ad docen-  
dum consideratio. Non enim erat ibi lo-  
cus eminens ad quem ascenderet : et ideo  
non erat opportunitas pressuram decli-  
nandi nisi ad navem.

Dicuntur autem duo : duarum navium  
in ripa consideratio, et earundem inte-  
rim ab usibus piscatorum deoccupatio.  
De primo dicitur quod « *duas vidit na-  
ves*, » non fluctuantes in undis, sed  
« *stantes* » fixas in prora ad ripam, « *se-  
cus stagnum* : » quia puppes et rates et  
carina erant in aqua. Quæ duæ naves  
duas Ecclesias congregandas significa-  
bant, scilicet, Ecclesiam de circumcisione,  
et Ecclesiam de Gentibus. De utraque  
istarum dicitur, ad Galat. ii, 8 : *Qui ope-  
ratus est Petro in apostolatum circumci-  
sionis, operatus est et mihi inter Gentes*.  
Et, ibidem, xx. 9 et 10 : *Jacobus, et Ce-  
phas, Joannes et qui videbantur columnæ  
esse, dexteris dederunt mihi et Barnabæ  
societatis, ut nos in Gentes, ipsi autem  
in circumcisionem : tantum ut paupe-  
rum, scilicet Christi, memores essemus :  
quod etiam sollicitus fui hoc ipsum fa-  
cere*. Et sic mare mundus est, Psal. ciii,  
25 : *Hoc mare magnum et spatiosum  
manibus : illic reptilia quorum non est  
numerus*. Pisces autem in aquis volu-  
ptatum mersi, sunt homines carnales.  
Matth. iv, 19 : *Faciam vos fieri piscatores  
hominum*. Versus :

Ecclesiam pro nave rego, mihi climata mundi  
Sunt mare, Scriptura retia, piscis homo.

Moraliter autem: « *Et vidit,* » per misericordiam ea quæ nobis utilia sunt considerans, « *duas naves,* » innocentiae et pœnitentiæ salutaris tabulas præparans, « *stantes,* » permanentiam meritorum promittentes, « *secus stagnum,* » a fluctibus ad solidum æternitatis deducentes.

De primo horum, Joan. I, 48: *Cum esses sub ficu,* hoc est, sub peccati dulcedine, *vidi te.* Exod. I, 48: *Vidi afflictionem populi mei.*

Innocentiæ autem navis non quidem per immunitatem omnis peccati nisi in Christo, sed per immunitatem omnis peccati præter originale in parvulis, et Beata Virgine. Per immunitatem autem peccati mortalis, ut in baptizatis et conservantibus baptismum. Hæc enim est navis Noe, in qua pauci, id est, octo animæ salvatæ sunt <sup>1</sup>. Et hæc construitur in Psalmo xxiii, 4: *Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.* Hic enim innocens est, quia nulli nocuit. Manibus enim, hoc est operibus, non nocuit sibi, Deo, et hominibus. Per justitiam purgans nocumentum manuum, Psal. xxv, 6: *Lavabo inter innocentes manus meas.* Per munditiam cordis custodivit se a nocumento sui et Dei, Matth. v, 8: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Per hoc quod *non accepit in vano animam,* cavere ne noceret animæ. In vanum enim accepit animam qui non perficit eam scientia et virtute: quia horum duorum principia apud se habens datur ei anima. Sapient. viii, 19: *Sortitus sum animam bonam.* — *Nec juravit in dolo proximo suo:* per juramentum cavens divino nomini: per dolum autem cavens simplicitati proximi. I Paralip. xxix, 17: *Scio quod simplicitatem diligas.* Sic ergo navis innocentiae construitur innocenti opere, innocenti corde, innocenti mente, et innocenti ad Deum et proximum ser-

mone. Genes. xlix, 13: *Zabulon in littore maris habitabit, et in statione navium pertingens usque ad Sidonem.* Zabulon *habitaculum fortitudinis* interpretatur, et significat innocentes fortissimos opere, corde, mente, et sermone perfectos. Habitant ergo in *littore,* id est, soliditate permanentis gratiæ: *maris* tamen, hoc est, in salo amaritudinis hujus vitæ: *in statione navium,* in qua portum fidelissimum habent innocentiae pertinentes verbo et exemplo *usque ad Sidonem,* quæ *venatio* interpretatur: quia alios quosque venantur, ut in eodem portu et eadem navi salventur. Jerem. xvi, 16: *Mittam eis multos venatores, et venabuntur eos.*

Alia navis est pœnitentiæ, quæ salvat eos qui ex innocentia baptismali cadentes, sunt passi naufragium. Et ideo dicit Hieronymus, quod pœnitentia est secunda tabula post naufragium, supple, innocentiae. Hæc navis construitur contritionis dolore, confessionis veritate, et satisfactionis humilitate. Sapient. xiv, 5: *Sed ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera, propter hoc etiam et exiguo ligno credunt homines animas suas, et transeuntes mare, per ratem liberati sunt.* Nisi enim Deus nobi constitueret pœnitentiam, in multis essent vacua sapientiæ opera: de quibus, Isa. lxiv, 8: *Opera manuum tuarum omnes nos.* Exiguum autem lignum, humilis pœnitentiæ tabula, cui redeuntes a peccato, credimus animas nostras, ut cum Maria Magdalena liberemur: sicut innocentes liberantur cum Beata Maria Virgine. Et sic operibus satisfactionis mare tentationum hujus mundi transeuntes, sunt liberati pœnitentia salvante. Proverb. xxxi, 14: *Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.* Ecclesia videlicet sic est quasi navis innocentiae in quibusdam, et navis pœnitentiæ in aliis: portans panem gratiæ reficientis de longe, hoc est, de æternitatis littore et regione.

<sup>1</sup> Cf. Genes. vii, 23.

Hæc est navis similis navi in figura, similis navigantibus in vita, similis usui navis in transitu, similis periculis navis in processu.

Figura enim navis est, ante et post esse strictam, et in medio secundum aliquid dilatata. Et sic principium bonæ vitæ arctum est in ingressu, et arctius in egressu, latum autem aliquid habens in medio. De primo, Matth. vii, 14: *Arcta via est quæ ducit ad vitam*. De secundo, Genes. xxxv, 18: *Vocavit nomen filii sui Benoni, id est filius doloris mei*. Est etiam angusta in egressu. Angustia enim magna est in exitu, id est in morte: quia dicitur in Psalmo cxxvi, 5: *Beatus vir qui... non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta*. Inimicis interrogantibus etiam de his quæ ignorabam, sicut dicit Psalmus xxxiv, 11. Latum autem habet in medio, in consolatione conscientie. Proverb. iv, 12: *Quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui*.

Vita autem navigantium semper est in timore futuri, et angustia præsentis. De primo, ad Roman. xi, 20: *Noli altum sapere, sed time*. De angustia præsentis, Daniel. xiii, 22: *Angustie sunt mihi undique*, et quid eligam ignoro. Est etiam vita eorum in victus paritate, Ezechiel. iv, 10: *Cibus tuus, quo vesceris, erit in pondere viginti stateres in die: a tempore usque in tempus comedes illud*.

Usus autem navis est transvehere in littus aliud de littore isto. Et hoc faciunt naves istæ. De solido enim gratiæ transponunt in solidum gloriæ. Sapient. x, 18: *Transtulit illos per Mare rubrum, et transvexit illos per aquam nimiam*. Isa. li, 10: *Posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati*.

In processu etiam similis est periculis maris. Multa enim sunt pericula in quibus transeunt naves istæ. Psal. cvi, 23 et 24: *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo*. Hæc autem pericula

sunt sine numero, ascendentibus procellis tentationis, et descendantibus voraginibus desperationum, occurrentibus conflictibus belluarum, complodentibus occurrentes sibi acrocerauniis, Scylla latrante contra voragines Charybdis, et syrtibus oppugnantibus locis dithalassis. Sunt etiam venti quatuor qui pugnant in mari magno, et dubiis procellis naves exagitant.

Ascendunt autem ad cælos flatus ambitionum. Isa. xiv, 13: *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*. In desperatione autem descendunt usque in infernum. Proverb. xviii, 3: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit*. Psal. cxxix, 1: *De profundis clamavi ad te, Domine*.

Belluæ autem confligentes sunt pericula diversa dæmonum. Psal. xc, 6: *A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano*. Negotium obtenebrans est tentatio deceptionis occulta, quando gubernator nescit quo navem dirigat. Sagitta volans per diem, est tentatio subita et aperta quæ præoccupat ut submergat. Incursus autem, est cum violentia volens in profundum mergere. Dæmonium autem meridianum, est quod cum fulgore claritatis in habitu Angeli lucis venit. Hæc omnia inflant in velum cordis, et quærunt extinguere navim innocentie, vel pœnitentie: quæ sunt naves liberationis.

Acroceraunia autem sunt scopuli prominentes sub aqua in quibus impingens navis submergitur. Et sunt quædam tentationes iræ, rixæ, et invidiæ, quæ navigantes impediunt et submergunt. Ad Ephes. iv, 31: *Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia*.

Scylla autem caninum caput est, quæ significat detractionem. Ad Roman. i, 29 et 30: *Susurriones, detractores, Deo odibiles*. Charybdis autem carinas abdens, est vorago cupiditatis. Eccli. x, 10: *Nihil est iniquius quam amare pecu-*

*niam: Hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projicit intima sua.*

Syrtes autem sunt sectæ et hæreses. I ad Corinth. xi, 19: *Oportet et hæreses esse: ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.*

Dithalassus autem est malum longæ et irrefrænata linguæ. Jacob. iii, 8: *Lingua inquietum malum, plena veneno mortifero.*

Venti autem sunt motus quatuor passionum cor inquietantium: gaudium vanum, timor inutilis, spes inanis, et tristitia mortifera. Daniel. vii, 2: *Quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.*

Præter hæc et post hæc omnia sunt complosiones Symplegadum, lapidum scilicet, de montibus hinc et inde præruptis solutorum, et in mari sibi occurrentium. Et istæ sunt obdurationses et indurationses cordium, quæ cor non sinunt ad amorem emolliri, nec ad timorem frangi. Psal. xciv, 8: *Nolite obdurare corda vestra.* Eccli. iii, 27: *Cor durum habebit male in novissimo.*

Inter omnia hæc pericula transeunt innocentia et pœnitentia naves. Et ideo semper dubiis et angustiis plenæ. Job, iii, 24: *Antequam comedam suspiro, et tamquam inundantes aquæ sic rugitus meus.* Job, ix, 28: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.*

« Piscatores autem descenderant. »

Ad litteram hic notatur navium deoccupatio, et notatur innocentia Domini, qui occupatis navibus uti volebat. Omnibus enim prodesse volebat, et nulli obesse.

« Et lavabant retia. »

Quia sæpe trahuntur retia per limum in fundo, qui si adhærens remaneret, citius putrescerent.

Piscatores autem animarum, Prælati sunt et Prædicatores. Jerem. xvi, 16:

*Mittam eis piscatores multos, et piscabuntur eos.* Hi a navibus descendunt, cum ab utilitate proximi cui per curam et prædicationem intendunt, ad considerationem sui humiliter redeunt. Job, v, 24: *Visitans speciem tuam, non peccabis.* Ad Galat. vi, 1: *Considerans te ipsum, ne et tu tenteris.* Matth. vii, 5: *Hypocrita, ejice primum, trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.*

Retia autem dicuntur quasi retinentia. Composita enim sunt ex filis et maculis. Inter quælibet enim quatuor fila, hoc est, quadratum fili, est macula per quam egreditur limosa aqua, et filis retinetur piscis. Job, xviii, 8: *Immisit in rete pedes suos, et in maculis ejus ambulat.* Hæc autem ablutio significat peccatorum (quæ ex cura pastorali vel doctrina adhæret) per compunctionem et lacrymas ablutioem. Ambrosius: « Lacrymæ lavant delictum, « quod voce pudor est confiteri. » Debet autem lotio ista maxime esse de tribus: a sermone videlicet adulationis, a limo turpis quæstus, et a turbatione inanis gloriæ. I ad Thessal. ii, 5 et 6: *Neque aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione avaritiæ, Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam.* Isa. i, 16: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Retia vero significant sermones ecclesiasticos, qui compositi sunt ex sermone disputationis, quo construitur veritas, et sermone exhortativo, quo ædificatur in moribus bonitas. Et sunt quasi duo fines illius sagenæ. Medium autem componitur ex filis auctoritatum et ex maculis rationum et similitudinum. Matth. xiii, 47: *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti.*

Sic ergo per considerationem sui descendentes, retia lavabant.

« Ascendens autem in unam navim, »

quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum. »

Ecce hic tangitur loci ad docendum competentis electio.

Et tanguntur duo : navis ascensio, et navis a terra reductio.

Circa navis ascensionem tanguntur tria : motus, navis unitas, et nomen possessoris.

Motus est ascensionis cum dicit : « *Ascendens autem.* » Quilibet enim Prælati in consideratione sui debet esse humilis : in regimine autem debet ascendere culmen auctoritatis. Unde Augustinus in *Regula de communi vita clericorum* : « *Honore coram nobis Prælati sit vobis, timore coram Deo, substratus sit pedibus vestris. Quo enim altior est in auctoritate, eo debet humilior esse in sui consideratione. Ascendens in regimine altus ne vilescat, descendens in sui consideratione humilis ne intumescat.* » Luc. xiv, 10 : *Cum vocatus fueris, scilicet ad nuptias, vade, recumbe in novissimo loco, ut cum venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superius.*

Unitatem autem navis tangit cum dicit :

« *In unam navim.* »

Una est enim Ecclesia, uno Spiritu sancto vivificata, mota, sensificata, et communicata. Cantic. vi, 8 : *Una est columba mea* : una est genitricis suæ sapientiæ, vel gratiæ dilecta : unitate Spiritus in sanctificatione, unitate cordis in charitate, unitate communicationis in bonorum participatione, unitate animæ in sapientiæ sensificatione, unitate membrorum in connexionione.

Et de unitate quidem spiritus dicitur, ad Ephes. iv, 3 : *Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.* De unitate cordis et animæ simul, Act. iv, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* De unitate commu-

nicationis in bonorum participatione, I ad Corinth. xii, 12 : *Sicut corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus.* Et, ibidem, v. 13 : *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.* De unitate connexionionis, ad Ephes. iv, 15 et 16 : *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus : ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Sic ergo licet duas visu approbationis viderit, tamen in unam ascendit, unitatem approbans, et schismata damnans.

« *Quæ erat Simonis.* »

Ecce possessor unitatis, quem loco sui in terris constituere intendit : ad cujus regimen unum omnes Ecclesiæ particulares referuntur. Omnes enim illæ in partem vocantur sollicitudinis : cum tamen una sit cura universalis. Simeon autem *obediens* interpretatur : quia necesse est quod valde sit Deo obediens qui formam omnibus præbet obedientiæ, qui dicere potest hæc verba Apostoli, I ad Corinth. xi, 1 : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Christus enim obediens est præ omnibus. De quo dicitur, ad Philip. ii, 8 : *Christus factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Hac ergo de causa, ut eum suum in regimine vicarium ostenderet, navim suam ascendit. Matth. xvi, 19 : *Tibi dabo claves regni cælorum.*

Habito loco ad docendum opportuno, tangit modum loci ejusdem :

« *Rogavit eum, etc.* »

Tangit duo : benignitatem enim inueniens, rogat eum cui præcipere potuit : secundo autem a terra rogat paululum



navim reducere. Observat jam Christus quod per Apostolum Episcopo præcepit, I ad Timoth. v, 1 : *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem*. Ita et hic rogat : quia, sicut dicit Seneca, « generosus est animus hominis, facilius ducitur quam trahitur. Precibus enim multi faciunt, ad quod præceptis non inclinarentur. »

« *A terra reducere* » navem « *pusillum*, » ut sit aquæ interstitium inter eum et turbas, et ita non possint eum comprimere.

Mystice autem doctrina *a terra*, hoc est, a terrenis pusillum reducitur tripliciter : in sensu verbi, in conversatione audientis, et in affectu verbum capientis.

In sensu quidem verbi : quia novellus auditor profunda non intelligit, sed ea quæ juxta terrenas similitudines dicuntur melius sapit. I ad Corinth. iii, 1 et 2 : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus : tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam*.

In conversatione autem : quia talibus non sunt imponenda gravia sed levia, non multum a conversatione civili elongata : et tunc melius portant. Act. xv, 10 : *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus ?* Matth. xxiii, 4 : *Imponunt onera gravia super humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere*.

In affectu autem carnali iterum non longe sunt removendi quin relinquuntur eis temporalia, et ordinetur dispensatio. Proverb. xxx, 8 : *Mendicitatem, et divitias ne dederis mihi : tribue tantum victui meo necessaria*. Gregorius : « Divitias « abhorrere pusillanimitatis est, paupertatem non posse portare impatientiæ « est. » Et ideo medio modo eundem est cum auditoribus. Sed ipse Prædicator in omnibus debet esse institutus. Ad Philip. iv, 11, 12 et 13 : *Ego didici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio et humiliari, scio et abundare (ubique et in omnibus*

*institutus sum), et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat*.

Sic ergo reducat a terra *pusillum* : sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans : et plus et plus quantum possibile est a terrenis et animalitate terrena removens inducat ad spiritum.

« Et sedens docebat de navicula turbas. »

Ecce doctrinæ beneficium post captatum ad docendum locum.

Tangit autem tria : quietem docentis, locum doctrinæ, et doctrinam turbarum.

Notans enim quietem dicit : « *Sedens*. » II Reg. xxii, 8 : *David sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres*, hoc est, naturalem legem, et scriptam, et Prophetas. Eccli. xxiv, 44 : *Doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque ad longinquum*.

Locus autem est : « *De navicula*, » hoc est, de humili Ecclesia, quæ sensum humilem habet : quia extra Ecclesiam, non doctrina. Eccli. li, 31 : *Appropriate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ*. Extra navem enim Noe, quæ est arca, non est salus. Aquæ enim doctrinarum aliarum non sunt salutare.

Actus doctrinæ est, quia docebat « *turbas*, » nullum penitus excludens. Luc. xi, 33 : *Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub medio : sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant*.

« Ut autem cessavit loqui, dixit ad Simonem. »

Hic tangitur de perfectione miraculi : in quo utilitas regiminis Ecclesiæ construitur.

Tanguntur autem hic principaliter tria : quorum primum est imperium verbi ad

actum miraculi. Secundum est figura regiminis in effectu verbi. Tertium autem stupor, et ædificatio fidelium, et instructio ad intelligendum mysterium.

In primo sunt duo : præceptum, et humilis excusatio cum devota obedientia.

Dicit igitur : « *Ut autem cessavit loqui,* » sermone ad turbas jam perfecto. Non enim semper loquendum, sed aliquando tacendum. Eccle. III, 7 : *Tempus tacendi, et tempus loquendi.*

« *Dixit ad Simonem,* » cui mundi et maris cura committenda fuit : jam cordibus per auditum verbi sui præparatis : quia frustra laborat extra lingua Doctoris, nisi intus adsit gratia Salvatoris. Et ideo pisces qui ante sermonem Domini reti Simonis se subduxerunt, modo post verbum Domini quasi undique certatim venientes, reti se certatim injecerunt. Et hoc notat cum dicit, infra, v. 5 : « *In verbo tuo laxabo rete.* » Psal. xxxii, 6 : *Verbo Domini cæli,* hoc est, Apostoli, *firmati sunt : et spiritu oris ejus,* qui vehit verbum, *omnis virtus eorum,* quam habent in captura piscium hominum. Præmisso ergo verbo suo, tunc primum ministerium imponit Simoni : ut significaret efficaciam sui verbi. Isa. lv, 11 : *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum : sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Ad hoc ergo sicut ad escam pisces currunt.

« *Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam.* »

Ecce præceptum tria continens : piscaturæ ordinem, locum in quo pisces habent habitationem, et retium in capturam laxationem.

Piscaturæ ordinem tangit cum dicit : « *Duc.* » Ductura enim motus est ordinatus. Fit autem iste ductus tribus ordinantibus eum, scilicet Spiritu præeunte, auctoritate Scripturæ confirmante, et discretione rationis ordinante et propor-

tionante, quid, quibus, qualiter, et quando, et quomodo proponendum sit, et quantum, et ubi.

De Spiritu præeunte, Ezechiel. I, 21 : *Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, et rotæ elevabantur sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Psal. cxlii, 10 : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Non ergo quæstus duxit vel gloria. I ad Thresal. II, 5 et 6 : *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis : neque in occasione avaritiæ, Deus testis est : nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab illis.*

De auctoritate autem dicta confirmante, Psal. ciii, 10 : *Inter medium montium pertransibunt aquæ,* hoc est, aquæ doctrinæ inter medium duorum testamentorum. Hoc significatum est, Ezechiel. xlvii, 8 et 9 : *Sanabuntur aquæ. Et omnis anima vivens, quæ serpit, quocumque venerit torrens, vivet.* Torrens iste torrore solis fluens, hoc est, calore charitatis Christi (qui est sapientia Dei) sanat aquas doctrinæ humanæ. Et anima serpens in deliciis, et divitiis, et honoribus vivet, gustans aquas istas.

De ordine rationis proportionantis et examinantis unumquodque dictum, et dicendum, et quod, dicitur, Eccli. xxi, 29 : *In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum :* quoniam meditatio et rationis ordo præcedit dicta ipsorum. Psal. xxxvi, 30 : *Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur iudicium.* Quando enim sapientia meditata per frequentem reditum mentis super eam est in corde, tunc necesse est quod lingua nihil loquatur nisi iudicium, hoc est, præjudicatum a ratione. Ideo dicitur, Eccle. x, 12 : *Verba oris sapientis gratia, et labia insipientis præcipitabunt eum.* Proverb. xvi, 23 : *Cor sapientis erudiet os ejus, et labiis ejus addet gratiam.*

Propter tria dicit : « *Duc,* » ut Spiritus præcedat, cavens ut nihil propter turpe lucrum, vel gloriam fiat : veritas

oris Dei omne dictum confirmet, et discretio rationis sapienter ordinet, a fine usque ad finem attingens fortiter, et disponens omnia suaviter <sup>1</sup>.

« In altum. »

Ecce locus habitationis piscium magnorum. Quia, sicut dicitur in libro de *Animalibus*, « magni pisces habitant in pelago. » Unde, Joan. xxii, 11 : *Traxit rete in terram, plenum magnis piscibus.*

Tangit autem altum quadruplex in quod rete est ducendum : altum maris, altum intelligentiæ spiritualis, altum conversationis, et altum contemplationis. In his enim latent pisces magni in quibus est utilitas.

*Altum maris* est altitudo sæcularis dignitatis, in qua sunt Reges, Duces, Barones, et Principes, qui se reti debent inclinare. Isa. lx, 12 : *Gens et regnum quod non servierit tibi, peribit.* Et, ibidem, ̄. 16 : *Suges lac gentium, et mamilla regum lactaberis.* Istis enim captis, etiam minores in tractu retis ad terram concluduntur. Utile ergo est quod adjuvante Deo sic ducatur in altum. Sed forte aliquis dicet : *Veni in altitudinem maris, et tempestas, scilicet indignationis principum, demersit me* <sup>2</sup>. Non enim est tutum navigare inter conflictus belluarum. Dicat quicumque talis est, illud Tobiae, iii, 22 : *Post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum, captis aliquando talibus, exsultationem infundis.* Tali piscatione capti sunt Constantinus, et alii qui Ecclesias fundaverunt. Psal. cxxv, 6 : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos.*

Est etiam *altum intelligentiæ spiritualis*, in quod rete aliquando ducendum. Eccli. i, 2 : *Profundum abyssi quis dimensus est?* supple, nisi sapien-

tia Dei. Job, xxviii, 11 : *Profunda fluviorum scrutatus est, et abscondita in lucem produxit.* Altum autem et profundum est idem, ut dicitur in *Prædicamentis*. Hoc est altum sapientiæ, ubi in abditis habitant sapientes, qui *Philosophi* vocantur : qui aliquando capti, multa bona Ecclesiæ contulerunt : sicut Augustinus, et Ambrosius, et alii. Circa littus autem non habitant nisi ranæ loquacitatem habentes, et nullam sapientiam. Eccli. xxiv, 7 : *Ego, scilicet sapientia, in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis.* Proverb. viii, 12 : *Ego sapientia, habito in consilio, et eruditus intersum cogitationibus.* Hic ergo piscandum est ad capiendos sapientes. I ad Corinth. ii, 6 : *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Unde Paulus, cum esset sapiens, accepto Spiritu, vas electionis est factus <sup>3</sup>. Cujus causa est, ut dicit Hieronymus, quia Scripturarum erat armarium.

Tertium *altum* est *conversationis*, in quo trahens rete piscator capit viros magnos virtutis honore : sicut fuit Cornelius, qui ante cognitionem fidei dicitur fuisse vir religiosus, et faciens elemosynas <sup>4</sup>. Et postea ad informationem aliorum, unus talium pro multis computatur. Eccli. xlii, 6 : *Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis.* Jerem. xxxi, 23 : *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* Mons enim dicitur propter altitudinem. Jerem. xvi, 16 et 17 : *Ecce ego mittam piscatores multos, et piscabuntur eos : et post hæc mittam eis multos venatores, et venabuntur eos de omni monte, et de omni colle, et de cavernis petrarum : quia oculi mei super omnes vias eorum.* Montes sunt excelsa virtutum culmina : colles hi qui sunt status inferioris : cavernæ occulta conscientiarum.

Est item *altum contemplationis* : quia

<sup>1</sup> Cf. Sapient. viii, 1.

<sup>2</sup> Psal. lxxviii, 3.

<sup>3</sup> Cf. Act. ix, 1 et seq.

<sup>4</sup> Cf. Act. x, 1 et seq.

quidam sunt qui non desiderant nisi contemplationis statum. Et si illum inveniunt, in verbo Dei capiuntur: si non inveniunt, avertuntur. In hoc ergo altum ducendum aliquando est rete, in profundo sapientiæ divinæ piscando. Matth. xvii, 4: *Domine, bonum est nos hic esse*, in alto scilicet Thabor, ubi transfiguratus cernitur Dominus. *Si vis, faciamus hic tria tabernacula*. Thabor, *venientis lux* interpretatur. Psal. lxxv, 5: *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis*. Mare autem est abyssus divini luminis, tamquam quoddam pelagus infinitum. Eccli. xxiv, 6: *Ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens*.

Sic ergo « *duc in altum*. »

« *Et laxate retia vestra in capturam*. »

Hic dicit de retibus laxatis in capturam. Laxatio autem retium, est ordinata retium dilatatio. Et dicit pluraliter de retibus: quia duo sunt, sermo scilicet sacræ prædicationis, et sermo fortissimæ disputationis. De primo dicitur, II ad Timoth. iv, 2: *Prædica verbum, inste opportune, importune*. De sermone disputationis, Act. ix, 29, Paulus *loquebatur Gentibus, et disputabat cum Græcis*.

Hæc autem retia laxantur, quando ad conclusionem omnium pro captu singulorum dilatantur. Laxantur quando ab auctoritatibus Scripturæ ad alias doctrinas sæculares quæ theologiæ ancillantur, extenduntur. Retia iterum laxantur, quando ea quæ proponuntur, congruis similitudinibus declarantur. Retia tandem laxantur, quando non arcta et stricta facienda proponuntur, sicut consilia, sed etiam laxa quæ infirmi perficere possunt, injunguntur.

De prima quidem laxatione dicitur, Matth. xiii, 47 et 48: *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti. Quam cum impleta esset educentes, et*

*secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt*.

De secunda laxatione dicitur. Isa. vi, 6 et 7: *Volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum*. Calculus enim significat auctoritatem ignitam in altari Scripturæ Spiritus sancti. Forceps autem duorum brachiorum clavo confixorum, significat rationem, quæ divinis et humanis se juvat, secundum quod duas partes habet, superiorem quæ divinis, et inferiorem quæ humanis se juvat clavo veritatis affixa.

De tertia laxatione multa in Evangelio suppetunt exempla, Matth. xiii, 11: *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est datum, sed in parabolis*. Psal. lxxvii, 2: *Aperiam in parabolis os meum*. Proverb. i, 6: *Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum et ænigmata eorum*.

De quarta laxatione dicitur, Matth. xi, 30: *Jugum meum suave est, et onus meum leve*. Joan. v, 3: *Mandata ejus gravia non sunt*.

Sic ergo laxatur rete in piscium, hoc est, hominum capturam, quando singulis prout competit proportionatur. I ad Corinth. ix, 22: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*. Ibidem, x, 32 et 33: *Sine offensione estote Judæis, et Gentibus: ... sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant*.

« *Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete*. »

Ecce humilis injuncti officii excusatio cum obedientia devota. Et ideo duo hic dicuntur.

Excusatio est in hoc quod respondit Simon, et dixit : *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.* »

Tangit autem quatuor. In Christo quidem potestatis et auctoritatis ad præciendum professionem, cum dicit : « *Præceptor.* »

Tangit etiam congrui ad capiendum temporis per transitionem, quando dicit : « *Per totam noctem.* »

Tangit tertio, laboris insudationem, cum dicit : « *Laborantes.* »

Tangit quarto totius studii cassationem, cum adjungit : « *Nihil cepimus.* »

Attende autem quantum ad expositionem litteræ, et in commendationem miraculi. Pisces qui non sunt valde parvi de die latent in profundo, et de nocte de profundo moventur ad ripam, propter calorem, et propter pastum : et ideo de nocte facilius capiuntur quam de die. In miraculo autem de die capti sunt, in motu de profundo ad superficiem, et ad ripam, quod est contra consuetudinem. Et est ad miraculi commendationem.

Inter quatuor quæ hic dicta sunt, primum est potestatis et auctoritatis professio, quod pertinet ad fidem. Est enim *Præceptor*, qui præcepta et principia dat vivendi. Esther, XIII, 9 : *Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati.*

« *Per totam noctem.* » Quasi dicat : Congruum quidem ad capiendum tempus pertransivit.

Moraliter autem nox, est obscuritas peccati, legis veteris caligo, et umbra tribulationis hujus mundi : in quibus noctibus nihil capitur.

De obscuritate peccati dicitur, Job, III, 6 et 4 : *Noctem illam tenebrosus turbo possideat,...* et, *Non illustretur lumine.* Quod autem nihil capitur fructuosum in ea, ad Roman. VI, 21 : *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est.*

De nocte autem quæ est caligo veteris

legis, ad Roman. XIII, 12 : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum.* Et quod nihil captum sit, ad Hebr. VII, 19 : *Nihil ad perfectum adduxit lex.*

De nocte tribulationis hujus vitæ, Sapient. XVII, 5 : *Ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant noctem illam horrendam.* Quantumcumque boni fiat in tribulationibus hujus mundi, et quotcumque bona exempla demonstrantur, non illuminatur mundus. In ista autem nocte etiam nihil capitur fructuosum. Psal. LXXV, 6 : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Joan. XXI, 3 : *Ascenderunt in navim, et illa nocte nihil prendiderunt.*

Sic igitur de duobus simul dictum est, et quia tempus transiit, et quia casso labore sudatum est : tamen labor maximus impeditur, et ille cum tempore quod utiliter occupandum erat perditur. Sapient. V, 7 : *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus per vias difficiles.*

Temporalia enim cum labore vix tamen acquiruntur et raro, cum timore et quasi sine fructu possidentur, cum dolore præter voluntatem quotidie perduntur. De acquisitione, Eccle. IV, 8 : *Unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis.* Genes. III, 19 : *In sudore vultus tui vesceris pane.* Et, Ibidem, IV, 12 : *Cum operatus fueris terram, non dabit tibi fructus suos.* Cum timore etiam possidentur, Job, XV, 21 : *Sonitus terroris semper in auribus illius : et cum pax sit, ille insidias suspicatur.* Levit. XXVI, 36 : *In regionibus hostium terrebit eos sonitus folii volantis.* Cum dolore etiam deferuntur, Eccle. V, 12 et 13 : *Est et alia infirmitas pessima quam vidi sub sole : divitiæ conservatæ in malum domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima.* Unde minus quam nihil capit, qui in la-

bore sudat ut possideat : timorem etiam portat in afflictione. Et ideo dicit Sapiens, Eccle. v, 9 : *Qui amat divitias fructum non capiet ex eis.*

« In verbo autem tuo laxabo rete. »

Ecce devota obedientia. Laxandum enim rete est in verbo Dei : et tunc fructuosus est labor contra spem : sicut apparet per effectum.

Verbum enim Domini omnipotens est secundum posse, lucidum secundum nosse, optimum secundum velle : et ideo efficax est in omni bono fructu, et opere. Secundum primum dicitur *verbum virtutis*, secundum secundum dicitur *verbum veritatis*, secundum tertium dicitur *verbum amoris*. Et ideo facit quæcumque voluit, et prosperatur in his ad quæ mittitur. De primo, ad Hebr. 1, 3 : *Portans omnia verbo virtutis suæ.* De secundo, Joan. xvii, 17 : *Sermo tuus veritas est.* De tertio, Psal. cxviii, 140 : *Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud.*

Per primum pisces in rete compellit, per secundum in rete viam ostendit, per tertium piscis captus et tractus non resistit. De primo dicitur, Jerem. xxiii, 29 : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petram?* De secundo, Joan. vii, 46 : *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* De tertio, Proverb. xvi, 21 : *Qui dulcis eloquio est, majora percipiet.* Hoc enim rete incantat pisces, ut in ipso sponte se involvant. Sic dictum est, Joan. xxi, 6 : *Mittite in dextram navigii rete, et invenietis.* Sic enim in verbo potenti, sapienti, et dulci, rete in dextram mittitur.

« Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam : rumpebatur autem rete eorum. »

Et annuerunt sociis qui erant in

alia navi, ut venirent, et adjuvarent eos. Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur. »

Ecce hic tangitur miraculi perfectio.

Tanguntur autem hic tria : miraculum, miraculi magnitudo, et stupor videntium, et præcipue Simonis.

De miraculo dicit : « *Et cum hoc fecissent,* » hoc est, ad verbum Domini rete laxassent. Luc. xxi, 33 : *Verba mea non transibunt.*

« *Concluserunt piscium multitudinem copiosam.* » Salutaris conclusio ad salutem concludi in reti Apostolico. Eccli. vi, 25 : *Injice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum.* Psal. cxlix, 8 : *Ad alligandos reges eorum in compedibus.* Isa. xlv, 14 : *Vinctis manibus pergent : et te adorabunt, teque deprecabuntur.* Copiosa autem est multitudo, quæ exuberat. Sic rete Petri facit usque hodie in captura piscium ad littus æternitatis pertinentium. Joan. xxi, 11 : *Plenum magnis piscibus.* Matth. xiii, 47 : *Ex omni genere piscium congreganti.* Deuter. xxxiii, 19 : *Inundationem maris quasi lac sugent, et thesauros absconditos arenarum.* Arena enim dimissa, quæ significat frigidus et graves : et aqua colata, quæ significat frigidam mundi consolationem : thesaurum trahit ad littus, hoc est, pertinentes ad regnum Dei trahit in solidum stabilitatis æternæ.

« Rumpebatur autem rete eorum. »

Ecce de magnitudine miraculi. Videtur autem contrarium, Joan. xxi, 11 : *Cum tanti essent, non est scissum rete.*

RESPONSIO : Rete Petri quoad fidem semper manet, sed quoad trahentes aliquando scinditur : sicut in circumcissione scissum est quoad trahentes Judæos, qui exiverunt donec in finem, in quo ad rete redibunt, et salvi fient. Et hæc ruptura

dispensatoria est ut plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret. Isa. x, 21 : *Reliquiæ convertentur*. Ad Roman. xi, 25 et 26 : *Cæcitas ex parte contingit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret : et sic omnis Israel salvus fieret.*

Et hoc est quod dicit, quod « *rumpebatur rete eorum* » qui in circumcissione piscabantur.

Ideo,

« Et annuerunt, »

Vocando eos, « *sociis suis*, » qui apostolatum in Gentes acceperant, « *ut adjuvarent eos*. » Proverb. xviii, 19 : *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma*. Argumentum est hic, quod cum Prælati per se rete trahere non valet, potest vocare alios qui non sunt de navi eadem, hoc est, de sua Ecclesia, ut juvent eum. Ad Galat. ii, 9 : *Dextras dederunt mihi, et Barnabæ societatis.*

« *Ut venirent*, » per unitatem fidei, « *et adjuvarent eos*, » verbo prædicationis, et cura regiminis, et parte sollicitudinis. II ad Corinth. i, 7 : *Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis*. I ad Corinth. iii, 9 : *Dei enim sumus adjutores.*

« Et venerunt. »

Apocal. xxii, 17 : *Spiritus et sponsa dicunt : Veni : et qui audit, dicat : Veni.*

« *Et impleverunt ambas naviculas*, » circumcissionis, et præputii. Vel « *ambas naviculas*, » actionis, et contemplationis. Vel, « *ambas naviculas*, » geminæ charitatis, vel idiotæ, et cleri.

« *Ita ut pene mergerentur.* » Joan. xxi, 6 : *Non valebant illud trahere præ multitudinem piscium*. Ezechiel. xlvii, 9 : *Erunt pisces multi satis.*

« *Ita ut pene mergerentur.* » Non enim mergitur Petri navicula, licet periclitetur

aliquando. Matth. xii, 30 : *Videns ventum validum, scilicet venientem, timuit : et cum cæpisset mergi, clamavit, dicens : Domine, salvum me fac*. Mersio autem significat persecutionem excitatam in naviculam circumcissionis, et in naviculam præputii, et in omnem diversitatem navicularum. Quia, sicut dicit Apostolus, II ad Timoth. iii, 12 : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*. Psal. lxxviii, 2 et 3 : *Intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia, etc.*

« Quod cum videret Simon Petrus, procedit ad genua Jesu, dicens : Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. »

Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant :

Similiter autem Jacobum et Joannem, filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. »

Tangitur hic stupor videntium ad fidem ædificans, et maxime Simonis, cujus hic universale construitur regimen, cum plenitudine suæ potestatis.

Tanguntur autem hic duo : admiratio videlicet, et admirantium instructio.

Admiratio autem in Simone et in adjutoribus Simonis.

In Simone quidem tanguntur confessio humilitatis, et confusio : et secundo, tangitur causa confusionis, et humilitatis.

In confusione autem sunt tria : attentio facti, reverentia Domini, et confusio sui.

Attentionem notat in hoc quod dicit : « *Quod cum videret Simon Petrus* : » qui non adhuc *Petrus* dicebatur : et ideo nomen adhuc imponendum hic per anticipationem ponitur. Trinomius enim erat. Primo enim Simon dicebatur, dein-

8

9

10

de Cephas <sup>1</sup>, quod interpretatur *caput*, et tertio dictus est Petrus <sup>2</sup>. Per obedientiam enim veniendum est, quod aliquis ponatur in capite et non in cauda. Per regimen autem et virtutes capitis in sensu sapientiæ, et motu providentiæ, et gubernationis, veniendum est ad hoc quod ponatur in fundamento solido fidēi et Ecclesiæ. Sic enim Ecclesia fundatur in montibus sanctis <sup>3</sup>. Visus autem notat miraculi attentionem : quia sua specialis fuit ista eruditio, sicut patebit in sequentibus, et significatum est, Deuter. xxxii, 11 : *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans.* Ut ex factis potestate Patris instructionem accipiant, Luc. ix, 44 : *Ponite vos in cordibus vertris sermones istos.*

« Procidit ad genua Jesu. »

Ad Ephes. iii, 14 et 15 : *Flecto genua mea ad Patrem, ... ex quo omnis paternitas in cælis et in terra nominatur.* Procidit enim, est idem quod pronus cecidit. Tamen quia ad genua procidit, et non ad pedes, fuit iste procubitus genuflexio exhibita in signum reverentiæ, et quod ab ipso esset ad altius promovendus. Mich. vi, 6 : *Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso.*

« Dicens : Exi a me. »

Non refutat Petrus vicinitatem Domini, sed se tanto officio, quantum in mysterio significatur miraculi, reputat indignum, et alii injungendum meliori se, non considerans dispensationem sapientiæ divinæ vocantis. Et sic aliquid hu-

manum passus est ex confusione stuporis. Et ideo a Domino non est reprehensus, sed confortatus : sicut et Moyses <sup>4</sup>, et Jeremias <sup>5</sup>, et Isaias <sup>6</sup>. Sicut enim modo confusus stupore, non secundum scientiam locutus est, ita fecit ex deliciis acceptis in monte se volens subducere labori regiminis, quando dixit : *Bonum est nos hic esse : et faciamus tria tabernacula, etc., nesciens quid diceret* <sup>7</sup>. Absorpus etiam charitatis zelo, ad Dominum dixit : *Absit a te, Domine : non erit tibi hoc*. Volens impedire Passionem in damnum redemptionis totius mundi redundantem. Sic aliquando a Joanne diligenter ex zelo vindictæ indiscretæ investigavit proditorem <sup>8</sup>, volens interficere Judam ne prodat Dominum, ad omnibus utilem passionem. Sed hic indiscrete loquens est confortatus. In monte autem loquens indiscrete, est dissimulatum. Contra Passionem loquens, est acriter reprehensus. Proditorem autem investigans, proditor remansit occultus non indicatus. Percutiens etiam servum pontificis capientem Dominum, est reprehensus. Ostendit autem Dominus in hoc humilitatem et pusillanimitatem esse ad majora confortandam : delicias autem spiritus, etsi aliquid ignorantia habent, non esse extinguendas sed dissimulandas : zelum autem vindictæ esse reprehendendum et reprimendum, præcipue in Prælato : zelum autem et amorem corporalem penitus esse et acriter reprehendendum. II ad Corinth. v, 16 : *Nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Confusionis autem subjungit causam cum dicit :

<sup>1</sup> Joan. i, 42 : *Tu es Simon, filius Jona : tu vocaberis Cephas (quod interpretatur Petrus).*

<sup>2</sup> Matth. xvi, 18 : *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, etc.*

<sup>3</sup> Psal. lxxxvi, 1 : *Fundamenta ejus in montibus sanctis.*

<sup>4</sup> Exod. iii, 11 et seq.

<sup>5</sup> Jerem. i, 6 et seq.

<sup>6</sup> Isa. vi, 5 et seq.

<sup>7</sup> Luc. ix, 33.

<sup>8</sup> Matth. xvi, 22.

<sup>9</sup> Cf. Joan. xiii, 23 et seq.



« Quia homo peccator sum, Domine. »

Et est indiscretæ sermo humilitatis. Matth. ix, 12 : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus* : et ideo Jesus erat vocandus, non expellendus. Luc. vii, 37-50, mulier peccatrix accessit ad Jesum, et dimissa sunt ei peccata. Matth. ix, 21 : *Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero*. Sed tamen quia humilitatis fuit ista indiscretio, non redarguitur. Luc. xviii, 13 et 14 : *Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cælum levare, ... et descendit justificatus in domum suam*. Psal. l, 5 : *Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper*.

« Stupor enim, etc. »

Ponit causam confusionis tam in Simone quam in aliis ministris suis qui secum erant in captura piscium, quam etiam in sociis alterius navis et magistris. Est autem stupor cordis insensibilitas ex magnitudine miraculi exorta. Act. ix, 21 : *Stupebant omnes qui audiebant*. Jerem. v, 30 : *Stupor et mirabilia facta sunt in terra*.

Dicitur autem quod « *circumdederat eum* : » quia, sicut supra diximus, perstrinxit eum intra seipsum undique magnitudo miraculi : in præterito considerans tempus capturæ, in quo nihil captum est in eodem loco : supra se considerans efficaciam sermonis Domini : sub se videns obedientem voci ejus creaturam maris : a lateribus undique socios nihil cepisse, sicut nec prius. Et ideo undique surgit admiratio. Isa. lx, 5 : *Tunc videbis, et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit sibi*.

« *Et omnes qui cum illo erant,* » tamquam ejusdem navis ministri, « *in captura piscium*. » Ezechiel. xlvii, 10 : *Plu-*

*rimæ species erunt piscium ejus, sicut pisces maris magni, multitudinis nimis.*

« Similiter autem Jacobum et Joannem, filios Zebedæi, »

Qui etiam postea facti sunt piscatores hominum, « *qui erant socii Simonis,* » in captura piscium, et in loco piscationis : quia talem locum habebant vel hæreditario jure, vel pro censu conducebant ad piscandum. Et Petrus et Andreas habebant medietatem unam : Zebedæus autem cum filiis, Joanne et Jacobo, habebant partem aliam : pisces ex æquo dividentes. Omnes enim illi mirati sunt, et per miraculum ad fidem ædificati.

« Et ait ad Simonem Jesus : Noli timere : ex hoc jam homines eris capiens. »

Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum. »

Ecce hic ponitur instructio, propter quam tota introducitur historia. Adhuc enim carnales erant Apostoli : et oportuit quod ex corporalibus quæ noverunt et quorum usum habuerunt, paulatim ad intellectum spiritualium deducerentur. Et hoc bene significatur in Canticis, vii, 8, ubi dicitur : *Dixi : Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus*. Qui enim ascendit, primo inferiora apprehendit, quibus ad altius nititur : et postea media, et sic per omnia media venit ad alta : et tandem stat exaltatus in palma, et decerpit dulcedinis fructum. Et sic est de carnalibus ad spiritualia ascendere. Primo corporalia per similitudines ad spiritualia referre, et sic continuo studere quousque spiritualia per seipsa possit accipere. Ista est scala Ja-

cob quæ in una parte stat in terra, et in cacumine tangit cælum <sup>1</sup>.

« Noli timere. »

Tria hic dicuntur : confortatio, et instructio, et confortationis et instructionis plenus et intentus effectus.

De confortatione dicit : « *Noli timere,* » tuam scilicet parvitatem, quia ego te faciam magnum : tuam indignitatem, quia te faciam dignum : tuam infirmitatem, quia ego te faciam potentissimum : tuam rusticitatem, quia ego te faciam eruditum et doctum in omni scientia et sapientia spiritus.

De primo horum, I Reg. II, 8 : *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.* II Reg. VII, 9 : *Feci tibi nomen grande, juxta nomen magnorum qui sunt in terra.*

De secundo, Apocal. V, 10 : *Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes.* Et ita dignos, II ad Corinth. III, 6 : *Idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti, non littera, sed spiritu.*

De tertio, Matth. XVI, 19 et 18 : *Tibi dabo claves regni cælorum : ... et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, scilicet Ecclesiam.*

De quarto, Matth. X, 20 : *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Eccli. XV, 3 : *Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum.*

« Et hoc jam, »

Scilicet tempore, « *homines,* » pro piscibus « *eris,* » non es, quia promittit in futurum ut ad hoc se disponat, « *capiens,* » de profundo amaritudinis mundi, ad siccum solidi bonæ vitæ : ejiciens in receptacula mansionum cælestium congregandos. Habacuc, I, 14 : *Facies ho-*

*mines quasi pisces maris.* Ezechiel. XLVII, 10 : *Stabunt super illas piscatores, ab Engaddi usque ad Engallim siccatio sagenarum erit.* Engaddi, *fons hædi vel tentationis* interpretatur. Et est habitatio peccatorum, qui capiendi sunt de aquis voluptatum. Engallim autem *fons mundantis* interpretatur. Et est habitatio eorum qui se sæculari virtute mundos æstimant : qui etiam non perfecte justificantur, nisi in rete Simonis et suorum adjutorum justitiam capiendam retorqueant. Quia de nostris justitiis dicitur, Isa. LXIV, 6 : *Quasi pannus menstrualæ universæ justitiæ nostræ.* Ad Roman. X, 3 : *Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*

« Et subductis. »

Ecce effectus. « *Ad terram navibus,* » et custodiæ traditis : eo quod adhuc animum habent ad sua redeundi. Tribus enim vicibus, et ad tria sunt vocati Apostoli. Primo vocati sunt ad Christi notitiam <sup>2</sup>, ubi venerunt et manserunt apud eum, acquirentes notitiam ipsius. Secundo, per miraculum istud hic vocati sunt in ejus familiaritatem : et tunc adhuc locaverunt naves, animo, redeundi ad ipsas. Tertio, ad discipulatum et promissionem apostolatus vocati sunt : et ex tunc ad sua non redierunt. Matth. IV, 19 et 20 : *Venite post me, et faciam vos fieri pisces hominum. At illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum.* Unde cum quibusdam redeuntibus, diceret eis Jesus : *Numquid et vos vultis abire ?* dicit Petrus : *Ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes .*

« *Relictis omnibus,* » nondum opere, sed proposito. Matth. XIX, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia.* Deuter. XXXIII, 9 : *Qui dixit patri suo et matri suæ : Nescio vos : et fratribus suis :*

<sup>1</sup> Cf. Genes. XXVIII, 12.

<sup>2</sup> Cf. Joan. I, 40 et seq.

<sup>3</sup> Joan. VI, 68 et seq.

*Ignoro vos : et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum.*

« Secuti sunt eum. »

Eccli. xxiii, 38 : *Gloria magna est sequi Dominum.* Job, xxiii, 11 : *Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodiavi.*

Sequentes autem Dominum omnia relinquunt quatuor de causis : quarum una est, ut ostendant se omnem sufficientiam in eo habere. Tobiaë, x, 5 : *Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis.* II ad Corinth. ix, 8 : *Ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* Augustinus : « Dives est Christiana religio, quæ in omnium possessore omnia possidet. » Beatus Bernardus : « Non est inutilis commutatio, pro Christo omnia reliquisse. Nam cum eo omnia donantur : et ubi eum apprehenderit, erit unus ipse in omnibus. »

Secunda causa est, ut de nullo nisi de eo curent. Psal. lxxii, 25 : *Quid enim mihi est in cælo, et a te quid volui super terram ?*

Tertia causa est, quia aliter miles regi, et membrum capiti non conformatur. Matth. viii, 20 : *Vulpes foveas habent et volucres cæli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.*

Quarta causa est, quia ipse sollicitus est pro sequentibus, et ideo non oportet eos sollicitos esse de aliquo. I Petr. v, 7 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Psal. liv, 23 : *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet.*

Retardantia autem a sequela Domini et a dimissione omnium sunt tria : amor fruitionis præsentium, et nulla fides, et spes futurorum. Sapient. ii, 2 et 6 : *Ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tamquam non fuerimus.... Venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt, etc.* Isa. xxii, 13 : *Comedamus, et bibamus : cras enim moriemur.* Numer. xxxii, 19 :

*Nec quidquam quæremus trans Jordanem : quia jam habemus nostram possessionem in orientali ejus plaga, hoc est, in præsentia vita.*

Secundum est amici, et cognati, et carnales. Genes. xxiv, 55 : *Maneat puella saltem decem dies apud nos, et postea proficiscetur.* Genes. xxxi, 23 et seq., Laban insecutus est Jacob, et quantum potuit revocavit. Judicum, xix, 4 et 5 : *Mansit gener in domo soceri tribus diebus, comedens cum eo et bibens familiariter. Die autem quarto, de nocte consurgens, proficisci voluit. Quem tenuit socer, et ait ad eum : Gusta prius pauillum panis, et conforta stomachum, et sic proficisceris.* Et ideo in via hospitio caruit, et uxor libidine incredibili vexata, mortua est. Eccli. xxxvii, 7 : *Noli consiliari cum eo qui tibi insidiatur, et a zelantibus te absconde consilium.*

Tertium autem est vitæ vel sui status stulta securitas. II Reg. xix, 33 et 37, dixit David ad Berzellai : *Veni mecum, ut requiescas securus mecum in Jerusalem.* Et ait Berzellai ad regem : *Obsecro ut revertar servus tuus, et moriar in civitate mea.*

His igitur non impediuntibus retribus (quasi retinentibus) sed relictis, *secuti sunt eum.*

« Et factum est, cum esset in una civitatum, et ecce vir plenus lepra, et videns Jesum, et procidens in faciem, rogavit eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare. »

Hic post universale regimen et potestatis plenitudinem, inducit ordinationem potestatis clavium.

Et quia sunt duæ claves, quarum una prior est potestas discernendi inter leprosum et non leprosum, et lepram et lepram : et hanc ordinat primo, quia prior est. Et secunda est potestas ligandi et solvendi a peccato, et hanc ordinat

consequenter in miraculo sequenti. Et sic patet ordo ad præcedens et ad sequens, et penes quid inducuntur miracula et historiæ. Matthæus autem inter quatuor inducta primum ponit miraculum de leproso, et secundo de dæmoniaco, et tertio de socru Petri, et quarto de paralytico<sup>1</sup>. Et innuit quædam Glossa ordinem penes claritatem miraculorum. Cum enim separatio dæmonis sit tamquam separatio lucis a tenebris, dicit quod hoc secundum Lucam refertur ad primam Domini illuminationem, qua recreavit mundum, sicut prima die creans mundum separavit lucem a tenebris. Sicut autem in creatione mundi secunda die firmamentum fecit : ita recreans mundum, socrum Simonis firmavit. Et sicut tertio die congregavit aquas in unum : ita tertio recreando fecit miraculum in aquis in captura piscium. Et sicut quarta die mundum illuminavit per solem et stellas : ita recreans mundum, clariore miraculo coruscare fecit, recreans mundum in sanatione leprosi. Hæc autem Glossa nihil valet : sed ratio ordinis est propria Lucæ, quam diximus, in ordinatione potestatis ecclesiasticæ.

Habet autem hæc pars tres partes : in quarum prima ponitur locus opportunus miraculo : in secunda, ponitur miraculi expostulatio : et in tertia, miraculi perfectio et illuminatio fidelium de potestate clavis ecclesiasticæ quam hic adstruere intendit.

Dicit ergo :

« Et factum est. »

Sicut a Deo præfinitum fuerat, ita est perfectum. Act. iv, 28 : *Convenerunt... facere quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri.*

« *Cum esset in una,* » singularis dignitatis, « *civitatum,* » quæ est Capharnaum, quæ *sua civitas* aliquando dicitur : non quod ibi conceptus vel natus vel nutritus sit, sed quia eam pluribus

suis miraculis suam et claram fecerat, et in laudem nominis sui comparaverat : sicut et Jerusalem dicitur *civitas David* : quia eam expugnaverat, et claram reddiderat multa sua frequentia, et ædificiis, et habitatione. Videtur autem contrarium ei quod dicitur, Matth. viii, 1 et 2, ubi dicitur, quod descendente Jesu de monte, *ecce leprosus veniens, adorabat eum,* etc. RESPONSIO. Et mons adjacens et plana inter civitatem et montem, de territorio sunt civitatis : et ideo dicitur esse in civitate, quando fuit in territorio inter suburbana et vicos et pagos et rura et villas civitatis.

Hoc ergo est quod dicit : « *Cum esset in una* » singulari « *civitatum,* » Galilææ, quæ est Capharnaum. Et forte usque ad occursum leprosi, civitas quoad cives ei exierat obviam. Sicut dicitur, Matth. xxi, 10 : *Commota est universa civitas* : quia cives sunt commoti. Ita hic inter occursantes cives existens in civitate esse dicitur. Ibi autem opportunus locus erat miraculi ut plures ædificarentur. Matth. v, 16 : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona,* etc.

« Et ecce vir, etc. »

Ecce miraculi expostulatio. Expostulando autem miraculum facit quatuor : præsentationem, intuitionem, prostrationem, et orationem.

Præsentationem sui significat cum dicit : « *Et ecce vir plenus lepra.* » Leprosus est idem quod *plenus lepra* : quia nomina in *osus* desinentia secundum Priscianum plenitudinem significant. Dicitur tamen *plenus lepra*, quia tam intus quam extra plenus erat. Quamvis enim lepra ab interioribus visceribus ex melancholia in exteriores fontes membrorum procedat, tamen extra citius et plus apparet propter exteriorum debilitatem membrorum : quia interiora vitia

<sup>1</sup> Cf. Matth. viii, 1 et seq.

cordi et hepatis plus a se expellunt humorem quam exteriora. Hic dicitur *plenus*, quia jam corruptio etiam ad superiora processerat. Et secundum hoc iste leprosus vicinus fuit morti ex multa lepræ infectione. Vel forte, cum quadruplex sit lepra, fuit ista quam dicunt *leoninam*, quæ est ex melancholia quæ generatur ex cholera rubea multum adusta, quæ est lepra cum colore croceo cum nigro resperso, quæ rodit multa membra et abscidit usque ad casum a corpore. Hæc enim plenissime habet nomen lepræ, ut sit sensus : « *Plenus lepra,* » hoc est, plena ratione lepræ leprosus : quem etiam alii leprosi abhorrere consueverunt. Et ideo fortassis solus venit, eo quod raro leprosi soli consueverunt ambulare. Isa. LIII, 4 : *Nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum.* Hic ergo talis non abscondens se, desiderio consequendæ sanitatis veniens, coram se præsentavit : sicut dicit Gregorius de Maria peccatrice, quod « non jussa venit, convivantes » non erubuit : » quia enim seipsam graviter erubescere intus, nihil quod foris erubesceret esse putabat. Unde hic seipsum turbis ingessit, ut se conspectui Domini posset præsentare. Audierat eos qui in figura Domini præcesserant leprosos mundasse, IV Reg. v, 9 et seq., in Eliseo qui mundavit Naaman Syrum : et ideo non dubitavit quando sanandus esset ab ipso Domino Prophetarum, si sibi expediret.

« Et videns Jesum, »

Hoc est, intuitus est eum, ut oculis miserabilibus et respectu ad misericordiam provocaret. Psal. XXIV, 13 : *Oculi mei semper ad Dominum : quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* II Paralip. XX, 12 : *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Act.

<sup>1</sup> Cf. ad Roman. v, 12 et vi, 23.

III, 5 : *Intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis.* Et sic iste respexit ad Jesum, ac si diceret illud Threnorum, v, 1 : *Intuere, et respice opprobrium nostrum.* Et illud Numerorum, XII, 12 : *Ecce jam medium carnis ejus devoratum est a lepra.*

« *Et procidens in faciem.* » Et ideo cecidit in vultum, et vidit ubi caderet, quia ante pedes Domini. Psal. CXXXI, 7 : *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* « Quidquid enim patimur, peccata nostra meruerunt, » ut dicit Hieronymus. Per peccatum enim intravit pœna in mundum, et mors : et diabolus auctor est peccati primi<sup>1</sup>. Et ideo scivit ante pedes Jesu esse curandum, si curari debuisset : quia scriptum est, Habacuc, III, 5 : *Egredietur diabolus ante pedes ejus.* Et ideo procidit in faciem. I ad Corinth. XIV, 25 : *Cadens in faciem, ... pronuntians quod vere Deus in vobis sit.*

« Rogavit eum, dicens. »

Ecce oratio. Scivit enim aliis brachiis non posse teneri et cogi Deum, nisi fletu et oratione : et ideo his armatur. Osee, XII, 4 : *Flevit, et rogavit eum.* Sapient. XVIII, 21, Aaron opposuit scutum suum orationem. Eccli. XXXV, 21 : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.*

« Domine, si vis. »

Ecce oratio quæ continet ex fide majestatis confessionem, ex conditione interposita orationis discretionem, ex visis miraculis potentiæ facilitatem. Cum enim Dominus dicat superpositionem, et causa superpositionis non sit nisi divitiæ pulchrorum et honorum, majestatem plenam confitetur cum dicit : « *Domine.* » Jerem. X, 6 : *Non es similis tui, Domine : magnus es tu, et magnum*

*nomen tuum*, etc. Esther, XIII, 11 : *Dominus omnium es*. Psal. VIII, 10 : *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* Psal. LXXV, 10 : *Magnus es tu, et faciens mirabilia : tu es Deus solus.*

« *Si vis.* » Hic interposita conditione ostendit orationis discretionem. Ad Roman. VIII, 26 : *Quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Et est sensus : Non est dubium quin velis omne bonum nostrum. Quia, sicut dicit Dionysius, boni est bona adducere, optimi adducere optima, et unum quodque ad optimum quantum expedit. Sed nescio si mihi expediat. Et si expedit, bene scio quod vis. Et si vis, potes. Et hoc est : « *Si vis.* » Ad Roman. XII, 2 : *Probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.*

« Potes me mundare. »

Potentiam enim habes in facultate quando vis. Sapient. XII, 18 : *Subest enim tibi, cum volueris, posse.* Ad Roman. IX, 19 : *Voluntati ejus quis resistit?* Psal. CXXXIV, 6 : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cælo, in terra, in mari et in omnibus abyssis.* Job, XXIII, 13 : *Anima ejus quodcumque voluit, hoc fecit.*

13

« Et extendens manum, tetigit eum, dicens : Volo, mundare. Et confestim lepra dicessit ab illo. »

Hic ponitur miraculi perfectio.

Et dicuntur duo : perfectio miraculi, et fidelium instructio de miraculo perfecto.

In miraculi perfectione duo sunt : causalitas, et effectus.

Causalitas habet quatuor : virtutis ad operandum protensionem, tactus conjunctionem in operis perfectionem, ac-

tionis facilitatem, obedientis creaturæ mandatis Creatoris subjectionem.

De primo dicit : « *Et extendens manum,* » ut per ipsam notetur virtus in salutem. Matth. XIV, 31 : *Extendens manum, apprehendit eum.* Psal. CXVII, 16 : *Dextera Domini fecit virtutem.*

« Tetigit eum. »

Et iste tactus est ad operis perfectionem : quia quod non tangit, non agit : et si agit, non sequitur alteratio, ut dicit Aristoteles. Luc. VIII, 46 : *Tetigit me aliquis : nam ego novi virtutem de me exisse.* Sicut enim tactu virtutem regenerativam contulit aquis, ita virtutem mundificativam tactu suo contulit leprosis.

Videtur autem contra legem facere, Levit. XIV, 1 et seq., ubi dicitur, quod qui tangit leprosum immundus erit. Adhuc, IV Reg. V, 10, Eliseus non tetigit leprosum, sed verbo curavit. Sed ad hoc dicendum, sicut diximus in Matthæo<sup>1</sup>, quod lex non tangendi leprosum ideo data est, quia lepra morbus contagiosus est : et ideo præcipiuntur non tangi, ne leprosi per factum multiplicentur. Ubi ergo per tactum non fit infectio, sed lepræ curatio, ibi non solvitur lex, sed impletur secundum legislatoris intentionem. Et hoc modo secundum Chrysostomum, ostendit se Christus non contrarium legi, sed super legem ut legis Dominum.

Quod autem objicitur de Eliseo, dicendum quod ipse infirmitatis suæ sibi conscius, habens tamen revelationem a Deo non sanavit, sed ad sacramenti mundantis figuram sanandum misit. Et sic in figura gratiæ sacramentalis Naaman sanatus fuit. Christus autem gratiam mundantem sacramentis non alligavit, sed sacramentis indidit ut medicinis : sibi tamen eam tamquam vera operans retinuit. Et ideo emundationem, quando voluit, et sicut

<sup>1</sup> Cf. Enarrationes in Matthæum, VIII, 3 et 4.

voluit, per seipsum perfecit Tetigit tamen etiam propter humilitatem, t ostenderet neminem esse abhorrendum propter sui corporis immunditiam. Isa. LVIII, 7 : *Car-nem tuam ne despexeris.*

« Dicens : Volo. »

In hoc notat actionis facilitatem, quæ est subjecta voluntati. Esther, XIII, 9 : *Non est qui possit resistere tuæ voluntati, si decreveris salvare Israel.* Voluntas enim sua si est beneplaciti, continuo consequitur effectum.

« Mundare. »

Ecce emundationis præceptum : verbo enim illum curavit. Psal. CVI, 20 : *Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum.* Matth. VIII, 8 : *Dic verbo, et sanabitur puer meus.*

« Et confestim lepra. »

Ecce opus subsecutum. « *Discessit ab eo.* » Non autem discessit nisi causa lepræ, et effectus ejus, et actus, et signa discesserunt. Et hoc, « *confestim,* » supra virtutem naturæ et modum. Quia natura non facit subito : sed potius virtus Dei, quæ est infinita, facit in momento temporis. Verbum enim quod de nihilo fecit creaturas, ut dicit Ambrosius, mutat creaturas prout vult : quod non potest aliqua alia facere potentia vel virtus. Et ideo dicit, Joan. v, 36 : *Ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Joan. xv, 24 : *Si non opera fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Maximæ enim virtutis opus est, exteriora et interiora membra corrupta et amputata restituere et mundare verbo in momento. IV Reg. v, 14 : *Restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, et mundatus est.*

Sic ergo « *lepra discessit ab eo.* »

<sup>1</sup> Cf. IV Reg. v, 27.

« Et ipse præcepit illi ut nemini diceret : sed : Vade, ostende te sacerdoti, et offer pro emundatione tua sicut præcepit Moyses, in testimonium illis. »

Perambulabat autem magis sermo de illo : et conveniebant turbæ multæ ut audirent, et curarentur ab infirmitatibus suis. »

Ipse autem secedebat in desertum, et orabat. »

Hic tangitur de miraculo perfecto fidelium instructio de potestate clavis de qua dictum est.

Tanguntur autem hic duo : instructio, et instructionis fama, et miraculi propagatio in omnes.

Circa instructionem sunt per ordinem tria præcepta : unum cautelæ, secundum obedientiæ, tertium autem devotionis et justitiæ.

Cautelæ præceptum est, « *ut nemini diceret :* » quia, ut dicit Chrysostomus, si ante propalaretur quam a sacerdotibus dijudicaretur, cum sacerdotes jam conceperint invidiam contra Christum, supprimeretur miraculum per sacerdotes. Maxime enim in lepra difficile est iudicium, quia multæ sunt infirmitates similes illi. Alia etiam cautela : quia si divulgaret tamquam dignus habitus tali cura, esset inanis gloria. Et sic forte rediret lepra super eum : sicut propter peccatum lepra Naaman adhæsit Giezi <sup>1</sup>. In hoc etiam formam dedit ne virtutibus nostris gloriam quæramus. II ad Corinth. XII, 1 : *Si gloriari oportet, non expedit quidem.* Jerem. IX, 24 : *In hoc gloriatur qui gloriatur, scire et nosse me.*

« Sed, Vade. »

Ecce præceptum obedientiæ. « *Ostende te,* » detegendo loca lepræ, « *sacerdo-*

ti, » hoc est, principi Sacerdotum et vicariis ejus qui discernere habent inter lepram et lepram, et inter mundatum et non mundatum : sicut dicitur, Levit. xiv, 2 et seq. Et sic est usus clavis in Novo Testamento : quia ad arbitrium sacerdotis leprosus judicabitur et separabitur, vel conjungetur et reconciliatur Ecclesiæ. Et ideo pœnitentiæ sunt arbitrariæ : sicut patet, Levit. xiii et xiv per totum, et in textu, et in Glossa.

« Et offer pro emundatione tua. »

Ecce præceptum tertium, quod est devotionis, et justitiæ, et gratiarum actionis. Devotionis quidem in fervore charitatis ad Deum qui emundavit eum : justitiæ, quia justum est dare sacerdoti qui dijudicavit eum : gratiarum actionis pro bono percepto.

Sic autem ordinanda est littera : « *Offer illis,* » sacerdotibus, « *sicut præcepit Moyses in testimonium pro tua emundatione* » exhibendum. Vel, « *Offer* » oblationem sacerdotibus, « *sicut Moyses præcepit illis* » offerri « *in testimonium* » lepræ mundatæ : quia cum receperint oblationem, non possunt subticere testimonium. Isa. xlii, 8 : *Vos estis testes mei.* Isa. viii, 2 : *Adhibui mihi testes fideles.* Psal. xcii, 5 : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

« Perambulabat autem. »

Ecce divulgatio miraculi per famam : quia non est necesse loqui ubi res clamat. Act. iv, 16 : *Notum signum factum est omnibus habitantibus Jerusalem : manifestum est, et non possumus negare.*

« *Magis sermo,* » per famam : sicut odor de odorifero quanto magis premittitur, tanto magis diffunditur. Cantic. iv, 13 : *Emissiones tuæ paradus,* hoc est, effragrationes tuæ sunt sicut paradus, in quo sunt omnia aromata.

« *Et* » ideo, fama excitante, « *conveniebant multæ turbæ,* » in cor unum et

animam unam, « *ut audirent.* » Quia, sicut dicitur, ad Roman. x, 17 : *Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*

« *Et curarentur,* » per virtutes exeuntes ab eo, « *ab infirmitatibus suis.* » Quia, sicut dicit alias Evangelista, infra, vi, 19 : *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes.*

« Ipse autem secedebat. »

In hoc instruens nos, quod quantumcumque sit utilis occupatio, tamen aliquando ab ea declinandum est ad contemplationem.

Et hoc notat cum dicit : « *Secedebat,* » hoc est, seorsum a turba cedebat, « *in desertum* » locum quietum, « *et orabat,* » affectum pueri coram Patre in secreto exponebat. Sicut enim continuo ad exteriora moto spiritu in vigilia attenuatur spiritus, et inanitur, et destituitur : per somnum autem ad interiora reductus ad fontem spiritus, qui est cor, confortatur et impletur et instauratur : ita est in actione, in qua spiritus distrahitur et hebetatur et debilitatur : in contemplatione autem et oratione ad Deum fontem vivum recurrens, inspissatur, et acuitur, et confortatur. Job, xvii, 1 : *Spiritus meus attenuabitur.* Eccle. xii, 7 : *Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Eccle. i, 6 : *Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur.*

« Et factum est in una dierum, et ipse sedebat docens. » 17

Et erant Pharisei sedentes, et legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, et Judææ, et Jerusalem : et virtus Domini erat ad sanandum eos. »

Hic tangit de secundæ clavis ordinatione.



Tanguntur autem hic duo : quorum primum est qualiter deventum est ad miraculum : secundum autem est perfectio miraculi, et explanatio ad usum Ecclesiasticæ clavis pertinens.

Modus autem deveniendi ad operationem miraculi in duobus est : quorum unum est ex parte Domini, et alterum ex parte infirmi in quo est perfectum miraculum.

Ex parte Domini dicit tria : doctrinam Domini, multitudinem convenientium ad audiendum verbum, et virtutes ad curandos infirmos.

De primo dicit :

« *Et factum est,* » inter cætera infinita quæ fecit, de quibus non fit mentio, quia non probant propositum istius intentionis. Joan. xx, 30 : *Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.*

« *In una dierum.* » Secundum modum loquendi Scripturæ, *una dierum* est prima dierum septimanæ : sicut ibi : *Una autem sabbati, Maria Magdalene venit mane*<sup>3</sup>, hoc est, prima sabbati. Marc. xvi, 2 : *Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum,* hoc est, prima sabbatorum. Hæc autem est dies Dominica in qua Dominus resurrexit. Hanc enim diem etiam in isto (quem a portis utriusque mortis ad utramque vitam reduxit) decoram fecit. Sapient. xvi, 13 : *Deducis ad portas mortis, et reducis.* Porta enim mortis inferni peccatum est, et porta mortis temporalis infirmitas incurabilis est.

In ista ergo die Jesus « *sedebat,* » quiete verbum salutis proponens, « *docens.* » Matth. iv, 23 : *Circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni.*

« Et erant Pharisæi. »

Hic tangit diversitatem ad audiendum

verbum convenientium, et non tangit nominatim nisi eos qui ad observandum eum venerant : quia testimonium ab illis habitum est gloriosius. Pharisæi enim de propria præsumebant justitia, et ideo non audiebant ad ædificationem vitæ. Ad Roman. x, 3 : *Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*

« *Sedentes* » coram eo, cujus doctrinis tamen imbui noluerunt. Eccli. i, 40 : *Accessisti maligne ad Dominum : et cor tuum plenum est dolo et fallacia.*

« *Et legis doctores,* » qui privilegiati erant, sicut approbati in studio solemnium, qui de sapientia sua præsumebant. Abdiæ, x, 8 : *Perdam sapientes de Idumæa, et prudentiam de monte Esau.* I ad Corinth. i, 19 : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobo.*

« Qui venerant. »

Tangit locorum diversitatem unde venerant. « *Ex omni,* » inquit, « *castello.* » Loca munita ad præsidia civium ædificata, *castella* dicuntur : quia castra militum tempore discordiæ ibi habitabant. « *Galilææ,* » quæ est provincia adiacens de potestate Herodis, « *et Judææ,* » quæ procurabatur per Pilatum, « *et Jerusalem,* » ubi fuit religionis metropolis. Et ipsa quidem divisio destructionem imminentem significabat. Luc. xi, 17 : *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.*

« Et virtus erat Domini. »

Ecce secundum, propter quod multi venerunt. Virtus autem est ultimata potentia, cui nihil obstare potest ad agendum. Genes. xviii, 14 : *Numquid Deo quidquam est difficile?* Luc. i, 37 : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

<sup>3</sup> Joan. xx, 1.

« *Ad sanandum eos.* » Osee, xiv, 5 : *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis.* Act. x, 38 : *Pertransivit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo : quoniam Deus erat cum illo.*

**18** « Et ecce viri portant in lecto hominem qui erat paralyticus : et quærebant eum inferre, et ponere ante eum.

**19** Et non inventes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, et per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum. »

Tangitur hic modus veniendi ad miraculum ex parte infirmi.

Tanguntur autem hic tria moventia ad misericordiam impetrandæ sanitatis a bono Domino. Primum est miseria infirmi. Secundum autem, diligentia et studium intercedentium. Tertium autem, solertia infirmum coram Domino præsentantium.

De primo dicit :

« *Et ecce viri :* » quia ita debilis erat quod sibi per fœminas et non robustos ministrari non poterat : et ideo viros oportuit sibi ministrare. Infirmas illa non macerat hominem, sed potius ingrossat et gravat mole maxima laxæ carnis. Et ideo non nisi a viris portari poterat. Et in hoc istius infirmi exaggeratur miseria.

« *Portantes.* »

Secunda exaggeratio. Quia propriis uti membris non poterat, nec ferula, nec beneficio potentiarum moveri : sicut nonnulli paralytici moventur, trahentes se potius quam euntes.

« *In lecto hominem.* »

Ecce exaggeratio tertia. Quia non in gestatorio, in quo sedentes vel discumbentes aliquando portantur : sed in eodem in quo jacuerat lecto, quem infra *grabat* vocat, qui est lectus in quo nihil est mollitiei nisi sub capite. Et dicitur a *graba* quod est caput. Est autem talis lectus talium infirmorum, qui propter infirmitates suas recedere de lecto ad secessum vel urinam non possunt. Et ideo lectisternia sub se a cingulo inferius non habent, sed habent foramina quædam in lectis, quibus vasa supponuntur ad receptionem superfluitatum siccarum et humidarum. Et ex hoc patet, quod magna fuit infirmi hujus miseria.

« *Qui erat.* »

Exaggeratio est quarta, per consignificatum temporis præteriti imperfecti, quod dicit miseriæ continuationem a præterito in præsens : ita quod diu duraverat infirmitas, et adhuc tunc durabat, sicut, Joan. v, 5, triginta et octo annos habens, in infirmitate jacebat quidam in porticu probaticæ piscinæ.

« *Paralyticus.* »

Exaggeratio est quinta per speciem infirmitatis.

Et videtur gravissima fuisse ista paralysis. Est enim ista infirmitas multarum specierum. Aliquando dicitur paralysis sola membri stupefactio ex frigore, vel ex casu, vel ex vulnere, vel ex ligatione causata : per quæ pori spiritus sensibilis et motivi vel constringuntur, vel dissecantur : ita quod ad membrum spiritum sensibilem vel motivum in sensum et motum membri non deferunt. Et hoc non est proprie paralysis, sed potius quæ causatur ex humore frigido abscindente sensum et motum per suum frigus, et inordinate remollit per suum humorem. Hic autem aliquando fluit a nervo aliquo,

orto ab aliquo spondilium, vel capite : et tunc non paralyticat nisi membrum ad quod dirigitur nervus ille secundum Avicennam. Aliquando autem oritur ab ipsa nucha quæ est in spondilibus : et tunc aut oritur in superiori nuchæ, ubi continuatur ad caput : aut ab aliquo spondilium inferiorum. Si in inferiori oritur, non paralyticat nisi quod est sub eo in quo oritur : si autem a superiori, tunc paralyticat totum, præcipue in latere uno præter caput : si autem oritur ab ipsis cerebri ventriculis, paralyticabit totum, etiam cum communicatione faciei et linguæ : et talis videtur fuisse iste paralyticus qui nullius membri usum videtur habuisse. Matth. viii, 6 : *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur.*

Sicut autem per lepram significatur infidelitatis infectio, corrumpens verbi et sacramentorum nutrimentum, et faciens casum membrorum a corpore mystico, secundum Bedam : ita per paralyticum significatur incontinentiæ vitium, quod quidem rationem habet sanam, sed violentia passionis deducitur ad illicitum. Et sic dissolutus est a compage inferiorum virium animæ cum regimine rationis. Jerem. xxxi, 22 : *Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga ?* Paralysis enim tremorem inducit : quia morbo expellente membrum ad partem unam, et virtute debili retrahente in partem alteram, ex impulsu et retractu accidit tremor. Sic dicit Aristoteles de incontinente quem ad ordinem rectum trahit ratio, et a bono concepto per rationem, expellit passio concupiscentiæ : sicut membra paralytice dissoluta. Daniel. v, 6 : *Compages renum ejus, scilicet Balthassar, dissolvebantur, et genua ejus ad se invicem collidebantur. Balthassar absorbens divitias interpretatur, quia incontinentia divitias et totum absorbet. Lectus autem significat deliciarum lasciviam. Amos, vi, 4 : *Væ qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris.* Lectus eburneus est in quo deberet esse decor castitatis, sicut*

Clericorum, et Religiosorum, et aliorum omnium. Et in illo est sæpe incontinentiæ lascivia. « *Hominem* » tamen hunc vocat : quia incontinens rationem habet bonam et sanam, qua homo est homo. Psal. iv, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, hoc est, lumen rationis in quo est imago Dei impressa.* Psal. xxxviii, 7 : *In imagine pertransit homo :* quia hanc non amittit per peccatum. Propter illam ergo incontinens dicitur homo. Unde Aristoteles in VII *Ethicorum* dicit, quod incontinens possidetur a proverbio quo dicitur : Cum aqua suffocat, quid oportet adhuc aquam bibere ? quia tantum bibit concupiscentiæ delectationem, quod ipse iudicio proprio se condemnat : et tamen iterum et iterum victus siti delectationis iterum bibit. Proverb. xxx, 15 et 16, *os vulvæ* est unum de insatiabilibus.

Quatuor autem portantes hunc sunt quatuor secundum intellectum, et quatuor secundum affectum. Secundum intellectum quidem exhortatio honesti, eruditio veri, consilium dubii, et exemplum ad sensum ostensi. Et ideo dicitur, Marc. ii, 3 : *Venerunt ad Jesum ferentes paralyticum, qui a quatuor portabatur.* Secundum affectum autem sunt portantes quatuor cardinales virtutes : prudentia agendorum, fortitudo sustinendorum, temperantia delectabilium, et justitia cum proximo communicandorum : de quibus dicitur, Proverb. xxx, 24 : *Quatuor sunt minima terræ, et ipsa sunt sapientiora sapientibus.* Quia prudentia non decipitur in eligendis ad vitam, fortitudo non dejicitur in sustinendis propter gratiam, temperantia non illicitur in delectationibus propter se tenentem spiritum, justitia non curvatur ad lucrum illicitum propter temporalem quæstum. Isti sunt *viri* dicti : quia vincunt, et primi quatuor in intellectu et vi tuentur, secundi quatuor in affectu. Jerem. xvii, 7 et 8 : *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod transplatur*

*super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.*

« Et quærebant. »

Ecce diligentia : quia multas vias, ad ostium, ad fenestras, ad parietes attentabant.

« *Inferre,* » hoc est, intus ubi erat Jesus ferre, « *ante eum,* » ut lumen oculorum suorum misericordium miseriam ejus adspiceret. Exod. III, 7 : *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus audivi.* Psal. XXIV, 16 : *Respice in me, et miserere mei : quia unicus et pauper sum ego,* hoc est, simpliciter pauper.

« Et non invenientes. »

Ecce solertia eorumdem. « *Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba,* » quæ multos impedit a salute consequenda : sicut, Luc. XIX, 2 et seq., impedit Zachæum qui *quærebat videre Jesum, quis esset : et non poterat præ turba,* quæ significat amicos, et nepotes, et hujus vitæ sollicitudines : quæ turba turbans multos impedit in accessu Salvatoris. Ideo dictum est Abrahæ, Genes. XII, 1 : *Egredere de terra tua, et de cognatione tua.*

« *Ascenderunt supra tectum,* » quod in Palæstina planum esse consuevit, « *et per tegulas* » apertas, « *summiserunt eum,* » funibus, « *in medium,* » domus, « *ante Jesum.* » Domus enim in qua erat Dominus, ut dicit Glossa, tegulis fuit tecta.

Hæc autem domus in qua docens habitat Jesus, ut dicit Glossa, sacram Scripturam significat, quæ est domus disciplinæ, de qua, Eccli. LI, 31 : *Appropiate ad me, indocti, et congregare vos in domum disciplinæ.* Hæc fundamentum habet fidem veritatis, I ad Corinth. III, 11 :

*Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Glossa : Hoc est, fides Christi Jesu. Parietes quatuor habet : exempla Sanctorum, mandata præceptorum, instructionem morum, virtutem a Deo revelatorum, promissiones æternorum habet quasi superius concludentem testudinem. Super hæc habet litteralem sensum tamquam tegulas cuncta tegentem. Et in hac domo latens docet Dominus. Psal. XXXV, 9 : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Psal. CXI, 3 : *Gloria et divitiæ in domo ejus.*

Isti autem quatuor viri solertes quinque faciunt. Portant enim, sublevant, tegulas aperiendo revelant, funibus submitunt, infirmum ante Jesum collocant.

Portant quidem compatiendo, cum ipso patiendo, et adjuvando, Ad Galat. VI, 2 : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Isa. LIII, 4 : *Dolores nostros ipse portavit.* Isa. XL, 11 : *In brachio suo congregabit agnos... fœtas ipse portabit.*

Sublevant autem, exhortando ad meliora, et ostendendo altiora, I ad Corinth. XII, 31 : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Psal. LXIII, 7 : *Accedet homo ad cor altum.* Ezechiel, I, 20 : *Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, et rotæ pariter elevabantur, sequentes eum.*

Tegulas autem aperiunt, Scripturæ velamina tollendo, et Spiritum salutis ostendendo, II ad Corinth. III, 16 et 17 : *Cum conversus fuerit quis ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem spiritus est.*

Submittunt autem, humilitatem docendo, Eccli. III, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Jacob, IV, 6 : *Humilibus dat gratiam.*

Ante Jesum collocant, confitendo, intercedendo. Isa. XLIII, 26 : *Narra si quid habes ut justificeris.* Josue, VII, 19 : *Confitere, atque indica mihi quid feceris.* De intercessione, Jacob, V, 16 : *Orate pro invicem ut salvemini.*

Sic ergo ventum est ad miraculum.

20

« Quorum fidem ut vidit, dixit : Homo, remittuntur tibi peccata tua.

21

Et cœperunt cogitare Scribæ et Pharisei, dicentes : « Quis est hic, qui loquitur blasphemias ? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus ? »

Hic tangitur de miraculi perfectione secundum tria, scilicet, ex parte facientis, ex parte infirmi, et ex parte probationis et utilitatis miraculi.

Ex parte facientis dupliciter : ex parte quidem removentis contrarium, et ex parte perficientium ipsum miraculum.

Ex parte removentis contrarium tangit tria : verbum proprie causam tangens sanitatis, murmurationes contradictionis, et invictam rationem repressionis murmuris.

Verbum tangens propriam causam sanitatis dicit : « *Quorum fidem,* » scilicet virorum intercedentium et portantium eum et præsentantium, « *ut vidit,* » oculo approbationis. Psal xxxi, 8 : *Firmabo super te oculos meos.*

« *Dixit,* » motus fide intercessorum. Luc. vii, 48 : *Fides tua te salvam fecit.*

Dicit autem Glossa interlinearis quod multum valet fides propria, ubi salutem impetrat fides aliena. Fides autem aliena non salvat nisi in sacramento baptismi a peccato alieno, quod contractum est cum natura. Hic autem non est contractum sed factum peccatum. Ergo non sufficit fides aliena. RESPONSIO. Fides aliena sufficit hic intercedendo, non operando, sicut in baptismo, ubi operando confert salutem : hic autem intercedit pro eo, sicut Stephanus pro Paulo. Et ita intelligitur Glossa.

« Homo. »

Ecce verbum quod est occasio murmuris. Dicit autem : « *Homo,* » quia id

quod facit hominem sanum habet ut diximus. Matth. ix, 2, dicitur : *Confide, fili.* Et filium nominat propter sanam in eo imaginem rationis : quia etiam paralysis non communicat cum capite, cum quo si communicaret faceret apoplexiam.

« Remittuntur tibi peccata tua. »

Ecce infirmitatis propria cura. Quia peccatum causaverat infirmitatem, ideo oportet præcidi causam, vel non curabitur infirmitas. Jacob. v, 15 : *Oratio fidei salvabit infirmum :... et si in peccatis sit remittentur ei.*

Quatuor autem sunt in peccato quæ solus Deus dimittit : tenebras quidem quas incurrit homo per aversionem ab incommutabili bono, culpam quæ est crimen quam committit contra gratiam benefici, maculam quam incidit in læsione et diminutione naturalis boni, et reatum qui est obligatio ad pœnam æternam. Isa. xliii, 25 : *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.* Tenebras pellit lumine suæ veritatis, culpam autem per collationem gratiæ et virtutis, maculam reintegrando et consolidando vulnera boni naturalis, reatum autem per misericordiam infinitæ suæ bonitatis, qua non vult mortem peccatoris.

« Et cœperunt cogitare. »

Ecce murmuratio, propter metum turbæ in publicum non procedens. Sicut enim dicit Ambrosius, « invidia timere » potest, credere bonum de eo cui invidet non potest. »

« *Scribæ,* » præsumptione scientiæ legis, « *et Pharisei,* » præsumptione falsæ justitiæ. Matth. xxiii, 13 et seq. : *Væ vobis, Scribæ et Pharisei hypocritæ.*

« Quis est hic qui loquitur blasphemiam ? »

Blasphemia est impositio falsi in

Deum : quæ duobus modis fit, vel quando Deo attribuitur quod non convenit, vel quando aufertur ab eo quod sibi soli convenit, sicut hic : quia sibi soli convenit remittere peccata. Joan. x, 33 : *De bono opere non lapidamus te : sed de blasphemia, et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Matth. xxvi, 65 : *Blasphemavit, quid adhuc egemus tibi ?*

Et hoc est quod sequitur : « *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus ?* » Non crediderunt isti testimonio Joannis Baptistæ, Joan. 1, 29 : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Tamen dicunt verum. Psal. L, 6 : *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci.*

**22** « Ut cognovit autem Jesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos : Quid cogitatis in cordibus vestris ?

**23** Quid est facilius dicere : Dimittuntur tibi peccata ; an dicere : Surge, et ambula ? »

Repressio est murmuris.

Habet autem tria : reprehensionem murmurantium, propositionem miraculi ad iudicium eorum, et divinæ potentiæ demonstratum effectum.

Reprehensio murmuris est ista : « *Quid,* » hoc est, quare « *cogitatis mala* » infidelitatis, « *in cordibus vestris ?* » quasi ego non sim Deus qui toties coram vobis meæ divinitatis probavi virtutem. Isa. i, 16 : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Tamen et in hoc quod respondit cogitationibus eorum, se esse Deum demonstravit. I Reg. xvi, 7 : *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.*

« Quid est facilius dicere. »

Expostulatio iudicii rationis eorum, ut proprio iudicio condemnentur. Luc.

xix, 22 : *De ore tuo te iudico, serve nequam.* Psal. XLIX, 21 : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam.*

« *Dimittuntur tibi peccata :* » quod solius Dei esse dicitis, « *an dicere,* » simplici verbo sine sacramenti operatione, vel orationis, vel medicinæ, sed solo potenti verbo :

« Surge, et ambula. »

Constat quod utrumque ejusdem potentiæ est : licet in se inæqualia sint. Sancti enim invocando, vel sacramenta exhibendo, aliquando curant corpus, et ita dimittunt peccata. Medici autem per medicinas curant aliquando corpora, non animas. Sed simplici verbo creaturas non restaurat, nisi qui simplici verbo creavit eas. Et ideo quoad hoc utrumque est ejusdem potentiæ : et ideo invisibile probetur per visibile.

Et hoc est quod dicit :

« Ut autem sciatis quia Filius hominibus habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico : Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. **24**

Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum in quo jacebat, et abiit in domum suam, magnificans Deum. **25**

Et stupor apprehendit omnes, et magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes : Quia vidimus mirabilia hodie. » **26**

Ecce perfectio miraculi ex parte vere facientis, primo per verbum, secundo per effectum. Et tertium sequitur, ædificatio fidelium.

Dicit ergo : « *Ut autem sciatis,* » certissima probatione, « *quia Filius hominis,* » quem blasphemare dicitis, « *potestatem habet* » divinam « *in terra dimittendi peccata* » solo verbo, sine omni alio

adminiculo extrinsecus adhibito, vel invocationis, vel sacramenti : tunc ipse Filius hominis « ait paralytico, » sua voce, non sonante de cœlo desuper Patre, et non apparente visibiliter Spiritu sancto : « Surge. » Vox enim mea, est vox virtutis et Patris. Joan. v, 24 : *Sicut Pater suscitavit mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Sapient. xvi, 13 : *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem.*

Quod autem dicit : « Surge, » est in effectum consolidationis, contra membrorum dissolutionem.

Et quod dicit : « Tolle grabatum tuum, » est in restitutionem virtutis, contra debilitatem infirmitatis : quia lectus erat gravis qui a quatuor portabatur.

Et quia dicit : « Et ambula, » est in restitutionem virtutis motivæ, contra paralysis immobilitatem.

Quod autem dicit : « Vade in domum tuam, » est ad restitutionem animalium virtutum, et præcipue virtutis provisivæ : contra hoc quod tales infirmitates per frigidum et humidum ortæ a cerebro, debilitant virtutes provisivas et prudentiam. Sensus enim est : « Vade in domum tuam, » hoc est, provide tibi et domui tuæ. Hæc est ergo restitutio integritatis, et probatio plena potestatis dimittendi peccata, quam Christus tradidit suo vicario et ministris ejus. Matth. xviii, 18 : *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo.*

Moraliter autem dicit quatuor : « Surge, » hoc est, sursum te age ad virtutes. Ad Coloss. iii, 1 : *Quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.*

« Tolle lectum tuum, » in onus tuum per pondus doloris, delectationes peccatorum converte. Psal. xxxvii, 5 : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.*

« Ambula, » per meritorum profectum. Jerem. li, 50 : *Nolite stare, recordamini procul Domini.*

« Et vade in domum tuam, » hoc est, conscientiæ discussionem et custodiam. Proverb. xxxi, 27 : *Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit.*

« Et confestim consurgens. »

Ecce ad verbi imperium opus subsequutum. « Coram illis, » in testimonium miraculi et confusionem conscientiarum suarum : « tulit lectum in quo jacebat, » plena sibi restituta virtute, « et abiit, » ambulans ordinato gressu, « in domum suam, » utilitatibus propriis consulens, sicut sapiens prudens. Joan. v, 9 : *Statim sanus factus est homo, et sustulit grabatum suum, et ambulabat.*

« Magnificans Deum, » hoc est, magna laude in gratiarum actione extollens. Act. iii, 8 : *Ambulans, et exsiliens, et laudans Deum.* Eccli. li, 8 et 9 : *Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum : et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum.*

« Et stupor, »

Ex viso miraculo, « apprehendit omnes. » Sæpius dictum est quid est stupor. Apprehendit autem admiratio omnes, et quasi violenter tenuit. « Et » ideo « magnificabant Deum. » Quia, sicut dicit Psalmus viii, 2 : *Elevata est magnificentia tua super tua super cælos, Deus.*

« Et repleti sunt timore. » Devoti quidem timore reverentiæ, Pharisei autem, et Scribæ timore pœnæ si contradicerent. Marc. xiv, 1 : *Quærebant summi sacerdotes et scribæ quomodo eum, scilicet Jesum, dolo tenerent et occiderent : sed timebant plebem.*

« Dicentes, » confessione veritatis convicti : « Quia vidimus mirabilia hodie, » hac clara luce. Luc. ii, 31 et 32 : *Salutare tuum quod parasti ante faciem omnium populorum : lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.*

27 « Et post hæc exiit, et vidit publicanum nomine Levi, sedentem ad telonium, et ait illi : Sequere me.

28 Et relictis omnibus, surgens secutus est eum. »

Istud quod hic dicitur, ut dicit Augustinus, per recapitulationem inductum est : quod sic probat Augustinus : « Quia, sicut infra, vi, 15, dicitur, Matthæus cum aliis Apostolis in monte electus est : post descensum autem de monte sanatus est paralyticus, et alia miracula perfecta sunt : et ideo vocatio Matthæi ante facta est. » Unde patet, sicut jam sapius diximus, quod Lucas quæ inducit, non inducit secundum ordinem temporis, sed secundum quod probant ordinem Ecclesiasticum : sicut diximus. Nec convivium fecit ei in domo sua postquam secutus est eum : quia tunc non erat publicanus. Nec Pharisei murmurassent quod Dominus comederet et biberet cum publicanis. Nec etiam postea domum propriam habuit. Sed ante perfectam sequelam Domini aliquamdiu familiaris existens, invitabat eum et procuravit : et postea per illam familiaritatem factus est discipulus, et ex discipulo factus est Apostolus.

Unde quod hic dicitur : « *Post hæc,* » notat ordinem rationis, non temporis. Probata enim plenitudine potestatis in usu clavium, inducit post hoc factum per quod probatur plenitudo potestatis in ordine et vocatione et dispositione ministrorum, et dispositionis officiorum. Hoc enim pertinet ad eum qui habet plenitudinem potestatis.

« *Exiit* » ergo, sicut dicitur, Matth. xx, 1 : *Exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.*

Dicuntur autem in ista historia tria : vocatio videlicet, convivium, et reprehensio murmuris Phariseorum.

De vocatione autem dicit tria : vocantis misericordiam, vocati miseriam, et ejusdem ad sequendum Christum obedientiam.

De vocantis misericordia tangit duo : diligentiam inquisitionis, et respectum miserationis.

De diligentia inquisitionis dicit :

« *Post hæc exiit,* » quærens peccatores quos ad pœnitentiam converteret. Act. x, 38 : *Pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo.*

« Et vidit, »

Non tam oculis corporis quam miserantis respectu. Eccli. iv, 15 : *Oculi Dei in diligentes se.* Genes. xvi, 13 : *Tu, Deus, qui vidisti me.*

« Publicanum. »

Describit hic vocati miseriam. Describit autem ab infami officio, et a nomine privato ut per hoc aliquantulum tegatur vitium, et a studio lucrorum.

« *Publicanum,* » quia publicis vectigalibus accipiendis et congregandis erat præpositus. Hæc autem vectigalia de vehendis mercibus accipiebantur. Quidam tamen dicunt, quod erat mercator merces vehens. Et hoc non puto esse verum. Vectigalia autem cum extorsione accipiebantur, et ideo tale officium infame est. Isa. iii, 12 : *Populum meum exactores sui spoliaverunt.*

« Nomine Levi. »

Matth. ix, 9, ipse se vocat Matthæum. Binomius enim fuit. Sed Matthæus erat nomen vulgatum, et sub illo cognoscebatur esse exactor, et hoc ipse sibi tribuit propter humilitatem. Proverb. xviii, 17 : *Justus prior est accusator sui.* Aliud nomen fuit Levi, quod non ita erat vulgatum, et sub illo non cognoscebatur infamia ipsius, et hoc in tegumentum infamiae attribuunt ei duo alii Evangelistæ. Levi autem interpretatur *additus* : quia sub significatione illius nominis additus est Apostolis, ut nemo quantorumcumque facinorum desperet, si conversus



fuerit ad Dominum, audiens publicanum factum esse Apostolum et Evangelistam. Psal. LXVII, 23 : *Dixit Dominus : Ex Basan convertam*, hoc est, ex confusione. Oratio Manassæ, ad finem : *Indignum salvabis me secundum magnam misericordiam tuam.*

« *Sedentem,* » hoc est, quiescentem, « *ad telonium,* » ad studia illicitorum lucrorum. Sapient. xv, 12 : *Existimaverunt lusum esse vitam nostram, et conversationem vitæ compositam ad lucrum, et oportere undecumque etiam ex malo acquirere.*

« Et ait illi. »

Hic dicuntur duo : præceptum vocantis, et vocati obedientia.

Præceptum vocantis est : « *Sequere me,* » hoc est, imitare. Et bene dicit : « *Sequere,* » quia impossibile est præcedere passu virtutis. Nullus autem omnino potest eum comitari : sed sequi a longe possumus. Job, xxiii, 11 : *Vestigia ejus secutus est pes meus, viam Domini custodivi.* Eccli. xxiii, 38 : *Gloria magna est sequi Dominum.*

« Et relictis omnibus. »

Tangitur obedientia.

Et dicuntur duo : depositio impedimenti ad sequendum, et insecutio.

Depositio impedimenti est in hoc quod dicit : « *Relictis omnibus.* » Amor enim temporalium impedit a sequendo Christum. Matth. xix, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.*

« *Secutus est eum.* » Hoc est perfectum : abdicare illicitum, et imitari bonum. Psal. xxxvi, 27 : *Declina a malo, et fac bonum.* Jerem. xvii, 16 : *Ego non sum turbatus, te pastorem sequens.*

« Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua. »

Hic tanguntur duo de convivio : de præparatione scilicet, et de societate convivantium.

De præparatione dicit duo : præparationem, et locum.

In præparatione notantur tria : in factura enim notatur studium præparationis : in convivio autem, jucunditas epulationis : in magnitudine, liberalitas ministracionis.

De primo dicitur, Esther, i, 5 : *Jussit rex convivium præparari in vestibulo horti.* Tob. viii, 21 : *Uxori suæ dixit ut instrueret convivium, et præpararet omnia.*

« *Convivium* » autem sonat in jucunditatem epulantium. Luc. xv, 32 : *Epulari et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortus erat, et revixit : perierat, et inventus est.*

« *Magnum,* » quod pertinet ad præparationis magnificam liberalitatem. Luc. xiv, 16 : *Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos.*

« *In domo sua.* » Ecce quietis locus. In domo enim aliena non fiducialiter quiescitur. Eccli. xxix, 31 : *Vita nequam hospitandi de domo in domum : et ubi hospitabitur, non fiducialiter aget.* Contra, Sapient. viii, 16 : *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa, scilicet sapientia.*

« Et erat turba multa publicanorum, et aliorum qui cum illis erant discumbentes. »

Ecce convivantium societas. Nominat autem publicanos et alios peccatores secum convivantes.

Et hoc est quod dicit : « *Et erat turba multa,* » quantum ad multitudinem vocatorum. Luc. xiv, 16 : *Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos.*

« *Publicanorum,* » ad eandem spem vocationis suspirantium, « *et aliorum,* »

supple, peccatorum. Luc. xv, 1 : *Erant appropinquantes Jesu publicani et peccatores, ut audirent illum.*

Dicit autem hic Chrysostomus, quod Levi de illicite acquisitis Domino fecit convivium. Et tunc quæritur, Quare Dominus ista cum discipulis comedit et bibit, cum non liceat aliquid talium contingere aut edere? Tob. ii, 21 : *Non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* RESPONSIO, quod illi qui agunt vices eorum quibus talia ablata sunt, et cum effectu inducunt homines ad restitutionem, possunt de talibus edere, sicut fecit Dominus et discipuli. Quod autem alii comedebant, ad similem restitutionis modum erat invitatio. Et ita omnes licite comederunt. I ad Corinth. ix, 7 : *Quis militat suis stipendiis umquam?... Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* Luc. x, 7, non dicit Dominus : Edentes et bibentes quæ illorum sunt : sed potius : *Edentes et bibentes quæ apud illos sunt.*

« Discumbentes. »

Discubitus est stramentum, in quo quiescitur partim sedendo, et partim jacendo. Est autem stramentum molle retro ad dorsum, et a lumbis inferius est sessio. Et talis sessio lassus convenit : sicut fuit Dominus et discipuli ex itinere fatigati. Luc. vii, 36 : *Ingressus domum Pharisæi, discubuit.*

30

« Et murmurabant Pharisæi et Scribæ eorum, dicentes ad discipulos ejus : Quare cum publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis? »

Hic tangitur murmur et reprehensio murmuris.

Murmur autem tangitur dupliciter. Murmurando enim ostenderunt invidentiæ nequitiam. Evomendo autem murmurationem apud discipulos qui adhuc

infirmi erant, ostenderunt primi serpentis astutiam.

Dicit ergo : « *Et murmurabant.* » Ad Roman. i, 29 et 30 : *Susurriones, detractores, Deo odibiles.* Sapient. i, 11 : *Custodite vos a murmuratione quæ nihil prodest, et a detractione parcite linguæ.*

« *Pharisæi,* » præsumentes de falsa justitia, « *et Scribæ eorum,* » præsumentes de falsi nominis scientia. I ad Corinth. viii, 1 : *Scientia inflat, charitas vero ædificat.* Ad Roman. xii, 3 : *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.*

Videntur tamen justam habere murmuris occasionem. I ad Corinth. v, 11 : *Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus,... aut rapax : cum hujusmodi nec cibum sumere.* Ad hoc autem dicendum, quod hoc de præcisis intelligitur. Nullus autem istorum præcisus est : sed convictus et familiaritas Domini fuit eis occasio salutis.

« *Dicentes ad discipulos ejus.* » Modo primi serpentis aggrediuntur Dominum ex parte debiliori. Eccle. x, 11 : *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.* Non audebant enim Domino hoc dicere, quia sciebant se confutandos.

« Quare cum publicanis et peccatoribus, »

Et aliis criminosis, « *manducatis et bibitis?* » Matth. vii, 3 : *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides?* Posset responderi quod manducare et bibere cum peccatoribus ut convertantur, est in signum epulationis Angelorum. Luc. xv, 10 : *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Apocal. iii, 20 : *Ecce ego sto ad ostium et pulso : si quis... aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cenabo cum illo, et ipse mecum.*

31

« Et respondens Jesus, dixit ad illos : Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent.

32

Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. »

Hic ponitur murmuris repressio.

Et dicuntur duo : unum quidem per metaphoram, et alterum per metaphoræ expositionem.

Metaphora dicit murmurantium reprehensionem, et publicanorum commendationem.

Reprehensio quidem murmurantium est in hoc quod dicit : « *Non egent,* » hoc est, non egere se simulant, « *qui sani sunt,* » hoc est, qui sanos se esse reputant. Nullus enim in toto sanus est peccato et ab inclinatione ad peccatum, quæ est quasi dispositio ad infirmitatem. Et qui reputat se sanum, periculosissime infirmatur : quia medicum non requirit. Apocal. III, 17 : *Dicis : Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo, et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.*

« *Medico,* » de quo dicitur, Eccli. XXVIII, 1 : *Honora medicum propter necessitatem : etenim illum creavit Altissimus.*

« Non veni, etc. »

Explanatio est metaphoræ per finem sui adventus. « *Non veni,* » scilicet in mundum. Joan. XVI, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum.*

« *Vocare justos,* » quia illi vocati sunt : sicut Nathanael et alii, qui fuit sine dolo <sup>1</sup>. Intelligitur enim istud de vocatione exteriori, in qua non vocantur qui se justos arbitrantur. Omnes autem alii vocantur. Ad Roman. III, 23 : *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei.*

« *Sed peccatores,* » hoc est, qui peccatores se recognoscunt, per gratiam Chri-

sti salvandos, et non ex operibus legis.

Et hoc est quod addit : « *Ad pœnitentiam.* » Act. III, 19 : *Pœnitimini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra.*

Attende autem, quod hic est quædam Glossa de vocatione Matthæi quæ est valde dubia. Et dicitur esse Ambrosii. Dicit enim sic : « Reliquit propria, qui « rapiebat aliena. Non solum lucra reliquit omnium vectigalium, sed et periculum contempsit quod poterat venire « a principibus sæculi : quia rationes vectigalium incompositas reliquerat. Et « quia in nullo prorsus hujus vitæ respectum vel cogitationem sibi reservavit, « Dominicorum talentorum fidelis dispensator esse meruit. » Tria dicit Glossa ista, scilicet, quod qui aliena rapuerat, propria reliquit. Et hoc est injustitia : quia antequam relinqueret propria, reddere debuit quæ rapuerat aliena : sicut fecit Zachæus, Luc. XIX, 8 : *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Unde et hoc fuit injustum, et discipulis Christi, et doctrinis ejus contrarium. Matth. V, 26 : *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Secundum est quod dicit, quod rationes vectigalium incompositas reliquit. Et fuit injuria et scandalum contra Christi doctrinam. Injuria quidem : quia vectigalia ex quibus accipiuntur stipendia ad defensiones terrarum, non sunt injusta : et ideo rationes eorum sunt faciendæ. Scandalum autem est tum propter hoc quod et ipse Dominus ut non scandalizaret, solvit didrachma <sup>2</sup>. Et alibi dixit, Luc. XX, 25 : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Tertium autem, quod in nullo prorsus respectum vel cogitationem hujus vitæ sibi reservavit, fuit imprudentia : cum etiam Dominus, Joan. XII, 6, loculos legatur habuisse, in quibus ea quæ mittebantur, portabantur ad vitæ necessaria. Nec potest aliquis dicere, quod Dominus

<sup>1</sup> Joan. I, 43.

<sup>2</sup> Cf. Matth. XVII, 23 et seq.

dispensaverit : quia nulla dispensatio est cum alterius injuria. Nec est simile quod dicitur, Exod. III, 22, et XII, 36 : *Spoliabitis Ægyptum* : quia filii Israel laboraverunt Ægyptiis, et spoliati fuerant ab Ægyptiis, et in angaria dira fuerunt apud eos.

Ideo videtur hic dicendum, sicut diximus super Matthæum <sup>1</sup>, quod illud convivium factum fuit cum jam ita esset perfectus in amore Christi quod omnia vellet relinquere, et ad ea ultra non redire. Ante autem (licet non legatur) et male ablata reddiderat, et ratiocinia composuerat. De futuris autem ordinare non poterat : quia quamvis non legitur de istis tribus aliquid fecisse, tamen justitia exigente fecit. Ea vero subticentur aliquando, sicut hic : et ponuntur aliquando, sicut in Zachæo, ut ex aliis quæ scripta sunt, et similia in his quæ non sunt scripta intelligamus. Tamen hic cavendum est : quia in dictis Beati Ambrosii frequenter inveniuntur immixta dicta *Ambrosii adoperti* : et sunt illa frequenter falsa, et aliquando hæretica.

**33** « At illi dixerunt ad eum : Quare discipuli Joannis jejulant frequenter, et obsecrationes faciunt : similiter et Pharisæorum : tui autem edunt et bibunt ? »

**34** Quibus ipse ait : Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere jejunare ?

**35** Venient autem dies cum ablati fuerint ab illis sponsus, tunc jejunabunt in illis diebus. »

Hic incipit adstruere potestatem dispensationum. Est autem dispensatio juris relaxatio propter necessitatem vel utilitatem publicam facta.

<sup>1</sup> Cf. Enarrationes in Matthæum, IX, 9 et seq.

Habet autem partes duas : unam in qua est occasio veniendi ad factum : aliam autem in qua ratio instruitur dispensationum.

In prima harum est quæstio quædam mota. Quidam ex discipulis Joannis cum Judæis, sicut dicitur, Joan. III, 25 et seq., quia secundum veritatem Pharisæi et Scribæ primo discipulos Joannis de hac quæstione sollicitaverunt : et discipuli Joannis sollicitati cum Judæis de hac quæstione cum invidia et murmure contra Christum tractaverunt, et sic concitati ad Christum cum quæstione venerunt. Propter quod discipuli Joannis in hac parte reprehensibiles se reddiderunt, tum de jactantia sanctitatis apparentis, tum de familiaritate ex parte vipereæ generationis, tum de invidia Christianæ libertatis. Ad Galat. II, 4 et 5 : *Propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Jesu, ... quibus neque ad horam cessimus subjectione, etc.*

« Quare discipuli Joannis, »

In quibus nihil nisi austeritas apparuit, « *jejulant frequenter, »* sicut omni solatio gaudii destituti, « *et obsecrationes faciunt, »* sicut semper ad cœlestia suspensi. Tumque jejunio se affligentes et castigantes ne appetant terrena, I ad Corinth. IX, 27 : *Castigo corpus meum, et in servitatem redigo.* Obsecratione autem cor ad Deum dirigentes, Psal. CXL, 2 : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.*

« *Similiter autem et Pharisæorum, »* qui credunt resurrectionem mortuorum : et ideo sperant æterna, pro quibus frequenter fecerunt obsecrationes. Jejuniis autem et aliis austeritatibus corpus a voluptate vitæ temperabant. Unde, Luc. XVII, 12, unus Pharisæorum dixit : *Je-*

*juno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.*

« *Tui autem,* » scilicet discipuli qui te imitantur (ideo factum eorum in te redundat) « *edunt et bibunt,* » in delicias et saturitatem. Cum tamen fervor novitius plus austeritatis habere deberet ex novitate religionis : quia omnis religio fervet a principio.

Hæc ergo est quæstio ipsorum.

« Quibus ipse ait. »

Ante responsionem istam notandum est, quod vita vetus dicitur a quatuor : quorum unum est causa vitæ veteris, et hoc est inolitum longa consuetudine in homine vel in gente peccatum. Thren. III, 4 : *Vetustam fecit pellem meam,* hoc est, ad modum vetustæ deformem per peccatum. Ideo præcipit Apostolus, ad Ephes. IV, 22, *deponere... veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris.*

Aliud est consuetudo observantiarum legalium, quæ ad indicandum peccatum inductæ sunt, et non ad curandum ipsum : sicut sunt omnes observantiæ legales, et etiam Decalogus, secundum hoc quod cohibere dicebatur manum, non animum : et omnia hujusmodi. Ad Hebr. VII, 19 : *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Et illa est servitus antiqua.

Tertium, æmulatio antiquitatis, quæ est semper in cordibus eorum qui transire debent ad novum. Ad Galat. I, 14 : *Abundantius æmulator existens patrum mearum traditionum.* Unde etiam in *prima philosophia* dicitur, quod cum homo consuevit credere contraria principiorum et est oblitus eis, quantumcumque deducatur ad inconveniens, non recedit nisi cum magna difficultate.

Quartum est adulterinæ radices, quæ semper manent ex antiquis erroribus in corde pullulantes. Unde, Jerem. I, 10 :

*Ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipas,* etc. Nisi enim paulatim illa effodiantur, non inseretur veritas.

Et ideo sicut in eo qui in scientiis doctrinalibus de errore ducitur ad veritatem, ita est de deductione ex lege veteri ad novam. Qui enim in doctrinalibus habet Philosophos qui ex peccato primos errores seminaverunt, pro diis vel pro sanctis prophetis, numquam curatur ab errore suo. Similiter, si pertinaciter inhæret erroribus eorum, numquam exit ab eis. Similiter, qui ex æmulatione personæ et non veritatis contendit, numquam curatur. Adhuc autem, nisi errores contrarios principiis de corde suo evelli permittat, numquam curatur. Ita est qui legem veterem arbitratur a Deo esse, ex intentione permanendi datam, sicut veram justitiam justificantem, et non magis ordinatam propter peccatum antiquum, ut pædagogum ad Christum, numquam liberatur a lege. Adhuc, qui omnes observantias ejus et cæremónicas putat divinas et tenendas, et non magis mysticas, et in futurum significantes quid faciendum est, numquam liberabitur. Adhuc, æmulator talium propterea quod tanti patres salvati sunt, lege in statu perdurante, et credit hanc salutem fuisse patribus ex lege, ille impossibilis est ad curam. Adhuc etiam, nisi principia præceptorum et quæcumque alia sunt, de corde evellat, ut obligantia, non liberabitur. Et ex his patet quam difficile est veteribus nova immittere, et quam paulatim oportet hominem a veteribus caute educere, et tunc paulatim novis eum coaptare. Et hoc intendit Christus, et ideo duas dat responsiones : unam quæstioni, et alteram subintellectæ rei in quæstione, quam etiam quærentes ignorabant.

Ad solutionem quæstionis nota, quod (sicut diximus in Matthæo <sup>1</sup>) triplex est jejunium : satisfactivum, afflictivum, et lætificativum. Satisfactivum est quod

<sup>1</sup> Cf. Enarrationes in Matthæum, IV, 2. Tom.

XX hujusce novæ editionis.

injungitur pro peccatis emendandis : sicut, Jonæ, III, 5, et seq., jejunium Niniuitarum. Joel, I, 14 : *Sanctificate jejunium, vocate cœtum*. Jejunium autem afflictivum est sicut id quod fit, cum nimia desolatione homo dejectus alimentum non sumit : sicut, II Reg. XII, 16, de mortuo parvulo jejunabat David antequam moreretur. Et sic jejunabant antiqui partes ex mœrore dilationis adventus Christi, sicut patet, Numer. XXX, 14 : et in multis aliis locis de jejunio primi, et jejunio quarti, et jejunio septimi, et jejunio decimi <sup>1</sup>. Tertium est jejunium lætificativum, quando homo ex præsentia Dei tantum concepit gaudium, quod sibi omnis desipit cibus corporeus : sicut erat jejunium Moysi cum Domino in monte <sup>2</sup>, et jejunium Eliæ cum Domino in deserto <sup>3</sup>. Nullum autem istorum jejuniorum competit Apostolis. Primum enim non competit : quia baptismi gratiam accipientes, non assumunt extra lamentum vel planctum. Afflictivum non competit : quia impræsentiarum habuerunt omnem consolationem et gaudium. Lætificativum non competit : quia non adhuc ad robur receperant Spiritum.

Et hoc fuit quod dixit Christus :

« Numquid? »

Quasi dicat : Vos ipsi judicate. « *Numquid potestis,* » congruenter tanti festi et tam festivæ lætitiæ, « *filios sponsi,* » hoc est, cujuscumque sponsi filios sive sodales, « *dum cum illis est sponsus, facere jejunare?* » in tantæ festivitatis exhibitione et gaudii præsentia. Argumentum, Nehemiæ seu II Edræ, VIII, 10 : *Sanctus dies Domini est : et nolite contristari : gaudium etenim Domini est fortitudo nostra*. Et, ibidem dicitur : *Comedite pingua, et bibite mulsum, et mittite partes his qui non præparaverunt sibi*. Ita etiam filii sponsi Christi in

præsentia ejus jejunare non possunt. Ipse enim est sponsus qui Ecclesiam sibi in natura nostra desponsavit : de quo dicit Psalmus XVIII, 6 : *Ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo*. Joan. III, 29 : *Qui habet sponsam, sponsus est*. Filii autem ejus in ipsis nuptiarum primordiis, de spiritu et non de carne geniti sunt, Apostoli dilecti Christo tamquam filii. II Reg. I, 26 : *Sicut mater unicum amat filium suum, ita te diligebam*. Et ideo illo tempore lætitiæ quo præsens erat corporaliter, non fuit congruum jejunare.

« Venient autem dies, »

Passionis primo, et Ascensionis secundo, « *cum ablatus fuerit ab illis sponsus,* » præsentia corporali, in triduo videlicet usque in diem Resurrectionis, et in decem diebus inter diem Ascensionis et missionis sancti Spiritus, « *tunc jejunabunt in illis diebus,* » jejunio afflictionis. Unde legitur de Jacobo minore, qui pro similitudine religionis, *frater Domini* meruit appellari, quod cum videret Dominum mortuum in cruce, vovit se non comesturum panem, nisi viso eo in Resurrectione : quod et ita perfecit sicut vovit. Et ideo tunc jejunio afflictionis discipuli jejunaverunt. Sed cum *præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei* <sup>4</sup> : tunc numquam jejunaverunt discipuli : sed semper vel exegit ab eis si haberent aliquid quod manducetur, vel ipsi obtulerunt ei quæ habebant, sicut partem piscis assi : vel invenerunt præparata ab ipso : sicut, Joan. XXI, 9, piscem superpositum prunis, et semper comederunt cum ipso : ita quod etiam in die Ascensionis comedit et ascendit. Et ideo Gelasius Papa in memoriam illius facti constituit quod inter Pascha, et Pascha,

<sup>1</sup> Cf. Zachar. VIII, 19.

<sup>2</sup> Exod. XXIV, 18.

<sup>3</sup> III Reg. XIX, 8.

<sup>4</sup> Act. I, 3.

hoc est, inter Pascha et Pentecosten non esset jejunium : quia tunc discipuli et Apostoli non jejunaverunt. Sed in die Ascensionis ablata est ab eis præsentia corporalis, et in die Pentecostes exhibita præsentia spiritualis. Et ideo inter illos duos dies iterum jejunio afflictionis jejunaverunt. Post diem autem Pentecostes et deinceps, jejunaverunt jejunio exultationis. Et ideo Ecclesia Christi in memoriam illius facti in jejunio Pentecostes cantat *Alleluia*, quod est laus Dei invisibilis : in aliis autem jejuniis cantat *Tractus*, qui significant longos tractus laboris : quia in illis repræsentatur jejunium afflictionis, et jejunium satisfactionis.

Hoc est ergo quod dicit.

**36** « Dicebat autem et similitudinem ad illos : Quia nemo commissuram a novo vestimento immittit in vestimentum vetus : alioquin et novum rumpit, et veteri non convenit commissura a novo.

**37** Et nemo mittit vinum novum in utres veteres : alioquin rumpet vinum novum utres, et ipsum effundetur, et utres peribunt.

**38** Sed vinum novum in utres novos mittendum est, et utraque conservantur.

**39** Et nemo bibens vetus, statim vult novum : dicit enim : Vetus melius est. »

Hic incipit secundum de inductione novitatis : in qua sicut et de jejunio oportet cum neophytis dispensatorie uti.

Inducit autem duas similitudines secundum duos effectus, quos Spiritus sanctus operatur in nobis. Unus est in conversatione exteriori, qui est indumentum virtutis : et alius est in inebriatione interiori, quæ ebrietas est amoris spiritualis.

De primo dicitur, Isa. LXI, 10 : *Induit me Dominus vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me.* De secundo dicitur, Cantic. v, 1 : *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi.*

De primo ergo dicit quod « nemo » sapiens, « *commissuram a novo vestimento,* » hoc est, partem panni novi, « *immittit,* » hoc est, consult, « *in vestimentum vetus,* » hoc est, in partem panni veteris.

Et subjungit rationem, dicens : « *Alioquin,* » hoc est, si aliter faciat, « *et novum rumpit,* » quia ad se trahit vetus, et generat scissuras, « *et veteri non convenit,* » quia illud nobilitatem et soliditatem novi sustinere non potest, et ideo non convenit ei « *commissura a novo* » secum conjuncta. Et ita est dum homo imbutus est veteri conversatione legis, adhuc non convenit ei tota soliditas novæ : quia si secus fiat, et non paulatim manducatur testamentum novum per longas doctrinas parabolarum et exemplorum, utrumque abjiciet, nec credens vetus nec novum : quia jam a veteri incepit recedere, nec recessit : et jam novo incepit appropinquare, nec pervenit.

« Et nemo mittit vinum novum in utres veteres.

Secunda similitudo de interna spiritus ebrietate. Et patet per se : quia corda veteribus imbuta sunt utres veteres. « *Et vinum novum* » est cognitio et consolatio nova sancti Spiritus. Psal. cii, 15 : *Vinum lætificet cor hominis.* Judicum, ix, 13 : *Non possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines.*

« *Alioquin,* » hoc est, si secus fiat, « *rumpet vinum novum,* » bulliendo, « *utres* » fragiles et veteres. Calore enim solis, loci, et temporis, et naturali calore compugnantibus, uter fragilis sustinere non potest.

« *Et vinum effundetur,* » quia non est

digestum ad plenum. I Reg. i, 14 : *Digere paulisper vinum quo mades.*

« *Et utres peribunt,* » veteres. Job, xxxii, 19 : *En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit.*

« Sed novum vinum, »

Novam Spiritus perceptionem, « *in utres novos mittendum est,* » scilicet corda paulatim innovata. Unde, Act. ii, 13 : *Alii dicebant quia musto pleni sunt.*

« *Et utraque conservantur,* » quia tunc et Spiritus custodit corda, et cor custodit Spiritum.

Explanat autem adhuc ulterius dicens :

« *Et nemo bibens vetus,* »

Cum delectatione adhuc in veteribus detentus, « *statim vult,* » secundum bene placitum desiderii sui, « *novum,* » quia a contrario in contrarium secundum naturam non est transitus nisi per medium.

« *Dicit enim,* » infectus sapore veteris : « *Vetus melius est.* » Eccli. ix, 15 : *Veterascet, et cum suavitate bibes illud.* Sed, sicut dicit Glossa interlinearis, innovatus paulatim volet novum, et tunc appetet ipsum. Levit. xxvi, 10 : *Comeditis vetustissima veterum, et vetera novis supervenientibus projicietis.*





## CAPUT VI.

*Discipulos spicas sabbato vellentes excusat, alioque sabbato manum curat aridam : electos duodecim nominat apostolos, et cum illis ac multitudine copiosa stans in loco campestri docet beatitudines aliaque consilia ac præcepta evangelica : de festuca in oculo fratris, et arbore bona ac mala ex fructu dignoscenda : audiens Christi verba cui comparetur si ea opere compleat, et cui si non compleat.*

1. Factum est autem in sabbato secundo primo, cum transiret per sata, vellebant discipuli ejus spicas, et manducabant confricantes manibus<sup>1</sup>.
2. Quidam autem Pharisæorum dicebant illis : Quid facitis quod non licet in sabbatis ?
3. Et respondens Jesus ad eos, dixit : Nec hoc legistis quod fecit David, cum esurisset ipse et qui cum illo erant :
4. Quomodo intravit in domum Dei<sup>2</sup>, et panes propositionis sumpsit, et manducavit, et dedit his qui cum ipso erant quos non licet manducare nisi tantum sacerdotibus<sup>3</sup> ?
5. Et dicebat illis : Quia dominus est Filius hominis etiam sabbati.
6. Factum est autem et in alio sabbato, ut intraret in synagogam, et doceret. Et erat ibi homo, et manus ejus dextra erat arida<sup>4</sup>.
7. Observabant autem Scribæ et Pharisei si in sabbato curaret, ut invenirent unde accusarent eum.
8. Ipse vero sciebat cogitationes eorum, et ait homini qui habebat manum aridam : Surge, et sta in medium. Et surgens stetit.
9. Ait autem ad illos Jesus : Interrogo vos, si licet sabbatis benefacere, an male ? animam salvam facere, an perdere ?
10. Et circumspectis omnibus, dixit homini : Extende manum tuam. Et extendit : et restituta est manus ejus.
11. Ipsi autem repleti sunt insipientia, et colloquebantur ad invicem quidnam facerent Jesu.
12. Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.
13. Et cum dies factus esset vocavit discipulos suos : et elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos nominavit :
14. Simonem, quem cognominavit Petrum, et Andream, fratrem ejus, Jacobum et Joannem, Philippum et Bartholomæum.
15. Matthæum et Thomam, Jacobum Alphæi et Simonem, qui vocatur Zelotes.

<sup>1</sup> Matth. xii, 4 ; Marc. ii, 23.

<sup>2</sup> I Reg. xxi, 6.

<sup>3</sup> Exod. xxix, 32 ; Levit. xxiv, 9.

<sup>4</sup> Matth. xii, 10 ; Marc. iii, 4.

<sup>5</sup> Matth. x, 4 ; Marc. iii, 13.

16. Et Judam Jacobi, et Judam Iscariotem, qui fuit proditor.
17. Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, et Jerusalem, et maritima, et Tyri, et Sidonis.
18. Qui venerant ut audirent eum, et sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur.
19. Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.
20. Et ipse, elevatis oculis in discipulos suos, dicebat : Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei<sup>1</sup>.
21. Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.
22. Beati eritis cum vos oderint homines<sup>2</sup>, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis.
23. Gaudete in illa die, et exultate, ecce enim merces vestra multa est in cœlo : secundum hæc enim faciebant prophetis patres eorum.
24. Verumtamen vœ vobis divitibus<sup>3</sup>, quia habetis consolationem vestram.
25. Vœ vobis qui saturati estis<sup>4</sup>, quia esurietis. Vœ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.
26. Vœ cum benedixerint vobis homines : secundum hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum.
27. Sed vobis dico, qui auditis : Diligite inimicos vestros<sup>5</sup>, benefacite his qui oderunt vos.
28. Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro calumniantibus vos.
29. Et qui te percutit in maxillam, præbe et alteram<sup>6</sup>. Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere.
30. Omni autem petenti te, tribue : et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.
31. Et prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter<sup>7</sup>.
32. Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia<sup>8</sup>? nam et peccatores diligentes se diligunt.
33. Et si benefeceritis qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? siquidem et peccatores hoc faciunt.
34. Et si mutuum dederitis his a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis<sup>9</sup>? Nam et peccatores peccatoribus scenerantur, ut recipiant æqualia.
35. Verumtamen diligite inimicos vestros : benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes : et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos.
36. Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est.
37. Nolite judicare, et non judicabimini<sup>10</sup> : nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimitte, et dimittemini.
38. Date, et dabitur vobis : mensuram

<sup>1</sup> Matth. v, 2.<sup>2</sup> Matth. v, 11.<sup>3</sup> Eccli. xxxi, 8 ; Amos, vi, 4.<sup>4</sup> Isa. lxxv, 13.<sup>5</sup> Matth. v, 44.<sup>6</sup> Matth. v, 39 ; I ad Corinth. vi, 7.<sup>7</sup> Tob. iv, 16 ; Matth. vii, 12.<sup>8</sup> Matth. v, 46.<sup>9</sup> Deuter. xv, 8 ; Matth. v, 42.<sup>10</sup> Matth. vii, 1.

- bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem, dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis<sup>1</sup>?
39. Dicebat autem illis et similitudinem: Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?
40. Non est discipulus super magistrum<sup>2</sup>: perfectus autem omnino erit, si sit sicut magister ejus.
41. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras<sup>3</sup>?
42. Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui.
43. Non est enim arbor bona quæ facit fructus malos<sup>4</sup>: neque arbor mala faciens fructum bonum.
44. Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam.
45. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.
46. Quid autem vocatis me Domine, Domine<sup>5</sup>, et non facitis quæ dico?
47. Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos, ostendam vobis cui similis sit.
48. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum super petram: inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere: fundata enim erat super petram.
49. Qui autem audit, et non facit, similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento: in quam illisus est fluvius, et continuo cecidit, et facta est ruina domus illius magna.

## IN CAPUT VI LUCÆ

## ENARRATIO.

« Factum est autem in sabbato secundo primo, cum transiret per sata, vellebant discipuli ejus spicas, et manducabant confricantes manibus. »

<sup>1</sup> Matth. vii, 2; Marc. iv, 24.

<sup>2</sup> Matth. x, 24; Joan. xiii, 16.

<sup>3</sup> Matth. vii, 3.

<sup>4</sup> Matth. vii, 18 et xii, 33.

<sup>5</sup> Matth. vii, 21; ad Rom. ii, 13; Jacob. i, 22.

In principio istius capituli sunt duæ historiæ adhuc ad potestatem dispensandi pertinentes: quia potestas dispensativa præcipue est in tribus: in pertinentibus ad libertatem fidei, et in usu temporalium, et dispensatione temporum. In libertate quidem fidei: quia in omnibus quæ faciunt ad fidei ædificationem studendum est. Et si quid obstaret circa aliquam talium personarum (quæ fidem multum ædificare posset: sicut votum, vel aliquod tale) dispensandum est: sicut modus vivendi austerius in observantiis multis dispensatur circa personas

multum fidem ædificantes, sicut factum est in parte præcedenti. Tales autem quia multis prosunt, etiam alienis possunt uti sumptibus. Et sic per similitudinem quamdam dispensatur hic.

Dicuntur autem tria in hac historia: in quorum primo ponitur factum, dispensatione indigens: in secundo, Pharisæorum murmuratio: in tertio, murmuris represio, per ostensionem dispensativæ rationis.

De primo determinat tria circa Christum: sapientiæ scilicet divinæ ordinationem, temporis congruitatem, operis Christi studium et occupationem. Et hæc tangit circa Christum.

Circa discipulos autem tangit quatuor alia, scilicet indigentia necessitatem, pauperum indigentia sublevationem, edulii parvitatem rudem, et non lautum ejusdem edulii præparationem.

De primo eorum quæ circa Christum sunt, dicit modo divino:

■ « Factum est autem, »

Exsequente sapientia in tempore, quod ab æterno præparaverat. Proverb. viii, 27 et 30: *Quando præparabat cælos*, hoc est, Apostolos, *aderam, ... cum eo cuncta componens*. Isa. xxxvii, 26: *Ex diebus antiquis ego plasmavi illud, et nunc adduxi*.

« In sabbato secundo primo. »

Ecce congruitas temporis, in quo hoc voluit fieri, ut excitaret calumniam Pharisæorum: et ex hoc locum haberet instructio discipulorum. Est autem *secundo primum* triplici ratione dictum: fuit enim in lege sabbatum simplex, et sabbatum primum, et sabbatum secundo primum. Sabbatum simplex fuit cujuslibet septimanæ terminus: quia in illo non fuit nisi simplex festum. Sabbatum primum fuit præcipui festi sabbatum: sicut primum sabbatum Paschæ, vel Pentecostes,

vel Scenopegia. Sabbatum autem secundo primum, fuit eorundem festorum ultimum: quia ultima, hoc est, octava dies, eadem solemnitate fuit venerabilis: sicut dicitur, Levit. xxiii, 36. Et hoc primo modo dicebatur *secundo primum*. Secundo modo dicitur *secundo primum*: quia duplici ratione est primum. Una quidem ratione: quia est sabbatum, quod in se habet suæ dignitatis primatum. Alia, quia fuerunt kalendæ mensis. Et sic iterum festivum, et secundum accepit dignitatis ordinem. Tertio modo dicitur sabbatum *secundo primum*: quia secunda ratione fuit primum. Erat enim primum dignitate sabbatum, quod feriabatur. Secunda ratione primum fuit tempore, dies proxima post sabbatum, dies quæ dicebatur *prima sabbati*, quæ est Dominica: illa est prima septimanæ.

Et dicit Glossa quod hæc aliquando ante legem prima fuit, et in lege facta est non prima. Tempore autem revelatæ gratiæ iterum facta est prima. Et ideo dicitur secundo prima. Et hoc non videtur esse verum: quia ab initio mundi sanctificatus est dies septimus ante omnem legem, ut dicitur, Genes. ii, 2. Et quidem operibus a constitutione mundi perfectis, dixit de die septimo sic: *Requievit Deus die septima ab universo opere quod patrarat*. Unde dicendum, quod Glossa illa Bedæ est, et intelligitur sic: Diem quo sabbati littera solvi cœperat δευτερόπρωτον, id est, secundo primum sabbatum vocat: per hoc innuens observantiam legalis sabbati cessaturam, et naturalis sabbati libertatem (quæ usque ad Moysi tempora cæterorum dierum similis erat) restituendam. Quia licet a constitutione mundi hæc dies sanctificata sit, tamen hoc ante Moysi tempora nesciebatur. Et ideo non observabatur. Sed prima sabbati dies quam nos *Dominicam* vocamus, dicebatur. Et ideo post legem iterum est restituta in primam. Et hoc est quod intendit Glossa.

Si autem vis scire secundum naturam: tunc scias, quod dies est Sol lucens su-

per terram, et non lucentes aliæ stellæ : quia illæ factæ sunt ut præsent nocti<sup>1</sup>. Et ideo quæcumque est quæ simplex habet lumen solis in dominio primæ horæ diei, illa est prima. Et hæc est dies Dominica : et ideo illa secundum naturam prima est. In sequenti die lux Solis funditur in Lunæ dominio : et ideo illa est secunda. Et in tertia die funditur in Martis dominio : et ideo illa tertia. Et in quarta die funditur in Mercurii dominio : et ideo illa est quarta. Sed in quinta die funditur in Jovis dominio : et ideo illa est quinta. Et in sexta funditur in Veneris dominio : et ideo illa est sexta. Et in septima funditur in malevolo Saturni dominio : et ideo illa est septima. Et hunc ordinem antiqui sapientes attende-

runt ante legem, et ideo sic ordinaverunt. Sub lege autem mutatus est, et post legem iterum receptus. Et ideo sabbatum illud est *secundo primum*. Et iste est ordo dierum secundum naturam.

Quæ autem sit ratio feriandi vel operandi in diebus, alibi erit locus dicendi. Scias tamen quod licet ista secundum Glossam quorundam dicta sint, quæ hic recitantur facta sunt in sabbato : quia aliter occasionem murmurandi non habuissent. Unde ad litteram verum est quod secundo primum sabbatum fuit et sabbatum, et illud festum kalendarum habens : sicut dicitur, Marc. II, 23, ubi dicitur : *Cum Dominus sabbatis ambularet per sata*, hoc est, die in quo plura festa concurrerunt<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Cf. Genes. I, 16.

<sup>2</sup> In *sabbato secundo primo*, ἐν σαββατῷ δευτεροπρωτῷ. L'évangéliste Saint Luc a seul mentionné cette date qui est demeurée très mystérieuse, malgré les efforts des commentateurs pour l'éclaircir. L'expression δευτερόπρωτος ne se rencontre en effet nulle part ailleurs dans la littérature profane ou sacrée : à défaut d'analogies, on en est donc réduit, à son sujet, à des conjectures plus ou moins vraisemblables. Qu'il suffise de signaler les principales.

1<sup>o</sup> D'après S. Jean Chrysostome (Homil. XL in Matth.), Paulus, Olshausen, etc., il s'agirait d'une fête chômée succédant sans interruption (δευτέρα) à la solennité du sabbat (πρώτη).

2<sup>o</sup> S. Isidore de Péluse (ép. III, 110), Euthymius, etc., supposent que S. Luc a ainsi désigné le premier jour des pains azymes (πρώτη τῶν ἀζύμων), qui se trouvait être d'une certaine manière le second de la fête pascale (δευτέρα τοῦ πάσχα).

3<sup>o</sup> Louis Cappell, Zampe et plusieurs autres voient dans l'épithète δευτερόπρωτον une allusion à la double année des Juifs, l'année civile, qui commençait au mois de Tischri (vers l'automne), et l'année ecclésiastique, qui s'ouvrait le 1<sup>er</sup> Nisan (vers le printemps) : il y aurait eu ainsi deux premiers sabbats, le premier-premier en Tischri, et le second-premier en Nisan.

4<sup>o</sup> D'après Maldonat et Grotius, les Juifs distinguaient par des noms particuliers les trois grands sabbats (πρώτα σαββάτα) qui tombaient dans les octaves de Pâques, de la Pentecôte et des Encénies : le premier s'appelait προτέ-

πρωτον, le second δευτερόπρωτον, le troisième τριτόπρωτον.

5<sup>o</sup> Wetstein, Storr, etc., se décident en faveur du premier sabbat du second mois de l'année ecclésiastique (Iyar).

6<sup>o</sup> Comme il existait chez les Juifs en vertu d'une prescription divine (Cf. Exod. xxiii, 10 et seq. ; Levit. xxv, 2 et seq.) des années dites sabbatiques qui revenaient tous les sept ans, Wieseler, Chron. Synopse, pp. 226-237, van Oosterzee et d'autres exégètes ont assez ingénieusement conclu de cette institution que le jour désigné par l'expression obscure de S. Luc était le premier sabbat de la seconde des sept années qui formaient un cycle sabbatique.

7<sup>o</sup> Le sentiment le plus communément admis est celui de Scaliger, de Emendat. temp. I, VI, suivant lequel dans le *σαββατον δευτερόπρωτον*, il faudrait voir le premier sabbat qui suivait le second jour de la Pâque. La loi ordonnait en effet qu'à partir de ce jour, célèbre entre les autres dans l'octave pascale parce qu'on y offrait à Dieu, au milieu de grandes réjouissances, les premiers épis mûrs, on comptât sept sabbats jusqu'à la Pentecôte ; or, à leur numéro d'ordre aurait été ajouté, pour les distinguer des autres sabbats de l'année, un mot qui indiquait leur point de départ. Δευτερόπρωτον équivaldrait ainsi à πρώτον τῆς δευτέρας, c'est à dire, ἀπὸ τῆς δευτέρας. Cf. Levit. xxiii, 10 et seq. ; Winer, Realwarterbuch, s. v. *Sabbath* ; Lightfoot, Hor. hebr. in Matth. XII.

Quoiqu'il en soit d'ailleurs de toutes ces hy-

« Cum transiret. »

Ecce studium Domini de procuranda salute hominum.

« *Per sata.* » Transit per sata seminator rerum in primo mundi cardine, qui in fine temporum corda seminat fidelium, verbi divini seminatione: ut ex rerum dispositione agricolas mundi doceat quid debeant facere. Joan. iv, 35: *Videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem.* Volebat enim ut consideratis messibus, considerantes corda parata ad messem, et seipsos idoneos exhiberent messores qui ad metendum mitterentur.

« Vellebant discipuli. »

Ecce necessitatis extremæ indicium. Et hujus causam dicit, Marc. ii, 13 et seq., quod ita venerant turbæ ut nec spatium manducandi haberent. Et ideo facto sermone de novitate vitæ convenit turba. Tempus autem fuit manducandi. Et Christus ad quietem spiritus potius quam ad escam festinans, declinavit ad campos satos. Simile faciens Isaac, Genes. xxiv, 63, qui tempore cum sibi sponsa præsentaretur, *egressus fuerat ad meditando in agro.* Sic Christus cum sibi quæreret desponsari Ecclesiam. Discipuli autem famescentes acriter: sicut dicitur, I ad Corinth. iv, 11: *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus.* Ad Hebr. xi, 37: *Egentes, angustiati, afflicti.*

Sic ergo ex fame non studiosa præparabant, sed « *vellebant* » manibus, non elixando, non condiendo, non saporibus infundendo, « *spicas* » rudes. Hoc enim licebat secundum legem. Deuter. xxiii, 25: *Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, et manu conteres: falce autem non metes.*

« Et manducabant. »

Non vendebant, nec deportabant: manducabant autem non ad necessitatis suppletionem, sed ad nimix inediae et debilitatis remedium: quia ex talibus edulium ad refectorem vix sumi potest.

« Confricantes manibus, »

Scilicet suis. Ecce præparatio rudis, non lauta. Non sunt igitur de quibus dicitur, ad Philip. iii, 19: *Quorum Deus venter est.* De quibus dicitur, Amos, vi, 4 et 6: *Qui comedunt agnum de grege, et vitulos de medio armenti, ... bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti: et nihil patiuntur super contritione Joseph.* Luc. xvi, 19: *Epulabatur quotidie splendide.* Exemplum hinc accipiant successores Apostolorum, qui hæreditatem acceperunt sedes eorum. Psal. xlii, 17: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.*

Spicæ tamen etiam significant Scripturarum sententias, in palea litteræ inclusas, quæ manibus confricantur quando operum bonorum impletione et studii vellicatione exponuntur, ut sic purum intellectum reficiant. Levit. ii, 14 et 15: *Si obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igni (sancti Spiritus) et confringes (per meditationem) in morem farris (ut conveniens sint nutrimentum), et sic offeres primitias tuas Domino, fundens supra oleum) unctionis et gratiæ sancti Spiritus).*

Similiter autem et virtutis opus quasi de spica evellitur, quando de motibus pœnitentis evocatur. Genes. xli, 5: *Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque formosæ, hoc est, se-*

pothèses, l'époque de l'année où eut lieu l'incident raconté par S. Luc est clairement marqué par le contexte: c'était peu de temps

avant la moisson.

L. CL. FILLION, Comment. sur S. Luc. pp. 133-134, Paris, Lethielleux, 1882).

ptem virtutes in corde uno : sicut fortis ille Gedeon purgabat triticum cum vellet fugere Madian <sup>1</sup>.

Tales autem morales expositiones a quolibet de facili fieri possunt.

2 « Quidam autem Pharisæorum dicebant illis : Quid facitis quod non licet in sabbatis ?

3 Et respondens Jesus ad eos, dixit : Nec hoc legistis quod fecit David, cum esurisset ipse et qui cum illo erant :

4 Quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis sumpsit, et manducavit, et dedit his qui cum ipso erant, quos non licet manducare nisi tantum sacerdotibus ?

5 Et dicebat illis : Quia dominus est Filius hominis etiam sabbati. »

Ecce murmuratio.

Tangit autem duo : astutiam, et nequitiam.

Astutiam in hoc quod quidam, et non omnes : ut si confutarentur illi, non omnes essent confusi : si autem vincerent, omnes viderentur esse victores. Genes. iii, 1 : *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Isa. viii, 10 : *Inite consilium, et dissipabitur.*

Nequitia autem est in interrogatione cum dicunt : « *Quid facitis ?* » Matthæus dicit et Marcus, quod dixerunt ipsi Domino <sup>2</sup>. Sed verum est quod primo dixerunt discipulis : et cum non desisterent, dixerunt Domino, ut compereret eos, vel efficeretur accusabilis.

« *Quod non licet,* » lege prohibente, « *in sabbatis,* » quia plures festivitates concurrerant in unam. Unde, Numer. xv, 36, lapidatus est qui collegit ligna in sabbato. Et erant cæci : quia ratio humana hoc dicit, quod in quolibet festo licet naturæ satisfacere.

« Et respondens Jesus ad eos, dixit : »

Ecce confusio contradicentis, et vera doctrina dispensationis.

« *Nec hoc,* » supple ad intellectum, « *legistis.* » Et contra omnem serpentinum morsum Christus Scripturam opponit : sicut supra patuit in tentationibus diaboli, et hic.

Dicit autem duo. Primum est, quod ex Scripturis probat, et de rebus et temporibus propter necessitatem esse dispensandum. Secundum autem est, quod apud se ostendit esse dispensandi auctoritatem summam.

Primum horum probat per factum David, I Reg. xxi, 3-6. De quo dicit : « *Quod fecit David.* » Dicitur enim hic David totum illud fecisse quod circa se factum est dispensatione summi Sacerdotis.

Et hoc est : « *Cum esurisset ipse, et qui cum illo erant.* » Et hoc fuit cum completam esse didicit malitiam Saul, ad interficiendum eum. Et ideo propter cibum ad suos declinare non audebat, nec etiam ad alios qui proderent eum Sauli : sed spem habens in honestate sacerdotis Abiathar junioris, et patris ejus Achimelech, declinavit in Nobe villam ad eos, ibi quærens refectionis consolationem, ubi scivit se non invenire proditorem. Et ideo necessitas illa dispensandi fuit causa. Et ideo locum habuit dispensatio.

« Quomodo intravit in domum Dei, »

Non ipse David in propria persona, sed sacerdos : et panes propositionis sibi a sacerdote exhibitos manducavit, eo quod alios panes sacerdos non haberet, nec David alibi requirere panes ausus fuit.

« *Et,* » quod plus est, panes eosdem dedit his « *qui cum illo erant,* » scilicet

<sup>1</sup> Judicum, vi, 11.

<sup>2</sup> Cf. Matth. xii, 2 ; Marc. ii, 29.

pueris. Excusatus hoc fecit necessitate inducta et dispensatione sacerdotis, quia famescebat, et ad alium locum declinare secure non poterat.

« *Quos,* » scilicet panes propositionis, « *non licet,* » propter inhibitionem legis <sup>1</sup> « *manducare nisi tantum sacerdotibus.* » Levit. xxiv, 9 : *Panes propositionis erunt Aaron et filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto : quia sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini jure perpetuo.* Unde Leo Papa : « Cum necessitas fuerit, dispensetis qui habet potestatem. Sciat autem, quod sicut diximus, dispensatio est juris scripti, et editæ legis relaxatio ob necessitatem cogentem vel utilitatem provocantem inducta. » Unde Beatus Bernardus : « Non sum ego tam rudis quod ignorem vos dispensatores esse positos secundum potestatem quam dedit vobis Dominus in ædificationem et non in destructionem vestram. Dummodo causam habeat dispensatio, aut necessitatem cogentem, aut utilitatem provocantem. Utilitatem dico non propriam, sed communem. Si enim harum causarum neutram habuerit, non dispensatio, sed crudelis dissipatio est dicenda. »

Considerandum in quibus dispensandum est. Sunt enim quæ necessaria fecit sola promittentis voluntas, sicut vota. Sunt quæ necessaria sancivit superioris auctoritas, sicut jura, leges et præcepta. Sunt quæ necessaria et venerabilia fecit observandorum dignitas, sicut virtutes, quas Dominus commendavit in sermone in monte. Tamen etiam in his quæ præcipiuntur, quædam etiam sua propria dignitate obligatoria, sicut Decalogus. Quædam autem sola obligant auctoritate superioris, sicut id quod jam dictum est, quod panes propositionis non comedant nisi sacerdotes. Quæcumque ergo sua naturali dignitate obligant, nulli penitus et nullius subjacent dispensationi. Ea ve-

ro quæ voventis obligant promissione et auctoritate sola superioris, et præcepto subjacent, et dispensationi superioris, pensata qualitate temporis et loci et personarum pro quibus fiunt : ita tamen quod causam necessitatis vel utilitatis accipiat dispensatio.

Redeamus igitur ad litteram.

« Et dicebat illis, »

Auctoritatem dispensandi apud se ostendens, « *quia dominus est,* » cujus est ordinare, et condere leges, et dispensare, « *Filius hominis,* » licet infirmam naturam assumpserit, « *etiam sabbati,* » licet de feriis et sabbato præcepta sint de principalioribus cæremoniis. Joan. v, 27 et 28 : *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc.* Ac si dicat : Pater dedit Filio potestatem judicariam judicandi, et jura condendi, et dispensandi. Nec suboriatur vobis admiratio de hoc, quia Filius hominis est infirmus in carne : quia in carne latet deitas Filii Dei, qua omnia ista potest.

« Factum est autem et in alio sabbato, ut intraret in synagogam, et doceret. »

In ista historia directe inducit sabbati soluti dispensationem secundum Judæorum interpretationem, et non secundum veritatem.

Dicuntur autem in ea quinque : facti ex tempore et loco et opere et qualitate infirmi opportunitas, observantium maligna calliditas, proposita omnibus de observatione sabbati et religionis subtilitas, miraculi perfecti omnibus evidens sanitas, et invidiæ tabescentis confusa malignitas et perversitas.

De primo duo dicuntur : studium Do-

<sup>1</sup> Levit. viii, 31.



mini circa nostram salutem, et miseria præsentis infirmi expetens sanitatem.

Studium Domini divinum proponitur, tempori congruum, loco debitum, et virtutem ostendens per ipsius actus.

Officium divinum probatur per hoc quod dicitur : « *Factum est autem,* » quia sic factum est in tempore prout præfinitum est in æternitate. Act. iv, 28 : *Fecerunt quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri.* Ideo, ad Ephes. iii, 9, dicitur, sacramentum Ecclesiæ a sæculis in Deo absconditum <sup>1</sup>.

« *In alio sabbato* » simplici, quod non erat nisi simplex sabbatum. Isa. LVIII, 13 : *Vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum.*

« *Ut intraret Jesus in synagogam,* » quia tali loco et tali tempore convenit multitudo, et ideo multis prodesse poterat. I ad Corinth. ix, 22 : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.*

« *Et doceret.* » Ecce actus qui est virtutis summæ (quæ sapientia vocatur) officium. Joel, ii, 23 : *Lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem justitiæ.* Alii enim dicunt. Iste autem docet ad intellectum, imprimit cordi quæ dicit. Psal. LXX, 17 : *Docuisti me a juventute mea : et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.*

« Et erat ibi homo, et manus ejus dextra erat arida. »

Ecce qualitas infirmi præsentis, de qua tria dicit commendabilia, et unum miserabile.

Primum commendabile est, quod in feria sabbati se divinis exhibuit. Et hoc notat in consignificatione temporis, cum dicit : « *Et erat.* »

Alterum est, quod locorum sanctorum frequentator fuit. Et hoc tangit per hoc quod dicit : « *ibi.* »

Tertium est, quod naturæ dignitatem

reservavit. Et hoc est quod dicit : « *Homo.* »

Miseria autem cui subjacebat est in hoc quod dicit : « *Et manus ejus dextra erat arida.* »

In primo notatur quies pectoris in Deo per contemplationem. Isa. LVIII, 13 : *Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum.* Ac si dicat : Si sabbato quod est requies, corde ad me vadas, et in tuis vanitatibus non discurras, tunc erit tibi in me sabbatum delicatum et sanctum Domini gloriosum. Et ad hoc sunt feriæ institutæ.

Per secundum notatur delectatio laudis divinæ, quæ fit in synagoga. Psal. XLIX, 23 : *Sacrificium laudis honorificabit me : et illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Genes. XXVIII, 17 : *Non est hic aliud nisi domus Dei et porta cæli.*

Per tertium notatur imaginis conservatio. Psal. iv, 7 : *Signatus est super nos lumen vultus tui, Domine : dedisti lætitiā in corde meo.* Eccli. XVII, 1 et 2 : *Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum. Et iterum convertit illum in ipsam, et secundum se vestivit illum virtute.*

« Et manus ejus dextra erat arida. »

Hic describitur qualitas miseriæ, et describitur a tribus : a specie membri, quia manus erat, quæ non est simpliciter membrum, sed etiam organum organorum, et intellectus operativi instrumentum. Describitur autem a proprietate membri, quoniam erat manus dextra in qua fuit totius virtutis et operis principium. Describitur etiam a nocimento, quoniam erat arida, quæ sola retenta figura manus aruerat, desiccato fonte spiritus et nutrimenti. Desiccato autem

<sup>1</sup> Ad Ephes. iii, 8 et 9 : *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, ... illuminare*

*omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo.*

fonte spiritus, necesse fuit quod manus vegetatione et sensu et motu destituere-  
tur. Et sic homo iste in hoc quod manu  
caruit, omni etiam opere quod per intel-  
lectum facere potuit, oportuit ut careret.  
In hoc autem quod dextra caruit, potenti  
caruit principio juvamentorum. Et in  
hoc quod arida fuit, vegetatione, sensu  
et motu carebat. Hæc autem omnia cau-  
santur ex duobus: uno quidem causan-  
tur frigido, sensum stupefaciente et mo-  
tum amputante: alio autem frigido, hu-  
morem vegetativum amputante.

Et sic secundum naturam septem sunt  
defectus hujus hominis: quinque in  
manu, et duo in fontibus, ex quibus  
manus suam debuit capere nutrimen-  
tum. Destitutus enim manu in usu ma-  
nus, destitutus est in artificio intellectus  
practici, et juvamine operum: de quo  
dicitur, Job, vi, 13: *Ecce non est auxi-  
lium mihi in me*. Multi enim vivunt au-  
xilio manuum. Proverb. xxxi, 13: *Ope-  
ra est consilio manuum suarum*. Secun-  
dus defectus est in carentia dextræ, quæ  
est carentia adjutorii: sicut multi fuerunt  
sibi adjutorium per dexteram. Psal. xcvi,  
1: *Salvavit sibi dextera ejus, et brachium  
sanctum ejus*. De utroque istorum dicitur,  
Eccli. xxxvi, 7: *Glorifica manum,  
et brachium dextrum*.

In manu autem tres habuit infirmita-  
tes: carentiam vegetationis, nam manus  
pendebat quasi mortua. Apocal. iii, 1:  
*Nomen habes quod vivas, et mortuus es*.  
Secunda est carentia sensus, et tertia ca-  
rentia motus. Et ideo designat eum qui  
nihil facit bonorum operum, nullum ha-  
bet auxilium virtutis, caret vita gratiæ,  
privatur sensu bonæ intelligentiæ. Et  
non habet motum aliquem boni effectus  
de quo dicitur, Proverb. xxiii, 33: *Ver-  
beraverunt me, sed non dolui: traxe-  
runt me, et ego non sensi*.

Hæc autem omnia mala duo defectus  
faciunt: frigus scilicet charitatis, et ex-  
siccatio pietatis. Matth. xxiv, 12: *Refri-*

*gescet charitas multorum*. Et præcedit:  
*Abundavit iniquitas*. Et hoc idem dicitur,  
Isa. ix, 18: *Succensa est quasi ignis  
impietas*. Eccli. iv, 36: *Non sit porrecta  
manus tua ad accipiendum, et ad dan-  
dum collecta*. Zachar. xi, 17: *Brachium  
ejus dextrum ariditate siccabitur*.

Sic ergo iste septem miseriis miser  
erat. Sed verificatum est de eo quod di-  
citur, Job, v, 19: *In sex tribulationibus  
liberabit te, et in septima non tanget te  
malum*.

« Observabant autem Scribæ et Pha-  
risæi si in sabbato curaret, ut inveni-  
rent unde accusarent eum. »

Ecce insidiantium observatio.

Et dicuntur tria: insidiantium obser-  
vatio, et observantium contra scientiam  
obstinatio, et obstinatorum pessima in-  
tentio.

De primo dicit: « *Observabant autem  
eum,* » hoc est, servando obsidebant un-  
dique quærentes occasionem. Job, xix,  
12: *Obsederunt in gyro tabernaculum  
meum*. Eccli. li, 10: *Circumdede-  
runt me undique, et non erat qui adjuvaret*.

« *Scribæ,* » qui malignari sciverunt,  
« *et Pharisæi,* » quorum multum nocuit  
malignitas. Psal. lxxii, 7: *Prodiit quasi  
ex adipe iniquitas eorum*.

« *Si sabbato curaret:* » cum in veri-  
tate curare solo verbo simplici, non sit  
opus servile, sed libertatis perfectæ. Sed  
considerabant quod infirmi lectos suos  
portabant vel alia instrumenta quibus  
fulciebantur. Et hoc observabant. Joan.  
v, 10: *Sabbatum est, non licet tibi tol-  
lere grabatum tuum*.

« *Ut accusarent,* » et morti condem-  
narent, « *eum:* » sicut illum qui colle-  
git ligna in die sabbati<sup>1</sup>. Matth. xxvi,  
59: *Principes sacerdotum et omne con-  
cilium quærebant falsum testimonium  
contra Jesum*.

<sup>1</sup> Cf. Numer. xv, 36.

8 « Ipse vero sciebat cogitationes eorum, et ait homini qui habebat manum aridam : Surge, et sta in medium. Et surgens stetit.

9 Ait autem ad illos Jesus : Interrogo vos, si licet sabbatis benefacere, an male? animam salvam facere, an perdere?

10 Et circumspectis omnibus, dixit homini : Extende manum tuam. Et extendit : et restituta est manus ejus. »

Hic tanguntur sex per ordinem.

Primo, proditio malignæ cogitationis. Unde dicit : « *Ipse vero sciebat,* » ut Deus quem nihil latet, « *cogitationes eorum.* » Sapient. 1, 9 : *In cogitationibus impii interrogatio erit : sermonum autem illius auditio ad Deum veniet.* Matth. 1x, 4 : *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* I Reg. xvi, 7 : *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.*

« Et ait homini qui habebat manum aridam. »

Ecce secundum, iniquæ cogitationis confutatio.

« *Surge,* » sursum te age, non tam corpore quam mente, « *et sta,* » rectus rectitudine justitiæ, et corporis positione, « *in medium,* » ut a cunctis videaris, et etiam medium virtutis tangere possis.

« *Et surgens,* » per effectum, « *stetit :* » per operationem enim velociter obedivit. Act. v, 29 : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Baruch, v, 5 : *Ezsurge, Jerusalem, et sta in excelso.*

« Ait autem ad illos, »

Confutando omnes versutias eorum : « *Interrogo vos.* » Ad rationem recur-

rite. Isa. XLVI, 8 : *Redite, prævaricatores, ad cor.*

« *Si licet,* » salva religione, « *sabbatis benefacere, an male?* » Et hoc est tertium in quo demonstrato omnibus miserabili languido, quærit judicium rerum rationis. Job, vi, 29 : *Respondete, obsecro, absque contentione : et loquentes id quod justum est, judicate.* Benefacere autem, est benefice impendere beneficium. Male autem facere, non tantum est irrogare maleficium, sed subtrahere beneficium.

Hoc autem quod in communi dixerat, quarto explanat :

« Animam salvam facere, »

Beneficium sanitatis impendendo. Animam enim vocat hominem a parte digniori. « *An perdere,* » beneficium subtrahendo? Luc. 1x, 36 : *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.*

« Et circumspectis omnibus, »

Si aliquis responderet. Jerem. iv, 23 : *Adspexi terram, et ecce vacua erat, et nihili.* Job, xiii, 4 : *Prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultoreserversorum dogmatum.*

« *Dixit homini : Extende manum tuam,* » non tam in elargitione nervorum et juncturarum, quam in liberalitatem miserationum. Proverb. xxxi, 20 : *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.* Psal. cxlii, 16 : *Aperis tu manum tuam, et imple omne animal benedictione.*

Unde sequitur hic sexto de cura quæ sequitur verbum :

« Et extendit, »

Quæ ante parcitate contracta fuit : « *et restituta est manus ejus.* » Manus enim sanata est, quando innocens est ad proximum, aperta ad pauperem, et directa ad Deum, et omni virtute perfecta ab bonam

operationem. De primo, Psal. xxiii, 4 : *Innocens manibus et mundo corde*. De secundo, Tob. iv, 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude*. De tertio, I ad Timoth. ii, 8 : *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione*. De quarto, Cantic. v, 14 : *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis*. Tornatiles quidem propter bonæ operationis volubilitatem : aureæ propter divinæ gratiæ splendorem : plenæ hyacinthis, qui cœlestis coloris est, propter bonam in operibus intentionem.

11 « Ipsi autem repleti sunt insipientia, et colloquebantur ad invicem quidnam facerent Jesu. »

Istud est ultimum in quo ostenditur mors pessimorum in gustu salutis omnium : sicut talpa moritur ad solem, et venenata ad diffusionem aromatum.

Et hoc est quod dicit : *Ipsi autem, »* invidi Scribæ et Pharisæi, qui sunt ex parte diaboli. Sapient. ii, 24 et 25 : *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum : imitantur autem illum qui sunt ex parte illius*.

« *Repleti sunt, »* repletionem premente et stomachante. Invidia enim excæcavit eos, et indignatio replevit eos.

« *Insipientia »* autem vocatur quando homines ignorant seipsos, et nesciunt suam ipsorum quantitatem. Et hoc accidit eis excæcante propria malitia. Sapient. ii, 21 et 22 : *Excæcavit illos malitia eorum : et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ*.

« *Et colloquebantur ad invicem, »* virus quod habebant in corde, jam tunc prodentes ad invicem. Psal. v, 11 : *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguæ suis dolose agebant*.

« *Quidnam facerent Jesu, »* hoc est, qua morte eum interficerent. Vel qua accusatione damnarent. Joan. xi, 47 et 48 : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum*. Et infra, x. 53 : *Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum, sed perficere non poterant, quia nondum venerat hora ejus*<sup>1</sup>.

« Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. »

12

Hic post plenam capitis constructionem, agit de electione Apostolorum, qui sunt loco Episcoporum, qui primæ dignitatis et ordinis sunt in Ecclesia.

Sunt autem in ipsis tria consideranda, quorum primum est electio et electorum informatio. Secundum autem est verbi et doctrinæ dispensatio, quæ octavo capitulo introducit. Tertium autem est missio et missorum expeditio, et illa tangitur nono capitulo. A decimo autem usque ad Passionem tangit de ordinatione eorum qui (sicut presbyteri et diaconi) sunt secundi ordinis in Ecclesia.

In hac ergo prima parte agit de electione et informatione Episcoporum : et primum quidem de electione, quæ duo continet. Præmittit enim quædam de forma electionis præcurrentiâ, et secundo ponit cum suis conditionis ipsam electionem.

Præcedentia autem electionem sunt duo : temporis a Deo præfiniti dispensatio, et præmissa eligentis oratio.

De dispensatione temporis sic dicit :

« Factum est autem in illis diebus. »

Non enim juxta historiam in illis diebus factum est : quia ea quæ ante narrata sunt, post istam electionem sunt facta : sed secundum præfinitionem consilii di-

<sup>1</sup> Joan. vii, 30.

vini ad probationem ordinis ecclesiastici. Sic enim tempus ab ævo ire jubet, omnia implens quæ cogitavit perficienda. Ideo in Prophetis sæpe dicitur : *Ecce dies veniunt*. Sicut Jerem. xxiii, 5. Daniel. xii, 4 : *Claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum*.

« Exiit. »

Tangit hic sex spectantia ad orationem, scilicet, orantis ad solitudinem segregationem, spiritus orantis elevationem, formam quam decet habere orationem, orantis in oratione perseverationem, tempus quoad orationis et secreti congruitatem, et orationis finem.

De segregatione orantis dicit : « *Exiit*, » hoc est, a suis intimis et a curis se segregavit : non quia ipse hoc indigeret, sed ut nobis orantibus formam daret. Matth. xxvi, 36 : *Sedete hic, donec vadam illuc et orem*. Luc. xxii, 41 : *Ipse enim avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis*. Genes. xxii, 5 : *Expectate hic cum asino : ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos*. Hoc dixit Abraham servis suis.

« In montem. »

In quo significat orantis in spiritu et justitia elevationem. Psal. lxiii, 7 : *Accedet homo ad cor altum*. Jerem. xxxi, 23 : *Benedicat tibi Dominus pulchritudo justitiæ, mons sanctus*. Genes. xxii, 14 : *In monte Dominus videbit*, hoc est, in altitudine spiritus et veritatis. Joan. iv, 24 : *Spiritus est Deus : et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*. Psal. lxvii, 17 : *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo : etenim Dominus habitabit in finem*.

« Orare. »

In hoc dat formam quam decet habere orationem.

Intelliguntur autem tres modi et formæ, secundum tres orationis diffinitiones.

Prima est quoad ea quæ petuntur ut sint decentia, hoc est, ad salutem pertinentia. Unde Damascenus dicit, quia « oratio est petitio decentium a Deo. » Matth. vi, 33 : *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis*.

Secunda forma est secundum affectum orantis, hoc est quod sit devota et pia oratio. Unde Augustinus : « Oratio est « pius affectus mentis in Deum directus. » Pius autem affectus, est liquescens in Deum ex fervore devotionis et fluens affectus. Psal. cxii, 2 : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. Cantic. iii, 6 : *Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii*.

Tertia forma est accepta secundum intellectum orantis, ut exaltetur intellectus in veritatem incircumscripam. Unde Joannes Damascenus dicit, quod « oratio est ascensus intellectus in Deum. » Et Dionysius dicit, quod « virtus orationis est in Deum ascendere « et Deo appropinquare. » Eccli. xxxv, 21 : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit : et donec propinquet non consolabitur : et non discedet donec Altissimus adspiciat*.

Ista ergo est forma orationis.

« Et erat. »

Ecce in tempore consignato tangitur orationis instantia cum perseverantia. Luc. xviii, 1 : *Quoniam oportet semper orare, et non deficere*. Ad Roman. xii, 12 et 13 : *Orationi instantes : necessitatibus sanctorum communicantes*. I ad Thessal. v, 17 : *Sine intermissione orate*.

« Pernoctans.

Ecce tempus quieti et secreto orationis congruum intempestæ noctis silentio.

Psal. cxviii, 62 : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Item, ibidem, v. 55 : *Memor fui nocte nominis tui, Domine.* Thren. ii, 19 : *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum tuarum.* Isa. xxvi, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.*

« In oratione Dei. »

Ecce finis. Dei enim est oratio per finem, et non honores, vel divitiæ, vel deliciæ, vel pertinens ad hoc sæculum. Et ideo dicit Glossa : « *Dei,* » « non sæculi. » De oratione enim sæculi dicitur, II Machab. ix, 13 : *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Isa. i, 15 : *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Sed Deum petens in oratione auditur, Isa. xxxviii, 5 : *Audiivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas.*

**13** « Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos : et elegit duodecim ex ipsis quos et Apostolos nominavit :

**14** Simonem, quem cognominavit Petrum, et Andream, fratrem ejus, Jacobum et Joannem, Philippum et Bartholomæum,

**15** Matthæum et Thomam, Jacobum Alphæi et Simonem, qui vocatur Zelotes,

**16** Et Judam Jacobi, et Judam Iscariotem, qui fuit proditor. »

Hic tangit electionem.

Tangit autem duo, quorum primum est electionis forma. Secundum autem, electorum nomina.

Circa primum novem innuit formam

electionis circumstantia, quorum primum est, ut electio sit clara, nihil habens tenebrarum. Secundum, ut sit indicta. Tertium, ut sit libera. Quartum, ut sit de vita probata. Quintum, ut sit divina. Sextum, ut sit rationabiliter celebrata. Septimum, ut numero congruentissima, una unius, et plures plurium. Octavum est, ut sit de pertinentibus ad corporis compaginationem. Nonum quod sequitur, est de sic electi potestate.

De primo dicit :

« Cum dies. »

Non in nocte in latebris celebranda est electio, quando ea quæ fiunt non manifestantur claro lumine : quia, Joan. iii, 20 : *Qui male agit, odit lucem.* Joan. viii, 12 : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

« Factus esset. »

Per hoc notatur dies electioni præfinita et præfixa, ad quam præparati veniant omnes ad electionem : quia aliter furtiva esset electio : et ille qui sic intraret, fur esset et latro <sup>1</sup>, non intrans per ostium notitiæ et approbationis singulorum, sed ascenderet aliunde.

« Vocavit. »

Ecce libertas electionis. Non intrusit violentia vel prece armata, sicut Jason intrare voluit <sup>2</sup>. Nec emit, sicut Simon Magus <sup>3</sup>. Nec generoso sanguini possidendas sedes istas dedit, sicut Alcimus voluit intrare <sup>4</sup>, sed libera vocantis voluntate. Ad Hebr. v, 4 : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.*

<sup>1</sup> Cf. Joan. x, 1 et seq.

<sup>2</sup> II Machab. iv, 7 et seq.

<sup>3</sup> Act. viii, 18 et 19.

<sup>4</sup> I Machab. vii, 5 et seq.

« Discipulos. »

Ecce qualis eligendus, quia discipulus. Discipulus autem est, disciplinis imbutus: et si nondum sit imbutus, non est discipulus, quamvis forte sit de sequentibus ipsum. I ad Timoth. III, 6: *Non neophytum, ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli.*

Sunt autem quatuor quæ secundum Chrysostomum faciunt eum discipulum.

Primum quidem legis divinæ professa scientia. Isa. VIII, 16: *Signa legem in discipulis meis.* Et, ad Titum. I, 9: *Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.*

Secundum est humilitas quæ necessaria est sedenti in alto. Matth. XI, 29: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Tob. IV, 14: *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo, dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.*

Tertium est mansuetudo, quæ necessaria est in susceptione subditorum. Numer. XII, 3: *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.*

Quartum est dilectio, quæ ex se producit zelum animarum. Joan. XIII, 35: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

« Suos. »

Sui sunt, qui servi sui prudentes et fideles sunt: servi per cultum, et mandatorum custodiam: prudentes per bonorum sibi commissorum multiplicationem, et utilem dispensationem: fideles autem per fidelissimam custodiam.

De primo horum, Psal. CXV, 16: *O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.* Unde

per custodiam mandatorum venit ad prudentiam. Psal. CXVIII, 104: *A mandatis tuis intellexi.* Psal. CXVIII, 125: *Servus tuus ego sum, da mihi intellectum.* Et sic efficitur prudens. Fidelis autem quando nihil de gloria domus Domini tui manibus tuis adhæret. Matth. XXIV, 43: *Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore<sup>1</sup>?*

« Et elegit, »

Cum discretionem. Quia, ut dicit Damascenus, « eligere, est ex duobus vel « pluribus propositis, unum aliis præoptare. » Cantic. V, 10: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.* Bonus enim malo, et melior bono, et optimus meliori, debet in ecclesiasticis dignitatibus præoptari. Joan. XV, 16: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat.*

« Duodecim ex ipsis. »

Ecce numerus sacratus. Tamen scias quod duodecim electi debent habere duodecim electiones, et unus unam. Quamvis enim a multis nominetur, tamen ut una sit electio unius, unum unus præ omnibus elegit unica electione. Exod. XVIII, 21: *Provide de omni plebe viros potentes et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, et constitue ex eis tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos.* Dicitur autem hic numerus sacratus: quia sacrante primo multiplicante sacramentum primum, surgit hic numerus sacrans. Primum est Trinitatis fides. Sacramentum primum quatuor partes orbis, Oriens, et Occidens, Meridies, et Septentrio. Et ter quatuor sive quater tria sunt duodecim. Isti sunt duodecim Patriarchæ

<sup>1</sup> Cf. Luc. XII, 42.

fidem generantes <sup>1</sup>: et benedictiones Israel hæreditate possidentes <sup>2</sup>. Isti sunt duodecim portæ nominibus Patriarchæ intitulatæ, secundum potestatem clavium regnum cœlorum fidelibus aperientes <sup>3</sup>. Isti sunt duodecim fundamenta, doctrina fidei Ecclesiam sustentantes <sup>4</sup>. Isti sunt duodecim principes, ducatu suo Ecclesiam regentes <sup>5</sup>. Isti sunt duodecim exploratores viam ad terram promissionis sua doctrina præmonstrantes <sup>6</sup>. Hi sunt duodecim fontes, verbo salutis Ecclesiam irrigantes <sup>7</sup>. Hi sunt duodecim lapides, in veste sacerdotali splendore sanctitatis radiantes <sup>8</sup>. Isti sunt duodecim panes propositionis, verbo gratiæ Ecclesiam nutrientes <sup>9</sup>. Hi sunt duodecim lapides altaris, soliditate fidei Dominicam passionem et Dominicum sacrificium prænuntiantes <sup>10</sup>. Hi sunt duodecim vituli quos in figuram Dominicæ passionis factam, in mortificatione cujuslibet Apostoli Moyses immolavit Domino <sup>11</sup>. Hi sunt duodecim lapides a Jordane, quos in consimilem articulorum fidei numerum Apostoli ediderunt, Josue elevavit a Jordane, et posuit in ripam <sup>12</sup>. Adhuc autem hi duodecim sunt boves sub mari æneo, quos in figura baptismi sanguinis Christi, Salomon supposuit mari æneo <sup>13</sup>. Hi sunt etiam duodecim leones in throno Salomonis <sup>14</sup> adversarios fidei fortiter lacerantes, et fidem contra hæreses defendentes. Hi sunt tandem duodecim stellæ in corona Ecclesiæ præfulgentes <sup>15</sup>, splendore exemplorum bonorum Ecclesiam honestantes et ordinantes.

Unde etiam omnia quæ in cœlo sunt ad duodecim revertuntur: quos si in duo dividas, diagonalem efficies radiationem: si in tria, quadratam radiationem de-

scribes: et si in quatuor, perficies radiationem trigonam. Nec possunt esse in circulo plures radiationes nisi ea quæ est conjunctio, quæ accipitur penes unum et idem. Sicut ergo unum, duo, tria, quatuor, sex, quæ sunt partes duodenarii, omnes perficiunt circuli radiationem. Unum autem est unitatis fides. Duo autem, duo quæ sunt in Deo dicunt personam et naturam. Tria autem, tres personas. Quatuor autem, quatuor virtutes. Sex autem, dicunt contemplationes divinas rationis, fidei, doni sapientiæ et intellectus, beatitudinis quæ est munditia cordis, et fructus qui est certitudo invisibilium, et sexta quæ est raptus. Isa. vi, 2: *Sex alæ uni, et sex alæ alteri.*

« *Elegit autem duodecim ex ipsis,* » significans in hoc, ex ipso gremio Ecclesiæ esse eligendum. Osee, ii, 15: *Dabo ei vinitores ejus ex eodem loco.* Joan. x, 3, 4 et 5: *Proprias oves vocat nominatim et educit eas. Et cum proprias oves miserit, ante eas vadit: et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum.* Alienus enim nec novit consuetudines Ecclesiæ, neque etiam res Ecclesiæ.

Quos et Apostolos nominavit. »

Ista est potestas consequens data electo: quia missi sunt electi a latere Domini, vice et potestate sua fungentes. II ad Corinth. v, 20: *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.* Luc. x, 16: *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit.*

<sup>1</sup> Cf. Genes. xxv, 16.

<sup>2</sup> Cf. Genes. xlix, 28.

<sup>3</sup> Cf. Ezechiel. xlvi, 34-34.

<sup>4</sup> Cf. Apocal. xi, 19 et 20.

<sup>5</sup> Cf. Numer. iii, 24-35.

<sup>6</sup> Cf. Numer. xiii, 5-16.

<sup>7</sup> Cf. Exod. xv, 27.

<sup>8</sup> Cf. Exod. xxviii, 17-20.

<sup>9</sup> Cf. Levit. xxiv, 5.

<sup>10</sup> Cf. Exod. xxxix, 14 et seq.

<sup>11</sup> Cf. Exod. xxiv, 5.

<sup>12</sup> Cf. Josue, iv, 3.

<sup>13</sup> Cf. III Regum, vii, 25.

<sup>14</sup> Cf. III Regum, x, 20.

<sup>15</sup> Cf. Apocal. xii, 1.



« Simonem, etc. »

Ecce nomina electorum.

« *Simonem*, » quia sic prius vocabatur, quod sonat *obediens*, « *quem cognominavit*, » id est, cognominandum præfiguravit, « *Petrum*, » a petra : quia sua confessio <sup>1</sup> immobilitatem præstat Ecclesæ : Joannes tamen, 1, 42, vocat eum Cephæ, quod interpretatur *caput* : quia in caput et verticem Apostolicum eum constituit, non hic, sed Matth. xvi, 18. Dicunt tamen quod Cephæ interpretatur Petrus : quod non est verum nisi a consequente proprietate. Per hoc enim quod caput est, regens Ecclesiam, fundat eam immobiliter in confessione perpetuæ veritatis.

« *Et Andream*, » qui *virilis* vel *respondens pabulo* interpretatur. Frater enim obedientis virilis est : quia *vir obediens loquetur vitorias* <sup>2</sup>.

« *Jacobum*, scilicet majorem, et *Joan-nem*, » fratrem ejus, filios Zebedæi.

« *Philippum*, » a Bethsaida civitate Andree et Petri. Socios ergo et concives adjungit simul : quia in piscatione Simon, et Andreas, et Jacobus, et Joannes socii fuerunt : Philippus autem fuit concivis Andree et Petri.

« *Et Bartholomæum*, » qui interpretatur *filius suspendentis aquas*. Et solus iste, ut dicitur, inter Apostolos et nobilis et philosophus fuit. Et ideo dicunt dicere Apostolum, I ad Corinth. 1, 26 et seq. : *Videte vocationem vestram, fratres : quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles. Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes : et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Et ignobilia mundi, et contemptibilia mundi elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret : ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus.*

<sup>1</sup> Matth. xvi, 18.

<sup>2</sup> Proverb. xxi, 28.

« *Matthæum*, » telonearium, « *et Thomam*. » Matthæus tamen decimus postponit se Thomæ propter humilitatem : quia de se sentit humilia. I ad Corinth. xv, 9 : *Ego sum minimus Apostolorum*. Matthæus *additus* interpretatur : quia ex profundo peccatorum Apostolis est additus. Thomas autem Didymus, hoc est, dubius, interpretatur *abyssus* : quia ex abyssu multa judiciorum Dei, fide certificatus fluctuantes certificavit.

« *Jacobum* » minorem, « *Alphæi* » filium, qui *fugitivus* interpretatur vel *docens*. Hic autem Jacobus tam similis corpore et religione Domino fuit, quod *frater Domini* meruit appellari. Et ideo defuncto sine prole Domino, successit ei ducens uxorem Domini Ecclesiam Jerusalemitanam, in qua post Dominum fuit episcopus : et ideo dispersis scripsit epistolam, quæ prima est inter Canonicas septem epistolas.

« *Et Simonem* » Cananæum, fratrem Jacobi minoris, « *qui vocatur*, » cognomine, « *Zelotes*, » propter zelum boni quem habuit in Christum.

« *Judam*, » fratrem « *Jacobi*, » qui cognominabatur Thaddæus quod interpretatur *corculus*, propter cordis puritatem. Hi enim tres erant fratres, et quartus frater erat Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominabatur justus, qui cum Mathia sortes habuit ad Apostolatam <sup>3</sup>.

« *Et Judam Iscariotem*, » sic a vico unde natus fuit, dictum. Et ostendit in hoc Dominus quod præsens justitia consideranda est in eligendo, et non futuri casus. Et ideo sequitur. « *Qui fuit proditor* » futurus : quod tamen Dominum nostrum Jesum latere non potuit. Sed nobis in hoc, ut dictum est, formam dedit. Joan. 11, 25 : *Opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine : ipse enim sciebat quid esset in homine.*

<sup>3</sup> Cf. Act. 1, 23.

**17** « Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, et Jerusalem, et maritima, et Tyri, et Sidonis,

**18** Qui venerant ut audirent eum, et sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur.

**19** Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes. »

Hic dat electis formam doctrinæ.

Tangit autem duo, quod scilicet coram multitudine docuit, et quid docuit.

Multitudinem autem diversificat penes loca unde venit, docens locum in quo stans docuit, et quos docuit.

Dicit ergo quod « *descendens cum illis,* » hoc est, de supremo montis vertice, ubi discipulos in Apostolos elegerat, et ubi totum illum sermonem quem Matthæus scribit <sup>1</sup>, habuerat, « *stetit* » in latere ejusdem montis, « *in loco campestri,* » hoc est, ubi latus montis in planitiem campi extendebatur. Et tamen non in toto pervenit ad campi humilia. Ibi enim in latere montis resederat turba, suprema altitudinis penetrare non valens. Genes. xix, 19 : *Nec possum in monte salvare, ne forte apprehendat me malum.* Unde ibi repetivit quædam humiliora sermonis, capacitati turbæ congruentia. I ad Corinth. iii, 1 et 2 : *Ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.*

« Et turba discipulorum ejus, »

Quæ venit ut audiret verbum illius. Psal. cii, 20 : *Potentes virtute, facientes*

<sup>1</sup> Cf. Matth. v et vi.

*verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.*

« *Et multitudo copiosa plebis.* » Simpliciter enim sequuntur Dominum. Psal. xxiv, 21 : *Innocentes et recti adhæserunt mihi.*

« *Ab omni Judæa,* » quæ a Pilato procurabatur, et Samaria, qui noverant eum ex fama mulieris ad eum venientis <sup>2</sup>. Samaritani autem quinque libros Moysi recipiebant : et tamen erant Gentiles.

« *Et Jerusalem,* » ubi erat summa potestas sacerdotii pariter et regni, « *et maritima,* » non a mari Galilææ, sed a vicinia maris Magni, quod est mare occidentale, dictum *Tyrrhenum*, propter opulentissimam civitatem Tyrum adjacentem. Et hoc est : « *Et Tyri,* » civitatis Gentilium, « *et Sidonis* » quæ est adjacens in parte una provincia. Et hæc tanguntur, ut mirabilis facta sit scientia sermonis Domini, quæ tot, et a tam dispari cultu, et de tam remotis ad Dominum traxit regionibus.

« Qui venerant, »

Sua relinquentes, « *ut audirent eum.* » Eccle. i, 8 : *Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.*

« *Et sanarentur a languoribus suis.* » Omnes enim sanabat qui fidem habebant in ipsum.

« Et qui vexabantur a spiritibus immundis, »

Sicut supra patuit, « *curabantur,* » Luc. xi, 20 : *Si in digito Dei ejicio dæmonia, etc.*

« Et omnis turba quærebat eum tangere, »

Tactu fidei, et tactu corporis : quia

<sup>2</sup> Cf. Joan. iv, 28 et 29.

tactu sua caro vivifica, statim omnes immutavit ad sanitatem.

*Quia virtus » deitatis « de illo exhibit, » in tactu quo tetigit, « et sanabat omnes. »* Tangit enim Christus omnes quos interiori sanitate confirmat. Luc. viii, 46 : *Tetigit me aliquis : nam ego novi virtutem de me exiisse.* Sicut enim fons aquæ scaturit et fluit aquam, ita fons Spiritus emittit indeficienter virtutem sanitatum, dummodo fide et devotione tangatur. Non tangentem enim fide, non permittit tangere corpore. Joan. xx, 17 : *Noli me tangere : nondum enim ascendi ad Patrem meum, in fide scilicet cordis tui.*

20

« Et ipse, elevatis oculis in discipulos suos, dicebat : »

Hic tangit ea quæ pertinent ad doctrinam electorum. Quamvis enim turbis loqueretur, tamen specialiter instruit hic discipulos de perfectione.

Et hoc est quod dicit : « *Et ipse, »* Doctor justitiæ, « *elevatis oculis, »* ut elevatio oculorum, devotionem dicentis, et altitudinem indicet dicendorum. Joan. xi, 41 : *Elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi, etc. »*

Elevans autem oculos direxit in eos quos specialiter dilexit, et quos specialiter instruere intendit. Et hoc est : « *In discipulos suos, dicebat. »* Sapient. iv, 15 : *Respectus in electos illius.* Psal. xxxiii, 16 : *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum.* Sicut enim extra ad discipulos radium direxit oculorum, ita interiori direxit lumen intelligentiæ, ut intelligerent audita. Joan. i, 9 : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Psal. xvii, 29 : *Deus meus, illumina tenebras meas.*

« Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. »

Hic incipit instructio, et habet duas

partes. Primo enim elevat intentionem ad beatitudinem, et consequenter docet viam, qualiter ad beatitudinem pervenitur.

Ad beatitudinem autem elevans intentionem, primo docet beatitudinem, et meritum ejus, et præmium. Secundo autem, sub interminatione maledictionis, ponit beatitudini oppositum.

Beatitudinem autem commendans, ponit quadruplex beatitudinis meritum, et quadruplex beatitudinis præmium. Primum autem horum quatuor sumitur in abdicatione perfecta eorum quæ beatitudinem impediunt, quæ sunt bona fortunæ. Secunda autem et tertia beatitudo consistit in protendendo desiderium ad beatificans bonum. Quarta autem in fortissima adhæsione boni beatificantis jam adepti. Et est ista divisio penes ea sumpta, quæ natura fecit in perficiendo naturalia. Hæc enim primo removet impediens contrarium : deinde dat motum ad finem perfectum : tertio, confortat hoc ne ab alterantibus iterum destruat, sed resistat et teneat hoc quod jam percepit bonum.

Dicit igitur :

« Beati pauperes, etc. »

Facit autem tria : beatitudinis prædicationem, meritum ipsius quoad impediendum abdicationem, et proprium ejus præmium quoad illud meritum.

Dicit igitur : « *Beati, »* nunc spe, et in futuro re ipsa. « *Beati, »* inquam, quia operationem habentes secundum perfectam animi virtutem, si abducentia animum a se abdicabunt. Dicit enim Aristoteles, quod beatitudo est actus vel operatio non impedita, quæ est secundum perfectam animi virtutem. Perfecta autem virtus animi radicata et depurata quæ proprie animi est, sicut prudentia, vel sapientia, vel quod melius est utraque. Prudentia quidem in eligendis, et sapientia in cognoscendis et saporandis. Hæ enim virtutes non habebunt per-

fectam operationem, si cor retrahatur exterioribus. Matth. vi, 21 : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Unde, Eccli. xxxi, 8 et 9 : *Beatus dives... qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris! Quis est hic? et laudabimus eum: fecit enim mirabilia in vita sua.* Hoc igitur modo isti beati sunt secundum veram beatitudinis rationem.

Et tangit meritum, dicens :

« Pauperes. »

Pauper est, ut dicit Augustinus, non sufficiens sibi, et est vere pauper spiritu cujus spiritus sibi causa est paupertatis. Spiritus autem dicitur hic mens vel ratio secundum animi potestatem et habitudinem ad veram ipsius perfectionem. Si enim directe illa mensura potestatis animi percipiatur, tunc animus divinis perficitur, et exterioribus occupatus impeditur. Cognoscens ergo se sibi esse insufficientem possessione exteriorum honorum, et ideo revocato corde ab eis alia esse quærenda, vere spiritu pauper est. Unde omnium ditissimus rex de se dixit, Psal. xxiv, 16 : *Unicus et pauper sum ego*, hoc est, singulariter pauper.

Est autem hæc paupertas in subjiciendo et in abjiciendo bona. De subjectione, Psal. lxi, 11 : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Tobiaë, iv, 23 : *Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus si timuerimus Deum.* De abjectione, Matth. viii, 20 : *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Matth. xix, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Sunt alii pauperes quos necessitas infelicis fortunæ pauperes facit, de quibus nihil ad præsens. Apocal. iii, 17 : *Miser es, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.* Verus enim pauper semper dicit : *Sufficiencia nostra ex Deo est*<sup>1</sup>. Nullam au-

tem sufficientiam quærit in præsentibus. Et si quærat, quærit in ipsis necessitatis sustentationem. Ad Hebr. xiii, 5 : *Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus.* Si autem aliquid ultra necessitatem invenitur, de hoc instrumentum facit virtutis per eleemosynas et beneficentiam. Ad Hebr. xiii, 1 et 2 : *Charitas fraternitatis maneat in vobis, et hospitalitatem nolite oblivisci.* Talibus enim hostiis promeretur Deus.

Ecce hoc est meritum paupertatis.

Subjungit autem præmium, dicens :

« Quia vestrum est regnum Dei. »

Dicit de primo, quid sit, et qualiter habeatur.

Est autem *regnum*, potestas distributa proportionaliter in anima finibus, bonis, legibus, et ordine. Finibus quidem, ut unumquodque stet in fine suæ perfectionis. Bonis autem, ut unumquodque suum et connaturale sibi habeat bonum et optimum. Legibus autem, ut unumquodque jus suum custodiat. Ordinibus, ut quodlibet gradum suum custodiat positionis. Tunc enim nihil deest in anima, et nihil deest in civitate, si hæc proportionaliter sint in civibus. Nihil deest in gente, si hæc secundum gentis genealogiam serventur a gente. Et hoc est quod dicit Dionysius, quod « regnum est omnis « finis, boni, legis, et ordinis distributio. » Matth. vi, 10 : *Adveniat regnum tuum.* Apocal. v, 10 : *Fecisti nos Deo nostro regnum.* Sapient. v, 17 : *Accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini.* Psal. cxliv, 13 : *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum.* Hæc enim perfecta est potestas, in qua nihil est impotentia. Erit enim unumquodque suis finibus perfectum, quodlibet suo bono optimum, singula suis legibus æquissima et rectissima, et suis ordinibus omnibus singula, et singula omni-

<sup>1</sup> II ad Corinth. iii, 5.

bus erunt congruissima. Et ideo hoc regnum vocatur *regnum decoris*.

Dicitur autem hoc *regnum Dei* tribus rationibus. Una quidem, quia primum exemplar ejus Deus est, a quo progreditur. Secunda autem, quia omne quod perficit et constituit regnum illud, divinum est, sive sit finis, sive bonum, sive lex, sive gradus ordinis. Tertia vero, quia finis ejus Deus est. Ex Deo enim est, et per Deum est, et in ipsum est. Ad Roman. xi, 36: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula*. Et ideo est regnum æternum, quia retorquetur in circulum qui est æternus. Ex Deo enim est, et per ipsum, et in ipsum. I ad Corinth. xv, 28: *Ut sit Deus omnia in omnibus*. Apocal. xii, 10: *Facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus*. Hoc regnum a Matthæo vocatur *regnum cælorum*<sup>1</sup>, eo quod hoc regnum jam perfecte in cælis obtinuit. In terra aliquando nutat turbatum. Matth. xi, 12: *Regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*.

Dicit autem Glossa, quod hæc beatitudo est virtutis temperantiæ, quæ facit cordis munditiam. Et hoc est non proprie dictum: sed quia qui (sicut dictum est) pauper est, temperat se a deliciis, non utens eis nisi ad necessitatem, eo quod abjicit res mundi, delectationes facientes. Nec enim delectantia abjicit, qui delectari in carnalibus intendit. Et quoad hoc loquitur Glossa.

Similiter autem cum se ab exterioribus impediens abstrahit, in hoc munditiæ cordis studet: quia turbationum occasiones amputat. Et sic beatitudo munditiæ cordis ad istam reduci aliquo modo (improprie tamen) videtur. Lucas enim non intendit unam reducere ad aliam, sicut nos inferius explanabimus.

Sequitur:

« Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. »

Hic sicut in præcedenti tangit altitudinem meriti, meritum, et præmium.

Altitudinem tangit per hoc quod dicit: « *Beati*, » hoc est, actum sive operationem non impeditam secundum animi perfectam virtutem habentes. Fit autem ista operatio quando nihil præsentium invenitur, quod desiderio boni, quod est in corde, satisfaciatur: sed semper æstuans manet, et intenditur plus et plus de die in diem. Et hoc est quod dicit Psalmus lxxii, 23: *Quid mihi est in cælo? et a te quid volui super terram?*

« Qui nunc esuritis. »

Psal. lvi, 17: *Famem patientur ut canes*, hoc est, insatiabilem: *et circuibunt civitatem*, hoc est, sanctorum habitationem. I ad Corinth. iv, 11: *Usque in hanc horam, esurimus et sitimus*. Psal. lxxii, 2: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea!* Istud igitur est omni perfectione perfectius desiderium, et est perfectæ virtutis et non impeditæ, et ideo est beatitudo.

Dicit autem, « *qui nunc*, » in præsentibus: quia fames ista non est nisi nunc. Psal. xvi, 13: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Psal. lxxiv, 5: *Replebimur in bonis domus tuæ*.

« *Esuritis*, » hoc est, esuriem edacem et insatiabilem boni habetis. Hæc enim esuries numquam sinit nos quiescere a boni inquisitione, numquam satiari in boni refectione, numquam fastidire in boni perfectione. De inquisitione, Proverb. xxxi, 14: *Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum*. Navis enim institoris semper est velis ad ventum exposita: panem negotiando de longe inquit. Sic esuriens bonum semper tendit mentem, intelle-

<sup>1</sup> Cf. Matth. v, 3, 40, 19, 20 et alibi.

ctum, et affectum, ad statum sancti Spiritus, quo advehatur internæ et æternæ dulcedini qua reficiatur. De insatiabilitate, Eccli. xxiv, 29: *Qui edunt me, adhuc esurient: et qui bibunt me, adhuc sitient.* De eo quod numquam fastidit, Joan. vi, 34: *Semper da nobis panem hunc.* Sapient. viii, 9: *Erit allocutio cogitationis et tædii mei.*

« Quia saturabimini, »

Bono scilicet quod omnis boni bonum est, quod in hæreditatem accipient.

Saturabuntur autem ad plenitudinem, ad delectationem, et ad eructationem. Ad plenitudinem quidem, Psal. lxiiv, 5: *Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum.* Psal. cxlvii, 14: *Adipe frumenti saliat te, hoc est, dulcedine grani divini.* De delectatione, Isa. lv, 2: *Audite, audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra.* De eructatione, Psal. cxliv, 7: *Memoriam abundantiae suavitatis tuæ eructabunt.*

Hæc autem impletio est capacitati supereffluens, delectationi semper ultra quam cogitari potest conveniens, et eructatione nihil nisi dulcedinem divinam ostendens. De primo, Luc. vi, 38: *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem, dabunt in sinum vestrum.* De secundo, Psal. xv, 11: *Delectationes in dextera tua usque in finem.* De tertio, Cantic. iv, 13: *Emissiones tuæ paradus,* supple, sunt. Hæc beatitudo, ut dicit Glossa, attribuitur justitiæ: quia nunc esurientes ex his quæ ipsi patiuntur, discunt aliis compati, et sic tribuere sua, et non rapere aliena. Et comprehendit sub se misericordiam, quæ est una beatitudo enumerata<sup>1</sup>. Et patet quod adaptatio ista est valde remota et impropria. Ad Roman. xii, 8: *Qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate.*

II ad Corinth. ix, 7: *Non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.*

Sequitur:

« Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. »

Item, Hæc beatitudo sumitur secundum operationem perfectæ virtutis divinæ, sicut et anterior. Sicut enim perfectum virum nihil reficit præsentium, ita nihil consolatur mundanorum. Et ideo Apostolus, ad Philip. i, 23, dicit: *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius.* Et illud, II ad Corinth. v, 8: *Audemus, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentem esse ad Dominum.* Hoc enim modo actus est perfectæ virtutis.

Tangit autem meritum cum dicit:

« Qui nunc fletis. »

Flere enim est nunc in præsentem tempore, in quo nihil consolatur. Thren. i, 2: *Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam.* Est autem hic fletus maxime desiderio patriæ et præsentis divinæ, Psal. xli, 4: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Plorat autem etiam aliquando pro incolatu hujus miseris, Psal. cxxxvi, 1: *Illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion.* Plorat autem etiam aliquando pro instantia hostis in tentatione, Thren. i, 16: *Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas: quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam.* Plorat etiam iste incessanter pro peccatis alienis, Jerem. ix, 1: *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? Et plorabo die ac nocte interfectos filiarum*

<sup>1</sup> Cf. Matth. v, 7.

*populi mei.* Iste autem beatus unde plorat pro peccatis propriis, non habet : quia beati est non peccare peccato flebili : et si plorat, tunc plorat dubium statum sui. Job, III, 24 et 25 : *Antequam comedam suspiro : et tamquam inundantes aquæ, sic rugitus meus : quia timor quem timebam evenit mihi, et quod verebar accidit.* Si autem plorat peccatum, hoc est, quod bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est. Psal. VI, 7 : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Plorat etiam damnationem aliquando proximi, timens de pœnis inferni proximo : et quando respiscit, lætatur. Psal. CXIV, 8 : *Eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.* Hæc omnia plorat, ut dictum est : quia in hac vita nihil invenit unde consoletur.

Subjungit autem mercedem hujus meriti, dicens :

« Quia ridebitis. »

Ridebit autem quando omnis audiens bonum suum corridebit ei : eo quod risum sibi fecit Dominus <sup>1</sup>. Risus enim provenit ex dilatatione cordis et latitudine, per collimationem etiam os extendens moderate. Proverb. xxxi, 25 : *Ridebit in die novissimo.* Tunc enim erit tempus ridendi. Modo autem tempus est flendi, sicut diximus. Tunc autem fiet quod, Apocal. xxi, 4, dicitur : *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.*

Ista est ergo hæc beatitudo. Sub hac autem dicit Glossa laudari prudentiam, qua cognoscitur quam misera sint hæc terrena, et quam beata cœlestia : sub qua comprehenditur illa quam ponit Matthæus : *Beati pacifici* <sup>2</sup> : quia facit pacem pectoris et æternitatis, dum nec

turbatur nec turbat. Et hæc est adaptatio etiam extorta, et non propria.

« Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis.

Gaudete in illa die, et exsultate, ecce enim merces vestra multa est in cœlo : secundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum. »

Hæc item est beatitudo secundum perfectam operationem et non impeditam virtutis completissimæ, quæ bonum conceptum tenet, nec avellitur ab eo alicujus timoris periculi causa quin immobilis permaneat in bono. Jacob. v, 11 : *Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt.*

Hic autem dicit : « *Eritis,* » non, *estis* : quia in veritate in sustinendo miseria est, sed post sustinentiam certissima beatitudo. I Petr. I, 11 : *Prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias.*

Tangens autem actum meriti, tangit quadruplex meritum : quod tamen totum ad actum reducitur fortitudinis.

Odium enim sustinent a corde. Et de hoc dicit : « *Cum vos oderint,* » ira confirmata et inveterata, « *homines,* » humum et non cœlum sapientes. Psal. xxxiv, 19 : *Oderunt me gratis.* Amos, v, 10 : *Odio habuerunt corripientem in porta, et loquentem perfecte abominati sunt.*

« *Et exprobraverint.* » Ecce probra oris. Exprobrare, hoc est, probris et conviciis exterminare. Job, xvi, 11 : *Aperuerunt super me ora sua, et exprobrantes percusserunt maxillam meam.* Thren. III, 30 : *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.*

« *Et cum separaverint vos,* » a se

<sup>1</sup> Genes. xxi, 6 : *Risum fecit mihi Deus,* etc.

<sup>2</sup> Matth. v, 9.

extra synagogas tamquam excommunicatos faciendo. Joan. ix, 22: *Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.* Joan. xvi, 2: *Absque synagogis facient vos.*

« *Et ejecerint.* » Ecce tertium. Nomen autem illud est nostrum cognomen quo a Christo dicimur *Christiani*: quod nomen est inimicum infidelibus, et ideo ejicitur. I ad Corinth. iv, 13: *Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Isa. lxvi, 5: *Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum ejus: dixerunt fratres vestri odientes vos, et abjicientes propter nomen meum.*

« *Tamquam malum,* » hoc est, tamquam infaustum. Putabant enim sonante nomine Christiano sibi infausta debere occurrere. Act. iv, 18: *Vocantes eos, denuntiaverunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu, tacto in malo illato.*

Quia passio non facit martyrem, sed causa, ideo subjungit finem, dicens:

« Propter Filium hominis. »

In hoc enim scandalizabantur, quia Filium hominis dixerunt Deum. Joan. x, 33: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* I Petr. iv, 15 et 16: *Nemo autem vestrum patiatutur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.* In hac autem beatitudine, ut dicit Glossa, commendatur fortitudo quæ facit mansuetum. Et sic illa beatitudo qua dicit Matthæus: *Beati mites*<sup>1</sup>, continetur sub ista. Fortis enim est qui vincit iram et alios motus animi. Proverb. xvi, 32: *Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium.*

<sup>1</sup> Matth. v, 4.

Subjungit autem sicut in aliis mercedem, dicens:

« Gaudete, etc. »

Tangit autem duo: promissionem mercedis, et exemplum.

De primo dicit: « *Gaudete* » corde, « *in illa die,* » mentis illuminatione, « *et exsultate* » corpore. Isa. lx, 5: *Videbis et afflues, mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, hoc est, universæ amaritudinis.* Deuter. xxxiii, 19: *Inundationem maris quasi lac sugent, et thesauros absconditos arenarum, hoc est, insultus persequentium pro dulcedine lactis sugent in consolationem, thesauros meritum congregantes de rabie tyrannorum.* Act. v, 41: *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.*

« Ecce enim, etc. »

Ostenditur, parata pretiosa debita multa et in tuto collocata.

Parata quidem per demonstrationis adverbium: « *Ecce.* » Psal. cxxvi, 2 et 3: *Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini, filii: merces, fructus ventris.*

« *Merces* » pretiosa. I Petr. i, 18 et 19: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* I ad Corinth. vi, 20: *Empti enim estis pretio magno: glorificate et portate Deum in corpore vestro.*

« *Vestra.* » Ecce possessa et ad nutum habita. Genes. xv, 1: *Ego... merces tua magna nimis.* Sapient. x, 17: *Reddidit Deus justis mercedem laborum suorum.*

« *Multa est* » quantitate, et magna: quia de multis et magnis gaudebunt. Matth.



xxv, 21 : *Super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Sapient. III, 2 : *In paucis vexati, in multis bene disponentur.* II ad Corinth. IV, 17 : *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

« *In cælo.* » Ecce locus tutus. I Petr. I, 3 et 4 : *Regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cælis in vobis.* Matth. VI, 20 : *Thesaurizare vobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur.*

« Secundum enim hæc. »

Exemplum est indubitatum. « *Faciebant patres eorum.* » Et ideo dicti sunt genimina viperarum, vinenati venatorum filii.

« *Prophetis* » veris. Act. VII, 51 et 52 : *Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis : sicut patres vestri, ita et vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri ? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis.*

Attende autem quod Lucas non ponit nisi quatuor beatitudines, cum Matthæus ponat octo. Lucas enim non ponit aliquam, nisi quæ actum habet respectu æternitatis, et nullam ponit penes actum specialis virtutis. Matthæus autem ponit et istas, et quæ penes quasdam speciales virtutes accipiuntur. Paupertas enim non est specialis virtutis, sed potius consideratio quod nihil præsentium præstet sufficientiam. Et ideo suspirat ad alia bona tamquam in præsentibus insufficientia et destituta. Esuriens autem est ad vere reficiens bonum, sicut dictum est : et luctus ad vere consolans. Persecutionis autem sufferentia non tam fortitudinis est, quam etiam fortissimi affectus

illius boni ditantis et reficientis et etiam consolantis, ne amittatur id quod habetur de ipso. Matthæus autem considerat tam ista quam ea quæ disponunt ad ipsa : sicut mansuetudo, quæ disponit ad patientiam : misericordia, quæ disponit ad visionem vere ditantis et lætificantis : pacificatio, quæ æquanimittatem dat in adversis. Talia autem non considerat Lucas, qui non nisi perfectissima colligit. Et ideo Christus oculos ad discipulos dirigit, et eos, ut dicit quædam Glossa, non lacte, sed solido cibo pascit.

« Verumtamen væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. » **24**

Hic tangit maledictiones quatuor, directe quatuor beatitudinibus inductis oppositas. Et ideo patet divisio.

Contra paupertatem enim dicit : « *Verumtamen.* » Licet ita beatificem bonos, quia tamen mali promissionibus non trahuntur, sed potius minis punguntur : ideo « *Væ* » comminationis æternæ, « *vobis,* » discretive, « *divitibus,* » voluntate et possessione : quos possident divitiæ, et ideo vos vobis sufficere reputatis. Omnis enim dives aut est iniquus, aut hæres iniqui. Quia si voluntate dives est, habens cor sepultum in divitiis, iniquus est. I ad Timoth. VI, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.* Si autem non habet cor ad divitias, sed vere pauper est voluntate, et habitu dives, tunc est hæres iniqui. Quia quod omnibus in communi ad usum datum est, ipse possidet ut dispensator. Luc. XVI, 9 : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis : ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* De divitibus tamen voluntatem ad divitias habentibus loquitur : de quibus, Eccle. V, 9 : *Qui amat divitias, fructum non ca-*

*piet ex eis. Cujus ratio redditur, Eccle. v, 10: Quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis? Proverb. xi, 28: Qui confidit in divitiis suis, corruet. I ad Timoth. vi, 17: Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum.*

« Væ ergo vobis divitibus! »

Talibus enim divitibus « Væ » est æternæ damnationis propter tria. Propter inutilitatem divitiarum, propter permanentem ex divitiis rubiginem, propter Sanctorum irrisionem.

De inutilitate dicitur, Sapient. v, 8: *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Psal. lxxv. 6: Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Job, xxvii, 19: Dives cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, et nihil inveniet. Redimere animam suam dives divitiis non poterit. Proverb. vi, 34 et 35: Zelus et furor viri non parcat in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.*

De rubigine dicit, Jacob, v, 3: *Aurum et argentum vestrum æruginavit: et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis.*

Divites etiam pauperes sanctos irridere consueverunt. Et ideo subjacent maledictioni, Sapient. v, 3 et 4: *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem impropertii. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Jacob, ii, 6 et 7: Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen quod invocatum est super vos?*

Isti enim maxime dicuntur hic *divites*, qui in exterioribus fortunæ subjacentibus ponunt sufficientiam: eo quod vident talia futurarum corporalium necessitatum quorundam esse fidejussores.

Non enim omnem defectum redimunt, sed tantum exteriorum, quæ sunt in cibis, et potibus, et vestimentis. Febribus enim, et aliis infirmitatibus, et dubiis, et ignorantibus non sufficiunt.

Sic ergo,

« Væ vobis divitibus! »

Triplex, inquam, væ: laboris, timoris, et doloris. Laboris in acquirendo, qui convertitur in laborem sine requie. Timoris in possidendo, qui convertitur in timorem sine omni spe et cum perpetua desperatione. Doloris in amittendo, qui in dolores æternos convertitur sine omni consolatione. Isa. xxiv, 17: *Formido, et fovea, et laqueus super te qui habitator es terræ. Habitator enim terræ dives est, cujus cor sepultum est in divitiis, quærens in eis sibi sufficere: et pro sufficientia illa securitatis, perpetuos habebit timores: pro consolatione divitiarum, perpetuos dolores: pro libertate faciendi quod voluit per divitias, perpetuam hæreditabit foveam carceris absque requie laboris.*

« Væ ergo vobis, » in præsentibus laboris, timoris, et doloris, et in futuro similiter. Eccle. v, 9: *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis, nisi fructum qui dictus est: cujus causa redditur, Proverb. xi, 28: Qui confidit in divitiis suis, corruet.*

« Væ ergo vobis divitibus! »

Propter divitiarum incertitudinem, propter annexam divitiis anxietatem, propter divitiarum brevem consolationem et perpetuam desolationem.

De incertitudine, I ad Timoth. vi, 17: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum. Sumant enim exemplum ab illo divite, cujus uberes fructus ager obtulit: qui dixit: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce,*

*comede, bibe, epulare* <sup>1</sup>. Et dictum est ei, Luc. XII, 20 : *Stulle, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt ?*

De anxietate dicitur, I ad Timoth. VI, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.*

De brevi consolatione et perpetua desolatione dicitur simul, Job, XXI, 12 et 13 : *Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Punctum enim indivisibile est, et brevem et momentaneam hujus vitæ consolationem significat.

« Væ ergo vobis divitibus! »

Propter vestram contra naturam perversitatem, propter omnis boni impedimentum a vobis procuratum, propter remanens in vobis in æternum innaturale desiderium.

Perversitas enim contra naturam est, amare divitias ut finem in eis ponendo. Humanum enim desiderium et naturæ capacitas ad hoc est, quod spiritualia bona ditent, et sufficientes nos faciant : quæ non in cor hominis ascendant, sed ad quæ cor hominis ascendit. I ad Corinth. II, 9 : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Hoc igitur neque aurum est, neque argentum, neque temporales divitiæ. Isa. LXIV, 4 : *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Unde dicit Augustinus, quod « perversitas humana est frui utendis, « et uti fruendis. » Et hoc facit dives.

De impedimento boni dicitur, Habacuc, II, 6 : *Væ ei qui multiplicat non sua! usquequo et aggravat contra se densum lutum?* Divitiæ enim sunt omnis boni impedimentum, quando cor ap-

ponitur. Unde Plato pergens ad academiam habens aurum in sinu non potuit philosophari propter occupationem cordis circa aurum, et projecit in mare aurum, dicens : « Melius est perdere aurum, quam cor humanum. »

Habet etiam hoc, quod qui moritur in appetitu divitiarum et delectatione, perpetuo tenebitur illo desiderio : et tamen quod desiderat numquam habebit. Eccli. X, 10 : *Nihil est iniquius quam amare pecuniam : hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua.* Ideo dicitur, Eccli. V, 1 : *Noli attendere ad possessiones iniquas, et ne dixeris : Est mihi sufficiens vita : nihil enim proderit in tempore vindictæ et obductionis.*

Subjungit autem causam maledictionis quando dicit :

« Quia habetis consolationem vestram. »

Consolans est, quod naturam ex defectu refflorere facit. Unde id consolatur in quod natura occurrens undique diffunditur et aperitur et fluit ad ipsum : ut totum undique capiendo imbibat, et conjungat intimis omnibus. Tale autem consolans hic ponunt sibi divites exteriora fortunæ bona, quæ nec veram hominis naturam possunt attingere, sed extrinsecus sunt, nec naturæ imbibit : neque naturæ sunt connaturalia, sed animalitati ad tempus pro necessitate servientia. Perversitas ergo est, in talibus consolari. Et ideo dicit, Isa. XXVIII, 15 : *Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.* Divitiæ enim non dant, sed promittentes mentiuntur sufficientiam Eccli. V, 10 : *Quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis?* Quasi dicat : Nihil. Hic ergo et nunc posuerunt consolationem suam : et ideo in futuro nihil habebunt. Luc. XVI, 25 : *Fili, recordare quia*

<sup>1</sup> Luc. XII, 19.

*recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.*

25 « Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. »

Ecce secunda maledictionis interminatio, contrariæ secundæ beatitudini. Vocatur autem hic *saturitas*, quietatio desiderii in temporali bono, reficiens brutalitatem. Et talem quærunt saturitatem voluptuosi, quos Glossa vocat *epicureos* : non ideo quod Epicurei philosophi his intenderint, sed quia nulla intellectualia bona vel principia esse dicebant : omnia ad sensibilia, vel similitudines vel rationes sensibilibus referentes. Et ex hoc quidam perversi non nisi voluptates corporeas inquirendas pro beatitudine prædicaverunt, humanam vitam ad vitam pecudum comparantes : sicut et divites de quibus dictum est, felicitatem ad bona fortunæ retulerunt : sicut dicitur, Sapient. xv, 12 : *Æstimaverunt lusum esse vitam nostram, et conversationem vitæ compositam ad lucrum, et oportere undecumque etiam ex malo acquirere.* Ita isti totam vitam voluptati adscripserunt, reficiens et beatificans hominem in sensibilibus esse perhibentes. Istis ergo interminatur maledictionem, ponens actum mali meriti et causam maledictionis.

Interminatur autem maledictionem cum dicit :

« Væ vobis, »

Confusionis, excæcationis, et æternæ damnationis.

Confusionis quidem, quia magna est ignominia honorem imaginis Dei ad brutalitatem referre. Ad Philip. iiii, 19 : *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum.* Psal. lxxviii, 13 : *Homo cum in honore esset, non intellexit :*

*comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.*

Tales etiam excæcantur mente quod bona spiritualia credere non possunt. Unde, Sapient. ii, 7, dicunt : *Vino pretioso et unguentis nos impleamus.* Et infra, x. 9 : *Nemo nostrum exsors sit luxuriæ nostræ. Ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors.* Et in fine capituli dicit, x. 21 : *Hæc cogitaverunt, et erraverunt : excæcavit enim illos malitia eorum.*

De damnatione autem æterna sine consolatione, Luc. xvi, 24 : *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam,* etc. Nec invenire potuit guttam aquæ in consolationem.

« Qui saturati estis. »

Toto desiderio quietati, in refectioe falsa quiescitis, hoc pro fine vestræ felicitatis et beatitudinis ponentes. I ad Corinth. iv, 8 : *Jam saturati estis, jam divites facti estis : sine nobis regnatis.*

Saturitas autem sonat in plenitudine, in arctationem, in oppressionem, in nauseam, in fœtidam eructationem, in vomitum.

Et de plenitudine quidem dicitur, Sapient. ii, 7 : *Vino pretioso et unguentis nos impleamus.* Psal. lxxvii, 29 : *Manducaverunt, et saturati sunt nimis.*

De arctatione dicitur, Job, xx, 22 : *Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuebit, et omnis dolor irruet super eum.* Arctatus enim saturatus adhuc non cessat. Ita deludit fauces delectabilium saporibus : et ideo arctationem uteri sequitur oppressio et gravatio. Luc. xxi, 34 : *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate.*

De nausea autem, Numer. xxi, 5 : *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo.* Numer. xi, 18 et seq. : *Det vobis Dominus carnes, et comedatis, non uno die, nec duobus, vel quinque aut decem, nec viginti quidem, sed usque ad*

*mensem dierum, donec exeat per nares vestras, et vertatur in nauseam.*

De fœtida autem eructatione, Psal. cXLIII, 13 : *Eructantia ex hoc in illud.*

De vomitu autem, Isa. xxviii, 8 : *Omnes mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus.*

« Væ ergo vobis qui saturati estis! »

Et propter delicias quibus affluitis, propter duritiam qua pauperibus mendicis de abundantis vestris nihil erogatis, propter loquacitatem quam in conviviis etiam contra Deum extenditis.

De primo horum, Amos, vi, 4 et seq. : *Qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterii : sicut David putaverunt se habere vasa cantici. Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti.*

De duritia autem sequitur in eadem auctoritate, ꝑ. 6 : *Nihil patiebantur super contritione Joseph. Luc. xvi, 20 et 21 : Erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, scilicet divitis epulonis, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat.*

De loquacitate autem, Daniel. v, 4 : *Bibebant vinum, et laudabant deos suos aureos, et argenteos, æreos, ferreos. Loquacitas enim frequenter extenditur in injuriam Creatoris. Non autem laudant nisi idola pomparum hujus sæculi : aurea quidem in splendore pompæ, argentea in tinnitu jactantiæ sæcularis, ærea autem in sono vanæ laudis, ferrea autem in potestate tyrannica omnia conterente et domante.*

« Væ ergo vobis qui saturati estis! »

Propter ultra mensuram extensam voracitatem, propter substantiæ et facultatum quæ in pauperes esset expendenda consumptionem, propter gastrimargiæ insanam vitæ abbreviationem et corruptionem.

De voracitate quidem, Daniel. xiv, 5 : *Non videtur tibi esse Bel vivens Deus? venter scilicet. An non vides quanta comedat et bibat quotidie?*

De secundo, Proverb. xxiii, 20 et 21 : *Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessionibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt : quia vacantes potibus, et dantes symbola consumentur, secundum facultates ad minus.*

De abbreviatione vitæ et corruptione, Proverb. xxiii, 29 et 30 : *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis?*

« Væ ergo vobis qui saturati estis! »

Ideo quia vilis in se gastrimargus, vilis in luxuria, vilis in amentia quam sæpe incurrit.

Vilis quidem in se : quia totus labor talium est pro ventre : unde et gastrides, hoc est, *ventrosi* vocantur : γαστήρ, enim in græco, *venter* est in latino. Isa. xxix, 4 : *Erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo eloquium tuum mussitabit.* Python autem idem est quod ventriloquus : pretiosissimum enim talium est venter. Thren. i, 11 : *Dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam.* Eccle. ii, 23 : *Quis ita devorabit, et deliciis affluet ut ego?* Verbo est vilis jactantiæ gulæ.

Vilis etiam est in luxuria, voracitatem consequente. Propter hoc enim genitalia connexa sunt ventri, ut dicit Gregorius : quia, ut dicit Hieronymus, « venter mero æstuans, facile despumat in « luxuriam. » Et iterum, Hieronymus : « Non Ætnæi montes, non Vulcanæi ignes ita æstuant, ut juveniles medullæ vino plenæ, et dapibus inflammatae. » Jerem. v, 7 : *Saturavi eos, et meretricis luxuriabantur.* Psal. cv, 28 : *Initiati sunt Beelphegor,* hoc est, idolo tentiginis.

Vilis etiam est in amentia consequen-

te : quia ita inebriantur et incrassantur quod amittunt usum bonæ rationis. Unde etiam gastrimargi vocantur a γαστήρ quod est *venter* : et μαργώω, quod est *insanio, insanis* : quasi ex ventre et pro ventre insanientes. Isa. xxviii, 7 : *Præ ebrietate erraverunt : sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino.*

« Væ ergo vobis qui saturati estis ! »

Saturitas enim præsentium mandatis recalcitratur, contra Deum se armatur, futurorum nihil consideratur.

De primo quidem, Deuter. xxxii, 15 : *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit : incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.*

De secundo, Job, xv, 26 et 27 : *Cucurrit adversus eum, scilicet Deum, erecto collo, et pingui cervice armatus est. Operuit faciem ejus crassitudo, et de lateribus ejus arvina dependet.*

De tertio, Eccle. ii, 24 : *Nonne melius est comedere et bibere, et ostendere animæ suæ bona de laboribus suis ?* Isa. xxii, 13 : *Comedamus et bibamus, cras enim moriemur.*

His igitur de causis,

« Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis, »

Omni bono intellectus et affectus (quod vere nutrit et pascit et vegetat) privati. Iste enim est cibus qui non perit, quo vos privabimini, pane supersubstantiali, pane Angelorum, pane dulcedinis divinæ, mensa Dei.

De pane quidem supersubstantiali, Matth. vi, 11 : *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Hoc autem est nutrimentum substantiæ et veritatis divinæ.

De pane Angelorum qui est completio theophaniarum, Psal. lxxvii, 25 : *Panem Angelorum manducavit homo.*

De pane dulcedinis divinæ, Sapient. xvi, 21 : *Substantia tua dulcedinem tuam quam in filios habes, ostendebat : et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* Et hic panis est dulcedo Spiritus sancti et virtus.

De mensa Dei dicitur, Luc. xxii, 30 : *Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.*

Omnibus his reficiuntur beati, qui esuriunt : et privabuntur qui nunc saturantur. Privantur etiam convivio de quo dicitur, Isa. xxv, 6 : *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Convivium quidem pinguium est refectio beatorum in gloria. Convivium vindemiæ, lætitia glorificatorum. Medullati autem pingues, sunt privilegiati sancti : et vindemia defæcata est privilegium gaudii de sanguine et passione Christi. Et quia omnibus his privabuntur, ideo dicitur, Isa. lxxv, 13 : *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis : ecce servi mei bibent, et vos sitiatis.* Modo enim ventrem de siliquis porcorum implestis, et ideo semper esurietis. I ad Corinth. vi, 13 : *Esca ventri, et venter escis : Deus autem et hunc et has destruet.* Ideo consulit Christus, Joan. vi, 27 : *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis.*

Sequitur :

« Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis. »

Hic tangit tertiam maledictionis interminationem : et sicut antea, tangit tria : maledictionem, demeritum, et propriam demeriti pœnam.

Maledictio est in hoc quod dicit : « Væ vobis. » Et huic proprium quod dicitur, Job, iii, 8 : *Maledicant ei qui maledicunt diei.* Illi enim qui rident, de luce mundi hujus rident. Et ideo qui

diei mundi maledicunt, ridentibus maledicunt. Deliciis saturantur, qui saturati sunt divitiis. Se beatos dicunt divites. Ridentes autem rident de dignitatibus et de honoribus vanitatum sæculi, in quibus vane gaudet cor humanum. Et ideo dicitur, Apocal. viii, 13 : *Væ, væ, væ habitantibus in terra* : in divitiis, deliciis, et vanitate honorum. Talium enim gaudio vano cor abducunt, ut de futura dignitate et honore numquam cogitet. Arbitrantur enim tales se jam conversos in deitatem : ideo rident sibi, et rident omnes alios.

« *Væ ergo vobis,* » quia cor vestrum jam deceptum est et abductum, ne de futuris cogitet honoribus.

Maledictionis autem hujus sunt tria exempla : Nabuchodonosor qui in bestiam conversus est, et mortuus etiam de sepulcro ejectus <sup>1</sup>. Antiochus qui diro dolore viscerum sibi propter fœtorem intolerabilis, consumptus expiravit <sup>2</sup>. Et Herodes, qui consumptus a vermibus expiravit <sup>3</sup>. Omnes isti risum fecerunt : de aliis ridentes intra se, et in tanto dolore et gemitu et confusione vitam finiverunt, etiam præsentem.

« Qui ridetis. »

Ecce demeritum. Ridere autem in se non est peccatum : quia et Sara risit, et Sancti sibi corriserunt, et omnis salvatus ridebit in die novissimo <sup>4</sup>. Sed de subjectione et oppressione aliorum et spolio, sibi facere risum, est quod maledictioni supponitur. Sic enim de fletu multorum ridet unus, et de gemitu oppressorum ridet oppressor.

« *Væ ergo vobis qui ridetis !* »

Nunc de pœnis aliorum vobis risum facientes, in rebus pessimis exsultantes,

præsentibus ad abusum lætitiæ abutentes.

De primo, Job, ix, 23 : *Si flagellat, occidat semel, et non de pœnis innocentum rideat.*

De secundo, Proverb. ii, 14 : *Lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis.*

De tertio, Sapient. ii, 9 : *Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exsors sit luxuriæ nostræ. Ubique relinquamus signa lætitiæ.*

« *Væ ergo vobis qui ridetis !* »

Bonos in derisum habentes, cantica de eis facientes, de probris honorum vobis risum facientes.

De primo, Sapient. v, 3 : *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improperii.* Psal. xxi, 8 : *Omnes videntes me, deriserunt me : locuti sunt labiis, et moverunt caput.*

De secundo, Job, xxx, 9 : *Nunc in eorum canticum versus sum, et factus sum eis in proverbium.* Psal. lxxviii, 13 : *In me psallebant qui bibebant vinum, hoc est, ebrii temporali jucunditate bonos habent in psalmo cantici.* Thren. iii, 63 : *Ego sum psalmus eorum.*

De tertio dicitur, Luc. xxii, 63 et 64, quod velabant faciem Domini, et colaphizabant eum, facientes sibi ludum et risum. De probris Domini, Luc. xxiii, 11 : *Sprevit autem illum Herodes, ... et remisit ad Pilatum.*

« *Væ ergo vobis qui ridetis !* »

Alto cachinno os dilatatis : vanitatem cordis, oris inordinata dilatatione promittis : et ineptam lætitiâ risu dentium in malum exemplum exhibetis.

De primo, Proverb. xxvii, 14 : *Qui benedicit proximo suo voce grandis, de*

<sup>1</sup> Cf. Isa. xiv, 19.

<sup>2</sup> Cf. II Machab. ix, 5 et 10.

<sup>3</sup> Act. xii, 23.

<sup>4</sup> Proverb. xxxi, 23.

*nocte consurgens maledicenti similis erit.* Benedicens hic proximo suo, est adulator cachinnis voce grandi extollens malos. Et ille non modo similis, sed etiam pejor est maledicente. Bonus enim homo non cachinnis, sed moderate vix ridet. Eccli. XXI, 23 : *Fatuus in risu exaltat vocem suam : vir autem sapiens vix tacite ridebit.*

De secundo, Eccli. XIX, 27 : *Risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo.*

De tertio, Eccl. VII, 5 : *Cor sapientium ubi tristitia est, et cor stultorum ubi lætitia.* Ad ineptas enim læticias invitavit stultos. Sapient. XIV, 28 : *Dum lætantur, insaniunt : aut certe vaticinantur falsa, aut vivunt injuste, aut pejerant cito.* Hæc enim omnia accidunt inepta læticia ridentibus : quia insaniunt mentis abductione, vaticinantur sibi futura quæ non evenient, extra modum et morem facile pejerant.

« Væ ergo vobis qui ridetis ! »

Quia ridendo erratis, magis flere debentes : quia risus vester mala conscientia est permistus : quia risus vester brevi fine et dolore concludetur.

De primo dicitur, Eccl. II, 2 : *Risum reputavi errorem, et gaudio dixi : Quid frustra deciperis ?*

De secundo, Proverb. XIV, 13 : *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat.*

De tertio, Job, XXI, 11, 12 et 13 : *Infantes eorum exsultant lusibus. Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.*

« Væ ergo vobis qui ridetis ! »

Quia Christo dissimiles, factis Sanctorum nihil conforme habetis, et ordinem

verum pervertitis in eo quod nunc ridetis.

De primo non legitur quod umquam Dominus riserit, sed flevit civitatis insanæ exultationem, Luc. XIX, 41 et 42 : *Videns Dominus civitatem Jerusalem, flevit super illam, dicens : Quia si cognovisses et tu.*

De secundo dicit Dominus de omnibus sanctis : *Mundus gaudebit : vos autem contristabimini*<sup>1</sup>. De ordine autem : quia antea flendum est, et postea gaudendum, cum dicitur servo fideli : *Intra in gaudium Domini tui*<sup>2</sup>. Nunc autem ordo tenendus est. Psal. CXXV, 6 : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* I Petr. I, 11 : *Prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones et posteriores glorias.* Luc. XXIV, 26 : *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ?* Unde, Proverb. XXXI, 25, de forti muliere dicitur : *Ridebit in die novissimo.* Psal. XCIII, 19 : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

« Væ ergo vobis qui ridetis, quia lugebitis et flebitis. »

Luctus quidem in ejulatu, et fletus in lacrymatione : non quod ab impiis in inferno aliquid resolvatur, sed quia dolor et constrictio cordis in tristitia, fletus est, et fletus vocatur. Matth. XIII, 42 : *Ibi erit fletus, et stridor dentium.* Sicut enim in cachinnis inordinate dilataverunt os, ita improprium et iniquitas os oppilabunt. Improprium quidem in exprobratione peccati, Isa. LVII, 3 et 4 : *Vos accedite huc, filii auguratricis, semen adulteri et fornicariæ ! Super quem lusistis ? super quem dilatatis os, et ejecistis linguam ?* Ecce dura exprobratio. Psal. CVI, 42 : *Omnis iniquitas oppilabit os suum.* Ecce

<sup>1</sup> Joan. XVI, 20.

<sup>2</sup> Matth. XXV, 21 et 23.



oris oppilatio. I Reg. 11, 9 : *Impii in tenebris conticescent.* Filii autem sunt auguratrici in vana divinatione, quam sibi de prosperitate divinaverunt. Semen adulteri, qui ad verum animæ sponsum superduxit alienum diabolus. Semen fornicariæ, quæ nescivit gaudere nisi in præsentī libidine.

Erit autem luctus de absentia omnis gaudii, et de præsentia omnis tristitiæ : et erit fletus de incendio et fumo et infelicitate separationis a consortio beatorum.

De luctu, Jerem. vi, 26 : *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repente veniet vastator super vos.*

De fletu autem, Isa. xv, 3 et 4 : *Ululatus descendit in fletum. Clamavit Hesebon et Eleale, usque Jasa audita est vox eorum.* Hesebon interpretatur *cingulum tristitiæ* vel *cogitatio mæroris*, et significat, quia cinguntur mærore, eo quod in præsentī vita de mærore futuro nihil cogitaverunt. Eleale interpretatur *condescensio*, et significat eos qui simul ab altitudine cordis descendunt in foveam perditionis. Horum clamor pervenit usque Jasa, quod interpretatur *factura mandati*, hoc est, usque ad electos, ad quos clamabunt : quia illi mendata perfecerunt, sed tamen apud eos misericordiam non invenerunt. Et erit dolor eorum incomparabilis et fletus : quando fletus perpetuus eis indicetur, et sancti consolabuntur : sicut dicitur, Apocal. xxi, 4 : *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Et hoc est quod dicitur, Isa. lxxv, 14 : *Servi mei lætabuntur, et vos confundemini : ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.*

Sequitur :

26

« Væ cum benedixerint vobis homines : secundum hæc enim faciebant pseudoprophetae patres eorum. »

Sicut in præhabitis posuit beatitudinem in hoc, quod a cepto proposito mali per persecutiones bonos avertere non possunt, ita hic per contrarium ponit maledictionem, eo quod mali in malitia per adulationes foventur et blanditias.

Dicit autem tria : maledictionis interminationem, demeriti speciem, et exemplum probans eorum damnationem.

Maledictio quidem in hoc quod dicit : « *Væ vobis !* » Æternæ damnationis interminatio : hæc enim est maledictio. Job, iii, 3-10, qui postquam dixit : *Perceat dies in qua natus sum*, et multas interminationes illi diei maledictionum infligit, subjunxit : *Quare exceptus genibus ? Cur lactatus uberibus ?* Peccatum enim quasi genibus excipitur, quando favore laudantium sustentatur. Ad ubera autem lactatur, quando blanditiis adulatorum fovetur.

« Væ ergo vobis cum benedixerint vobis, »

In peccato vos foventes, « *homines*, » humum sapientes. Quia illi non laudant nisi similes sibi peccatores. Quia illi non laudant nisi vituperanda. Quia illis non placent nisi mala.

De primo, Psal. x secundum Hebræos, 3 : *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur.*

De secundo, Malach. 11, 2 : *Maledicam benedictionibus vestris, et maledicam illis, quoniam non posuistis super cor : ut scilicet discerneretis quid laudari deberet, vel vituperari.*

De tertio, Psal. lxxi, 6 : *Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent : confusi sunt, quoniam Deus sprexit eos.* Ad Galat. 1, 10 : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*

« Væ igitur vobis cum benedixerint vobis homines ! »

Quia dicunt bonum malum, et malum

bonum. Quia benedictionis non habent sacramentum. Quia Dei irrisio est ad benedictiones eorum.

De primo, Isa. v, 20 : *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum : ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras : ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum.*

De secundo, Psal. cviii, 28 et 29 : *Maledicent illi, et tu benedices... Induantur qui detrahunt mihi pudore. Quomodo enim habet benedictionis sacramentum, de quo dicitur, Psal. cviii, 18 : Dilexit maledictionem, et veniet ei : et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.*

De tertio autem, Proverb. 1, 26 : *Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo cum vobis id quod timebatis advenit.* Ista est via Balaam qui maledicere tentavit illis quibus benedixit Deus, et benedicere illis quibus Deus maledixit <sup>1</sup>.

« Væ ergo vobis cum benedixerint vobis homines ! »

Quia vos benedicendo, decipiunt. Quia, ne vos ipsos cognoscatis, impediunt. Quia vos ab humano sensu averunt.

De primo, Isa. iii, 12 : *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.*

De secundo, III, Reg. xxii, 22 et seq., ubi spiritus mendacii non permisit Achab cognoscere seipsum, donec interfectus est. Isa. xxx, 10 et 11 : *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores :... cesset a facie nostra sanctus Israel.*

De tertio est exemplum Nabuchodonosor, Daniel. iv, 20, ubi linguæ adulatorum benedicientium Nabuchodonosor averterunt eum ab humano sensu, quod putavit se esse Deum : et ideo in bestiam cor ejus commutatum est.

« Væ ergo vobis cum benedixerint vobis homines ! »

Quia non benedicunt nisi his qui sibi benefaciunt. Quia mercede vili illa benedictio emitur. Quia benedictio illa in vilis hominis potestate et voluntate collocatur.

De primo, Mich. iii, 5 : *Seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem : et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium.*

De secundo, Ezechiel. xiii, 19 : *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei et fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, et vivificarent animas quæ non vivunt.*

De tertio patet : quia ille benedicit et laudat si vult. Et si non vult, non benedicit sed maledicit. Et ideo dicit Psalmus cviii, 2 : *Deus, laudem meam ne tacueris : quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est.* Quasi dicat : In ore tuo tota est laus mea. Os dolosi non vult laudare : quinimo, *pro eo ut me diligere, detrahebant mihi* <sup>1</sup>. Psal. ci, 9 : *Qui laudabant me, adversum me jurabant.* Hodie laudat, et cras in contrarium jurat.

« Væ ergo vobis cum benedixerint vobis omnes homines. »

« Secundum hæc, »

Scilicet laudando vituperandos, « *faciebant,* » benedicendo, « *pseudoprophetis,* » de quibus dicitur, Ezechiel. xiii, 4 : *Quasi vulpes in desertis prophetæ tui, Israel.* Jerem. v, 30 et 31 : *Stupor et mirabilia facta sunt in terra : Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis : et populus meus dilexit talia.* Tales enim prophetæ maxime adultores fuerunt. Ezechiel. xiii, 18 : *Væ quæ consuunt*

<sup>1</sup> Cf. Numer. xxii et xxiii.

<sup>2</sup> Psal. cviii, 4.

*pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* Quidam enim in peccatis jacent, appodiat ad cubitum, quorum est aliqua mensura peccatorum. Quidam autem in peccatis toti jacent prostrati et supini. Consuunt autem sub cubitu pulvillos, qui mollia blandientes benedictionibus suis, illos in peccato detinent. Cervicalia autem supponunt, qui molliter blandiuntur his qui in profundo jacent peccatorum.

« *Patres eorum,* » non tam generatione carnis, quam imitatione adulatoriæ benedictionis. Sapient. iv, 6 : *Ex iniquis somnis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiae adversus parentes in interrogatione sua.* Luc. iii, 7 : *Genimina vipera-rum.* Sapient. xii, 10 et 11 : *Nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab initio.*

27

« Sed vobis dico, qui auditis : Diligite inimicos vestros. »

Positis his quæ a præsentibus elevant desiderium ad æterna, tangit viam perfectionis ad illa, quæ maxime competunt Apostolis et Apostolicis viris, hoc est, Episcopis, et Archiepiscopis, et Patriarchis.

Dividitur autem in duo : in quorum primo ipsam viam docet perfectionis : in secundo autem, quia via alta et difficilis est, per similitudinem ædificantis domum supra petram, ostendit sapientiam ejus qui in suis sermonibus permanserit.

Adhuc autem, Ipsa via perfectionis est duplex. Est enim in ordine ad alterum, quæ est via difficilior : et est via secundum virtutem, quæ est in seipso, et hæc est faciliior, et ideo priori postponitur : et hanc ostendit per similitudinem arboris bonæ vel malæ, in comparatione ad fructum.

Adhuc autem, Secundum duplicem

modum quo homo ordinatur ad alterum, duas ponit vias perfectionum. Est enim ordo ad alterum, in perferendo illata ab altero, et est ordo ad alterum secundum id quod male facit proximus in seipso, in quo alter non potest habere nisi judicium. Et ideo primo docet tolerare injurias, et secundo docet vitare temeraria judicia.

In preferendis autem injuriis tangit tria. Primo enim ponit præcepta, secundo præceptorum adhibet rationes, tertio autem invitât ad ea per mercedis considerationem.

Ubi autem ponit præcepta ordinationis ad alterum duo facit. Quia enim difficillima dicturus erat, ideo primo excitat ad auditum : et deinde promulgat præcepta perfectionis.

Excitans autem ad attentionem dicendorum dicit :

« Sed vobis, »

Discipulis et Apostolis ad quos elevans oculos direxi a principio, qui disciplinis meis quæritis imbui, qui imitatione magisterii meos vos probatis esse discipulos, qui dilectione et beneficio maxime discipuli mei esse cognoscimini. Vobis, inquam, « *dico qui,* » hoc est, quia vos « *auditis,* » hoc est, intus ad intellectum et affectum meum auditum quamvis difficilem percipitis. Non enim estis idola similia hominibus, qui auditum disciplinalem non habeatis. Psal. cxiii, 6 : *Aures habent, et non audient.* Tales enim sunt similes hominibus, non homines, qui auditum disciplinalem non habent. Quia, sicut dicit Aristoteles, « *auditus sensus est disciplinæ per doctrinam accipiendæ.* » Nec estis de his qui aures aggravant obturando per alienas delectationes, ne capiat in eis sermo meus. Isa. vi, 10 : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude : ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.* Nec estis de his qui quando difficilia au-

diunt, excusant, et ad facilia præbent auditum. Ad Hebr. XII, 19 : *Quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum.* Exod. XX, 19 : *Loquere tu nobis, et audiemus : non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Sed estis de discipulis, qui aures disciplinæ habetis ad audiendum. Matth. XIII, 9 et 43 : *Qui habet aures audiendi, audiat.* Apocal. II, 7 : *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis* <sup>1</sup>. Estis autem de illis, qui aure levi percipitis omne susurrum perfectionis divinæ. Job, IV, 16 : *Vocem quasi auræ lenis audivi.* Et ibidem, supra, V, 12 : *Quasi furtive suscipit auris mea venas susurri ejus.* Vobis ergo dico qui auditis et dicitis istud I Reg. III, 10 : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.*

« Diligite »

Ecce præcepta. Et sunt in quadruplici ordine. Quædam enim ordinat ad inimicos, quædam ad injuriantes per violentiam, quædam ad simpliciter petentes quæ nostra sunt, quædam autem ad eos qui obsistunt per calumniosum iudicium.

Ad inimicos autem ordinat nos affectu cordis, beneficio operis, et benedictione et oratione oris.

De affectu quidem cordis dicit :

« Diligite inimicos vestros. »

Hoc autem contra naturam esse videtur. Dicit enim in *Phedone* Plato sub nomine Socratis, quod de hominis natura et diffinitione est, amicis benefacere, et inimicis male. Si igitur nulla perfectio contraria est naturæ quam perficit, non potest esse de perfectione hominis inimicos diligere, et inimicis benefacere.

Adhuc autem, Unumquodque naturaliter suam appetit conservationem, ergo per contrarium odit id quod est naturam

destruens, et conservationem oppugnans. Inimicus autem est destruens naturam et conservationem. Igitur inimici sunt odiendi.

Adhuc autem, Non potest esse dilectio nisi boni vel apparentis boni. In inimico autem non est bonum, nec apparens bonum : sed malum mere et simpliciter malum. Ergo non potest inimicus diligi. Et istæ rationes irrefragabiles videntur, et sunt Platonis et Aristotelis. Videntur autem contrariari ad ea quæ hic dicuntur.

Si forte velis dicere cum Glossa, quod Christus nos hic elevat ad ea quæ sunt supra naturam. Hoc nihil est : quia id quod est supra naturam, naturæ non est contrarium. Diligere autem inimicos, directe et naturæ et dilectioni probatum est esse contrarium.

Adhuc autem, Cum non sint nisi tria amicitiarum genera, sicut probant Aristoteles et Tullius : illa quæ est fundata super utile, et illa quæ est super delectabile, et illa quæ est super honestum : videtur quod nullo genere amicitiae possit diligi inimicus : quia nec utile, nec delectabile, nec honestum : cum inimicus noceat, et tristitiam inferat, et nihil habeat honestatis et virtutis. Et quod impetretur dilectio quæ nullam causam habet dilectionis, videtur esse supervacuum in præcipiente, et impossibile in eo cui fit præceptum.

Ad hæc et similia dicendum, quod in veritate is qui inimicus est, duo in se habet : naturam, et vitium inimicitiarum. Natura quidem non est ita depravata quin aliquid boni habeat, et quin possit reparari : et ad hoc diligenda est et dirigenda. Vitium autem non potest diligi, et similiter natura immobiliter stans sub vitio. Et ita procedunt rationes inductæ. Unde quando dicitur : « *Diligite inimicos vestros,* » locutio est duplex : eo quod transitus verbi, *Diligo,* potest transire in accusativos illos *inimicos vestros,* gratia subjecti tantum : sic præcipit eos

<sup>1</sup> Idem habes, Apocal. II, 11, 17, 29. et III, 6,

13 et 22.

Dominus diligi : quia sic diliguntur, non ad inimicitiam, sed gratiam et bonum. Vel potest transire in accusativos gratia subjecti et formæ inimicitiarum : et hoc non intendit Christus : quia sic diligerentur ad hoc quod essent inimici, et ad vitium : quod omnino innaturale est, et pessimum esset, quia sic procedunt inductæ rationes.

Et per hoc patet quod iste est sensus : Diligite eos qui sunt, vel fuerunt inimici vestri : ut dilectione invitatis eos ad hoc quod convertantur in amicos, et in Deo lucremini eos. Sic enim impletur illud Apostoli, ad Roman. XII, 21 : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Vincitur enim malo, qui sic irascitur inimico : quia naturam vult destrui vitio. Sed vincit in bono malum, qui bonum naturæ quod est et potest esse in natura diligendo per benignitatem, malum inimicitiarum excludit. Sic dicitur, Exod. XXIII, 5 : *Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* Levit. XIX, 18 : *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Eccli. X, 6 : *Omnis injuriæ proximi ne memineris, et nihil agas in operibus injuriæ.* Hoc est igitur quod dicit. Et in hoc est lex adimpleta, et concordat cum ratione naturali : sicut dictum est.

« Benefacite his qui oderunt vos. »

Ecce ordinat nos ad inimicos beneficio operis, dicens : « *Benefacite his qui oderunt vos.* » Oderunt autem ira inveterata. His ergo præcipit benefacere. Odium enim numquam dulcius et melius superari potest quam quod beneficium opponatur. Psal. XXXIV, 12 : *Retribuebant mihi mala pro bonis,* etc. Et, Psal. CVIII, 5 : *Posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.* Proverb. XXV, 21 et 22 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitierit, da ei aquam bibere :*

<sup>1</sup> Matth. XXVI, 50.

*prunas enim congregabis super caput ejus, et Dominus reddet tibi.* Prunas enim charitatis congregat quis super caput odientis, quando bonum reddit pro malo. Ad Roman. XII, 20 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones congeres super caput ejus.* Psal. CXIX, 3 et 4 : *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam ?* supple, te odientis. *Sagittæ potentis acutæ,* hoc est, consilium acutissimæ veritatis : *cum carbonibus desolatoriis,* hoc est, cum beneficiis pro malo repensis ignitæ charitatis. Illa enim confundunt eum qui de cætero odium tenere erubescit. Sic enim dicit I Petr. II, 13 : *Sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Sic etiam dicit Job, XXXI, 31 : *Si non dixerunt viri tabernaculi mei : Quis det de carnibus ejus ut saturemur,* hoc est, qui præ odio carnibus meis quærebant satiari. Hos e contra, benefaciens ex dilectione tabernaculo recepi, et contubernales meos feci. Ad Roman. XII, 17 : *Nulli malum pro malo reddentes : providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus :* ut possitis dicere illud Psalmi CVIII, 5 : *Posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.*

« Benedicite maledicentibus vobis. »

Ordinat nos hic benedictione oris, et secundo oratione pro indevotis nobis.

De primo dicit : « *Benedicite,* » hoc est, bona optate per salutationem : sicut, « *Deus te salvet !* » « *Det tibi Dominus benedictionem suam,* » et hujusmodi.

« *Maledicentibus vobis,* » sicut Christus proditori dixit : *Amice, ad quid venisti ?* Vocavit enim amicum, quem scivit esse proditorem. I ad Corinth. IV, 12 : *Maledicimur, et benedicimus.* II Reg. XVI, 11 et 12 : *Dimittite eum ut maledi-*

*cat juxta præceptum Domini. Si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. Psal. cviii, 28 et 29 : Maledicent illi, et tu benedices :... induantur qui detrahunt mihi pudore, et operiantur sicut diploide confusione sua. Sicut enim maledictio convertitur in benedictionem, quando ipse maledicens confunditur, et pro maledictionibus recompensat benedictiones. I ad Corinth. xiv, 25 : Ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit. Non est enim cor, quod beneficiis non vincatur. Unde Ovidius :*

Omnia vincit amor, et nos cedamus amori.

« Et orate pro calumniantibus vos. »

Ecce secundum oris beneficium in hoc quod dicit : « *Orate.* » Si enim salutatione et beneficiis præventus, non vult converti inimicus, tunc nihil aliud restat, nisi ut oretur pro eo quod Dominus ipse sua gratia convertat eum : quia tunc non est aliud refugium pro obstinatis. II Paralip. xx, 12 : *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habeamus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*

Orabimus ergo « *pro* » inimicis « *calumniantibus nos,* » hoc est, falsa crimina imponentibus nobis. Jerem. xviii, 20 : *Recordare quod steterim in conspectu tuo ut loquerer pra eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis. Psal. xxxiv, 13 : Ego autem, cum mihi molesti essent, induer bar cilicio : humiliabam in jejuniis animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur. Cum enim obstinati sunt, et vera dicere nesciunt, falsas calumnias imponunt : et pro illis est orandum, quia non est aliud remedium. I ad Corinth. iv, 13 : Blasphemamur, et obsecramus.*

Sunt autem calumniantes nos, ignorant et scientes.

Ignorantes sunt infideles, qui credunt se in nobis obsequium præstare Deo, si nos persequuntur et calumniantur. Joan. xvi, 2 : *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et pro illis specialiter orandum est : quia si Deus revelaverit eis, illi efficiuntur optimi amici : sicut Paulus amicus Ecclesiæ factus est.*

Alii autem contra conscientiam calumnias imponunt, cum veritatem nullam habeant : et de illis parum sperandum est. Psal. li, 6 et 7 : *Dilexisti omnia verba præcipationis, lingua dolosa. Propterea Deus destruet te in finem : evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium.*

« *Orate ergo sic pro calumniantibus vos.* »

« Et qui te percutit in maxillam, præbe et alteram. » 29

Ecce præcepta quæ ordinant ad injuriantes : primo quidem in corpore, quod gravius est : postea autem in rebus, quod est levius.

Dicit ergo : « *Et qui te percutit in maxillam,* » vel in aliam partem corporis. Hoc maxime intelligitur de infideli, et ubi prævalet malitia. In his enim non est opponere nisi patientiam. Ubi autem sunt fideles, et non prævalet malitia, bonum est exigere emendam coram judice religioso sine contentione, ne stultus iterum similia attentet. Proverb. xxvi, 5 : *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur. Si autem prævalet iniquitas, patientia opponenda est. Et ideo immediate præcedit, Proverb. xxvi, 4 : Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Tunc autem Dominus misit Apostolos ad infideles et prævalentem iniquitatem : et ideo præcepit opponere patientiam contra omnem injuriam. Matth. x, 16 : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Postea autem Ecclesia**

inspirata Spiritu Christi statuit, quod minister Christi injuriam quidem propriam posset remittere, sed injuriam Ecclesiæ deberet judici manifestare: et ipso facto percussus, pœnam incurrit excommunicationis. Quia tunc non prævaluit iniquitas: et iudex ejusdem religionis non contentioni studens, sed paci et justitiæ operam dans habebatur.

Hoc est igitur quod dicit:

« Et qui te percutit in maxillam, »

Convicium simul et pœnam inferens. Thren. III, 30: *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Job, XVI, 11: *Exprobrantes percusserunt maxillam meam.*

« *Præbe et alteram,* » hoc est, esto paratus si malitia vincat, præbere ei et alteram. Alioquin enim nec Christus fecisset quod docuit. Percutienti enim maxillam, leviter corripiendo dixit: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis<sup>1</sup>?* Apostolus etiam ubi putavit non prævalere iniquitatem, sed aliquid esse cognitionis divinæ, cum percuteretur ad maxillam, Act. XXIII, 3, dicit: *Percutite deus, paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secundum legem, et contra legem jubes me percuti.* Patet ergo quod non est intelligendum nisi de infideli iudice et contentioso contra fidem et contra justitiam, et ubi prævalet iniquitas.

Exponitur etiam sic, et redit in eundem sensum: « *Et qui te percutit in maxillam,* » hoc est, coram et in facie, « *præbe et alteram,* » hoc est, esto paratus sibi præbere etiam partem quæ non apparet: ut etiam detrahat tibi quod aperte conviciatur. II ad Corinth. XI, 20: *Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit.* Hoc enim fecit Christus, qui oblatu est quia ipse voluit, et non

*operuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum<sup>2</sup>.* I Petr. II, 23: *Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se injuste.*

Quidam hoc etiam mystice exponunt dicentes, quod in pugna contra hæreticos, maxilla est apparens pro fide loquens auctoritas: quæ percutitur, cum revellitur apparenter ab hæreticis. Altera autem exhibetur, cum altera irrevellibilis statim opponitur. Judicum, XV, 15, Samson in maxilla asini, hoc est, in simplici Scripturæ eloquio, prostravit mille viros fidei se opposcentes. Hæc autem expositio mystica est, et non ad litteram.

« Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. »

Ecce secundum præceptum contra injuriantes.

« *Ab eo qui aufert,* » violenter et prædominante iniquitate, « *vestimentum* » exterius, quod potius est propter honestatem quam propter necessitatem, « *et tunicam,* » quæ est interior vestis et necessaria, « *noli prohibere,* » cum contentione et ubi prævalet iniquitas. Aliter enim prohibere poteris, et debes cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut dicit Isidorus. « Quod enim pro charitate institutum est, ut dicit Beatus Bernardus, « contra charitatem non debet militare. » Et ideo quod hic dicitur, pro charitate dicitur. Et ideo si alicujus malitia boni viri patientia abutatur, et in malitia plus grassetur, non debet hoc iudex ecclesiasticus sustinere. Sed (sicut dictum est) ubi prævalet malitia, ibi aliud non potest opponi nisi patientia. Et ideo in tali casu quod hic dicitur intelligitur. Aliter enim irrationabile esset tollenti superfluum, non prohibere etiam necessarium: et esset contra naturam: quia

<sup>1</sup> Joan. XVIII, 23.

<sup>2</sup> Isa. LIII, 7.

necessario subtracto, subsistere non possum : et oporteret memetipsum morti exponere, si necessarium non retinerem, si possem.

Matth. v, 40, idem dicitur : *Qui vult tecum iudicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium.* Cantic. v, 7 : *Percusserunt me, et vulneraverunt me : tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Job, xxiv, 7 : *Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes.* Ad Hebr. x, 34 : *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes, vos habere meliorem et manentem substantiam.*

« Omni autem petenti te, tribue. »

Ecce ordinatio ad eos qui simpliciter petunt quæ nostra sunt : et ad hos ordinat dupliciter. Quidam enim petunt pro beneficentia et largitate. Quidam autem petunt cum violentia et intentione retinendi.

De primis autem dicit, « *Omni petenti te, tribue* » ex largitate benignitatis. Qui enim petit, ostendit se esse indigentem. Et hoc debet sufficere bono cordi. Nec expedit multum curiose rimari, utrum indigeat vel non, sicut dicit Chrysostomus : maxime quando petit in nomine et habitu justi vel prophetæ. Matth. x, 41 : *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet : et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* Unde quibusdam bene vestitis profugis petentibus ad rogum Joannis eleemosynarii, et ministris suis quærentibus et dicentibus : An talibus esset dandum ? Respondit sanctus Domini : « Obedite simpliciter sermone : Domini : *Omni petenti te, tribue.* Non enim Deus indiget curiosorum, nec humilis Joannes. »

Vel legatur sic : « *Omni petenti te* » ipsum, « *tribue* » compatiendo, si aliud dare non poteris. Da tua, si potes. Luc. xi, 41 : *Quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis.*

Quia si non potes dare et tu, quia non habes superflua, da compassionem. Job, xxx, 25 : *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.* Et sic in veritate petenti tribuis teipsum.

« Et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. »

Ecce ordinatio ad petentem cum violentia. « *Ne repetas,* » in iudicio contentioso coram infideli iudice : et ubi prævalet iniquitas. Aliter enim repetere poteris et debes : quia aliter dolus et fraus et violentia patrocinentur dolosis, et fraudulentis, et violentis : quod est contra omnia jura, et contra omnem rationem. Similiter etiam ne repetas si inopia excludit actionem. Isa. lviii, 3 : *Omnes debitores vestros repetitis.* Exod. xxii, 26 et 27, præcipitur si debitor a debente accipiat pignus vestem suam, quod reddat ante solis occubitum : quia ipsum est vestimentum quo operitur, et quo tegi solet. In his ergo duobus casibus, « *ne repetas.* »

« Et prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter. »

31

Ecce ordo ad alterum per generalis justitiæ formam. Et est istud præceptum affirmativum, et generalissimum inter omnia quæ sunt de jure naturali. Et est indistincte continens in se omnia quæ sunt juris naturalis. Matth. vii, 12 : *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Negativum autem illi respondens est, Tob. iv, 16 : *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.*

Intelligitur autem de voluntate ex ratione cum habitu sapientiæ et prudentiæ consiliata. Ut sit sensus : « *Prout vultis,* » voluntate informata sapientia et prudentia et ratione recta, « *ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis,* »



secundum eandem rationem voluntatis : quia nobis nihil debemus malum, vel injustum velle fieri ab alijs. Et ideo nec illis talia debemus facere. Sicut enim diximus superius, justitia nos ordinat ad alterum secundum æquale damni et lucri : et ideo talia debemus nobis velle fieri a proximo. Ad Roman. xiii, 7 et 8 : *Reddite omnibus debita : cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal : cui timorem, timorem : cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Eccli. xxxi, 18 : *Intellige quæ sunt proximi tui ex teipso.* Quod enim tibi vis fieri, alteri facias : et quod tibi non vis fieri, alii ne facias. Sic enim implet istud præceptum Jacobi, ii, 8 : *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* hoc est, ad quod teipsum.

Hoc est igitur quod dicit : « *Et vos facite illis similiter.* »

32

Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia ? nam et peccatores diligentes se diligunt. »

Ecce hic probat per rationem quod hæc est via perfectionis, quæ dicta est.

Dicit autem duo. Inducit enim triforem rationem, de dilectione, de beneficio, de mutuo : et secundo, intentas concludit conclusiones.

Prima rationum quæ triformes sunt, est de dilectione : « *Si diligitis eos,* etc. » Triplex est apud Philosophos amicitia, fundata super delectabile, utile, et honestum. Una est quæ non durat nisi quamdiu durat delectabile : unde dicit Aristoteles : « *Sævi et austeri parum sunt diligibiles.* » Est enim in eis parvum quid delectabile. Fundata autem super utile est secunda, et durat quamdiu durat utilitas. Genes. xxv, 28 : *Isaac amabat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur.* Tertia est vera amicitia quæ fundatur super honestum virtutis, et hæc semper manet : quia amici diligendi sunt, etiamsi nihil nobis debeat fieri.

Homines autem pauci diligunt nisi propter delectabile vel utile : et secundum horum consuetudinem loquitur Christus, dicens :

« *Si diligitis eos,* » mercenaria dilectione, « *qui vos, diligunt,* » et diligendo præveniunt, « *quæ vobis est gratia ?* » dilectionis scilicet, quæ jam empta, et non gratis est exhibita. I Joan. iv, 10 : *In hoc est charitas : non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Sed dilectio gratiam habet si gratis exhibetur, et multo magis si pro contrario odio datur. Ad Roman. v, 8 : *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Unde hæc dilectio nec est similis dilectioni Christi, nec etiam dilectioni veræ. Dilectio enim vera super virtutem et honestum est fundata, et omni tempore diligit, et non empta est vel mercenaria. Et ideo talis empta et præventa mercede caret. Matth. vi, 2 : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*

Unde subjungit exemplum, dicens : « *Nam et peccatores,* » qui nec gratiam nec honestum attendunt, « *diligentes se diligunt,* » empti ad diligendum, cum tamen nihil honestum diligant in ipsis.

Si autem objicitur de hoc quod dicitur, Proverb. viii, 17 : *Ego diligentes me diligo.* Et sic etiam divina dilectio videtur esse mercenaria. Ista objectio non valet. Quia cum dicitur : *Ego diligentes me diligo,* intelligitur sic constructio ordinanda : Ego diligo diligentes me. Et hoc verbum, *Diligo,* non transit super accusativos illos *diligentes me,* nisi ratione materiæ, et notat causam ad ipsum : ut sit sensus : Ego diligo : et mea dilectio est eis causa quare me diligant, quia diligendo confero eis gratiam, unde me diligere possint. Et si dilectio diligentium Deum non est causa quod diligit eos Deus, sed potius dilectio Dei est eis causa unde diligant Deum. Et sic adjuvatur sensus prædictus, quod non est

mercenaria Dei dilectio ; et nostra dilectio quæ est supra virtutem fundata, est vel debet esse illi similis. Et sic optime dicit Christus, quod peccatores diligunt eos qui se diligunt mercenaria dilectione. Sed si diligimus inimicos, est nobis gratia : quia tunc non tantum non est mercenaria dilectio, sed etiam oppositum dilectionis invenit in subjecto : et ideo ultra quam gratis est exhibita illa dilectio.

33

« Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? siquidem et peccatores hoc faciunt. »

Respondet secundo per rationem, quæ est de beneficio exhibito contra odium.

Dicit ergo : « *Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt,* » hoc est, vos beneficiis præveniunt : quia etiam apud Philosophos, benefici est velle benefacere, et non contrapati beneficio aliquo. Est enim minoratio quædam sibi benefieri. Benefacere autem virtutis est. Et si hoc est ita secundum mores hominum, multo magis secundum legem divinam hoc erit amplioris perfectionis : ut beneficus non repatiatur beneficium, sed reputet sibi minorationem, si sibi bene fiat : maxime cum propter Christum etiam malefacienti beneficium supererogare pium sit : sicut fecit Christus, Luc. x, 35 : *Quodcumque supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi.* Augustinus in *Confessionibus* : « Ille « solus neminem perdit, qui et inimicum « diligit propter te, et amicum in te. » In hoc casu tenet quod dicitur, ad Roman. xii, 20 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis,* hoc est, charitatis, *congeres super caput ejus* <sup>1</sup>.

Et subjungit exemplum :

« Siquidem et peccatores hoc faciunt »

Mercenario opere, et empti ad opus. I Joan. iv, 13 : *In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Spiritus autem suus est quod inimicis beneficiamus et malefactoribus. Isa. liii, 12 : *Ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit,* scilicet ut non perirent. In hoc enim etiam malefacientibus benefecit.

34

« Et si mutuam dederitis his a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam et peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. »

Tertium est documentum de his qui non in toto, sed in rebus ad nos pertinentibus tantum indigent. Non enim fortasse possumus dare, sed mutuare ad tempus aliquid possumus, ut postea nobis sors restituatur, sine qua vivere non possumus, quia forte agros et vineas non habemus : et oportet nos nostra mobilia in usum vitæ convertere, et de illis lucrando licite vivere : tamen portione quadam ad tempus possumus carere sine vitæ dispendio : et secundum hoc mutuam possumus facere proximo, et hoc gratis debemus facere. Ezechiel. xviii, 8 : *Ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit.* Psal. xiv, 5 : *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.* Deuter. xv, 7 et 8 : *Non obdura-bis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, et dabis mutuam quo eum indigere perspexeris.* Et, infra, 10 : *Non ages quippiam callide in ejus necessitatibus sublevandis.* Deuter. xxiii, 20 : *Fratrī tuo absque usura id quo indiget commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo.*

<sup>1</sup> Cf. Proverb. xxv, 21 et 22.

Si ergo mutuam dederitis a quibus speratis recipere, « *quæ gratia est vobis?* » Quia jam recepistis ultra sortem, et sic cum peccato redemptum est beneficium. Matth. x, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.*

Et ideo sequitur :

« Nam et peccatores, »

Avari qui lucrari intendunt, « *peccatoribus,* » qui in malos usus expendere quærunt, « *fœnerantur,* » hoc est, ad fœnus, sive ad usuras accommodant, « *ut recipiant,* » ultra sortem, « *æqualia* » illis damnis et temporibus in quæ possent commutare interim pecunias suas. Non enim contenti ut recipiant æqualia sorti, sed potius æqualia his in quæ interim per lucrum illicitum possent suas pecunias commutare. Luc. xix, 23 : *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam?* Illa enim reputant æqualia. Si autem nihil præter sortem recipiant, reputant se damnificatos.

35

« Verumtamen diligite inimicos vestros : benefacite, et mutuam date, nihil inde sperantes : et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos. »

Hæc est conclusio ex rationibus præhabitis.

Et ideo quasi concludendo repetit, dicens : « *Verumtamen diligite inimicos vestros,* » affectu charitatis, sicut Christus dilexit. Ad Roman. v, 8 et 9 : *Commendat charitatem suam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.*

Diligite autem sicut vos ipsos, hoc est, ad quod vos ipsos, hoc est, ad hoc quod inimicitiis depositis, cives et fratres et dulcissimi efficiantur amici : sicut David Semei, II Reg. xvi, 10 : sicut Christus proditorem, sicut Stephanus Paulum lapidantem. Et omnes quidem affectu charitatis diligite, et etiam effectu beneficia exhibete, cum necesse fuerit, et se facultas obtulerit.

Et hoc est quod sequitur :

« Benefacite, »

Hoc est, in opere charitatis et beneficentiæ dilectionem ostendite. Probatio enim dilectionis, exhibitio est operis. Ad Hebr. xiii, 16 : *Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci.* Hoc est enim opus cujus in necessitate non obliviscitur Deus. Ad Hebr. vi, 10 : *Non injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.* In benefactis igitur accipite exemplum beatum Job, Job, xxxi, 31 et 32, qui sitiens carnes suas, recepit tabernaculo : David, qui Saul in spelunca <sup>1</sup>, et in castris, nocte descendens ad eum <sup>2</sup>. Sumat exemplum Eliseum, qui eos qui egressi fuerant ad nocendum ei et capiendum eum, pasci fecit lautis ciborum præparationibus, et conduci ad locum securum <sup>3</sup>. Sumat exemplum Jeremiam, qui pro his qui quærebant vitam ejus, oravit apud Deum <sup>4</sup>. Sumat exemplum Christum, qui in cruce dixit : *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt* <sup>5</sup>.

Speciale autem beneficium ponit in exemplo, in quo frequentius peccatur, et quod in minori est damno : et hoc est :

« Et mutuam date. »

Si non habetis quod liberaliter impen-

<sup>1</sup> Cf. I Reg. xxiv, 8.

<sup>2</sup> Ibidem, xxvi, 7-12.

<sup>3</sup> Cf. IV Reg. vi, 22 et 23.

<sup>4</sup> Cf. Jerem. xviii, 20.

<sup>5</sup> Luc. xxiii, 34.

datis, saltem « *mutuum date,* » in quo vestrum salvum est vobis, et ex usu alius potest adjuvari, quando ad lucra licita id quod mutuatis convertit.

Dicitur autem *mutuum*, quasi de meo factum tuum. Unde nihil mutuari potest, nisi quod de meo potest fieri tuum : sicut pecunia, vel frumentum, vel vinum, et quod in eodem valore potest restitui, et ad lucrum licitum per negotiationem vel alium modum converti. Unde domus, vel ager, vel vinea, mutuari non potest : nec etiam vestimentum, nec ligna, nec aliquid hujusmodi : quod usu vilescit, et ad lucrum converti non potest, nec transmutari. Nisi enim de meo fieret tuum, tu tuam voluntatem et utilitatem de mutuo facere non posses. Si autem transmutari et commutari non posset, sed vel esset immobile, vel vilesceret usu, iterum non esset mutuum, sed vel venditio, vel locatio. Restituitur autem in mutuo, æquivalens in pretio ejusdem speciei vel alterius, prout accommodans et mutuans inter se convenerunt. In hoc ergo mutuo, si aliquid beneficii impenditur proximo, oportet quod utilitas ex mutuo proveniens proximo dimittatur, et sors restituatur. Si autem certa sorte manente, propter usum quem habet proximus inde, aliquid certum spero recipere, jam non charitatis est beneficium, sed usura : sicut dicit Beda, quod « usura est spes lucri « certi præter sortem, quæ data est in « mutuo. »

Et ideo duplex est usura : una quidem cum in pactum deducitur quid ultra sortem, et mutuum danti porrigitur propter mutuum. Secunda autem, cum in pactum non deducitur, sed tantum spes munerum habetur præter sortem exhibendorum. De utraque istarum dicitur, Ezechiel. xvii, 8 : *Ad usuram non commo- daverit.* Ecce prima species usuræ. Et subjungit dicens : *Et amplius non acceperit.* Ecce secunda. De utraque etiam dicitur in Psalmo xvi, 5 : *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Ecce prima. *Et munera super innocentem non acce-*

*pit.* Ecce secunda. Innocens enim est ipse qui mutuum accipit quando sortem restituit. Hæc autem usura utraque peccatum est avaritiæ, contra charitatem proximi : cujus labores in lucro subtrahit certa quantitate, cum ille in usu mutui nullam habeat de lucro certitudinem. Sapient. v, 1 : *Stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustia- verunt, et qui abstulerunt labores eorum.* Ille enim ex necessitate mutuum accipit, et in angustia in lucrum unde vivat convertit, et in labore forte aliquid in lucro acquisivit unde vivere posset : et hoc usurarius nihil angustiae passus, nihil laboris impendens, nihil fortunæ de diminutione sortis timens, tollit, et de angustia et labore et multa diversitate fortunæ proximi, sibi divitias congerit et acquirit. Unde Chrysostomus super *Matthæum* dicit, quod « sors quam mutuat « usurarius, ingressa in domum ejus qui « mutuum accipit, est sicut hamus latro- « nis projectus in cameram ejus, in qua « fur furari intendit. » Hamus enim ille paterfamilias dormiente et ignorante, semper volvitur, et modo illi, modo illi infligitur, donec totum quod erat in camera extrahatur. Et ita sors usurarii vol- vitur in facultatibus et laboribus ejus qui accepit mutuum, donec quidquid habere poterit, illi sorti adjungatur : et ipse cum filiis si habet eos, in servum possideatur. IV Reg. iv, 1 : *Creditor venit ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi.*

Et ideo est abominabile peccatum usura, contra charitatem proximi, contra præceptum Domini : non ponens modum lucri omni tempore, et omne tempus in lucrum vertens : quod est valde crudele. Ipso enim facto numquam in bonum recordatur proximi. Nec aliud aliquod peccatum semper nocens nisi illud. Latro enim aliquando nocet, et fur : usurarius autem semper et omni hora. Latro etiam et fur tantum accipiunt, et non plus : usu- rarius autem est in accipiendo totum. Et ideo competit ei quod dicitur, Habacuc, i, 15 : *Totum in hamo sublevavit, traxit*

*illud in sarena sua, et congregavit in rete suam.* Item, *xx. 15 et 16 : Super hoc lætabitur et exsultabit. Propterea immolabit sarenæ suæ, et sacrificabit reti suo : quia in ipsis incrassata est pars ejus, et cibus ejus electus.*

Quærent tamen quidam, utrum in usura transeat dominium, vel non ? Et qui dicunt, quod non : probant opinionem suam ex hoc quod danti usuras competit actio et repetitio. Et quia Dominus præcipit quod nihil speretur de mutuo, dicens hic : « *Mutuum date, nihil inde sperantes,* » quod non fieret, si transiret id quod ultra sortem datur in dominium usurarii. Qui autem dicunt quod transit in dominium usurarii, probant assertionem suam ex hoc quod mixtæ voluntates (sicut projectio mercium in mare in tempore periculi) magis sunt voluntariæ quam involuntariæ : quia principium earum est intra, consciente singularia, in quibus est actus, ut dicit Aristoteles. Ergo conditionatæ voluntates multo magis sunt voluntariæ. Si ergo datur usurario aliquid ex pacto, pro certo illud accipiens mutuum voluntarie dedit, et fit usurarii, et in dominium suum transit : et hoc puto ego verum esse. Quod autem alii competit actio ad repetendum, ex statuto principis est, et non de natura contractus, qui est inter usurarium, et eum qui accipit mutuum : et hujus signum est, quod antiquæ leges usuras permiserunt, sed eas ordinaverunt. Lucrum tamen est illicitum : quia et prohibitum, et nimis damnosum, sicut dictum est.

Ideo ergo dicit : « *Mutuum date, nihil inde sperantes.* »

« Et erit merces vestra multa. »

Invitat hic ad beneficentiam inimicorum ex consideratione mercedis.

Dicitur autem : « *Merces,* » respondens merito : « *multa* » autem quia de multis. Si enim inimico non plus rependatur quam intulit, et fiat per modum justitiæ, erit merces justitiæ. Deuter. xxv,

*2 : Pro mensura peccati erit et plagarum modus.* Si autem minus rependatur inimico quam intulit, erit merces misericordiæ relaxantis. Jacob. ii, 13 : *Superaxallat autem misericordia judicium.* Si autem nihil inferatur pro malo quod intulit, erit merces patientiæ, æquanimiter sustinentis illata propter Deum. Jacob. i, 4 : *Patientia opus perfectum habet : ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.* Si autem pro malo bonum reddatur, erit merces charitatis. Psal. xxxiv, 12, et Psal. cviii, 5 : *Retribuabant mihi mala pro bonis,* etc. *Posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.* Et si erit merces justitiæ, misericordiæ, et charitatis : ergo « *multa.* » Psal. xviii, 12 : *In custodiendis illis retributio multa.* Eccli. xii, 2 : *Benefac justo, et invenies retributionem magnam : et si non ab ipso, certe a Domino.*

« Et eritis filii, etc. »

Hic invitat ad idem consideratione exempli divini, quod perversum esse non potest.

Dicit ergo : « *Eritis,* » per imitationem, « *fili Altissimi.* » Joan. i, 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Ad Ephes. v, 1 : *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi.* I Joan. iii, 2 : *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum secuti est.*

In quo autem imitari debeamus dicit :

« Quia ipse benignus est : »

Visceribus bonitatis et charitatis affluens, et omnes ad conversionem et pœnitentiam trahens. Ad Roman. ii, 4 : *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis ? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ?*

« *Super ingratos et malos.* » Ingrati dupliciter mali sunt. Faciunt enim ma-

lum, et in hoc sunt mali : faciunt autem contra beneficium, et in hoc sunt ingrati. Mali autem sunt simpliciter mali : ut; Matth. v, 45, dicitur, quod *solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.*

« *Benignus ergo est,* » hoc est, bono igne ignitus, qui sic liquescit in bonum, ut det malis suis inimicis, ut det omnibus, ut provocet ad petendum, ut det plus quam petatur, ut det gratis, et ut det bonum pro malo inimicis et malis. Matth. xviii, 32 : *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me.* Dat omnibus, Jacob. 1, 5 : *Dat omnibus affluenter, et non impropere.* Provocat ad petendum, Matth. vii, 7 : *Petite, et dabitur vobis.* Plus quam petatur dat, III Reg. iii, 12 et 13, Salomoni petenti sapientiam, addidit Deus divitias et victoriam. Dat gratis, Isa. lv, 1 : *Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac.* Matth. x, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.* Bonum autem pro malo dat. Jerem. xviii, 20 : *Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ?*

Sic ergo « *benignus est super ingratos et malos.* »

36

« Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est. »

Conclusio est ex omnibus præhabitis.

Talis enim dilectio inimici non potest esse sine misericordia. Et ideo in illa concludit. Illam enim maxime diligit : et in illa summam perfectionis ponit. Matth. ix, 13 : *Euntes discite quid est : Misericordiam volo et non sacrificium.*

Duo ergo facit : misericordiam indicit, et formam quam imitemur ponit.

Misericordiam indicit cum dicit : « *Estote misericordes.* » Primum in miseros corporaliter vel spiritualiter viscera compassionis effundendo. Secundo autem, miseris de vestro donando. Tertio, si quid debet miser, condonando.

Quarto, miseriam ejus quantum potestis portando. Quinto, miserum a miseria revocando. Sexto, si etiam redire non vult, sed miserias multiplicat, eum expectando. Septimo, revertentem sine improprio benigne suscipiendo. Octavo, quantum in nobis est, multa quibus miseria sua regatur largiendo. Nono, etiam pœnam suam secum portando. Decimo, etiamsi aliud esse non potest, satisfactionem pro miseris suscipiendo.

De primo horum, Isa. lviii, 10 : *Cum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies.*

De secundo, Luc. xi, 41 : *Quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis.* Eleemosyna autem dicitur ab ἐλεος-ου, quod est *miseri-cordia.*

De tertio, Luc. xi, 4 : *Dimitte nobis peccata nostra, siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis.* Matth. xviii, 32 et 33 : *Omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me : nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?*

De quarto, ad Galat. vi, 2 : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.*

De quinto, Cantic. vi, 12 : *Revertere, revertere, Sulamitis, hoc est, captiva : revertere, revertere, ut intueamur te.* Jacob. v, 19 et 20 : *Si quis autem ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.*

De sexto, Isa. v, 2 : *Expectavit ut faceret uvas.* Habacuc, ii, 3 : *Si moram fecerit, exspecta illum.*

De septimo, Luc. xv, 20 : *Cum adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.*

De octavo, Luc. xv, 22 et 23, dicitur :

*Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus : et adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus, et epulemur.* Ecce, nudum textit, ne appareret ignominia miseriæ : discalceatum calceavit, ne affectus videretur turpitudine, et pes vili luto pollutus : indecorum et turpem annuli fulgore redimitum fecit, ne miseriæ videretur indecentia : esurientem bonis pinguibus replevit, ut porcorum oblivisceretur siliquas : symphoniam cantare fecit, ne in memoriam veniret tristis planctus ignominiosæ paupertatis : amicos in gaudium convocavit, ut contubernio tristi meretricum penitus oblivisceretur, et in talium societate delectaretur Sanctorum et Angelorum.

De nono dicit Apostolus, II ad Corinth. XII, 15 : *Ego autem libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris.*

De decimo, Genes. xxxi, 39 : *Ego damnum omne reddebam : quidquid furto peribat, a me exigebas.* Genes. xxxvii, 13 : *In me sit, ait, ista maledictio.* Hoc est exemplum ejus qui dixit, Joan. xvii, 19 : *Pro eis sanctifico meipsum.*

Sic ergo « *estote misericordes :* » quia misericordia est sola sacrificium acceptum, misericordia peccata relaxat, misericordia judicium durum temperat, misericordia comes est defunctorum.

De primo, Osee, vi, 6 : *Misericordiam volui et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta.*

De secundo, Proverb. xvi, 6 : *Misericordia et veritate redimitur iniquitas.*

De tertio, Jacob. ii, 13 : *Judicium sine misericordia fiet illi qui non fecit misericordiam : superexaltat autem misericordia judicium.* Psal. cxl, 5 et 6 : *Jucundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio : quia in æternum non commovebitur.*

De quarto dicit Ambrosius : « Non « sunt hominis quæ secum ferre non potest. Sola misericordia comes est defun-

« *ctorum.* » Isa. liv, 7 : *In miserationibus magis congregabo te.*

« *Estote ergo misericordes* » istis modis, et istis de causis,

« Sicut et Pater vester, »

Qui nulli subjacet miseriæ, qui est in cœlis. Tamen pro solo pietatis affectu « *misericors est,* » seipsum in nostris miseriis miserabiliter conturbando, miseriis nostras suscipiendo, multa pro nostris miseriis a miseris sustinendo, sua nobis et se communicando, omnem nostram miseriam si permittimus abstergendo.

De primo horum, Jerem. xxxi, 20 : *Conturbata sunt viscera mea super eum : miserans miserebor ejus.*

De secundo, Jonæ, i, 12 : *Tollite me, et mittite in mare, et cessabit mare a vobis,* hoc est, in profundum miseriæ et passionis.

De tertio, Psal. lxxviii, 21 et 22 : *Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit : et qui consolaretur, et non inveni. Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.*

De quarto, ad Roman. viii, 32 : *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit ?*

De ultimo, Apocal. xxi, 4 : *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.*

Est autem Pater misericors in affectu, miserator in effectu, benignus in profectu, patiens in nostro defectu, præstabilis in modico quem aliquando exhibemus pœnitentiæ effectui. Joel, ii, 13 : *Benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia.* Psal. cxl, 4 : *Misericors et miserator et justus, scilicet Dominus.* Jonæ, iv, 2 : *Scio quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multæ miserationis, et ignoscens super malitia.* Sic ergo Pater noster Deus Trinitas misericors est, quem in potentia imitari non possumus : in sapientia autem admirari possumus, non

attingere : in bonitate ergo et misericordia imitemur, ut probemus nos filios esse ipsius. Et sicut in duritia portavimus imaginem terreni patris, sic in misericordia portemus imaginem Patris cœlestis, ut sui simus filii.

Dicit autem :

« Sicut et Pater vester, »

Ut notetur similitudo : quia Pater cœlestis nihil miseræ habet in seipso. Et sic a se incipiens, miseretur nostri, non quod sui misereatur, sed quia non patitur se esse miserum. Et sic est nobis faciendum : quia a nobis incipiendum ut alteri misericordiam faciamus. Eccli. xiv, 5 : *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?* Eccli. xxx, 24 : *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Proverb. xi, 17 : *Benefacit animæ suæ vir misericors.* I ad Timoth. v, 8 : *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.*

37

« Nolite judicare, et non judicabimini : nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimittite, et dimittimini. »

Posuit præcepta ordinis ad inimicum, quod erat difficillimum, et per consequens ordinem ad proximum secundum charitatis et misericordiæ debitum : ideo ponit ordinem secundum iudicium et condemnationem. Iudicium enim durum sæpe impedit dilectionem ad inimicum, et præcipue condemnatio, et quia non dimittitur ei delictum : et ideo hic hæc removet impedimenta dilectionis, et facit hic duo : unum quidem, quod dicta removet impedimenta : secundum autem, quod ostendit inimicum non posse esse iudicem proximi.

De primo autem dicit duo : in quorum primo quatuor ponit præcepta de removendis impedimentis veræ dilectionis. In secundo autem ostendit, quod secundum modum iudicii nostri et quantitatem judicabitur de nobis.

Quatuor autem præcepta per ordinem patent in littera.

Primum quidem est :

« *Nolite,* » hoc est, Dixi : *Diligite inimicos.* Et, « *Nolite judicare* » eos : quia hoc impedit affectum dilectionis. Diximus autem in notulis nostris super Matthæum <sup>1</sup>, quod est iudicium rationis, et iudicium jurisdictionis.

Iudicium quidem rationis est quo facta nostra vel aliena apud nos discutimus. Et hoc quidem iudicium, aut est de factis propriis, aut de alienis. Si est de factis propriis, in his habet conscientiam testem de facto, et de causa facti, et de intentione facti. Et ideo in illo iudicio optime proceditur. Et suadet tali iudicio conscientiam discutere Apostolus, I ad Corinth. xi, 31 : *Quod si nosmetipsos dijudicavimus, non utique judicavimus.* Si autem facta alienæ conscientiam curiosius investigo, non debeo ante tempus judicare. I ad Corinth. iv, 5 : *Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Et ante hoc parum dicitur, y. 3 : *Mihi pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Dies autem humanus est humanæ cognitionis illustratio, quæ sæpe nebulosa et fallax est. Dies autem Domini, est divinæ cognitionis illustratio et manifestatio, quæ aliquando in quibusdam facta est a jure, et aliquando a iudicio, aliquando autem a iudice.

Quæ ut intelligantur oportet scire, quod iudicium rationis nostræ aliquando est de operibus proximi, aliquando autem de ipso operante. De operibus ergo quando judicatur, consi-

<sup>1</sup> Cf. Enarrationes in Matthæum, vii, 1 et seq.

Tom. XX hujusce novæ editionis.



derandum, est utrum ipsa opera sint adeo mala quod nullo modo possint bene fieri, sicut furtum, adulterium, fornicatio, et hujusmodi : et si hæc judicantur esse mortalia peccata, non est peccatum : quia dies Domini per Scripturam suam hæc illustravit. Qui enim talia mortalia esse non dicit et credit, infidelis est, et jam judicatus est, sicut dicitur, Joan. III, 18. Similiter autem est de ipso operante, dum est in talibus operibus. Sed in ipso operante cavendum est ne judicetur de permanentia in peccato : ut dicamus, quod numquam erit bonus : quia qui hodie est malus, forte cras erit bonus : et de nullo desperandum est dum est in via. Eccli. XI, 23 : *Facile est in oculis Dei subito honestare pauperem.* Eccli. XVIII, 26 : *A mane usque ad vesperam immutabitur tempus, et hæc omnia citata in oculis Dei.* Tale enim iudicium dies Domini per Scripturam jam non declaravit. Et ideo de finali impœnitentia nullum debeo judicare. Si autem sunt actus qui possunt bene et male fieri, sicut acquisitio temporalium, vel locutio cum muliere, vel aliquid hujusmodi : aut judicatur de opere, aut de operante. Si de opere, non debet fieri iudicium humanæ diei : quia de opere non iudico nisi de causa, vel intentione operis : sicut si dicam quod temporalia ex avaritia congregat et tenet, ut in deliciis vivat, et turpiter expendat. Hoc est iudicium temerarium et humanæ diei : quia opus non ostendit malum : et de quolibet præsumendum est bonum, nisi probetur contrarium. Similiter autem si hoc modo iudico de operante. Si autem in circumstantiis aliquid boni vel mali manifestetur, hæc manifestatio est dies Domini, qui illuminat occulta : sicut si juvenis lascivus, comptus, scurrilia diligens, in loco suspecto cum juvenula garrula loquatur : rhetorice possum arguere, quoniam adulter vel fornicator est. Si autem sacerdos maturus, honestus, cum matrona honesta in loco familiari loqua-

tur, dies Domini ex circumstantia talium personarum, nihil inhonestum permittit iudicare : sed potius quod de consilio animæ sit locutus. Si autem est de occultis omnino, et non manifestis nisi per quædam signa debilia, dies Domini hæc non declarat, nisi vel in iudicio per testes, vel propriam confessionem declaratur : vel a iudice sententia condemnationis feratur. Et si aliter iudicatur, temeritas est, et peccatum.

In iudicio autem jurisdictionis est etiam aliquando temerarium iudicium dupliciter, scilicet, in præsumpta potestate iudiciaria, vel in exsecutione iudicii. In præsumpta autem potestate iudiciaria est, cum aut sedes violenter vel contra justitiam occupatur, Exod. II, 14 : *Quis te constituit principem et iudicem super nos?* Isa. XXII, 16 : *Quid tu hic, aut quasi quis hic?* Aut aliquando per simoniam emitur, Zachar. XI, 17 : *O pastor, et idolum!* Non enim pastor vel iudex est simoniacus, sed idolum pastoris et iudicis. In exsecutione autem iudicii, si non sequitur allegata a jure, tunc temerarie iudicat : et talis debet esse iudex qui sciat et velit et possit diligenter inquirere veritatem et juris ordinem. Job, XXIX, 16 : *Causam quam nesciebam, diligentissime investigabam.* Eccli. VII, 6 : *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Hæc autem virtus est ex juris notitia, et diligenti inquisitione de causa præhabita ante sententiam diffinitivam. Ex parte autem agentis vel rei est iudicium omnino peccatum, si iudicium provocat ad disparis cultus iudicem, vel ad iudicem coram quo prævalet iniquitas. I ad Corinth. VI, 1 : *Audet aliquis vestrum habens negotium adversum alterum, iudicari apud iniquos, et non apud Sanctos?* Quasi dicat : Hæc audacia est contra fidei honestatem. Et ideo, ibidem dicitur, §. 6 : *Frater cum fratre iudicio contendit, et hoc apud infideles.* Et iterum, §. 7 : *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis*

*inter vos.* In hoc enim casu magis est injuria sustinenda, sicut diximus in antehabitis. Unde ibidem, Apostolus, I ad Corinth. vi, 7 : *Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* Hæc autem omnia dicta sunt propter diversarum Glossarum intellectum.

Litteralis enim sensus est quem diximus, quod videlicet vult remove impedimenta dilectionis quæ præcipue sunt, quando judicatur et ponderatur ab inimico illata injuria, quando condemnatione et non dilectione dignus reputatur, quando non dono beneficii sed pœna æstimatur idoneus. Et ideo dicit Chrysostomus, quod « optimus est, qui nihil cogitans de injuria, propter Deum statim diligit. » Est autem et ille bonus qui postquam judicavit inimicum non dilectione dignum, tamen propter Deum dilexit, renuntians judicio. Rursus autem et ille est in statu salutis qui et injuriam ponderans judicavit : et pœnam quam meruit, taxari fecit per condemnationem : sed reversus ad Deum, hanc ipsam pœnam infligi inimico noluit, sed ex tunc dilexit et remisit. Beatissimus autem omnium qui ei qui injuriam intulit et condemnari meruit, et non remissionem, sed pœnæ inflictionem exspectavit, omnia hæc dimisit, et multa bona e contra donando cumulavit. Et sic litteraliter hic quatuor exponuntur.

Dicit ergo :

« *Nolite,* » hoc est, velitis non « *judicare,* » quia judicium impedit dilectionem. Joan. xviii, 31 : *Nobis non licet judicare<sup>1</sup> quemquam.* Et hoc quidem adhuc magis est difficile quam inimicorum dilectio, quod scilicet nihil judicem de injuria mihi illata. Unde, Joan. iii, 17 : *Non misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Et ita faciunt et alii filii Dei qui sunt per adoptionem filii.

« *Et non judicabimini* » a Deo. Sine

judicio enim ponderationis suæ culpæ dimittitur ei debitum, qui præveniens judicium inimico debitum relaxavit. Luc. vii, 47 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et præmisit, x. 42 : *Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque :* non trahens eos ad judicium. Et ideo Maria tantum dilectionis creditur habuisse, quod omnibus dimisit, nullum judicium expetens, etiamsi in multis offensa fuisset.

Si autem objiciatur illud quod dicit Apostolus, II ad Corinth. v, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit.* Ex hoc enim videtur quod omnes judicabuntur. Dicendum, quod omnes quidem in judicio apparebunt, sed debita non ponderabuntur ; quia jam ea operuit ista charitas qua diligitur (sicut dictum est) inimicus. I Petr. iv, 8 : *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Proverb. x, 12 : *Universa delicta operit charitas.* Et hæc est vera expositio. Et omnes aliæ sunt vagæ expositiones.

Si autem aliquis forte de inimico expetit judicium justitiæ, et procedit cum eo ad judicium : illum adhuc revocat Dominus secundo mandato, dicens :

« *Nolite condemnare,* »

Hoc est, usque ad condemnationis sententiam procedere. Joan. viii, 10 et 11 : *Nemo te condemnavit, mulier? Quæ dixit : Nemo, Domine. Dixit autem Jesus : Nec ego condemnabo, sed absolvo, licet in me peccaveris. Vade, et jam amplius noli peccare,* Ad Roman. xiv, 4 : *Tu quis es, qui judicas, hoc est, qui condemnas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit.*

« *Et non condemnabimini* » a Deo. Justum enim est de congruitate æquitatis, quod si in me peccantem non condemnans absolvo, quod etiam me Deus ab-

<sup>1</sup> Vulgata habet, *interficere.*

solvat et non condemnet. Eccli. xxviii, 2 : *Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur.*

Sunt autem inter pastores qui hæc non faciunt, sed potius ad manum et ad pecuniam respiciunt. Isa. v, 23 et 20 : *Qui justificant impium pro muneribus, et justitiam justî auferunt ab eo... Qui dicunt malum bonum, et bonum malum : ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras.* Daniel. xiii, 53 : *Judicans judicia injusta, innocentes opprimens, et dimit- tens noxios.*

« Dimittite. »

Rêdeo ad expositionem litteræ. « *Dimittite* » pœnam ad quam condemnatur inimicus. Luc. xi, 4 : *Siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis.* Eccli. xxviii, 1 : *Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit.* Deuter. xxxii, 35, secundum antiquam translationem : *Mihi vindicta, et ego retribuam in tempore*<sup>1</sup>. Ad Roman. xii, 19 : *Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ.* Eccli. xxviii, 5 et 6 : *Homo cum caro sit, reservat iram, et propitiationem petit a Deo. Quis exorabit pro delictis illius? Memento novissimorum, et desine inimicari.*

« *Et dimittimini,* » scilicet vobis dimittetur a Deo peccatum, si propter Deum dimittitis, exemplum accipientes a Deo, qui dicit, Ezechiel. xxxiii, 11 : *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.* Dimittit enim Deus dimittentis debitum, et revocat antiquam culpam super non dimittentem. Matth. xviii, 33 : *Nonne oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* Hoc est enim exspuere super scintillam ignis, quando ex corde dimittitur offensa : sufflare autem ignem, hoc est, exigere vindictam et pœnam infligendam. Eccli. xxviii, 14 : *Si sufflaveris in*

*scintillam, quasi ignis exardebit : et si exspueris super illam, exstinguetur.*

« Date, et dabitur vobis : mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. »

Hic adjungit quod perfectum est, quod liberaliter absque judicio et condemnatione et exactione emendæ detur injuria illata. Et tunc etiam dabitur a Deo reconciliatio gratis. Luc. vii, 42 : *Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque.* Donatio autem est doni quod est gratis datum, et datio irredibilis. Sic etiam donandum est delinquentibus. Tunc enim et charitas est dulcior, et cor diligens apud Deum audacius, affectus Deo similior, et amicus de inimico lucratus securior, et ad amicitias de cætero exhibendas obligator. Dulcior quidem, quia nihil fellis retinet, quando gratis dimittit. Audacius etiam apud Deum est cor, quando simpliciter sine discussione mandatum dilectionis implevit. Tunc enim simplex obedientia sibi generat apud Deum audaciam petendi quod vult impetrare de peccatis propriis. Deo etiam est similior, quia sic Deus nobis peccantibus donavit. Securiorem etiam accessum habet ad nos, quia si nihil emendæ exigimus nobis faciendæ, hoc est meræ bonitatis : et apud bonum, quilibet est securus : et non est ita securus apud justum, qui emendam exigit : et ipse de inimico lucratus amicus, apud se non cognoscit obligatum, eo quod in beneficiis charitatis est præventus.

De dulcedine quidem, Eccli. xlix, 2 : *In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria.*

De audacia dicitur, I Joan. iii, 21 et ultio, et ego retribuam in tempore.

<sup>1</sup> Vulgata habet, Deuter. xxxii, 35 : *Mea est*

22, ubi loquitur de dilectione fraterna, et dicit sic : *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum : et quidquid petierimus, accipiemus ab eo : quoniam mandata ejus custodiemus, et ea quæ sunt placita coram eo facimus.*

De similitudine autem ad Christum, ad Philip: 1, 5 : *Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu.* Ipse enim dilexit inimicos. Et, I Petr. 1v, 1 : *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini : ut sicut ille gratis donavit, et nos donemus.*

De securitate autem ejus cui peccatum dimittitur, per oppositum exemplum accipitur, II Reg. xiv, 24, cum David dedisset peccatum Absalom, tamen reservavit sibi quod intraret in domum suam, et faciem ejus non videret. Et ex hoc securitatem non habens Absalom, multa postea mala procuravit. Ex corde dimittendum est, ut is qui fuerat inimicus, securitatem habeat. I Joan. 111, 18 : *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.* Ille etiam tunc quietius possidet inter amicos. Augustinus : « Ille « solus neminem perdit, qui et amicum « diligit in te, et inimicum propter te. » Sic enim impletur illud Joannis, xvii, 12 : *Quos dedisti mihi, custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis : cui tamen Christus etiam osculum amici porrexit.*

Sic ergo « *Date, et dabitur vobis.* »

Subjungit autem mensuram retributionis ad mensuram dilectionis. Sicut enim diximus, optima dimissio est, si gratis non judicantes offensam, nec ad judicium pertrahentes, dimittimus. Bona nihilominus est, si post judicium provocatum contra inimicum ante condemnationem dimittimus. Adhuc et ille aliquid boni habet, si post judicium contra inimicum provocatum, et post condemnationem factam a justo iudice, dimittimus pœnam, non exigentes infligendam. Dulcissima autem est, si etiam bonum pro malo donamus inimico. Hæc igitur ultima est

*supereffluens.* Dimittere autem gratis ante judicium est *coagitata*, hoc est, ad quassata mensura. Dimittere autem post judicium ante condemnationem, est *mensura conferta* compressa in omnibus. Bona autem est mensura, dimittere post condemnationem, et pœnam indictam non exigere.

Hoc est igitur quod dicit :

« Mensuram bonam, et confertam, etc. »

Est enim *bona*, quæ undique implet. *Conferta*, quæ in omnibus est expressa. *Coagitata*, quæ violentiam impulsione est passa : ut pars fortiter ad partem stet, ut mensura plus capiat. *Supereffluens* autem est, quæ undique exuberat. Et hæc est expositio litteralis. Deuter. xxv, 15 : *Pondus habebis justum et verum, et modius æqualis et verus erit tibi.* Isa. xxvii, 8 : *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam.* In his enim verbis ostendunt legislator et propheta, quoniam ad effectum charitatis, et circumstantias dimissionis, dabitur vobis mensura meriti et retributionis. Pondus enim justum est idem quod mensura conferta. Modius æqualis est mensura coagitata. Modius verus, mensura supereffluens. Quamvis autem hoc sit de dilectione, præcipue tamen est generaliter verum in omni bono et malo merito.

Et secundum hoc dicuntur hic septem.

In hoc enim quod dicit « *mensuram,* » intelligitur proportio retributionis ad meritum. Isa. 111, 10 et 11 : *Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventio-  
nium suarum comedet. Væ impio in malum ! retributio enim manuum ejus fiet ei.*

In hoc autem quod dicit « *bonam,* » notat impletionem capacitatis naturæ. Matth. xxv, 15 : *Dedit unicuique secundum propriam virtutem.*

In hoc autem quod dicit « *confertam,* » notat quod proportio etiam erit ad naturæ conatum. IV Reg. 1v, 5 : *Illi offere-*

*bant vasa, scilicet vacua non pauca, et illa infundebat.* Vasa enim vacua sunt corda. Oblatio eorum est conatus eorum ad bonum. In quæ vasa oleum gaudiorum in remuneratione infundit mater sapientia.

Capacitas autem meriti in opere, exiguit mensuram « *coagitatam* : » quia omnis circumstantia et omnis actio et cogitatio et affectus implebitur : quæ exhibita sunt ad meritum. Et hoc est gomor, ad cuius mensuram manna colligitur<sup>1</sup>. Affectui autem charitatis in merendo nihil sufficit : quia si millies se rependere posset, parum esset charitati : quia infinities infinita pauca reputaret præ charitatis amplitudine. Cantic. viii, 7 : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.*

Et ideo quærit præmium nulla mensura contentum. Et hoc est : « *Supereffluentem.* » Matth. xxv, 21 et 23 : *Intra in gaudium Domini tui* : quod infinitum existens, in te intrare non poterit, sed tu intrabis in illud infinitum pelagus, et abyssum gaudiorum.

Et hæc sunt quinque.

Sequitur : « *Dabunt* : » in quo notatur mensurantis magna liberalitas : quia dat gratis. Esther, ii, 18 : *Dona largitus est juxta magnificentiam principalem.* Ad Ephes. iv, 8 : *Dedit dona hominibus.*

« *In sinum.* » Ecce septimum, quia est remuneratio abscondita in occulto sinus vestri. Et in hoc notatur quod vincit omne sensibile in honoribus et divitiis et deliciis mundi, nullum habens exemplum. I ad Corinth. ii, 9 : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Notatur etiam in sinu certitudo, quia certum est quod in sinu habemus. II ad Timoth. i, 12 : *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem, scilicet justus iudex.*

Addit autem : « *Vestrum,* » ut notetur quod ad nutum habetur tamquam a nobis possessum. Ipse enim qui est merces Sanctorum noster est, et vult esse ut ad nutum habeatur. Ad Hebr. xi, 16 : *Non confunditur Deus vocari Deus eorum : paravit enim illis civitatem.* Ipse ergo noster est. Civitas regni sui nostra est : et omnia sua nostra sunt. Luc. xv, 31 : *Omnia mea tua sunt.* I ad Corinth. iii, 22 : *Omnia vestra sunt.*

Hoc autem quod particulariter determinavit, universaliter subjungit, dicens :

« *Eadem quippe mensura* »

Dilectionis, « *qua mensi fueritis,* » in merito, « *remetietur vobis,* » non quidem tantum ad tantum, quia hoc parum esset, sed potius in omni mensura dilectionis et meriti, remetietur vobis mensuram bonam, et confertam, et supereffluentem. Mensuram ex sapientia bonam ex fidelitate remunerantis, confertam : ex justitia, quia vult quod undique plenum sit, coagitatam : ex bonitate supereffluentem, ex charitate donatam, et superadditam ex magna liberalitate.

Sic ergo « *remetietur vobis,* » quasi duabus mensuris : una quidem debiti, alia autem supererogationis : una justitiæ, et alia charitatis. Apocal. vi, 6 : *Bilibris tritici denario uno.* Denarius est meritum. Bilibris tritici grani frumenti sunt duæ mensuræ, scilicet justitiæ, et charitatis, quas remetietur nobis Deus in adipe frumenti, quo satiabit nos.

« *Dicebat autem illis et similitudinem : Numquid potest cæcus cæcum ducere ? nonne ambo in foveam cadunt ?* »

Ecce hic incipit per similitudinem ostendere, qualiter rectum iudicium impe-

<sup>1</sup> Cf. Exod. xvi, 16.

dit odium reservatum : et ideo duo facit. In primo enim quod dictum est ostendit. In secundo monet purgare livorem vindictæ in odio inimicorum.

De primo dicit duo. Primo enim ostendit per similitudinem, esse cæcum in judicando, qui reservat iram fraternam. In secundo per antipophoram tacitæ respondet objectioni.

Dicit ergo : « *Dicebat autem,* » magis imprimere volens per exempla corporalia, « *illis similitudinem,* » quia per corporales similitudines spiritualia melius intelliguntur. Proverb. 1, 6 : *Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum et ænigmata eorum.* Matth. XIII, 35 : *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.*

« Numquid potest, »

Potentia visus, « *cæcus,* » in ratione, « *cæcum ducere?* » Quinimo, ut dicit Chrysostomus, si hoc præsumat, stultus et fatuus est. Est autem cæcus dupliciter. Unus quidem nec oculos habens : alius autem habens quidem oculos, sed visum in eis habet obnubilatum et velatum. Primus est qui in ratione nullam habet gubernandi scientiam, quia nec scit Grammaticam, neque Theologiam, neque jura, neque aliud. Et ideo cæcus est qui talis est. Isa. LVI, 10 : *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi : canes muti non valentes latrare.* Isti sunt cæci quos Jêbusæi posuerunt super murum in opprobrium David cum ipse David expugnaret civitatem <sup>1</sup>. Posuerunt etiam claudos in defensionem. Unde cæci speculatores qui sunt Prælati, custodire debentes Ecclesiam, sunt in ignominiam Christi veri David. Unde dicunt, ibidem, II Reg. v, 6 : *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos et claudos,* scilicet odientes animam David. Et ita Christus non ingredietur cor-

da subditorum, nisi cæci Prælati auferantur. Isa. v, 13 : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Osee, IV, 6 : *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.*

Alii sunt cæci velamen habentes ante oculos : et illi sunt quos vel fumus iræ, vel caligo odii, vel pulvis avaritiæ, vel ungula invidiæ excæcat : nec rectum ducatum possunt dare proximo vel subdito nisi hoc auferatur. Idem patiuntur qui luto luxuriæ vel fluxu gulæ infirmos habent oculos. Qui autem superbiæ supercilio altos habent oculos, non vident nisi quod sublime est, et omne humile despiciunt. Et isti quamdiu parvum est peccatum, festucas habent in oculo : et si crescit peccatum, efficitur trabs de festuca.

Omnibus autem his modis cæci si ducant suo regimine cæcos, dicit Dominus :

« Nonne ambo in foveam cadunt ? »

Fovea autem vocatur perditio : quia, sicut dicit Gregorius, « Cum pastor per abrupta vitiorum graditur, necesse est quod grex in præcipitium sequatur. » Matth. xv, 14 : *Sinite illos : cæci sunt, et duces cæcorum : cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Isa. xxiv, 17 : *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.* Formido propter ducentis dubium. Fovea propter ducentis casum. Laqueus in perditione tenens propter resurgendi desperationem.

« Non est discipulus super magistrum : perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. »

Hic antipophorat Christus. Posset enim aliquis dicere : Subditus, vel is qui ducitur, postest cavere : quamvis cadat ille

<sup>1</sup> Cf. II Reg. v, 6.

qui ducit. Et dicit Dominus, quod oculi discipuli in via morum attendunt ad exempla Prælatorum. Et licet in contemplativis aliquando ad rationem potius quam ad auctoritatem magistri respiciatur, tamen in moribus magis ad opera respicitur. Unde Gregorius : « Prælatum « peccantem arguere non præsumit : et « in exemplum culpa vehementer extenditur, cum pro reverentia gradus peccator honoratur. »

In talibus enim erroribus, « *non est discipulus super magistrum,* » ut errorem magistri corrigat. Professione enim disciplinæ magistri discipulus in talibus cognoscitur : sicut et Christus de discipulis suis ait : *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos*<sup>1</sup>. Ita per oppositum cognoscuntur discipuli errantium.

Unde sequitur :

« Perfectus autem omnis erit, »

In sui magistri disciplinis, « *si sit sicut magister ejus,* » hoc est, ductor et doctor, qui magis persuadet exemplo quam verbo : sicut Christus de se dicit, Joan. XIII, 13 et seq. : *Vos vocatis me : Magister, et Domine : et bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Matth. XXIII, 8, dicitur propter hoc : *Unus est enim Magister vester,* scilicet Deus qui in cælis est. Iste est enim qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*<sup>2</sup>. In contemplativis autem sæpe discipulus melior est magistro, quia ibi ad rationem respicitur, et non ad doctoris exemplum. Deuter. XXXIII, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.* Pedibus enim appro-

pinquat qui vestigiis inhæret exemplaris.

« Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? »

Aut quomodo potes dicere fratri tuo : Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns ? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui. »

Ecce hic dicit de cæcis, qui per aliquod vitium publicum habent boni iudicii et visionis et ducatus impedimentum.

Dicitur autem *festuca* parvum peccatum in oculo subditi : quod duobus modis fieri potest : aut quia parvum est specie : aut quia parvum est nocumento tali quod non redundat in alios, sed stat in uno : sic enim omne peccatum subditi parvum est, quia non trahitur in exemplum, et est parvæ corruptionis respectu peccati Prælatorum.

Dicit autem hic tria. In primo notat judicandi difficultatem in talibus. Secundo, notat judicandi scandalum. Tertio, invectivam ponit increpationem.

De judicandi difficultate dicit :

« Quid autem vides, »

Hoc est, qualiter videre poteris majori prægravatus, « *festucam,* » parvum nocumento vel specie peccatum, « *in oculo,* » rationis, « *fratris tui,* » quia conditione subditus frater est, licet gradu sit inferior : « *trabem autem,* » hoc est, magnum nocumento et specie peccatum, « *quæ in oculo,* » rationis, « *tuo est, non consideras ?* » In hoc enim interior ocu-

<sup>1</sup> Joan. VIII, 31 et 32.

<sup>2</sup> Joan. I, 9.

lus potentior est exteriori, quod se, et defectus suos poterit considerare: quod non potest exterior. Eccli. xxxi, 18: *Intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso.* Et nisi homo ex seipso consideret, non bene iudicat proximum. Psal. xvi, 2: *De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates.* Ad Galat. vi, 1: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris.* Ideo, Exod. xxxviii, 8, præcepit Moyses ut specula circumponerentur luteri, in quibus Sacerdotes seipsos considerarent, antequam officia Sacerdotis agerent.

Deinde subjungit talis iudicii impotentiam et injustitiam et incongruitatem, dicens:

« Aut quomodo, »

Hoc est, qua iustitia, aut qua conscientia, « *potes dicere fratri tuo,* » vel corripiendo, aut auctoritate corrigendo: « *Sine,* » hoc est, susline me, « *ejiciam festucam de oculo tuo,* » qui jam faciem corrigentis et corripientis amisisti, « *ipse autem in oculo tuo trabem non videns.* » II Reg. vii, 5: *Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* Quasi diceret: Non, eo quod vir sanguinum es. Ibi, Glossa: « Sordes tergere non valet manus, quæ lutum tenet. » Eccli. xxxiv, 4: *Ab immundo quid mundabitur? et a mendace quid verum dicetur?* Necesse est enim ut subditi palpet vitium: cujus in exemplo corruptionis patet vitium proprium. Luc. iv, 23: *Medice, cura te ipsum.*

« Hypocrita. »

Hypocrita est homo larvatus, qui extra doctoris formam usurpat, et intus sordibus exemplorum malorum hos quos docet, in errorem declinat. Isa. xxi, 17: *Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, et quasi*

*amictum sic sublevabit te.* Iste enim non est gallus, sed galli similitudo. Et non est homo sed amictum quoddam extrinsecus ad habitum, similitudinem habens et figuram hominis: et ideo sublevabitur de medio doctorum verorum.

« *Ejice primum trabem de oculo tuo,* » ne coram et in conspectu omnium appareat, « *et tunc perspicies,* » iudicialia auctoritate, « *ut educas,* » corrigendo vel corripiendo, « *festucam de oculo fratris tui.* » Si autem in consimili es, vel majori, simul cum fratre ingemisce, et non supercilium correctionis super eum usurpa.

Attende autem, quod si Prælati trabem habeat non in oculo, hoc est, non in publico, sed in occulto, ille cum timore tempore necessitatis corrigere poterit. Si autem in occulto, hoc est, in propatulo, non debet usurpare correctionem. Sed si corrigit, non habet frontem, et peccat. Et tamen, quamdiu prælatus est, corrigere tenetur. Et sic videtur esse perplexus: sed non est: quia vel emendet peccatum, et tunc ejicit trabem: vel dimittat prælationem, et tunc non tenetur ad correctionem. Sed hodie major pars et trabem publice in oculo portat, vel etiam jactat: et tamen festucas in oculis subditorum pœna pecuniaria plectunt, non educunt. Isa. iii, 9: *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* Et ideo grex Domini dissipatur. Joan. viii, 46: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* clamat Christus. I ad Corinth. xi, 1: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi,* clamat Apostolus. Peccatum trabis in oculo porto, dicit Episcopus. Imitatores mei nolite esse, sicut et ego diaboli, clamat Plebanus. Et ideo Evangelica veritas non salvatur. E contra dicitur de summo sacerdote Juda, I Machab. iv, 42 et 43: *Elegit Judas sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei: et mundaverunt sancta: et ideo prosperatum est opus in manibus eorum.*



43 « Non est enim arbor bonæ quæ facit fructus malos : neque arbor mala faciens fructum bonum.

44 Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. »

Hic adhuc ostendit quæ mala facit fratrum odium per similitudinem loquens, et per considerationem hominis in seipso.

Ponit autem duas similitudines : unam ad arborem, et alteram ad thesaurum cordis.

De arbore autem loquens facit duo. Ponit enim primo comparisonem arboris ad fructum secundum bonum et malum in genere. Secundo autem ponit comparisonem in specie spinæ et rubi.

In prima comparatione duo facit. Primo enim comparisonem ostendens præmittit, et sic comparisonem præmissam universaliter concludit.

Præmittit autem primo comparisonem bonæ arboris ad fructum malum : secundo autem, comparisonem malæ arboris ad fructum bonum.

Dicit ergo secundum litteralem expositionem : « *Non est arbor bona,* » hoc est, boni et delectabilis succi, « *quæ facit fructus malos,* » acres, indelectabiles : et non salubres, sed venenosos.

Videtur autem falsum dicere. Quia arbor mala in radice et stipite per insertionem boni surculi facit fructum bonum : sicut tota die in operibus hortensium arborum videmus : quia aliter frustra essent opera culturæ et insitiones plantarum. Ad Roman. XI, 24 : *Ex naturali excisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam :* et socius radicis olivæ et pinguedinis factus es. Videntur ergo illa non esse vera.

Ad hoc dicendum, quod planta nihil habet pro ventre intra seipsam : et ideo non emittit superfluitates : sed terra est venter ejus, et radices sunt sicut venæ meseraicæ in animali, et trahuntur humorem a terra sicut meseraicæ a stoma-

cho et intestinis ventris : et tam superfluitatem siccam quam superfluitatem humidam separant in ipso tractu. Hic autem succus digeritur in radice ad radicis similitudinem, et in stipite ad similitudinem stipitis, et in ramis ad similitudinem ramorum, et in poro ex quo sugit fructus digeritur, sicut in fonte immediato ad fructum : in fructu digeritur secundum ipsius fructus congruentiam. Et ita intelligitur planta sive arbor, secundum potentiam et virtutem digestivam quæ est in poro immediato fructui. Illa est enim planta fructificans, ad quam fructus dependet sugens per coctilidonem. Et secundum hoc vera est comparatio.

Et sic est in eo qui habet odium fratrum in voluntate, quæ est immediata potentia ad opus. Ira enim, et odio, et rancore, et indignatione, et felle amaritudinis existentibus et informantibus voluntatem, nullus bonus fructus verbi vel operis a voluntate illa quamdiu talis est, procedit. Act. VIII, 23 : *In felle amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse.* Unde quamdiu talis est voluntas nihil boni profert. E contra dulcedine amicitiae fraternæ informata voluntas, manens sub tali amicitiae dulcedine nihil mali profert. Et hæc duo notat per duas comparationes : per eam quæ est dicta, et per eam quæ sequitur :

« *Neque arbor mala,* » in poro unde dependet fructus, « *faciens fructum bonum,* » quia hoc esset contra naturam, quod digestio et succus essent mala, et fructus esset bonus. Sapient. XII, 10 : *Erat enim naturalis malitia ipsorum, et non poterat mutari.* Ista est litteralis expositio.

Sunt autem hæretici qui hic occasionem erroris accipiunt. Et sunt qui vocantur *Manichæi*, dicentes duo esse principia. Unum bonum, boni principium : et alterum malum, mali principium : quæ sunt duæ arbores, bona, et mala. Et nos quidem alibi sufficienter satis de hoc disputavimus. Sed hic tamen duas

rationes ponimus, quæ cum demonstratione *quia*, sunt convertibiles : et sunt Aristotelis.

Una quidem, quia quodcumque principium est primum, oportet quod cujusdam universi sit principium. Hujus autem principium non potest esse nisi per motum alicujus primi mobilis ab ipso. Unde in principio VIII *Physicorum* dicit Aristoteles de motu primi mobilis, quod est tamquam vita quædam existentibus omnibus. Oportet ergo quod bonum principium, sit per motum primum, universitatis cujusdam principium : quæ universitas genere et specie differat a mali principio. Eadem necessitate cujusdam universi est principium malum, per suum motum primum : quæ etiam universitas differt genere et specie ab alia. Ergo sunt duo mundi, genere et specie ab invicem differentes, et uterque visibilis et sensibilis : quod ut ridiculum, est a Philosopho in libro I *Cæli et Mundi* reprobatum.

Adhuc, Principium primum non est principium causati secundi, nisi sit principium causati primi. Causatum autem primum, ante quod nihil poni potest causatum, est esse. Ergo principium primum est principium esse universaliter, et omnium quæ habent existentiam in esse. Ergo quodcumque illorum principiorum primorum detur, illud erit principium esse universaliter. Igitur est principium esse alterius principii, quod etiam ponitur primum. Ergo ipsum est principiatum, et non principium. Ergo si sunt duo principia, sequitur quod non sint duo principia. Et sunt hæ rationes sumptæ a Philosopho. Falsa est ergo positio ista, et est error pessimus qui a Pythagora primum est exortus.

Sunt alii stulti qui dicunt, quod arbor mala est homo malus, qui non potest fructum bonum facere. Sed hoc falsum est : quia sæpe homo malus multa bona facit opera : et confortatur in illis ab Ecclesia, quia per hoc humilior fit ad gratiam. Dat enim eleemosynam, orat,

castus est, juste judicat, et multa bona facit : sicut, Act. x, 31, Cornelius per bona opera venit ad fidem et ad gratiam. Et ideo glossandum est, sicut diximus, quod arbor mala non est homo, sed voluntas hominis stans et manens sub forma malitiæ : et in quantum sic est informata, non facit bonum : sicut et arbor infusa malo succo in poro a quo dependet fructus. Et tunc nullus sequitur error. Sapient. iv, 5 : *Fructus illorum inutiles, et acerbi ad manducandum, et ad nihilum apti.*

Quod autem sub divisione præmisit, generaliter concludit, dicens :

« Unaquæque enim arbor, »

Hoc modo quo dictum est, « *de fructu suo,* » hoc est, de qualitate fructus sui, « *cognoscitur.* » Comparatur autem homo arbori. Quia græce etiam homo arbor circumversa vocatur. Ἀνθρώπος enim componitur ab ἄν, quod est *circum* : et τρόπος, quod est *conversio*. Ἀνθρώπος autem *homo* vocatur sermone græco : quia arbor habet radices inferius, nutrimentum sugentes ori similes : et hoc os habet homo superius unde sugit nutrimentum, et hoc habet solus. Cætera enim animalia prona sunt in terram os convertentia. Bifurcationem autem habet inferius homo in cruribus, et ad bifurcationem stipitem corporis descendantem, et manus a latere exeuntes sicut ramos : et ideo per contraversam positionem homo similis est arbori : propter quod etiam Domidus ad instructionem hominis ponit similitudinem arboris, Psal. 1, 3 : *Erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.* Hoc etiam significatur, Genes. ii, 8 et 15 : *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, ... in quo posuit hominem quem formaverat, ut operaretur et custodiret illum.* Opus enim hominis erat, ut in ipsa sua similitudine arboris, disceret quid secundum suam naturam Deo deberet. Ex quo enim

radices ori similes supra haberet, debebat scire, quod radicari non in terra sed in cælo deberet: ex quo pedes ut ramos fortiores ad terram converteret, terram calcare deberet. Ezechiel. II, 1: *Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum.* Hoc enim modo operari, est opus sapientiæ. Propter quod in paradiso lignorum positus est. Hæc ergo est causa assimilationis ad arborem.

Moraliter autem loquentes ad ædificationem morum, dicimus, quod arbor bona a novem proprietatibus *bona* vocatur, videlicet, a loci plantatione, a profunda radicum fixatione, a stipitis fortitudine, ab altitudinis proceritate, a ramorum lata extensione, a folii viriditate et retentione, a florum pulchritudine, ab umbræ et odoris-suavitate, a fructus desiderabilitate.

Optima loci plantatio est secus aquas, ubi locus dulci aqua paulatim humescit, hoc est, ad rigationem fluentorum Spiritus sancti in doctrina et gratia. Jerem. XVII, 7 et 8: *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.* Psal. I, 3: *Erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.*

Radicum autem profunda fixio est propositi immobilis in timore Dei profundissima immersio: quia aliter tentatione subverteretur. Sapient. IV, 3 et 4: *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, neque stabile firmamentum collocabunt. Et si in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita, a vento commovebuntur, et a nimietate ventorum eradicabuntur.*

Stipitis autem fortitudo, virtutis animi est firmitas et robur. Daniel. IV, 8: *Magna arbor, et fortis.* Magna bonitate, fortis autem virtute.

Altitudinis autem proceritas est in fa-

stigio contemplationis. Ezechiel. XXXI, 5: *Elevata est altitudo ejus super omnia ligna regionis.* Daniel. IV, 8: *Proceritas ejus contingens cælum: adspexit illius erat usque ad terminos universæ terræ.* Omnes enim adspiciunt ad tale fastigium.

Ramorum autem lata extensio est subditorum, vel eorum quos exemplo vel verbo sibi adjunxit lata multitudo. Psal. LXXIX, 12: *Extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus.* Mare significat amaritudinem hujus sæculi, in qua multos sibi adjungit per consolationem. Flumen significat transitoriam hujus mundi vanitatem, in qua iterum multos sibi adjungit per prædicationem. Ezechiel. XXXI, 5: *Multiplicata sunt arbusta ejus, et elevati sunt rami ejus præ aquis multis.*

Folii autem pulchritudo et viror est gratia verborum ejus et sermonum. Et præcipue quando illa non fluunt sicut vaniloquia. Psal. I, 3: *Et folium ejus non defluet: et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.* Daniel. IV, 9: *Folia ejus pulcherrima.* Jerem. XVII, 8: *Erit folium ejus viride.* Ezechiel. XLVII, 12: *Folia ejus sunt ad medicinam.* Ad Coloss. IV, 6: *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus.* Folium enim aridum et volans, est sermo inutilis faciliter emissus.

Florum autem pulchritudo est honestas conversationis, qua quasi totus floreat. Cantic. II, 13: *Vinæ florentes dederunt odorem.* Cantic. II, 1: *Ego flos campi.* Ezechiel. XXXVI, 8: *Ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo Israel.*

Umbræ autem suavitas et odoris fragrantia, est consolationis ejus refrigerium in quo multi quiescunt, et fama bonæ opinionis. De primo horum, Cantic. II, 3: *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi.* Ezechiel. XXXI, 6: *Sub umbraculo illius habitabat cætus gentium plurimarum.* De odore autem dicitur, Cantic. IV, 10: *Odor unguentorum tuorum super*

*omnia aromata.* Unguenta enim fiunt de floribus, et flores dant odorem. II ad Corinth. II, 15 : *Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt.*

Fructus autem desiderabilitas est bonorum operum suavitas. Cantic. VII, 13 : *Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi.* Hæc autem desiderabilitas conficitur ex quatuor : si delectabilis sit, si salubris, si utilis, et si arbor ad multitudinem ejus sit fertilis. De delectabilitate, Cantic. I, 3 : *Fructus ejus dulcis gutturi meo.* Et hoc habet ex amica conversatione bonus homo. De salubritate habetur, Proverb. III, 18 : *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam.* Et hoc habet ex sapientiæ medicamine. De utilitate, quia cibus omnium est, omnes enim pascuntur : et hoc habet ex verborum pastura et allocutione, Daniel. IV, 9 : *Esca universorum in ea.* Fertilitas ejus est ex multa fœcunditate et multimoda germinatione, Daniel. VI, 9 : *Fructus ejus nimius.* Ezechiel. XLVII, 12 : *Per singulos menses afferet primitiva* <sup>1</sup>, hoc est, per singulas æterni solis illuminationes semper profert novos fructus.

Hæc est igitur *arbor bona* quæ nunquam fert fructum malum. Signa autem arboris malæ sunt per oppositum, quæ facile est accipere.

Sequitur :

« Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam. »

Quod dixerat in universali de comparatione arboris, exemplificat in speciali : duas pessimas arbores comparans secundum negationem ad optimos fructus.

Prima est spina de qua dicit : « *Neque enim de spinis.* » Spina nigra est de qua

loquitur : *cujus spina ex medulla exoritur, fortiter corpori stipitis et ramorum infixa : cujus succus niger est et acer : et fructus acutus, et accasia ab acumine vocatus.* De tali igitur ligno non generatur nisi fructus stipticus acutus, dentes obstupefaciens.

Numquid ergo « *de eo colligunt ficus?* » molles, dulces, suaves, et delectabiles? Quasi dicat : Non. Sic de corde in quo radicator aculeus iræ, et nigredo fellitæ indignationis et odii, numquam profert ficum dulcissimæ charitatis, sed semper pungit et obstupescit. II Reg. XXIII, 6 et 7 : *Prævaricatores quasi spinæ evellentur universi, quæ non tolluntur manibus : et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro et ligno lanceato.* Semper enim defensione uti necesse est contra tales. Jerem. IV, 3 : *Novate vobis novale, et nolite serere super spinas.* Hæ sunt spinæ quæ suffocant semen verbi Dei <sup>2</sup>. Nihil ergo dulce exoritur de spinis hujus compunctionis.

Dicuntur tamen aliquando spinæ etiam hæretici, qui detinent erroribus suis transeunt. Cantic. II, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

Dicuntur etiam divitiæ spinæ, Luc. VIII, 7 : *Aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.*

Dicuntur etiam spinæ tribulationes tentationum, Genes. III, 18 : *Spinas et tribulos germinabit tibi.*

Dicuntur etiam spinæ peccata, propter conscientia punctiones et vulnerationes. Psal. XXXI, 4 : *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.*

Dicitur spina impedimentum virtutis ex antiqua consuetudine mali, Proverb. XXIV, 30 et 31 : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ.*

<sup>1</sup> Cf. Apocal. XXII, 2 : *Lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gen-*

*tium.*

<sup>2</sup> Matth. XIII, 7.

« Neque de rubo vindemiant uvam. »

Secunda comparatio est. Rubus autem non est specialis planta, sed omne arbustum breve et spissum et spinosum, per quod non patet transitus, vocatur hic *rubus* : a quo etiam dicitur *rubeta* : et est rana quæ insidet foliis rubi, et clamat tempore pluviae. Rubus autem spissitudine et spinositate significat cor oppressum amaritudine et punctationibus inimicitarum, a quo numquam vindemiat vinum gaudiorum caelestium, quia semper cogitat amara sicut diabolus. Apocal. XII, 12 : *Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam.* Psal. LVII, 10 : *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viventes sic in ira absorbet eos.* Spinæ vestræ sunt puncturæ iracundiarum contra fraternam charitatem. Rhamnus autem rubus quidam est valde spinosus et valde acutarum spinarum. Et hujus periculum spinæ nostræ non intelligunt : et ideo sicut viventes absorbentur, sic absorbet rhamnus in ira sua. Judicum, IX, 15 : *Egreditur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani.* De talibus enim rhamnis semper egreditur ignis iræ, et devorat etiam excelsos homines, quia semper tales ignem incendunt : et ideo vinum bonæ spei et jucunditatis fraternæ numquam afferunt.

Sequitur :

**45** « Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. »

Hoc quod dixerat sub metaphora, explanat hic loquens expressius sub alia similitudine. Et dicit sicut in præhabitis. Præmittit enim, et concludit.

Præmissa bipartita est secundum duas comparationes boni et mali.

De bona dicit : « *Bonus homo*, » bonitate charitatis fraternæ, quia alius nul-

lus vere bonus est, « *de bono thesauro*, » charitativæ dulcedinis quam diu congregavit, « *profert*, » ore et opere, « *bonum*, » verbum molle, opus beneficii, orationem pro inimicis. Proverb. XXI, 20 : *Thesaurus desiderabilis, et oleum in habitaculo justi.* Psal. CXI, 3 : *Gloria et divitiæ in domo ejus.* Et ideo de illa abundantia non eructatur nisi bonum. Psal. XLIV, 2 : *Eructavit cor meum verbum bonum.*

« *Et malus homo de malo thesauro* » cordis, hoc est, habens odium fraternum. Ad Roman. II, 5 : *Secundum duritiam tuam et impænitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.* Job, XXXVIII, 22 et 23 : *Numquid ingressus es thesauros nivis, et thesauros grandinis adspexisti, quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ et belli ?*

Hic ergo « *profert malum*, » maledictum et vituperium in ore : homicidium autem et vulnera et livores in opere.

Et subjungit concludens generaliter, dicens :

« Ex abundantia enim cordis, »

Hoc est, ex hoc quod exuberat in corde de amore vel odio, « *os loquitur*, » hoc est, prolativa virtus enuntiat, sive fiat per os, sive per opus, sive per aliud signum, quod cor manifestat. Proverb. XV, 1 et 2 : *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitatur furorem.* *Lingua sapientium ornat scientiam, os fatuorum ebullit stultitiam.* Isa. XXXII, 7 : *Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii, cum loqueretur pauper iudicium.*

« Quid autem vocatis me Domine, Domine : et non facitis quæ dico ? »

Hic incipit invitare ad perfectionem eorum quæ docuit in toto sermone.

Et duo facit : unum quidem, quia in-

vitat ad opus quod verbum perficit : et aliud, quia per similitudinem ostendit sapientiam viri implentis, et stultitiam non implentis.

De primo dicit invectivum sermonem. Quia enim difficilia dixerat, tardos quosdam ad implendum videbat, et quasi jam signo quodam dicentes illud Joannis, vi, 61 : *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?*

Et ideo dicit : « *Quid* » hoc est, Quare Qua de causa, Quo intellectu « *vocatis*, » et invocatis « *me Domine*, » ore, « *Domine*, » exteriori quadam reverentia, « *et non facitis quæ dico*, » obediendo mihi ? Malach. i, 6 : *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus ?* Tunc enim vos mihi debere obedire recognoscitis, quando me Dominum vocatis.

Vocant Dominum ore, qui ore invocant, et facto non appropinquant, Ad Titum, i, 16 : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Isa. xxix, 13 : *Populus iste ore suo et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me.* Alii autem per fidem informem hunc et corde et ore confitentur : sicut fatuæ virgines, Matth. xxv, 11 : *Domine, Domine, aperi nobis.* Matth. vii, 22 et 23 : *Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus ? Et tunc confitebor illis : Quia numquam novi vos.* Oportet ergo dicere corde, ore, et opere. I ad Corinth. xii, 3 : *Nemo potest dicere : Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* Glossa Ambrosii, « corde, ore, et opere. »

Sic ergo ponit contra non observantes sermonem suum invectionem.

47

« Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos, ostendam vobis cui similis sit. »

Hic tangit commendationem et sapientiam observantium sermones istos per assimilationem. Et tangit duo. Primum enim commendat eum qui sermones istos observat, et secundo ostendit stultitiam et damnum non observantis.

In commendatione servantis duo sunt : assimilatio scilicet, et assimilationis causa cum servantis utilitate.

Assimilatio habet quatuor : assimilationem, ostensionem assimilationis, eum cui assimilatur, et assimilationis modum et rationem.

De assimilato dicit tria : appropinquationem ad Dominum, auditum, facti observationem.

De appropinquatione dicit :

« Omnis qui venit ad me. »

*Omnis* dicit, ut removeat personarum distinctionem. Ad Coloss. iii, 25 : *Non est personarum acceptio apud Deum*<sup>1</sup>. Sapient. vi, 8 : *Non subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam : quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.* I ad Timoth. ii, 4 : *Omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.*

« *Qui venit.* » Venire indicat voluntarium motum appropinquationis ad Christum. Non enim vult quod trahantur, vel cogantur. Quia, sicut dicit Damascenus : « Non suadet vitium, nec compellit ad virtutem. » Venit ergo qui voluntarie per fidei devotionem appropinquat. Jacob. iv, 7 et 8 : *Resistite diabolo, et fugiet a vobis. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Omnes ergo onerati peccatis et qui fugerunt gladium tentatoris, veniant. Matth. xi, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Jerem. li, 50 : *Qui fugistis gladium, venite, nolite stare.*

« *Ad me.* » Sicut ad lumen, sicut ad exemplum, sicut ad remuneratorem. De

<sup>1</sup> Cf. Jacob. ii, 1.

primo, Psal. xxxiii, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini : et facies vestræ non confundentur.* De secundo, Joan. xiii, 15 : *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Ad Hebr. viii, 5 : *Vide, omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte*<sup>1</sup>. De tertio, Apocal. ii, 7 : *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Et infra, ꝑ. 17 : *Vincenti dabo manna absconditum.* Unde, Matth. xi, 28 : *Ego reficiam vos.* Genes. i, 21 : *Nolite timere, ego pascam vos.*

« Et audit sermones meos. »

Ecce secundum. Videtur autem pervertere ordinem : quia prius est audire verbum vocantis quam venire. Ad Roman. x, 17 : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Si ergo venit aliquis per fidei devotionem, oportet auditum esse antequam veniat. Ad hoc dicendum, quod auditus hic sumitur pro auditu interiori Spiritus dantis intellectum fidei : et ille sequitur primum auditum exteriorum, et sequitur fidei accessum. Ad Hebr. xi, 6 : *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Talis autem auditus describitur, Isa. vii, 9, secundum antiquam translationem : « Nisi credideritis, non intelligetis<sup>2</sup>. » De illo autem auditu loquitur Christus, Joan. xvi, 13 : *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur.* Psal. lxxxiv, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.*

De eo autem qui audit tantum exterius dicitur, Joan. iii, 8 : *Spiritus ubi vult spirat : et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat.* Qui ergo audit intus ad intellectum, est de quo hic loquitur. Ad Hebr. iv, 2 : *Non pro-*

*fuit illis sermo auditus, non admixtus fidei ex iis quæ audierunt.*

« *Sermones meos :* » Sermo a serpendo dicitur, quia in cor serpit nisi aliquid obsistat. Psal. cxlvii, 15 : *Velociter currit sermo ejus.*

« Et facit eos. »

Ecce tertium, impletio sermonis in opere. Jacob. i, 22 : *Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos.* Ad Roman. ii, 13 : *Non enim auditores legis justus sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.*

Iste ergo est qui assimilatur.

« Ostendam vobis. »

Ecce assimilationis ostensio. *Ostendere* autem est per similitudinem oculatæ demonstrationis. Intellectus enim noster materialis est, et semper intelligit cum continuo et tempore : quia non accipit nisi a formis magnitudinum corporaliū, et a formis sensibilibus motui et tempori subjacentibus. Et ideo, sicut dicit Dionysius, « Oportet quod similitudinibus corporalibus manuducatur. » Et hoc est quod dicit : « *Ostendam vobis.* » Job, xxvii, 11 : *Docebo vos per manum Dei, quæ Omnipotens habeat, nec abscondam. »*

« *Cui similis sit.* » Matth. xiii, 34 : *Sine parabolis non loquebatur eis, scilicet turbis.*

« Similis est homini ædificanti domum. »

Ecce id cui assimilatur. Et si similitudo sumatur ad humana, planum est : quia tunc similitudinem ponit ad architectum sapientem. Sed non sic volunt Sancti,

<sup>1</sup> Exod. xxv, 40 : *Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.*

<sup>2</sup> Vulgata habet, Isa. vii, 9 : *Si non credideritis, non permanebitis.*

sed quod similitudo ponatur ad Christum qui singulariter homo est. Quia cum in qualibet natura speciei sit aliquod unum primum, quod naturam illam vere et simpliciter habet : quod est mensura omnium aliorum : et ad cuius analogiam sive proportionem omnia alia naturam et speciem illam participant : ita oportet quod sit in homine. Tales autem non habemus nisi duos : Adam quem Deus manu sua fecit, et Christum qui opere Spiritus sancti conceptus est. Sed Adam a veritate naturæ per peccatum multum destitit : Christus autem naturam reparavit. Et ideo in Christo simplicius et verius natura humana fuit. Et ideo ipse homo est, ad cuius proportionem omnes alii homines dicuntur. Ad Ephes. iv, 13 : *Donec occurramus... in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Sic igitur Christus est homo. Psal. lxxxvi, 5 : *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Allissimus.* Hic enim homo, ratione singulariter est præditus, et sapientia plenissime est perfectus. Matth. vii, 24 : *Assimilabitur viro sapienti.*

« Ædificanti domum. »

Tres domos ædificat Christus : domum inferiorem, Ecclesiam militantem : domum interiorem, conscientiam virtutibus redundantem : domum superiorem, Ecclesiam triumphantem.

De prima dicitur, Genes. xxviii, 17 : *Non est hic aliud nisi domus Dei et porta cæli.*

De secunda, Sapient. viii, 16 : *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa, scilicet sapientia.*

De tertia dicitur, Joan. xiv, 2 : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

De his omnibus domibus dicitur, Exod. i, 24 : *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos.*

Ædificium autem illud a sapientissi-

mo fit architecto Christo, et ideo in omnibus sapienter est perfectum. I ad Corinth. iii, 9 : *Dei ædificatio estis.* Ad Ephes. ii, 20 et seq. : *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu : in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.* Hic ergo ædificat, cæmentum et gluten habens pietatis : lapides vivos, fideles. Ezechiel. xiii, 11 : *Dic ad eos qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit.* De lapidibus, I Petr. ii, 5 : *Tamquam lapides vivi superædificamini.* In libro *Pastoris* : « Ecce non vides turrim « magnam contra te, quæ ædificatur lapidibus splendidis <sup>1</sup>. » Quasi dicat : Mirum est, si hoc non vides. Aggæi, i, 8 : *Ascendite in montem, portate ligna, et ædificate domum, et acceptabilis mihi erit.* Ligna enim et lapides, sunt homines vel virtutes, ex quibus domus construitur : Ecclesia quidem ex hominibus, conscientia autem ex virtutibus.

« Qui fodit in altum, et posuit fundamentum supra petram. »

Ecce tangit hic modum assimilationis.

Tangit autem hic quatuor. Primum est impedimentorum remotio. Secundum autem est in ædificio partium congruus ordo. Tertium est firmitas substantis in fundamento. Quartum est immobilitas in loco.

De primo dicitur :

« Qui fodit in altum. »

Terram porosam, non conjacentem de profundo extrahendo, hoc est, terrenum affectum in honorum ambitionibus, in divitiarum cupiditatibus, in deliciarum voluptatibus usque in profundum cordis ejiciendo. Altum enim et profundum

<sup>1</sup> Cf. Lib. *Pastoris*, cap. 3.



sunt idem, differentia penes terminos, ut dicit Philosophus. Hoc autem fit per compunctionis plenæ humilem confessionem. Isa. II, 10 : *Ingrederere in petram, et abscondere in fossa humo*. In petram enim intrare, est usque ad solidum petræ fodere. Abscondi in fossa, hoc est, in effossa humo, est occultum cordis per totam terrenitatem ejicere, sicut diximus.

« Et posuit. »

Ecce secundum, quod est ædificationis partium ordo. Positio enim, ut dicit Philosophus, est ordo partium in loco. Nihil enim valet ædificium sine ordine. I ad Corinth. XIV, 40 : *Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis*. Judicium, V, 20 : *Stellæ manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt*.

« Fundamentum, »

Quod firmiter substat : et hoc est fideles. I ad Corinth. III, 11 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*. Ad Hebr. XI, 1 : *Fides est sperandarum substantia rerum*. Glossa, hoc est, substans fundamentum in toto spiritali ædificio. Fides enim prima virtus est in cognitione Dei. II ad Timoth. II, 19 : *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc*.

« Supra petram. »

Ecce loci soliditas et immobilitas. Petra enim rupes est quæ penitus est immobilis : et hæc rupes est firmitas veritatis divinæ quæ subjicitur in omnibus articulis fidei. Matth. XVI, 16 et 18 : *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, dixit Petrus. Et Christus subjunxit : *Super hanc petram (immobilis et divinæ confessionis veritatis) ædificabo Ecclesiam meam*. Eccl. XXVI, 24 : *Fundamenta æterna su-*

*pra petram solidam*. I ad Corinth. X, 4 : *Petra erat Christus*, hoc est, veritas Christi. Isa. LIV, 11 : *Fundabo te in sapphiris*, qui sunt cælestis coloris, hoc est, in cælesti veritate, quæ est in fidei articulis.

« Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere : fundata enim erat supra petram. »

Hic tangit assimilationis hujus causam.

Et dicit quatuor. Primum est irruens et emolliens ex aeris passione. Secundum est affluens et impetum faciens ex inundationis in unum congregatione. Tertium est firmitas resistentiæ in impulsu tentationis. Quartum est causa propter quam totum ædificium persistit in tot insultibus firmum.

De primo dicit : « *Inundatione facta*, » ex ventis, imbris, et pluviis, hoc est, ex suggestione diaboli, et persecutionibus hominum, et stillicidiis libidinum carnalium. Job, XX, 23 : *Utinam... emittet in eum iram furoris sui, et pluat super illum bellum suum*. Matth. VII, 25 : *Descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam*.

« *Illisum est flumen domui illi*. » Flumen vanitatis, et flumen concupiscentiæ, et flumen persecutionis mundanæ. Sapient. V, 23 : *Flumina concurrent duriter*. Psal. XCII, 3 : *Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam*. Psal. CXLVIII, 8 : *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum*.

« *Et non potuit eam movere*, » de loco foundationis suæ. Eccle. X, 4 : *Si spiritus, hoc est, impetus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris*. Psal. CXXIV, 1 : *Qui confidet in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in æternum*.

Tangit autem causam : « *Fundata*

*enim erat super petram.* » Proverb. xxx : 26 : *Lepusculus, plebs invalida*, scilicet plebs christiana, *qui collocat in petra cubile suum.*

49 « Qui autem audit, et non facit, similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento : in quam illisus est fluvius, et continuo cecidit, et facta est ruina domus illius magna. »

Hic per oppositum tangit assimilationem non facientis.

Tangit autem tria : assimilationem, assimilationis causam, et damnum.

Assimilatio continet tria : stultum qui assimilatur, et cui assimilatur, et rationem assimilationis.

Stultus qui assimilatur, tangitur per hoc quod dicitur : « *Qui autem audit, et non facit.* » De tribus superioribus hic primum omittit, scilicet, « *qui venit ad me :* » quia non faciens et faciens, venit quidem si audit : sed non faciens non vere venit quia ore venit, et corde recedit. Isa. xxix, 13 : *Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me.* Et ideo Dominus de tali appropinquatione non dignatur facere mentionem. Psal. xv, 4 : *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

Et hoc est quod dicit : « *Qui autem audit,* » et ad intellectum audit. Psal. cx, 10 : *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.*

« *Et non facit.* » Jacob. i, 23 et 24 : *Qui auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit.*

« Similis est homini. »

Ecce cui assimilatur. Dicitur autem

hic homo diabolus ab eventu, quia devicit hominem. Matth. xiii, 28 : *Inimicus homo hoc fecit*, hoc est, diabolus. Matth. vii, 26 : *Similis est viro stulto.*

« *Ædificanti domum.* » Diabolus domum non ædificat, sed potius destruit ædificatam : sed facit domus similitudinem in ruinosis, in quibus ex peccatis quamdam facit domus similitudinem, in sæcularibus rebus quærens habitationem. Job, xviii, 15 : *Habitent in tabernaculo illius socii ejus qui non est.* Hæc autem ædificatio est per terrenorum acquisitionem.

Unde sequitur :

« Super terram, »

Non constantem in partibus, sed cavernosam et porosam. Hæc enim continuo cedit subtus. Psal. lxxviii, 3 : *Infusus sum in limo profundi, et non est substantia*, hoc est, stans fundamentum.

« *Sine fundamento,* » quia habet cavernas sicut puteus : et ideo non substatur. Psal. lxxviii, 16 : *Neque urgeat super me puteus os suum.*

« In quam illisus est fluvius. »

Ecce ratio comparisonis, et causa. Fluvius autem dicitur torrens concupiscentiæ ex impetu tempestatis diabolicæ. Apocal. xii, 15 : *Misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tamquam flumen*, hoc est, Ecclesiam, *ut eam faceret trahi a flumine :* et continuo cecidit, nihil habens resistentiæ. Proverb. x, 25 : *Quasi tempestas transiens non erit impius : justus autem quasi fundamentum sempiternum.*

« Et facta est ruina domus illius, »

Hoc est, ædificii illius, « *magna,* » quia a fide cadit. *Magna,* quia ruit in

mortale peccatum : ideo est ruina. Si enim in peccatum caderet tantum, forte per pœnitentiam resurgeret. Nunc autem propter infidelitatem eruitur fundamentum, et non cogitatur de pœnitentia. Apocal. XII, 8 : *Non valuerunt, scilicet draco et angeli ejus, neque locus inven-*

*tus est eorum amplius in cœlo.* Psal. CXXXVI, 7 : *Dicunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Ruina enim est magnus casus. Proverb. XXIV, 16 : *Septies cadet justus, et resurget : impii autem corruent in malum, hoc est, simul ruent.*



## CAPUT VII.

*Admiratus centurionis fidem, absens sanat illius servum : juxta portam civitatis Naim filium unicum viduæ resuscitat : coram discipulis Joannis Baptistæ per eos interrogantis an esset qui venturus erat, multa edit signa : illisque abeuntibus Joannem plurimum extollit : Judæis nec Joannis nec Christi vita placuit, quos pueris invicem in foro acclamantibus assimilat : a peccatrice muliere pedes inunctus, respondet Simoni ob hoc murmuranti, proposita ad hoc parabola duorum debitorum, et remissis mulieri peccatis.*

1. Cum autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum<sup>1</sup>.
2. Centurionis autem cujusdam servus male habens, erat moriturus, qui illi erat pretiosus.
3. Et cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, et salvaret servum ejus.
4. At illi cum venissent ad Jesum, rogabant eum sollicite, dicentes ei : Quia dignus est ut hoc illi præstes :
5. Diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis.
6. Jesus autem ibat cum illis. Et cum jam non longe esset a domo, misit ad eum centurio amicos, dicens : Domine, noli vexari<sup>2</sup> : non enim sum dignus ut sub tectum meum intres.
7. Propter quod et meipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te : sed dic verbo, et sanabitur puer meus.
8. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic : Vade, et vadit : et alii : Veni, et venit ; et servo meo : Fac hoc, et facit.
9. Quo audito Jesus miratus est, et conversus, sequentibus se turbis dixit : Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni.
10. Et reversi, qui missi fuerant, domum, invenerunt servum, qui languerat, sanum.
11. Et factum est, deinceps, ibat in civitatem quæ vocatur Naim, et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa.
12. Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ : et hæc vidua erat, et turba civitatis multa cum illa.
13. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi : Noli flere.
14. Et accessit, et tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt. Et ait : Adolescens, tibi dico, surge.
15. Et resedit qui erat mortuus, et

<sup>1</sup> Matth. viii, 5.

<sup>2</sup> Matth. viii, 8.

- cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ.
16. Accepit autem omnes timor : et magnificabant Deum, dicentes : Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam<sup>1</sup>.
17. Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, et in omnem circa regionem.
18. Et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his.
19. Et convocavit duos de discipulis suis Joannes<sup>2</sup>, et misit ad Jesum, dicens : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?
20. Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt : Joannes Baptista misit nos ad te, dicens : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?
21. In ipsa autem hora multos curavit a languoribus, et plagis, et spiritibus malis, et cæcis multis donavit visum.
22. Et respondens dixit illis : Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis : quia cæci vident<sup>3</sup>, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.
23. Et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me.
24. Et cum discessissent nuntii Joannis, cœpit de Joanne dicere ad turbas : Quid existis in desertum videre? arundinem ventos agitatam?
25. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt et deliciis, in domibus regum sunt.
26. Sed quid existis videre? Prophetam? Utique dico vobis, et plus quam prophetam.
27. Hic est, de quo scriptum est<sup>4</sup> : Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.
28. Dico enim vobis : Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est. Qui autem minor est in regno Dei, major est illo.
29. Et omnis populus audiens et publicani, justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis.
30. Pharisei autem et legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo.
31. Ait autem Dominus : Cui ergo similes dicam homines generationis hujus<sup>5</sup>? et cui similes sunt?
32. Similes sunt pueris sedentibus in foro, et loquentibus ad invicem, et dicentibus : Cantavimus vobis tibiis, et non saltastis : lamentavimus, et non plorastis.
33. Venit enim Joannes Baptista<sup>6</sup>, neque manducans panem, neque bibens vinum, et dicitis : Dæmonium habet.
34. Venit Filius hominis manducans, et bibens, et dicitis : Ecce homo devorator, et bibens vinum, amicus publicanorum et peccatorum.
35. Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis.
36. Rogabat autem illum quidam de Phariseis ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisei discubuit.
37. Et ecce mulier<sup>7</sup>, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod

<sup>1</sup> Infra, xxiv, 19; Joan. iv, 19.

<sup>2</sup> Matth. xi, 2.

<sup>3</sup> Isa. xxxv, 5.

<sup>4</sup> Malach. iii, 1; Matth. xi, 10; Marc. i, 2.

<sup>5</sup> Matth. xi, 16.

<sup>6</sup> Matth. iii, 4; Marc. i, 6.

<sup>7</sup> Matth. xxvi, 7; Marc. xiv, 3; Joan. xii, 3.

- accubisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti :
38. Et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat.
39. Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se, dicens : Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est.
40. Et respondens Jesus, dixit ad illum : Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait : Magister, dic.
41. Duo debitores erant cuidam fœneratori ; unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta.
42. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit?
43. Respondens Simon dixit : Æstimo quia is cui plus donavit.
- At ille dixit ei : Recte judicasti.
44. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni : Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam : aquam pedibus meis non dedisti : hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit.
45. Osculum mihi non dedisti : hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos.
46. Oleo caput meum non unxisti : hæc autem unguento unxit pedes meos.
47. Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.
48. Dixit autem ad illam : Remittuntur tibi peccata<sup>1</sup>.
49. Et cœperunt qui simul accumbabant, dicere intra se : Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?
50. Dixit autem ad mulierem : Fides tua te salvam fecit : vade in pace.

## IN CAPUT VII LUCÆ

### ENARRATIO.

« Cum autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum. »

Posita in præcedenti capitulo electione eorum qui primum in Ecclesia tenent ordinem, et instructione quantum ad vitæ idoneitatem : antequam instruat eos de

officio prædicationis, vel traducat in eos potestatem, tangit hic doctrinæ præcedentis confirmationem. Quia autem omnis doctrina per conformia sibi confirmatur argumenta : sicut naturalia naturalibus, et rationalia rationalibus, et moralia moralibus : ita doctrinam supernaturalem et supermundanam supermundanis necesse est confirmari argumentis : sicut dicit Petrus in *Itinerario Clementis* et Avicenna in fine suæ *primæ philosophiæ*.

Confirmat ergo hic ipse eligentis potestatem, et quod ipse vere est qui in tali potestate ordinare habet Ecclesiam. Et ideo istud caput in tria dividitur : in primo, suæ divinæ potestatis ponit argumenta supermundana. In secundo, os-

<sup>1</sup> Matth. ix, 2.

tendit in se completa esse promissa de venturo Messia, et ideo debere ordinare Ecclesiam. In tertio autem, potestatis spiritualis in capite manifestat usum : et in his tribus perfecte ostensum est, quoniam potestas eligendi et instituendi Prælatos est apud eum.

In prima autem harum partium duo sunt argumenta suæ plenæ et divinæ potestatis. Unum quidem vitæ, et aliud mortis ostendens potestatem. Sapient. XVI, 13: *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem*<sup>1</sup>. Potestatem autem vitæ humanæ in manu Salvatoris esse ostendit, quando vitam deficientem revocat ad salutem : non quando destruit vitam : quia si idem vitam hominis destrueret qui fecit, prævaricator esset et non Salvator. Ad Galat. II, 18: *Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico, prævaricatorem me constituo*. Sed quando vitam construit cadentem, tunc ostendit se Salvatorem, qui ordinat ad salutem, et instituit Ecclesiam. Joan. I, 4: *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum*. Joan. X, 10: *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant*.

Probat igitur se vitæ habere potestatem, desperatum in vita revocando ad sanitatem. Et circa hoc facit duo. Primum est accessus ad locum miraculo opportunum. Secundum autem, miraculi perfectio.

Accessus quidem ad locum duo continet : primum quidem perfectionem doctrinæ prioris : secundum, sapientem inchoationem probationis per opus subsequens.

De perfectione autem doctrinæ præcedentis dicit tria, quæ ad omnis doctrinæ bonæ perfectionem exiguntur. Primum quidem, quod in se completa sit : secundum, quod universalis : tertium, quod bene impressa discipulis.

De primo dicit :

« Cum autem implesset. »

¶

Plenitudo hujus doctrinæ in se est, quod bene pertractata sit Doctorum materia, quod apte locata sint principia et regulæ, quod firmiter conclusa conclusionum scientia. Hoc autem in moralibus non fit sicut in contemplativis. In contemplativis enim fit ad finem sciendi, in moralibus ad finem faciendi. Dicit enim Aristoteles, quod intelligentiæ practicæ stant ad opus. Et hanc artem tenuit in doctrina sua Christus : et ideo materiam posuit virtutes de quibus sufficienter pertractavit. Sapient. VIII, 7: *Sobrietatem et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus*. Principia autem posuit præcepta. Eccli. XXIV, 33: *Legem mandavit Moyses in præceptis justitarum*. Conclusiones autem posuit opera. Jacob. II, 20: *Fides sine operibus mortua est*. Ibidem, v. 21: *Abraham ex operibus, scilicet legis, justificatus est*. Sic ergo implevit doctrinam in seipsa.

De universalitate autem dicit :

« Omnia verba sua. »

Joan. XV, 15: *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Omnia (inquam) quæ prælati ad faciendum et docendum, et omnia quæ subditis ad faciendum expediunt. Act. XX, 26 et 27: *Mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis*.

De impressione autem in discipulis dicit: « *In aures plebis,* » non ad aures, sed intus ad intellectum. Nehemiæ seu II Esdræ, VIII, 8: *Legerunt in Libro legis Dei distincte et aperte ad intelligendum, et intellexerunt cum legeretur*. Habacuc, II, 2: *Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit*. Ad Hebr. VIII, 10: *Dando leges meas in mentem eorum, et in corde eo-*

<sup>1</sup> Cf. Deuter. XXXII, 39; I Reg. II, 6; Tob. XIII, 2.

*rum superscribam eas.* Matth. vii, 28 et 29: *Admirabantur turbæ super doctrinam ejus. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisei.*

Hac igitur doctrina sicut perfecta accedit ad locum, ubi probat hujus doctrinæ per supermundana opera perfectionem.

Et hoc est quod subdit:

« Intravit Capharnaum. »

In via tamen curans leprosum, et quædam alia perficiens, quæ Matth. viii, 1 et seq., recitantur. Sed Lucas præterit sciens ab alio dicta, et dicit ea quæ suæ intentioni sunt sufficientia.

« *Intravit autem Capharnaum* » propter tria, quorum primum est loci solemnitas. Secundum, habitatorum urbis honestas. Tertium, Judæorum et Gentium auditus communitas.

Loci solemnitas accipitur ex hoc quod erat metropolis Galilææ, et ex ipsa nominis interpretatione. De solemnitate, Psal. lxxxvi, 4: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Luc. iv, 23: *Quanta audivimus facta in Capharnaum!* Unde Ambrosius dicit, quod Capharnaum dicitur *civitas Christi*, quia eam solemnitate miraculorum suorum multorum suam effecerat.

Habitatorum honestas intelligitur quod habitabant centuriones et reguli et senatus Judæorum. Centuriones, Matth. viii, 5, et hic. Reguli, Joan. iv, 46: *Erat quidam regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum.*

Communis autem Judæorum et Gentilium intelligitur habitatio: quia erant ibi seniores Judæorum, et Synagoga: et illi erant Gentilium primates, centurio scilicet, et regulus. Psal. lxxxvi, 5: *Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum: hi fuerunt illic.* Ad talem locum omnis publicus Doctor libenter accedit: quia ibi doctrina sua fit solemnior, et magis approbata, manifestior, et pluribus utilior. Joan. vii, 4: *Nemo*

*quippe in occulto quid facit, et quærit ipse in palam esse.* Eccli. xx, 32: *Sapientia absconsa, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?*

« Centurionis autem cujusdam servus male habens, erat moriturus, qui illi erat pretiosus. »

Hic venit ad factum per quod doctrina probatur.

Dicit autem tria: miraculi scilicet impetrationem, fidei commendationem, et miraculi perfectionem.

Impetratio autem miraculi consistit in tribus, scilicet, in impetrantis dignitate, ejus pro quo impetratur miserabilitate, et intercedentium honestate.

Dignitas impetrantis commendatur in duobus: a potestate, et honestatis singularitate.

De potestate dicit: « *Centurionis autem.* » Centurio secundum ordinem curiæ Imperatoris est qui centum militibus præerat. Isa. lx, 22: *Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam.* Talis enim ordo consulitur a Jethro, socero Moysi, Exod. xviii, 21: *Constituere ex eis tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos.* Chiliarchæ autem dicuntur qui mille habent sub se milites.

Attende autem, quod quædam Glossæ dicunt centenarium esse quadratum et perfectum numerum. Quadratus autem est, quia provenit ex ductu denarii in seipsum. Et quoad denarium significat perfectionem decalogi, qui semel ducitur in seipsum, quia uno mandato charitatis adimpletur. Ad Roman. xii, 8: *Qui diligit proximum, legem implevit.* Quadratur autem, quando ad quatuor virtutes cardinales sicut ad rectos et finales angulos comparatur. Sicut enim dicitur in I *Ethi corum*: « *Homo bonus quadrangulus est ad virtutem.* » Sic ergo est Centurionis habens dignitatem.

Subditur: « *Cujusdam.* » In quo intelligitur singularis fuisse honestatis,



quia segregatur et distinguitur ab aliis. Ad Hebr. vii, 26 : *Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*. Tales enim peccatores et tyranni esse consueverunt. Et ideo ut istum a talibus discernat, dicit : « *Cujusdam.* »

Deinde tangit ejus pro quo impetratur miraculum, miseriam a tribus : a conditione, a doloris fatigatione, et a periculo.

De conditione dicit :

« *Servus,* »

Quoniam obsequia servitutis, et prudentia et fidelitas tam charum domino effecerant, ut non tam doleret suæ servitutis damno, quam optimi et fidelis hominis infirmitatem. Eccli. vii, 23 : *Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua*. Eccli. xxxiii, 31 : *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua*. Admiranda est benignitas domini, quod tantam habet curam servi. Admirandum obsequium servi, quod dominum traxit ad dilectionem servi. Unde, ad Ephes. vi, 9 : *Vos, domini, eadem facite servis, remittentes minas : scientes quia et illorum et vester Dominus est in cælis, et personarum acceptio non est apud Deum*.

Tangit autem doloris afflictionem per hoc quod dicit :

« *Male habens.* »

Erat enim paralyticus, non valens etiam curvo gressu incedere, nec potentia se trahere : sed infirmitate victus in domo jacebat. Matth. viii, 6 : *Puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur*, hoc est, propter doloris nimium sensum.

« *Erat moriturus.* »

Ecce periculum : quia nihil nisi mortem exspectabat ex infirmitatis aggravatione. Eccli. x, 11 : *Languor prolixior gravat medicum*. III Reg. xvii, 17 : *Erat languor fortissimus, ita ut non remane-*

*ret in eo halitus*. Nihil etiam nisi mortem ex angustia infirmitatis habebat in desiderio. Eccli. xxx, 17 : *Melior est mors quam vita amara, et requies æterna quam languor perseverans*. Tobiaë, iii, 6 : *Expedit mihi mori magis quam vivere*.

« *Qui illi erat pretiosus,* »

Hoc est, magno pretio comparatus, vel magno pretio æstimatus. Et de hoc jam dictum est : quia hoc servitio, prudentia, et fidelitate, meruerat apud dominum. Ad Ephes. vi, 6 : *Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi*. Ad Philemonem x. 16 : *Suscipe illum, jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem*. In hoc autem iste imitator Christi fuit. Joan. xv, 15 : *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos,* etc.

« *Et cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, et salvaret servum ejus.* »

Hic agitur de impetrantium honestate.

Et tanguntur quatuor, quorum primum est intercessorum ad intercedendum inductio. Secundum autem, intercedentium in intercedendo studium et sollicitatio. Tertium autem est, a pio Domino ejus quod petitur impetratio. Quartum autem, ejus pro quo interceditur fidei et reverentiæ ad Dominum magnitudo.

In primo horum sunt iterum quatuor. Primum quidem, auditus Salvatoris adventus. Secundum autem, convocatus intercedentium honestorum cœtus. Tertium, oblatio devoti affectus. Quartum est expositus petitionis devotæ affectus.

De primo dicit : « *Cum audisset de Jesu* » Salvatore, cogitavit de impetranda salute. Joan. iv, 47 : *Cum audisset*

quia *Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, et rogabat eum ut descenderet, et sanaret filium ejus.* Act. x, 38 : *Pertransivit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Luc. vi, 19 : *Quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* Hic autem auditus significat auditum verbi, quod facit fidem in corde. Ad Roman. x, 17 : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Apocal. xxii, 17 : *Qui audit, dicat : Veni.*

« Misit ad eum seniores Judæorum. »

Ecce congregatus per industriam Centurionis intercedentium cætus. Seniores enim, et digni sunt reverentia, et habent proponendi sapientiam. Job, viii, 8 : *Interroga generationem pristinam, et diligenter investiga patrum memoriam.* Sapient. iv, 8 et 9 : *Cani sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata.*

« *Judæorum* » Deum colentium : quia cum esset disparis cultus, per seipsum appropinquare non fuit ausus, sciens se esse canem, sicut mulier Gentilis, Matth. xv, 26, quæ audivit a Domino : *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus,* hoc est, Gentilibus ad manducandum. Et ideo mittit illos qui sunt filii, et qui sunt populus peculiaris. Quod enim sint filii, Exod. iv, 22 : *Filius meus primogenitus Israel.* Osee, xi, 1 : *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Quod sit populus peculiaris, Deuter. vii, 6 : *Vos estis populus peculiaris.*

Inter hos etiam misit quos putavit Christo magis acceptos, et magis propinquos. Deuter. iv, 7 : *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Ideo ergo hos huc mittit, et se subtrahit.

« Rogans eum. »

Ecce oblatio devoti affectus. Non enim

cum potens esset, per milites cogeat : nec aliquid sublimitatis ostendit, sed humiliter et devote ad supplicationis confugit auxilium. Eccli. xxxv, 21 : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit : et donec propinquet non consolabitur : et non discedet donec Altissimus adspiciat.*

« Ut veniret. »

Ecce expositus petitionis affectus. Dicit autem duo : petens adventum corporalem, et sanitatis effectum.

Primum, signum est adhuc pusillæ fidei : quia si perfectam haberet jam fidem, sciret quod non esset locus ubi non esset Deus : et ita absens sicut præsens posset curare : quod et postea sensit, quando in fide profecit. Et ideo quia proficit, non arguitur. Joan. autem, iv, 48, Regulus idem petens, quia perstitit in incredulitate et dubitatione, arguitur, dicente Domino : *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* Hic autem propter profectum fidei commendatur. Aggæi, ii, 8 : *Veniet Desideratus cunctis gentibus : et implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus.*

« Et salvaret servum ejus. »

Eccli, l, 4 : *Curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione.* Nec verecundatur sanare servum : quia, Sapient. vi, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.*

« At illi eum venissent ad Jesum, rogabant eum sollicite, dicentes ei : Quia dignus est ut hoc illi præstes :

Diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis.

Jesus autem ibat cum illis. »

Hic tangitur intercedentium studium et sollicitudo.

Et dicuntur tria. Primum est interce-

4

5

6

dentium ad Jesum appropinquatio. Secundum autem, intercessionis sollicitudo. Tertium autem, eorum quæ proficua erant ad exauditionem allegatio.

De primo dicit : « *At illi cum venissent ad Jesum,* » scilicet corpore et obsequio et familiaritate appropinquassent. Psal. xxxiii, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini.* Jacob. iv, 8 : *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.*

« Rogabant eum sollicite. »

« Ecce intercessionis sollicitudo. II Paralip. xx, 3 : *Totum se contulit ad rogandum Dominum.* Psal. cxviii, 10 : *In toto corde meo exquisivi te : ne repellas me.* Ad Galat. ii, 10 : *Sollicitus fui hoc ipsum facere.*

« Dicentes ei. »

Incipit hic eorum quæ ad exauditionem faciunt allegatio. Sunt autem tria : virtutis honestas, dilectionis familiaritas, et expensarum quas in communi negotio fecit impensa.

De primo dicunt :

« Quia dignus est ut hoc illi præstes, »

Virtutum honestate. III Reg. ii, 20 : *Pete, mater mea : neque enim fas est ut avertam faciem tuam.* Esther, v, 3 : *Quid vis, Esther regina? quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.* Tantæ autem fiduciæ impetrandi est dignitas in virtute. Eccli. xlv, 6 : *Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes.* Ideo, Zachar. iii, 8, dicuntur *viri portendentes*, quia fiduciam portendunt ad omnem effectum petitionis impetrandum.

Allegant autem effectum dilectionis :

« Diligit enim gentem nostram, »

Propter reverentiam cultus divini.

Deuter. xxxiii, 3 : *Dilexit populos : omnes sancti in manu illius sunt.* Proverb. viii, 17 : *Ego diligentes me diligo.* Et ita fecerunt isti.

« Et synagogam ipse ædificavit nobis. »

Ecce allegatio impensarum factarum in communi, et Dei negotio : quia suis expensis ædificavit eis synagogam, hoc est, domum orationis. Eccli. i, 2 : *Templi altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio, et excelsi parietes templi.* Iste tamen quia gentilis fuit, fidem commendat Gentium, ostendens quoniam ad unum ovile Christi veniret cum primitiis Judæorum. Joan. x, 16 : *Fiet unum ovile, et unus pastor.* Et ideo, Matth. viii, 11, Christus propter istum dicit : *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob, in regno cælorum.*

« Jesus autem ibat cum illis. »

Ecce impetratio petitionis a pio Domino. Jacob. i, 6 : *Postulet in fide nihil hæsitans.* Jerem. xxix, 12 : *Invocabitis me, et ibitis : et orabitis me, et ego exaudiam vos.*

« Et cum jam non longe esset a domo, misit ad eum centurio amicos, dicens : Domine, noli vexari. »

Ecce hic tangitur ejus pro quo interceditur fidei et reverentiæ ad Dominum crescens magnitudo.

Tanguntur autem hic quatuor. Primum quidem est profectus Domini ad petitionem seniorum. Secundum autem est missio ad occursum Domini centurionis amicorum. Tertium, compassio vexationis Domini secundum hominem in itinere pedum. Quartum autem, allegatio suæ indignitatis, et allegatio perfectæ fidei Dei in virtute curationum.

De primo dicit : « *Et cum jam non longe esset a domo,* » scilicet Centurionis itinerando pedes. Non enim umquam legitur Dominum equitasse, sed bis legitur asinasse, ut dicit Beatus Bernardus. Et ideo fatigabatur itinerando. Joan. iv, 6 : *Jesus fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.*

« *Misit ad eum centurio amicos,* » honestiores et altos, « *dicens.* » Sed Matthæus dicit, quod venit per seipsum. Et dicunt quidam, quod primo misit honestiores Judæorum, secundo honestiores amicorum, tertio audaciam sumens venit per seipsum. Beda autem in Glossa dicit, quod non venit per seipsum nisi spiritualiter fidei passibus appropinquans. Et ita intelligitur quod dicit Matthæus, viii, 5. Isa. xlv, 14 : *Viri sublimes ad te transibunt.*

« *Domine, noli vexari.* » Luc. viii, 49 : *Noli vexare magistrum.*

« Non enim sum dignus ut sub tectum meum intres.

Propter quod et meipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te : sed dic verbo, et sanabitur puer meus. »

Ecce hic fidei et reverentiæ proponitur incrementum et magnitudo.

Dicit autem quatuor. Primum quidem est reverentiæ et humilitatis. Secundum, ex ante facto est excusationis. Tertium autem, fidei admirabilis. Quartum autem, persuasionis est hæc omnia per signum ostendentis.

De primo dicit : « *Non enim sum dignus.* » Ecce reverentia, ex Dei majestate suam cognoscens parvitatem. Psal. viii, 5 : *Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Job, xxv, 6 : *Homo putredo,*

*et filius hominis vermis.* Multo ergo magis Gentilis.

« *Ut sub tectum meum intres.* » Humiliat se, non dicens se habere domum, sed tectum. I ad Timoth. vi, 8 : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus.* Jerem. xxii, 14 : *Væ qui dicit : Ædificabo mihi domum latam, et cœnacula spatiosa : qui aperit sibi fenestras, et facit laquearia cedrina, pingitque sinopide!* Nec dicit tecta quamvis esset magnus princeps. Isa. v, 8 : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci! numquid habitabitis vos soli in medio terræ?*

« Propter quod et meipsum, etc. »

Ecce secundum. « *Non sum dignum arbitratus.* » Hic enim sicut et mulier Chananæa se canem reputavit<sup>1</sup>. Ad Roman. xi, 20 : *Noli altum sapere, sed time.*

« *Ut venirem ad te,* » ne tuæ oculos majestatis offenderem propter disparem cultum, in quo esse videor. Eccli. iii, 20 : *Quanto magnus es, humiliata te in omnibus.*

« Sed dic verbo. »

Ecce tertium de magnitudine fidei. Et dicit duo. Primo enim exprimit fidem. Secundo, adhibet fidei per simile persuasionem.

Fidem exprimit per hoc quod dicit : « *Sed dic verbo.* » Sapient. xvi, 12 et 13 : *Tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia. Tu es enim, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem.* Ad Hebr. i, 3 : *Portans omnia verbo virtutis suæ.*

« *Et sanabitur,* » quantumcumque sit infirmitas, « *puer meus.* » Servum a puritate vocat puerum. Psal. xxxii, 9 : *Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt.* Job, v, 18 : *Ipse vulnerat,*

<sup>1</sup> Cf. Matth. xv, 27.

*et medetur : percutit, et manus ejus sanabunt.*

*Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus ? hoc est, fulgurantes Angelos.*

« *Et alii : Veni, et venit.* » Baruch, III, 35 : *Stellæ vocatæ sunt, et dixerunt : Adsumus : et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.* Matth. IV, 11 : *Angeli accesserunt, et ministrabant ei.*

« *Et servo meo,* » sicut tu corporali naturæ : « *Fac hoc* » quod volo, « *et facit,* » obediendo. Job, XIV, 15 : *Vocabis me, et ego respondebo tibi : operi manuum tuarum porriges dexteram.*

« Quo audito. »

Quod tamen prius scivit, sed propter adstantes etiam audire voluit. Isa. XII, 5 : *Annuntiate hoc in universa terra.*

« *Jesus miratus est,* » hoc est, ad modum mirantis se habuit. Quia in ipsum nec secundum Deum, neque secundum hominem stupor cadit admirantis : quia nihil ignoravit, sed omnium causas ipse cognovit. Joan. XVI, 30 : *Scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget.*

« *Et conversus* » retrorsum, ut ad eos dirigeret sermonem, « *sequentibus se,* » hoc est, imitantibus jam aliquantulum per fidem, « *turbis dixit,* » non discipulis, quia illi majores erant : « *Amen dico vobis,* » hoc est, vere dico vobis. Et est confirmatio. Apocal. III, 14 : *Hæc dicit : Amen, testis fidelis.*

« *Nec in Israel,* » qui habet Legem et Prophetas ad fidem inducentes, « *tantam fidem inveni.* » Glossa dicit, quod secundum comparisonem præsentium loquitur : quia præteriti Patriarchæ et Prophetæ majorem habuerunt. Sed adhuc contrarium videtur : quia Apostoli præsentibus fuerunt, qui majorem fidem habuerunt. Sed hoc solvitur. Quia dixit turbis sequentibus, non Apostolis. Et ideo de illis intelligit : quia aliquantulum Patriarchis, Prophetis, et Apostolis, et discipulis, hoc quod remansit ex Israel, tamquam fæces fuerunt, et tardi ad cre-

8 « Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic : Vade, et vadit : et alii : Veni, et venit : et servo meo : Fac hoc, et facit.

9 Quo audito Jesus miratus est, et conversus, sequentibus se turbis dixit : Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni.

10 Et reversi, qui missi fuerant, domum, inveniunt servum, qui languebat, sanum. »

Ecce persuasio per similitudinem.

Et sumit secundum Chrysostomum duas similitudines : unam inter se et milites, aliam inter se et servos inferiores. Quasi sint milites ad duo, quæ sunt in Christo homine : quorum unum est inter Christum hominem, et Angelos : et aliud inter Christum hominem, et corporalem creaturam. Christus homo enim est sub potestate constitutus, sicut centurio sub potestate Imperatoris.

Dicit ergo : « *Nam et ego,* » sicut et tu, licet dissimiliter, « *homo sum,* » aliis quidem per naturam non major, « *sub potestate,* » tua ordinatione, « *constitutus,* » superioris Præsidis et Imperatoris. Ad Roman. XIII, 1 : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Psal. LXV, 12 : *Imposuisti homines super capita nostra.*

« *Habens sub me milites,* » sicut et tu Angelos. II Reg. XVII, 1 : *Considerato David populo suo, constituit super eos tribunos et centuriones, quorum minimus centum militibus præerat.* Sicut et de Christo dicitur, Job, XXV, 3 : *Numquid est numerus militum ejus ? et super quem non surget lumen illius ?*

« *Et dico huic,* » imperans : « *Vade, et vadit* » obediens : sicut et tu dicis creaturis et Angelis. Job, XXXVIII, 35 :

dendum. Isa. XLIX, 6 : *Parum est ut sit mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fœces Israel convertendas : ecce dedi te in lucem Gentium.*

Vel dicatur : « *Tantam fidem,* » hoc est, tantam credendi facilitatem. Unde de Apostolis, Luc. XXIV, 25 : *O stulti et tardi corde ad credendum!* Marc. XVI, 14 : *Exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis.*

« Et reversi, etc. »

Perfectio est miraculi. Et omittit hic Lucas quod scivit Matthæum posuisse, quod dixit Dominus : *Vade, et sicut credidisti fiat tibi*<sup>1</sup>.

Nuntii ergo amici Centurionis, « *reversi, qui missi fuerant, domum,* » merito fidei, « *invenerunt servum qui languerat,* » hoc est, longo angore jacuerat, « *sanum,* » Luc. IV, 40 : *Omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum, scilicet Jesum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.* Virtus enim erat Dei præsentis et absentis corporaliter ad sanandum eos<sup>2</sup>.

¶ « Et factum est deinceps, ibat in civitatem quæ vocatur Naim, et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa. »

Hæc est pars in qua se ostendit habere mortis potestatem. Ad Roman. IV, 17 : *Ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.* Ad Hebr. XI, 19 : *Arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus.* Hic ergo est caput Ecclesiæ, ex quo charismata fluunt in Ecclesiæ Prælatos, et potestas contra quam nec portæ inferi prævalebunt : qui mor-

tificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit. Ostendit ergo illud quod dicitur, Sapient. I, 13 : *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Et ideo etiam mortuos revocat ad vitam.

Tanguntur ergo tria. Primum, miraculi ex parte facientis Dei opportunitas. Secundum autem, est miraculum cum suis circumstantiis. Tertium autem, tanti miraculi diffamatio ad fidei ædificationem procurata.

In primo horum sunt quatuor, quorum primum est istius facti ad præcedens secundum præsentem intentionem continuatio. Secundum autem, est diligens Salvatoris ut ubique salutem operetur circuitio. Tertium, loci ad salutis perfectionem conveniens adaptatio. Quartum autem, intercedentium ad salutis procuracionem incontradicibilis dilectio.

De primo horum dicit :

« *Factum est,* » ordine dispensationis divinæ, non temporis, « *deinceps,* » postquam se ostendit potestatem habere vitæ : ut se ostenderet etiam mortis habere potestatem. Ad Roman. XIV, 9 : *In hoc enim Christus mortuus est et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur*<sup>3</sup>. Unde post sanatum infirmum, suscitavit mortuum : quia infirmitas præcedit mortem.

Sic ergo « *factum est deinceps.* »

« Ibat Jesus. »

Ecce secundum, in quo notatur Salvatoris circuitio et diligens salvandorum inquisitio. Matth. IV, 23 : *Circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans evangelium regni.* Psal. XXVI, 6 : *Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis.* Sicut enim de diabolo dicitur, I Petr. V, 8 : *Tamquam leo rugiens*

<sup>1</sup> Matth. VIII, 13.

<sup>2</sup> Luc. VI, 19 : *Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat*

*omnes.*

<sup>3</sup> Cf. II ad Corinth. V, 15.

*circuit, quærens quem devoret* : ita et multo plus de Salvatore dicitur : Circuit quærens quem liberet. Et ideo « *ibat,* » non quiescens. Proverb. vi, 3 et 4 : *Discurre, festina, suscita amicum tuum : ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* Et hoc quidem fecit in se Christus. Faciunt autem et boni pastores. Genes. xxxi, 40 : *Die nocturne æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.*

Sic ergo « *ibat Jesus* »

« In civitatem quæ vocatur Naim. »

Et hic tangitur loci ad salutis perfectionem conveniens adaptatio ex duobus : ex loci solemnitate, et ex nominis interpretatione.

Locus enim erat Galilææ civitas solennis, non quidem sicut Capharnaum : sed post eam fuit secundi ordinis, ubi multi habitabant, ad quam etiam multi confluebant : et ideo locus congruus miraculis Dei fuit. Genes. xxviii, 16 : *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.* Ibidem, ̄. 17 : *Quam terribilis est locus iste ! non est hic aliud nisi domus Dei et porta cæli.* In loco isto manat fons vitæ, Psal. xxxv, 10 : *Domine, apud te est fons vitæ.* In isto loco turba cætervatim ruit ad miranda facta Domini. Unde multi hic erant cum Domino, multi cum vidua. Isti mirabilia cernere cupientes : illi autem compassionis affectu miseram viduam prosequentes.

Interpretatio autem etiam congruit : quia Naim *motus* vel *motio* interpretatur, et significat eos qui moti sunt factis vel verbis Domini ex compassione viduæ miserabilis. Psal. lxxix, 4 : *Commovisti terram, et conturbasti eam : sana contritiones ejus, quia commota est.* Commovit enim Dominus terram istam ad compunctionem : conturbavit autem ad dolorem : sanat autem per gratiam, quia commota est ad satisfactionem. Psal. lxxvii, 9 : *Terra mota est, etenim cæli*

*distillaverunt, a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.*

« Et ibant cum eo discipuli ejus. »

Ecce intercedentium dilectio. Et dicuntur duo. Discipuli enim intercedebant ex charitate, et turba ex fidei devotione.

De discipulis dicitur : « *Et ibant cum eo discipuli,* » ut ex factis Domini exemplum acciperent, ut apud Dominum pro petentibus intercederent. De primo, Isa. viii, 18 : *Ecce ego et pueri mei quos dedit mihi Dominus.* De secundo, Matth. ix, 38 : *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.*

« *Et turba copiosa,* » scilicet devotorum ad ædificationem fidei. Joan. xi, 42 : *Propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti.* Joan. xii, 30 : *Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.* In omnibus enim voluit Dominus ædificare turbas propter Ecclesiam. Unde etiam, Joan. xii, 13, dicitur, quod turba multa quæ convenerat ad diem festum clamabat Domino : *Hosanna ! Benedictus qui venit in nomine Domini.*

« Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ : et hæc vidua erat, et turba civitatis multa cum illa. »

Ecce miraculum cum suis circumstantibus.

Ponuntur autem primo circumstantia ex parte facientis : et secundo, ex parte ejus circa quem fit miraculum.

Ex parte quidem facientis ponuntur primum induentia, secundo autem facientia.

Induentia autem sunt quatuor : omnium ad defunctum appropinquatio, defuncti ipsi Domino præsentatio, matris

defuncti destitutio, et turbæ ad fidem ædificatio.

Domini ad defunctum appropinquatio tangitur per hoc : « *Cum appropinquaret portæ civitatis,* » non tam corpore quam miserantis affectu. Psal. CXLIV, 18 : *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate.* Ad Philip. IV, 5 et 6 : *Dominus prope est. Nihil solliciti sitis,* etc. Isa. LV, 6 : *Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est.*

Porta autem civitatis, est ad cor ingressus in civitatem cordis : vel ad sensum aliquem appropinquatio in civitatem corporis. De primo dicitur, Apocal. III, 20 : *Ecce sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cænabo cum illo, et ipse mecum.* De porta corporis dicitur, Isa. XXVI, 2 : *Aperite portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem.* Habet enim cor suam civitatem ex cogitationibus, intentionibus, delectationibus, consensibus, voluntatibus, civilitate magna congregatam. Habet etiam corpus suam ex officiis membrorum, delectationibus sensuum, motibus membrorum, et officiis congregatam. Et utraque civitas habet portas suas : una quidem portas sensuum, alia autem patefactiones intentionum. Ad istas autem portas Dominus appropinquat, quando se intentionibus cordium, vel revelationibus sensuum manifestat. Baruch, III, 38 : *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Joan. I, 14 : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Sic ergo propinquat nobis. Psal. XXXIII, 19 : *Juxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde.* Act. XVII, 27 et 28 : *Non longe est ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.*

« Ecce defunctus efferebatur. »

« *Ecce,* » hoc est, præsentia ejus publice exhibebatur : et intelligitur hic defuncti ipsi Salvatori præsentatio : ut ex præsentia ipsius ad pietatem moveretur. Quasi diceret : *Ecce, Domine, respice, populus tuus omnes nos*<sup>1</sup>. Et illud, Isa. LXIII, 13 : *Ubi est zelus tuus, et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum ?* Et illud ejusdem, LXIV, 12 : *Numquid super his continebis te, Domine : tacebis, et affliges nos vehementer ?* Quid enim fontis misericordiam amplius præsentari potest quam mortuus ? Iste in ultimo genere miseriam est, in quo nulla est de cætero spes salutis hominis. Psal. LXXXV, 13 : *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Item, Psal. XXIX, 4 : *Domine, duxisti ab inferno animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum.*

Hic enim « *defunctus,* » ad publicum « *efferebatur,* » ut tuam moveret misericordiam publica miseria, et mors miserarium maxima. « *Efferebatur,* » inquam non tam mortuus corporaliter quam spiritualiter. Mortuus enim erat in peccato spiritualiter : nunc autem miserabilis effertur in publicum corruptione plenus, in exemplum perditionis. Isa. LI, 20 : *Dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx illaqueatus.* Moveat ergo tuam misericordiam tanta miseria : et duplici morti duplicem per antidotum oppone vitam, animæ scilicet, et corporis, totum hominem (sicut tuæ est consuetudinis) salvum faciens. Effertur enim mors animæ per scandalum peccatorum. Isa. III, 9 : *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* Effertur mors corporis extra domum ad tumbam tumulanda, ne fœtore corrumpat appropinquantes. Et utriusque mortis miserere præsens miserator, et multæ misericordiam, et pie Domine.

« Filius unicus matris suæ. »

Ecce moventia ex parte matris. Et sunt

<sup>1</sup> Isa. LXIV, 9.



in duplici ordine. Quædam enim sunt in habitudine filii ad matrem : quædam autem in habitudine matris ad filium.

De his quæ sunt in habitudine filii ad matrem, dicit : « *Filius unicus matris suæ.* » Pignus autem naturæ mortalis fuit in quantum filius, dilectus uteri in quantum filius, totus autem in eo fuit matris affectus in quantum unicus, omnium votorum suorum dilectus in quantum unicus, senectutis baculus in quantum unicus. « *Matris autem suæ,* » quæ ferventior in eo habuit amorem, quæ necessariorem jam habuit robustam prolem.

Quod enim pignus naturæ mortalis fuerit filius, patet per hoc quod dicit Augustinus, quod nuptiæ bonum sunt mortali, non propter aliud, nisi quia mortalis et fugientis naturæ in successore pignus remanet, et exstinguentis jam luminis lucerna ex parte accensa, II Reg. XIV, 7 : *Quærunto extinguere scintillam meam quæ relicta est.* Scintilla enim reservata, est pignus ignis. Et sic est filius pignus parentum.

Dilectus etiam est uteri matris, Proverb. xxxi, 2 : *Quid, dilecte uteri mei ?* Quasi diceret : Quem ego fovi in utero. Unde et Tob. iv, 4 : *Memor enim esse debes quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo.* Alter etiam fuit pro patre, quia alium non habuit : et ideo deficiente virtute in parentibus, crescit in filiis. Et ideo, Exod. xx, 12, dicitur : *Honora patrem tuum et matrem tuam.*

In quantum autem unicus, totus in eo fuit matris affectus, sicut dicit Basilius. II Reg. i, 26 : *Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.* Et ideo, Jerem. vi, 26, dicitur : *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.*

Totus fuit votorum suorum dilectus in quantum unicus, in quem omnia sua vota referebat, Proverb. xxxi, 2 : *Quid, dilecte votorum meorum ?*

In quantum etiam unicus, fuit senectutis baculus, Tob. x, 4 : *Lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ.*

Ruth, iv, 14 et 15, dixerunt mulieres ad Noemi : *Benedictus Dominus qui non est passus ut deficeret successor familiæ tuæ, et vocaretur nomen ejus in Israel : et habeas qui consoletur animam tuam, et enutriet senectutem, etc.*

Et hæc omnia spiritualiter sunt in natis Ecclesiæ, quos in corde suo parturivit et portavit. Mater etiam ferventior in prole habet amorem. Omnis enim mater diligit, sicut dicit Tullius in *Topicis rhetoricis*. Isa. XLIX, 15 : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ?* Quasi dicat : Non potest.

Hæc etiam necessariorem habuit tam robustam prolem, quæ jam anus se juvare non potuit, solo filii solatio sustentanda. Ad Roman. xv, 1 : *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.*

« Et hæc vidua erat. »

Ecce miserabilis habitudo matris. « *Hæc* » enim « *vidua erat,* » hoc est, a viro idua, et solatio viri destituta. Et ideo jam ei robusta proles erat valde necessaria, non tam pro filio quam vice mariti protectore domus et familiæ. I ad Timoth. v, 3 : *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt.* Psal. cxxxvi, 14 : *Viduum ejus benedicens benedicam.* Isa. i, 17 : *Judicate pupillo, defendite viduam.* Thren. v, 3 : *Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ.* Hæc autem vidua est Ecclesia, a sponso Christo (qui in cælum secundum corporalem præsentiam abiit) idua, hoc est, divisa.

« Et turba civitatis multa cum illa. »

Ecce turbæ præsentis ex miraculo ad fidem ædificatio. Et hoc est quod dicit Glossa : « Multi cum Domino, multi cum vidua, ut viso miraculo multi fiant laudatores. » Sicut enim præcipit Apostolus, I ad Corinth. x, 33 : *Sine offensione estote Judæis, et Gentibus, et Ecclesiæ Dei : sic-*

*ut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Et item, I ad Corinth. xiv, 12: *Vos, quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut abundetis.* Sic enim veniente turba et dicente ad Philippum: *Domine, volumus Jesum, videre,* hoc est, Salvatorem in effectu salutis: dixit ipse Jesus statim: *Venit hora ut clarificetur Filius hominis*<sup>1</sup>. Tunc enim clarificatur, quando in fide multorum clarus esse ostenditur.

Et ideo dispensatione Dei *turba civitatis multa erat cum illa.*

**13** « Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere.

**14** Et accessit, et tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt. Et ait: Adolescens, tibi dico, surge. »

Hic tangit ea quæ faciunt ad perfectionem miraculi ex parte Christi qui facit miraculum. Et sunt sex: et unum interponitur, quod removet id quod prohiberet, si miraculum non esset: et hoc est septimum. Primum autem est misericordiæ et pietatis in viduam respectus. Secundum autem, doloris et compassionis intrinsecus tactus. Tertium autem est consolationis affatus. Quartum est miserantis ad miserum accessus. Quintum est mortui a Christo vivificus tactus. Et hic interponitur eorum qui portabant mortuum, fixus et immobilis gradus. Sextum autem est ejus qui mortis habebat imperium, præceptivus ad vitam regressus.

De primo quidem dicitur, Exod. iii, 7: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto.* Zachar. ii, 8: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*

« Misericordia motus super eam. »

Ecce secundum, Jerem. xxxi, 20: *Conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor ejus.* Genes. vi, 6: *Tactus dolore cordis intrinsecus.* Secundum hominem enim Dominus misericordiæ affectum moveri potuit.

« Dixit illi: Noli flere. »

Ecce consolationis affatus. Isa. lxxvi, 13: *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos.* Jerem. xxvi, 16: *Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis.*

Fuerunt autem tres causæ quare vidua flevit. Una quidem, quia mortui plorandi sunt, Eccli. xxxviii, 16: *Fili, in mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus incipe plorare.* Eccli. xxii, 10: *Supra mortuum plora, defecit enim lux ejus.*

Secunda causa est, quia fuit filius unicus, Jerem. vi, 26: *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.*

Tertia causa est, quia adolescens in flore suæ juventutis defunctus, Isa. xxxviii, 10: *Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. Quæsiivi residuum annorum meorum.*

Dominus ergo consolatur eam sicut promisit, Eccli. xxxv, 17: *Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus.* Job, xxix, 13: *Cor viduæ consolatus sum.* Hæc enim indignit consolatione, quia in persona ejus dicit, Baruch, iv, 12: *Nemo gaudeat super me viduam, et desolatam.*

« Et accessit. »

Ecce ad miserum salutis accessus. Luc. x, 34: *Appropians alligavit vulnera ejus.* Psal. xxxiii, 19: *Juxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde.*

<sup>1</sup> Joan. xii, 21 et 23.

« Et tetigit loculum. »

Ecce Salvatoris ad mortuum vivificus tactus. Quia sicut tactu suæ vivificæ carnis vim regenerativam et vivificativam contulit aquis, ita tactu curat leprosos, et suscitavit mortuos : non inquinatus ab illis, sed infundens omnibus salutis effectum. Luc, VIII, 46 : *Tetigit me aliquis*. Genes. XXVII, 21 : *Accede huc ut tangam te, fili mi*. Psal. CXLIII, 5 : *Tange montes, et fumigabunt*, scilicet in devotione.

Dicitur autem feretrum *loculus* : quia frigiditas mortui et spasmus in minima contrahunt corpus mortui, nisi sit humor intus putridus et inflatus. Et ideo mortuo corpori minor sufficit locus. Et ideo vocatur *loculus*.

Iste autem loculus secundum Glossam : « Spiritualiter, secunda desperati cordis est conscientia : in quo loculo jacet spiritualiter mortuus, non sentiens mortem suam propriam. » Exod. XII, 30 : *Neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus*. Unde Dominus tres legitur suscitasse : unum in domo, filiam Archisynagogi <sup>1</sup> : qui significat mortuum in conscientia, qui adhuc non prodiit ad publicum mali exempli. Alium, in porta urbis, ut hic, qui significat mortuum in peccatis, qui per portam sensuum prodiit in publicum scandali et mali exempli. Jerem. IX, 21 : *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras*. Tertium, in monumento <sup>2</sup> : qui clausus lapide fœtens, significat eos qui obduratione malæ consuetudinis pressi fœtent ad corruptionem multorum. Unde versus :

Mens mala, mors intus, malus actus, mors  
foris, usus :

Tumba, puella, puer, Lazarus ista probant.

« Hi autem qui portabant, steterunt. »

Ecce portantium fixus gradus, et per hoc remotum suscitationis impedimentum : quia si fortiter portando præterissent, tactus divinus super mortuum non fuisset confirmatus, sed a manu retractus.

« *Hi autem qui portabant,* » litteraliter quidem sunt homines : naturaliter autem, ut dicit Glossa, sunt elementa : moraliter autem sunt passionones, et peccati affectiones.

Et de hominibus quidem constat, Matth. VIII, 22 : *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*.

Naturaliter autem sunt elementa, ut dicit quædam Glossa. Mater enim est terra. Unicus autem Adam, quem ad tumbam naturaliter portant quatuor elementa. Terra quidem spiritualiter portat, cum terrena facit concupiscere : naturaliter autem, quia sua frigiditate et siccitate etiam corpus facit immobile. Aqua spiritualiter portat, cum distillat in libidinem : naturaliter autem, cum sua frigiditate sensum aufert. Aer autem spiritualiter portat, per inanem laudis favorem : naturaliter autem, quando per angustiam intercipit anhelitum. Ignis autem spiritualiter portat, per incendium iræ : naturaliter autem, cum inflammat ad febris æstuationem.

Melius autem accipitur moraliter, quod quatuor qui portabant sunt quatuor passionones : sicut Beatus Bernardus dicit. Amant enim quæ non decet, timent quæ non oportet, dolent vane, gaudent vanius. De amore quidem et timore dicitur in Psalmo LXXIX, 17 : *Incensa igni et suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt*. Incensa sunt ab amore male inflammante, suffossa a timore male humiliante : et hæc peribunt ab increpatione vultus tui. De dolore autem sive tristitia dicitur, II ad Corinth. VII, 10 : *Sæculi tristitia mortem operatur*. De vano gaudio, Job, XXI, 12 et 13 : *Gaudent ad sonitum organi, ... et in puncto ad inferna*

<sup>1</sup> Matth. IX, 23.

<sup>2</sup> Joan. XI, 34-45.

*descendant.* Hæ ergo quatuor passiones portant hominem continuo ad tumulum æternæ damnationis. Hæ autem stant, quando in malum non pellunt: et de statu suo homo incipit cogitare, ut Dei gratia redeat a peccato. Jerem. VI, 16: *State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona.*

Vel, quatuor qui portant, sunt mala desideria, et peccati consensus in parte una ex parte capitis, ubi peccatum incipit. Malus autem actus et mala consuetudo in parte pedum, ubi peccatum consummatur. Vel, mala peccati delectatio, præsumptio impunitatis, et spes longioris vitæ, et spes futuræ pœnitentiæ. Zachar. I, 21: *Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt Judam per singulos viros, et nemo eorum levavit caput suum.* Et hi stant, quia falsis spebus nos decipiunt. Sapient. V, 13: *Spes impii tamquam lanugo est, quæ a vento tollitur.*

« Et ait. »

Ecce sextum, præceptivus mortui ad vitam regressus.

« *Adolescens.* » Adolescentem vocat, quia miserabilior est adolescentis in flore vitæ adhuc existentis mors quam senis. Isa. XXXVIII, 10: *Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Vel moraliter, adolescens in peccato mortificante facilius resurgit quam in peccato inveteratus. Daniel. XIII, 52: *Inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua quæ operaberis prius.* Isa. LXV, 20: *Peccator centum annorum maledictus erit.* Baruch, III, 11: *Inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis.* Recens autem in peccato et juvenis facilius solo verbo Dei revocatur ad vitam. Psal. CXVIII, 9: *In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.* Unde et Christus hic non clamavit, sicut, Joan. XI, 43, quando suscitavit Lazarum, qui significat in peccato inveteratum.

« Tibi dico. »

Vocavit Christus adolescentem nomine juvenilis ætatis: quæ causa multis est incontinentis et fluxibilis vitæ. Sapient. II, 6: *Utamur creatura tamquam in juventute celeriter.* In illa enim ætate causa intelligitur mortis suæ. Aristoteles in libro III Ethicorum: « Nomine incontinentiæ ad puerilia peccata ferimus. »

Et adjungit imperium, dirigens sermonem ad ipsum, dicens:

« *Tibi dico.* » Mortuus enim etiam audit vocem virtutis ejus. Joan. V, 25: *Mortui audient vocem Filii Dei: et qui audierint, vivent.* Psal. LXVII, 34: *Dabit voci suæ vocem virtutis.* Est ergo vocis hujus perpendenda benignitas, et potestas. Benignitas in hoc quod nominat eum ex nomine ætatis. Potestas quod ad ipsum sicut ad audientem dirigit sermonem. Joan. V, 21: *Sicut Pater suscitavit mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Mortui enim nobis, voci Dei dormiunt: et ideo vocem ejus audiunt excitati. Isa. XXVI, 19: *Vivent mortui tui, Domine: interfecti mei resurgent.*

« Surge. »

Ecce imperium. Hoc est, sursum te age ad æterna desideranda. Ad Coloss. III, 3: *Mortui estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* Si autem est vita in Deo, non de cætero jaceat in pulvere, sed erigat se ad alta. Ad Ephes. V, 14: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.*

Ecce quod tribus verbis suscitatur: quorum primum, *adolescens*, signum est gratiæ: secundum, *auditus intelligentiæ*: tertium autem, *virtutis potentiæ divinæ*. Quod nominat, signum est gratiæ. Exod. XXXIII, 12: *Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me.* Secundum, *tibi dico*, quod sermonem ad eum dirigit, *auditus est intelligentiæ*:

quia verbum auditum et intellectum vivificat. Psal. cxviii, 116 : *Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam, et non confundas me ab exspectatione mea.* Eccli. iv, 12 : *Sapientia filiis suis vitam inspirat.* Tertium, surge, scilicet quod imperat ut surgat, effectus est potentiae divinæ in verbo Christi. Psal. cxl, 6 : *Audient verba mea, quoniam potuerunt,* hoc est, potentiam habuerunt et valuerunt. Sapient. xviii, 15 : *Omnipotens sermo tuus de cælo a regalibus sedibus venit.* Luc. i, 37 : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Primum ergo verbum est acceptationis, secundum cogitationis, tertium autem virtutis. Et hæc tria sunt in verbis Dei, quæ suscitant mortuos : quæ præcedunt accessus vicinationis per opera bona, tactus visitationis in peccati cognitione, motus miserationis in dolore cordis. Et verbo in his tribus sequente subsequitur beneficium resurrectionis.

Et vide diligenter quantum est illud miraculum. Mortuus enim est carens interiori illuminatione : rigidus, carens flexibilitate : corruptus, carens debita complexione : spasmatum, debita carens compositione. Et hæc omnia restituta sunt solo Domini sermone.

Sunt autem hæc etiam in morte spirituali. Hæc enim caret vera causa vitæ, Psal. xxxv, 10 : *Domine, apud te est fons vitæ.* Et qui non bibit vitam de fonte, mortuus est. Tenebrosus est etiam, carens interiori illuminante in divina cognitione, Thren. iii, 2 : *Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem.* Rigidus etiam est carentia flexibilitatis ad bonum, Exod. xv, 15 et 16 : *Obriuerunt omnes habitatores Chanaam : ... fiant immobiles quasi lapis.* Hæc autem rigiditas provenit ex superinducta frigiditate, Matth. xxiv, 12 : *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Corruptus etiam est, carens debita expletione, quia caret omni virtutis ordine. Psal. xlii, 1 : *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studiis suis :*

*non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Et ideo etiam aliquando fuerunt mortui, Joan. xi, 39 : *Domine, jam fætet.* Psal. v, 11 : *Sepulcrum patens est guttur eorum.* Spasmus autem (contrahens membra a compositionis debita figura) est tota pulchritudo imaginis divinæ destituta, Thren. iv, 2 : *Reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli.*

Omnia igitur tollit sermo divinus, ut diximus. Per Spiritum enim sanctum vitam ingerit, Joan. vi, 64 : *Spiritus est qui vivificat.* Per illuminationem veritatis ad pulchritudinem coloris illuminat, Exod. xxxiv, 29, splendida facta est facies Moysi ex consortio sermonis Domini. Ex calore charitatis, flexibilitatem ad bonum reparat, Psal. xxxviii, 4 : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.* IV Reg. iv, 34 et 35 : *Calefacta est caro pueri.... Et oscitavit puer septies, aperuitque oculos.* Psal. cxviii, 164 : *Septies in die laudem dixi tibi.* Sanitate autem virtutis pellit corruptionem complexionis, Jerem. xvii, 14 : *Sana me, Domine, et sanabor.* Elargitione autem largitæ misericordiæ et miserationis fugat spasmus turpitudinis, qui membra omnia contrahendo deturpat, Proverb. xxxi, 20 : *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.* Sic etiam fit reformatio imaginis, Cantic. iv, 7 : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.*

« Et resedit qui erat mortuus, et cepit loqui. Et dedit illum matri suæ. »

15

Ecce perfectio miraculi ex parte ejus in quo fit.

Fiunt autem tria : duo ex parte mortui, et unum ex benignitate Domini.

Primum ex parte mortui, est ostensio vitæ in membris corporis. Secundum

autem, reparatio animæ in ratione interpretationis.

De primo dixit : « *Et resedit* » unumquodque membrum in loco juncturæ in virtute, in qua erat prius. Et hoc indicabat sessione corporis, in qua animalia sedent super naturalia et spiritualia : sicut pectus super naturalia. Talis enim quies vocatur *sessio*. Resessio autem notat reditum hujus sessionis sicut erat prius. Isa. LII, 2 : *Consurge, sede, Jerusalem : solve vincula colli tui, captiva filia Sion*. Sic enim etiam residet qui spiritualiter est mortuus. Act. IX, 40 et 41 : *Viso Petro, resedit. Dans autem illi manum, erexit eam : et cum vocasset sanctos et viduas, assignavit eam vivam*. Hæc est ergo prima significatio vitæ, quod homo a peccatis caput erigens, in gratia et quiete Dei resideat, et amplius manibus malignis in mortem non portetur. Luc. XXIV, 49 : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto*. Thren. III, 28 : *Sedebit solitarius, et tacebit : quia levavit super se*.

Secundum autem ex parte mortui est :

« Et cœpit loqui. »

In quo significatur in anima rationali, rationis et interpretationis restitutio. Marc. VII, 35 : *Solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte*. Recte enim loquitur qui in oratione cum Deo, in lectione Deum percipit loquentem, in prædicatione et collatione de Deo loquitur, et in laudibus divinis magnalia refert Dei. De primo horum, Genes. XVIII, 27 : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et civis*. De secundo, I Reg. III, 9 : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus*. De tertio, Ezechiel. II, 7 : *Loqueris verba mea ad eos, si forte audiant*. De quarto, ad Ephes. V, 19 : *Loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino*.

Sequitur tertium quod est benignitas Domini :

« Et dedit illum matri suæ. »

Quem enim suscitando suum fecerat, secum ducendo, vel aliter ad obsequia sua deputare poterat : sed misertus viduæ omni solatio destitutæ, « *dedit illum matri suæ*, » ut illam loco mariti procuraret. Significat autem in facto quod suscitatus spiritualiter, matri Ecclesiæ per reconciliationem est restituendus, et sacramentorum communioni. Ut sicut scandalizando ab Ecclesiæ gremio per peccatum recessit, ita satisfaciendo ad Ecclesiæ sacramenta revertatur. Hoc significatum est, IV Reg. IV, 36, ubi Eliseus matri cujus vivere fecerat filium, dixit : *Tolle filium tuum*.

« Accepit autem omnes timor : et magnificabant Deum, dicentes : Quia Propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam. »

16

Ecce miraculi diffamatio.

Tanguntur autem hic tria : primum quidem, diffamationis causa : secundum, in gratiarum actione fama : tertio autem, famæ diffusio lata.

De causa dicit : « *Accepit autem omnes*, » universaliter, « *timor*. » Timor enim accipit hominem, quando magnitudo rei sic occupat hominem, quod quantumcumque libenter contradiceret, quod vincitur in se, et timore tenetur ne contradicat, nec a laude taceat. Est autem iste timor reverentiæ. Eccle. XII, 13 : *Deum time, et mandata ejus observa*. Exod. XX, 18 : *Perterriti ac pavore concussi, steterunt procul*. Ad Hebr. XII, 21 : *Exterritus sum, et tremebundus*.

« Et magnificabant Deum. »

Ecce fama.

Et tangit duo : modum, et famam.

Modum tangit cum dicit : « *Magnificabant,* » hoc est, de magnis magnum magnifica laude prædicaverunt. II Machab. I, 11 : *Magnifice gratias agimus.* Eccli. XLIII, 33 : *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : major enim est omni laude.*

« *Dicentes.* » Ecce fama in ore præsentium.

Et tangit duo : magnitudinem facientis, et beneficium facti.

Magnitudo facientis extollitur per hoc :

« Quia Propheta magnus surrexit in nobis. »

Dicunt autem *Prophetam*, a voluntatis Dei notitia : *magnum*, virtutum et operum potentia : *surrexisse*, a legis testificante Scriptura.

De primo notandum, quod Propheta dicitur proprie sciens secreta Dei per inspirationem. Et sic Dominus non fuit propheta proprie loquendo : quia scivit non per inspirationem, sed potius per junctam sibi divinitatem. A similitudine ergo actus sciendi futura, dicitur Dominus propheta, Joan. VI, 14 : *Hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.*

*Magnus* autem dicitur magnitudine virtutis et operationis. Luc. XXIV, 19 : *Qui fuit vir Propheta potens in opere et sermone.*

Hic autem dicitur *surrexisse* in altum secundum testimonia Legis et Prophetarum. Deuter. XVIII, 15 : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies.*

« Et quia Deus visitavit plebem suam. »

Ecce beneficii recognitio. Hæc autem

visitatio est in frequenti oculorum reductione super populum suum, qua visitatione Incarnationis præstitit beneficium.

Luc. I, 78 : *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Psal. CV, 4 et 5 : *Visita nos in salutari tuo : ad videndum in bonitate electorum tuorum,* etc.

« Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, et omnem circa regionem. »

Et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his. »

Ecce famæ diffusio.

Et tangit tria. Primum est diffusio in Judæam : secundum, in vicinam Judæorum Gentium habitationem : tertium autem, quia etiam devenit ad Joannem in carcere existentem.

De primo dicit : « *Et exiit,* » diffusus, « *hic sermo in universam Judæam de eo.* » Joan. XXI, 23 : *Exiit sermo iste inter fratres.* Psal. CXLVII, 15 : *Velociter currit sermo ejus.* Fama enim diffunditur sicut odor, Cantic. IV, 11 : *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Joan. XII, 3 : *Domus impleta est ex odore unguenti.*

« *Et omnem circa regionem,* » etiam in habitationes Gentium. Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Isa. IX, 2 : *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.*

« Et nuntiaverunt Joanni »

Baptistæ jam existenti in vinculis Herodis, « *discipuli ejus,* » quia præsentis erant. Sequebantur enim etiam ipsi Dominum propter curiositatem videndi miracula.

« *De omnibus his.* » Non enim prohibebantur discipuli Joannis quin accede-

17

18

rent ad eum et procurarent eum. *Herodes enim metuebat Joannem, ... et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat*, sicut dicitur, Marc. vi, 20. II ad Timoth. ii, 9 : *In quo laboro usque ad vincula quasi male operans : sed verbum Dei non est alligatum*. Ad Ephes. vi, 20 : *Pro quo legatione fungor in catena*.

**19** « Et convocavit duos de discipulis suis Joannes, et misit ad Jesum, dicens : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?

**20** Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt : Joannes Baptista misit nos ad te, dicens : 'Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?

Hic inducitur pars illa quæ est de hoc, quod noster dispositor et ordinator officiorum Ecclesiæ, est verissime ille qui promissus est in lege, nec alius est exspectandus post eum.

Et ideo hic tria inducuntur, quorum primum est de probatione ejus, quod jam dictum est. Secundum autem, quia ex inquisitione Joannis alicui possit suboriri dubitatio : utrumne in fide dubitasset vel non? ideo a Domino commendatur valde : et ostenditur officii sui congruitas. In tertio autem, ostenditur reprehensio eorum qui consilium tam commendabilis viri non sunt secuti. Et hæc patent in littera.

In prima harum partium tres sunt paragraphi : in quorum primo tangitur legatorum et legationis a Joanne missio : in secundo, legatorum perfectio et perventio : in tertio, auctoritas et fides sibi injunctæ legationis.

De primo dicit :

« *Et*, » scilicet Joannes Baptista hæc audiens quæ dicta sunt, « *convocavit duos*. » Causa autem est, quia discipuli hoc ex livore quem habebant ad Christum sibi nuntiaverunt tamquam Joan-

nem pro se habere deberent : quia Christus non remitteret ad Joannem, sicut Joannes miserat ad Christum. Unde simili livore dicunt, Joan. iii, 26 : *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum*. Quasi dicant : Inconveniens est, quod te sic minorato, ille crescat, et ad te non remittat multitudines turbarum. Simili etiam livore Josue zelabat pro Moyses, Numer. xi, 28 et 28. Cum enim diceretur : *Eldad et Medad prophetant in castris. Statim Josue, filius Nun, minister Moysi, et electus e pluribus, ait : Domine mi Moyses, prohibe eos*. Et ideo ut livorem curaret discipulorum ex visu quem viderent, et auditu quem ipsius voce perciperent, vocavit « *duos*, » magis pro ipso contra veritatem, per quos et convincerentur et instruerentur omnes alii ad fidem Christi. Deuter. xix, 15 : *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum*.

Hos autem vocavit « *de discipulis suis*, » quia illi magis zelabant : et ideo magis credebatur eis. Unde etiam, Joan. iii, 28, dixit eisdem : *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim : Non sum ego Christus*. Sed invidiæ vis magna est. Et de quo non sunt instructi per verba magistri, convincuntur per facta Domini : ut magis confundantur de tarditate credendi. Job, xlii, 5 et 6 : *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Idcirco me reprehendo, et ago pœnitentiam*.

Et ideo,

« Misit eos ad Jesum, dicens. »

Ecce legationis injunctio.

« *Tu es qui venturus es?* etc. » Venturum enim in lege promissum, qui restitutus erat omnia, omnes exspectabant. Joan. iv, 25 : *Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus) : cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia*.



Genes. XLIX, 18 : *Salutare tuum exspectabo, Domine.*

« *An alium exspectamus?* » Exod. IV, 13 : *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es.* Et ideo, quia in lege promissum noluerunt recipere Dominum, Antichristum recipient in lege reprobatum. Joan. V, 43 : *Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me : si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Horum enim obstinatorum figuram gerunt discipuli Joannis. Et ideo Joannes non sibi, sed discipulis fieri facit has quæstiones. Ambrosius tamen, et quidam alii, sicut Hieronymus et Beda, hanc quæstionem dicunt non esse cæcitatatis et infidelitatis : sicut Judæi quæsi-verunt, quando dixerunt, Joan. X, 24 : *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Nec etiam est dubietatis in fide quorundam : sicut quæstio discipulorum et Mariæ Magdalænæ, Joan. XX, 15 : *Dicito mihi ubi posuisti eum : et ego eum tollam.* Sed, ut dicunt, est quæstio pietatis et teneritatis amoris : sicut, Joan. I, 38 : *Rabbi, ... ubi habitas?* cum tamen satis scirent quod domicilium proprium non haberet. Et sicut mater, cujus in exsilio filius diu exsulavit, sæpe quærit ubi sit filius suus, quantumcumque bene sciat quod non est præsens : ita dicere volunt, quod Joannes pietate et admiratione motus, quæsiavit si tot humilia per seipsum esset factururus, maxime in judicio et crucifixione : cum tamen sciret hoc, sed teneritudine amoris videbatur contrarium hoc de ipso credere. Cantic. I, 6 : *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie,* hoc est, passionis fervore?

Fere simili sententia dicit Gregorius eum non dubitasse de adventu in mundum et ad Passionem, quem intra matris uterum cognoverat, in deserto loquente de cælo Deo acceperat, Spiritu descendente didicerat, Patris voce significatum audiverat, digito demonstraverat, discipulos invidentes reprehendendo do-

cuerat. Sed dicit eum dubitasse, an per seipsum descensurus esset ad inferos, vel alium ad hæc sacramenta peragenda missurus.

Si autem objicitur, quod descensus ad inferos secundum Symbolum Apostolorum est articulus fidei, de quo non licet dubitare. Qui (inquam) articulus prophetatus est, Zachar. IX, 11 : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Dicendum secundum Gregorium, quod redemptio ab inferis est articulus, sicut dicit Psalmus LXXXV, 13 : *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Sed quod per se educat captivos, vel per alium, est de circumstantibus articulum. Et hoc non oportet explicite credere, nisi postquam perfecta sunt. Hæc ergo est sententia Gregorii. Sententia Ambrosii etiam a nobis posita est. Prima est sententia Chrysostomi. Et hæc est veritas litteræ : secundum illam ergo litteram exponemus, alias relinquentes.

« Cum autem venissent viri. »

Ecce legatorum in legatione profectio. « *Viri* » autem dicuntur propter sui animi strenuitatem, et cordis perfectionem. Eccli. XLIV, 1 : *Laudemus viros gloriosos.* Proverb. VIII, 4 : *O viri, ad vos clamito.* Quasi dicat : Viros signanter voco, qui stantem et strenuum habent affectum.

« *Usque ad eum,* » hoc est, usque ad Jesum : ut ipso facto etiam tacentibus verbis certificarentur.

« *Dixerunt,* » suam legationem exponentes.

Et in hac expositione faciunt tria. Dictis enim suis adhibent auctoritatem, fidelitatem, et non excedunt mandati limitem.

Auctoritatem quidem per hoc quod dicunt :

« Joannes Baptista misit nos ad te. »

Ac si dicant : Illius auctoritate veni-

mus, non nostra : sicut Moyses coram Pharaone, Exod. vii, 16, dixit : *Dominus Deus Hebræorum misit me ad te*. Joannes enim in magna fuit apud omnes auctoritate, sicut qui ab ipso Deo ad baptizandum missus fuerat. Joan. i, 33 : *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat*. Unde et nomen prænuntiatum, et officium a Spiritu sancto injunctum in auctoritate fuerunt. Et ideo ambo conjungunt isti, dicentes : « *Joannes Baptista,* » ut magis auctoritatis habeat legatio.

« Dicens. »

Hic adhibent fidelitatem, dicentes verba Joannis, non sua.

« *Tu es qui venturus es,* » Messias in lege promissus ? Joan. i, 45 : *Quem scripsit Moyses in lege, et Prophetæ, invenimus Jesum, filium Joseph, a Nazareth*. I ad Timoth. i, 15 : *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quem vox de Verbo, propheta de Christo, lucifer de sole, præcursor de rege proponit*.

« An alium exspectamus ? »

Hic innuunt tertium : quia nihil addendo verbis Joannis, fines mandati non excedunt : nihil omittentes, legationem fideliter peragunt. Job, xxix, 22 : *Verbis meis addere nihil audebant, et super illos stillabat eloquium meum*.

21

« In ipsa autem hora multos curavit a languoribus, et plagis, et spiritibus malis, et cæcis multis donavit visum. »

Hic incipit certificatio legatorum, potius quam legationis. Quia quæstio ista propter quærentes, et non propter rem

ipsam facta est : quia res ipsa manifesta fuit, licet nuntii essent in dubitatione.

Dicuntur autem hic tria. Primo proponitur res ex qua sumitur modus certificationis. Secundo, ex re sumpta ponitur certificans dictum responsionis. Tertio, occulte subjungitur repressio dubitantis.

De primo dicit quod « *In ipsa hora multos,* » secundum genera hominum, « *curavit a languoribus,* » hoc est, longis angoribus, in toto complexionem chronicis ægritudinibus turbantibus. Eccli. x, 14 : *Languor prolixior gravat medicum*.

« *Et plagis* » accidentalibus, vel apostematum putrescentium, quæ dissolvunt compositionem. Et hæc duo sunt in corpore turbantia totum, aut secundum complexionem, aut secundum compositionem. Psal. cii, 3 et 4 : *Qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam*.

« *Et spiritibus malis.* » Et hoc secundum oppressionem virium animæ. Act. x, 38 : *Pertransivit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo*. Supra, vi, 18 : *Qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur*.

« *Et cæcis multis,* » diverso genere cæcitatibus, « *donavit visum.* » Et hæc est infirmitas secundum partem nobiliorem et spiritualem sensum, in quo consistit ducatus totius corporis. Matth. vi, 22 : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*. Infirmitas enim, aut est secundum animam, aut secundum corpus : si secundum corpus, aut in parte, aut in toto : et si in toto, aut in toto secundum complexionem, aut secundum compositionem. Et penes hoc sumuntur infirmitates hic enumeratæ.

« Et respondens, dixit illis : Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis : quia cæci vident, claudi ambulat, leprosi mundantur, surdi au-

22

diunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. »

Ecce hic sumitur ex re ipsa congrua quærentium certificatio.

Est autem in duobus: in probatione potestatis divinæ, et in ordine potestatis ecclesiasticæ, quæ procedit ex divina potestate.

Probatio autem potestatis divinæ est per miracula potestatem divinam demonstrantia: propter quod, Luc. xi, 20, *digitus Dei* vocatur, ubi dicit: *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* Exod. viii, 19: *Digitus Dei est hic.* Et ita indicat istis quærentibus digito, regnum Dei advenisse in ipso: et ita se esse qui venturus erat, et exspectabatur promissus in lege. Et hoc est quod dicit, mittens ad rei ipsius manifestationem:

« Euntes renuntiate Joanni »

Ut suo testimonio vos convincamini, quando rerum veritatem dictis ejus concordare vidistis.

« *Quæ vidistis,* » præsentem, « *et audistis,* » de præterito. Et ex hoc patet quod aliquamdiu isti fuerunt cum Domino. Notos enim apud eum habebant Andream et alios, qui ad testimonium Joannis adhæserant Domino: et ab illis tamquam familiaribus et sibi fide dignis audiverunt multa quæ non viderant. Job, xlii, 5 et 6: *Auditu auris audivi te: nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam.* Luc. x, 24: *Dico vobis, quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt: et audire quæ auditis, et non audierunt.*

« Quia cæci vident. »

Ista quæ hic enumerat sumuntur, aut secundum corruptionem in toto, vel in parte. Si autem in parte: aut secundum

corruptionem interiorum in exterioribus manifestam, aut secundum corruptionem exteriorum. In exterioribus autem, aut secundum organa sensuum, aut secundum organa motus. In sensibus autem sumuntur secundum corruptionem organorum duorum sensuum disciplinalem, qui sunt visus et auditus: et in his per similia omnes aliæ corruptiones intelliguntur.

De illa quæ est secundum partem in organo sensus disciplinalis qui est visus, qui deservit disciplinæ quæ est per interventionem, dicit: « *Cæci vident,* » oculis recuperatis. Luc. xviii, 42: *Respice, fides tua te salvum fecit.* Joan. ix, 39: *In judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant.*

« *Claudi ambulat.* »

Ecce reparatio defectus secundum corruptionem organi ad motum pertinentis. Act. iii, 8: *Exsiliens claudus stetit, et ambulabat: et intravit cum illis in templum ambulans, et exsiliens, et laudans Deum.* Sophon. iii, 19: *Salvabo claudicantem, et eam quæ abjecta fuerat congregabo.*

Sanat autem etiam cæcum, quando lumen divinum in fide videre concedit. Psal. xii, 4: *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte.* Sanat claudum, quando dicit ambulare in mandatis ad rectitudinem justitiæ. Ad Hebr. xii, 13: *Gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.*

« *Leprosi mundantur.* »

Hic est reparatio defectus, qui sumitur secundum corruptionem interiorum ad exteriora procedentem. Supra, v, 13: et Matth. *Extendens manum, tetigit eum,* scilicet leprosum, *dicens: Volo, muni-*

*dare*<sup>1</sup>. Et hoc sicut jam ante diximus, mundationem significat hæreticæ pravittatis.

« Surdi audiunt. »

Ecce reparatio organi sensus disciplinalis, qui deservit doctrinæ: et significat reparationem auditus verbi Dei. Marc. vii, 34: *Misit digitos suos in auriculas ejus, et ait illi: Ephphetha, quod est adaperire.*

« Mortui resurgunt. »

Ecce reparatio corruptionis in toto. Daniel. xii, 2: *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt.* Ezechiel. xxxvii, 10: *Ingressus est spiritus in ea, scilicet, ossa arida, et vixerunt.* Isa. xxxv, 5 et 6: *Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.*

Sed est objectio. Quia hæc signa etiam alii Sancti fecerunt. Et ita non valere videtur probatio, quod ipse qui hæc facit, sit qui venturus sit. RESPONSIO, quod nullus Sanctorum fecit hæc virtute propria, nisi ipse qui est Sanctus sanctorum. Omnes etiam alii ista faciunt cum supplicationibus et exorcismis, Christus autem facit hæc verbo simplici et imperio, quasi sine clave operans. Et ideo per hæc sicut per digitum demonstratur esse promissus, et expectatus in lege.

« Pauperes evangelizantur. »

Ecce demonstratio ordinis potestatis ecclesiasticæ. Pauperes enim spiritu de quibus, Matth. v, 3, et Luc. vi, 20, dicitur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum:* qui omnibus rebus hujus mundi exuti sunt, sola cælestia meditantur, illi evangelizantur: qui et vocantur ad gradus ec-

clesiasticos. Jacob. ii, 5: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se?*

Sic ergo certificati sunt.

« Et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me. »

23

Hic tangit zelantium eum occultam repressionem.

Dicit igitur: « *Beatus est,* » jam in spe, et in futuro beatus erit re ipsa, « *qui non fuerit scandalizatus in me.* » Licet enim magna divinæ potentiæ indicia faceret, et licet Scriptura testimonium perhiberet, et tempus adventus ejus congrueret, et Joannes testimonium perhiberet, tamen multi causam offensionis accipiebant. Quidam quidem propter infirmitatem quam in eo videbant. Quidam propter nimiam ejus humilitatem. Quidam etiam propter livorem. Quidam autem propter suæ justitiæ defensionem. Quidam propter temporalis gloriæ conservationem. Et quidam propter falsi nominis scientiam.

Propter infirmitatem passionis quam in eo videbant, sæpe scandalizabantur Apostoli, Matth. xxvi, 31: *Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte.*

Propter humilitatem autem, Matth. xiii, 55: *Nonne hic est fabri filius?* Act. viii, 33: *In humilitate judicium ejus sublatum est.* Ita enim exinanivit semetipsum, quod nemo judicavit de ipso judicium rectum: dicente Isaia, liii, 3: *Quasi absconditus est vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum.*

Propter livorem autem discipuli Joannis, et quidam Judæorum, Matth. xiii, 57, et vii, 12: *Quidam dicebant: Quia bonus est. Alii autem dicebant: Non, sed seducit turbas.*

Pharisæi autem scandalizabantur in eo

<sup>1</sup> Cf. Matth. viii, 3.

propter suæ justitiæ defensionem. Ad Roman. x, 3 : *Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*

Principes autem propter suæ gloriæ conservationem, quam Christus detestabatur. Joan. v, 44 : *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est non quæritis ?*

Propter falsi nominis scientiam scandalizabantur Scribæ, qui dicuntur legisperiti. I ad Timoth. vi, 20 et 21 : *Devotans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.*

Et sic diversis de causis multi in eo scandalizabantur. Et ideo dixit Simeon, Luc. ii, 34 : *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur.*

« *Beatus igitur est qui in ipso scandalizatus non fuerit,* » hoc est, occasionem casus non acceperit et ruinæ. Et ideo etiam, Isa. xxviii, 16, dicitur *lapis pretiosus, probatus, et in fundamento locatus*<sup>1</sup>. Et ante, Isaias, viii, 15, dixerat quod super hunc lapidem *offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et capientur*<sup>2</sup>. I Petr. ii, 7 et 8 : *Vobis igitur honor credentibus : non credentibus autem, lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, et lapis offensionis, et petra scandalii, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo et positi sunt.*

**24** « Et cum discessissent nuntii Joannis, cœpit de Joanne dicere ad turbas. »

Hæc est pars in qua continetur commendatio Joannis, ne occasione inductæ

quæstionis aliqua sinistra suspicio oriatur contra ipsum : sicut adhuc sunt quidam hæretici qui *Manichæi* dicuntur, qui propter inductam quæstionem condemnant Joannem.

Tanguntur autem hic tria : primum quidem discipulorum Joannis a Domino discessio, ne putetur esse adulatoria commendatio : secundum est ipsa laudis magnificatio : et tertium, Joannis ad eos qui in Ecclesia sunt comparatio.

De primo dicit : « *Et cum discessissent nuntii Joannis,* » ne crederetur captare favorem Joannis propter ipsius testimonium quod veritati perhibuerat. Psal. cxi, 5 : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum,* hoc est, blandimentum adulatoris. Ideo dicit de Ephraim quod *oleum in Ægyptum ferebat*<sup>3</sup>. Oleum enim in Ægyptum ferre est blanditias et adulationes in præsentem hominibus exhibere.

« *Cœpit,* » laudando, « *de Joanne dicere ad turbas.* » Laudandi enim sunt viri gloriosi : sicut dicitur, Eccli. xlii, 1 : *Laudemus viros gloriosos,* sed cum modestia, et non in præsentem : ne subdola et palpans credatur esse adulatio.

« *Quid existis in desertum videre ? arundinem vento agitatam ?* »

Hic ponitur Joannis commendatio.

Et habet duas partes : in quarum prima removet ab eo vituperabilia quæ ejus possent impedire commendationem : in secunda autem, in magnis virtutibus ponit ejus commendationem.

In duobus autem removet ea quæ sunt vituperabilia. Removet enim ab eo inconstantiam, quæ contraria perseverantiæ voti sui : et removet ab eo resolutam mollitiem, quæ suæ contraria esset austeritati.

<sup>1</sup> Isa. xxviii, 16 : *Idcirco hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum,*

*in fundamento fundatum.*

<sup>2</sup> Cf. adhuc, Isa. xxviii, 13.

<sup>3</sup> Osee, xii, 1.

In primo horum sunt tres quæstiones. Prima est, quid traxerit homines ut relinquerent commoda et utilitates proprias, et ad loca se transferrent inhabitabilia et incommoda? Hoc enim non potuit facere nisi magna res aliqua et mirabilis.

Et hoc est quod dicit: « *Quid videre,* » hoc est, quid ad videndum erat tam magnum et mirabile, « *existis,* » ex propriis commodis et habitationibus, « *in desertum,* » ubi nec commodum, nec habitationem propriam vel peregrinam habere potuistis. Deuter. xxxii, 10: *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis.* Luc. iii, 7: *Omnes exhibant ad eum ut baptizarentur ab ipso.*

« Arundinem vento agitata ? »

Secunda quæstio. Quasi dicat: Numquid hoc fuit arundo vento agitata, quod vos de domibus propriis evectos traxit in desertum ad videndum? Quasi dicat: Non hoc fuit arundo vento agitata.

Arundo autem tria genera proprietatum habet. Habet enim quasdam ex loco suæ generationis, quasdam ex sua substantia, quasdam autem ex hoc quod est infructuosa.

Ex loco suæ generationis est in humido et lutoso, et per hoc significat concupiscentiæ humorem et lutum luxuriæ. Job, xl, 16: *Sub umbra dormit in secreto calami, et in locis humentibus,* hoc est, in luxuriosis quiescit diabolus. Hoc non competit Joanni virgini et ab utero sanctificato. Jerem. i, 5: *Priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam exires de vulva sanctificavi te, et Prophetam in gentibus dedi te.*

Arundo etiam habet ex seipsa quod est intus cava, exterius nitens et plana, et est fragilis in seipsa, et significat hypocrisim quæ extra pulchritudinem prætendit, et intus nihil habet: *habentes spe-*

*ciem quidem pietatis, virtutem autem ejus penitus abnegantes*<sup>1</sup>. Et hoc iterum non competit Joanni, de quo dicitur, Luc. i, 15: *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.* Isa. xxxvi, 6: *Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum: cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam.* Quia quando arundo frangitur, acutis angulis perforat innitentem, sicut hypocritæ omnibus innitentibus in adversitate fracti manus vulnerant. Arundo etiam agitabilis est omni vento, et sic significat inconstantes. III Reg. xiv, 15: *Percutiet Dominus Deus Israel, sicut moveri solet arundo in aqua, et evellet Israel de terra bona.* Hoc iterum Joanni non competit, qui ut dicit Gregorius, « *elegit magis solide subsistere in se, quam humana opinione elevari supra se.* » Et ideo arundo levis (quæ in infantia et juventute confiteretur veritatem, et modo in carcere negaret veritatem) non fuit.

Arundo etiam est infructuosa, et sic combustioni de facili apta. Sapient. iii, 7: *Tamquam scintillæ in arundineto discurrunt.* Sancti enim judicando cum Domino, peccatores inutiles incendent. Sic autem non fuit Joannes, Luc. i, 16: *Multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum.* Item, ibidem, v. 17: *Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ... parare Domino plebem perfectam.*

Non ergo fuit arundo. Talis enim aspectus tam multos et graves et honestos viros de propriis ad deserta, per longa terrarum spatia, non evocasset. Et ideo subauditur: Non.

« Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt et deliciis, in domibus regum sunt. »

<sup>1</sup> II ad Timoth. iii, 5.

Secundum est quod removet, iterans. quæstionem : « *Sed*, » adhuc dicite, « *quid videre*, » quid videndum, « *existis*, » vestra relinquentes et in desertum properantes? Oportet enim eum qui divina contemplari desiderat ut sua relinquat. Cantic. III, 11 : *Egredimini, et videte, filix Sion, regem Salomonem.* Oportet etiam quod in desertum solitudinis profunde penetret qui Joannem, hoc est, gratiam invenire desiderat. Exod. III, 3, in interioribus deserti dixit Moyses : *Vadam, et videbo visionem hanc magnam.*

« Hominem mollibus vestimentis indutum ? »

Removet id quod contrarium est austeritati. Mollibus enim vestiti non quæruntur in deserto, sed in palatio : sicut statim subinfert. Mollibus autem vestiri est intelligendum quod in omni sensu molle sit : ad videndum quidem propter colorem : ad olfaciendum propter meretricia aromata, quæ vestibus pretiosis involvuntur : et ad tactum propter molliem corporis resolutam. Unde, Matth. III, 4 : *Habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos.* Ad Hebr. XI, 37 et 38 : *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* IV Reg. I, 7 et 8 : *Cujus figuræ et habitus est vir ille qui occurrit vobis, et locutus est verba hæc? At illi dixerunt : Vir pilosus, et zona pellicea accinctus renibus. Qui ait : Elias Thesbites est.* Sicut enim Joannes prævit ante Christum in spiritu et virtute Eliæ <sup>1</sup>, ita etiam prævit in habitu Eliæ non mollibus vestitus. Eccli. XI, 4 : *In vestitu ne glorieris umquam.* I Petr. III, 3 : *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.* Unde de epulone divite, Luc. XVI, 19, dicitur,

<sup>1</sup> Luc. I, 17.

quod *induebatur purpura et bysso* : bysso propter molliem, et purpura propter splendorem. Ad tales igitur videndos non existis. Quia

« Ecce qui in veste pretiosa sunt. »

Sophon. I, 8 : *Visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrina.*

« *Et deliciis*, » resoluti. Jerem. XXXI, 22 : *Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga?*

Tales enim non quæruntur in deserto, sed in civitatibus. « *In domibus regum sunt*, » et magnatum. Et horum consilium secutus Roboam scidit regnum et Dei meruit indignationem <sup>2</sup>.

Mollibus etiam metaphorice vestiuntur et ornantur adulatores : qui, sicut dicitur, Ezechiel. XIII, 18 : *Consuunt pulvillos sub omni cubito manus.* Et hoc ad litteram est opus adulatorum, semper pulvillos post magnates portare, et brachiis eorum et capitibus et natibus supponere. Et hi etiam in domibus regum sunt : quia reges et magnates fere omnes sunt Sardanapalitæ, et non habent in gratia nisi tales. Joannes autem nihil tale prætendit, qui sic incepit, Luc. III, 7 : *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira?*

« Sed quid existis videre? Prophetam? Utique dico vobis, et plus quam Prophetam. »

Hic est de quo scriptum est : Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. »

Remotis vituperabilibus quæ possent existimari de Joanne, ipsum ostendit esse commendabilem de veritate, propter quam etiam fuit in carcere : quia veri-

<sup>2</sup> Cf. III Reg. XII, 14 et seq.

26

27

tatem prophetalem numquam deserere voluit.

Dicit autem duo : quæstionem et responsionem.

Quæstionem sic format : « *Sed,* » adhuc dicite, « *quid existis,* » extra vos, extra vestra, extra omnia vobis nota, « *videre,* » hoc est, ad videndum ? Baruch, iv, 36 : *Circumspice Jerusalem ad orientem, et vide jucunditatem a Deo tibi venientem.* Respondet :

« Prophetam ? »

Quasi dicat : Sic. Tamen dicit Joannes de se, Joan. i, 21 : Non sum Propheta <sup>1</sup>. Sed Propheta dicitur dupliciter : stricte, et large. Strictissime Propheta dicitur habens inspirationem divinam, et ad enuntiandum de Verbo et sacramentis ejus in lege promissis, ut consolentur exspectantes. Et sic non fuerunt Prophetæ nisi in Veteri Testamento : sicut, Eccli. xxxvi, 18, dicitur : *Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur.* Alio modo dicitur Propheta large quilibet habens inspirationem de futuris quibuscumque. Sic Prophetæ etiam fuerunt et sunt adhuc in Novo Testamento : quia multa futura et vera prædicunt. Primo modo dicitur, Matth. xi, 13 : *Prophetæ et lex usque ad Joannem.* Secundo modo dicitur, Luc. i, 76 : *Tu, puer, propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.*

Confirmat autem istam responsionem Christus :

« Utique dico vobis, et plus quam prophetam, »

Quia in matris utero gestiens ostendit et facto et verbo et digito præsentem Redemptorem, et sacramenta ejus demon-

stravit : et sic plus est quam Propheta, quia Evangelistæ in demonstrando officium habuit. Isa. xli, 27 : *Primus ad Sion dicet : Ecce adsunt, et Jerusalem evangelistam dabo.* Propinquum enim regnum cælorum pœnitentibus esse prædicavit, quod alii non potuerunt facere.

« Hic est de quo scriptum est. »

Confirmat per Scripturam Malachiæ, iii, 1.

Et loquitur Pater ad Filium : « *Ecce mitto,* » in quo notatur Joannis auctoritas ex mittente eum in legationem, « *Angelum,* » in quo notatur cœlibatus et sanctitas. Malach. ii, 7 : *Angelus Domini exercituum est.*

« *Meum,* » quem ego sanctifico, et cui nomen impono, et quem a sterili utero ex sene patre ad hoc voco. Isa. xlix, 1 : *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.*

« *Ante faciem tuam,* » hoc est, ante manifestationem tuam per quam tu manifestaberis. Joan. i, 31 : *Ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.*

« *Qui præparabit viam tuam,* » hoc est, viam qua ad te itur, et qua tu vadis ad corda fidelium, « *ante te.* » Isa. xl, 3 : *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Psal. xvi, 5 : *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Sed quia multa de his verbis in præmissis dicta sunt, ideo hic transeamus <sup>2</sup>.

« Dico enim vobis : Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est. Qui autem minor est in regno Dei, major est illo. »

<sup>1</sup> Joan. i, 21 : *Propheta es tu ? Et respondit : Non.*

<sup>2</sup> Cf. Enarrationes in Matthæum, xi, 10.

Tom. XX hujusce novæ editionis. Cf. etiam et præcipue Enarrationes in Marcum, i, 2. Tom. XXI.



Hic sub comparatione loquitur de Joanne Baptista.

Et facit duplicem comparationem : unam quidem, in sanctitate et merito : aliam autem, in potestate et officio.

De comparatione sanctitatis et meriti dicit : « *Dico enim vobis,* » ore veritatis quod non mentitur. Numer. xxiii, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur.*

« Inter natos mulierum. »

Mulier molliens et emollita hic vocatur quæ virum passa est, et emollitionem sustinuit concupiscentiæ. Nec dicit : Inter natos, honorem deferens matri quæ in merito et sanctitate omnem excellit creaturam.

« *Propheta,* » large, et stricte sumendo prophetam. Sapient. vii, 27 : *Spiritus sapientiæ per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit.*

« *Major,* » sanctitate et merito et dignitate inspirationis et enuntiationis propheticæ. Sanctitate quidem, quia *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ*<sup>1</sup>. Merito, quia ne levi saltem maculare vitam fame posset, ideo antra deserti teneris sub annis petiit<sup>2</sup> : victu parcus, habitu austerus, verbo ædificationis deditus, contemplatione altissimus.

De primo horum, Luc. i, 80 : *Erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel.* De victu, Matth. iii, 4 : *Esca ejus erat locustæ et mel silvestre.* De habitu, ibidem, *Vestimentum ejus de pilis camelorum, et zona pellicea circa lumbos suos.* De verbo prædicationis, Joan. i, 23 : *Ego vox clamantis in deserto.* De contemplatione, Luc. iii, 2 : *Factum est*

*verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto.* Verba audivit, spiritum vidit, altissimas habuit illuminationes : sicut patet, Joan. i, 19 et seq., et Luc. iii, 1-18, et Matth. iii, 1-14. Et dignitatem habuit inspirationis, Luc. i, 15 : necdum enim separatus a visceribus matris, cognovit vocem matris, et Spiritum Filii, et virtutem in voce matris Dei. Dignissimam etiam habuit enuntiationem, quia gestu indicavit parentibus, et digito Agnum Dei demonstravit. Et ideo Augustinus, contra Felicianum arguit : « Si major inter natos mulierum « Joanne nemo est : omnis autem homo, « præter Christum Deum, natus mulieris « est : igitur præter Deum major Joanne « nemo est. »

« Qui autem minor est in regno Dei, major est illo. »

Hic facit comparationem de potestate accepta in ministerio. Dicitur autem hic *regnum Dei, seu regnum cælorum*<sup>3</sup>, ut dicitur, Matth. xi, 11, completa potestas ad regnum cælorum, ordinans in præceptis, et legibus, et officiis, et sacramentis : ordinata ad unum qui Rex est in hoc regno. Talis enim potestas est omne regnum. Et secundum hoc in regno cælorum sunt ministri, qui potestatem in ordine præceptorum et legum et sacramentorum secundum officiorum gradus acceperunt, secundum quod dictum est capiti, Matth. xvi, 19 : *Tibi dabo claves regni cælorum.* Et secundum hoc omnis qui est in regno cælorum, per officium suum confert gratiam qua aperitur regnum cælorum : vel per officium suum ligat ne aperiatur regnum cælorum. Tale autem aliquid Joannes suo ministerio numquam

<sup>1</sup> Luc. i, 15.

<sup>2</sup> Antra deserti teneris sub annis Civium turmas fugiens, petisti, Ne levi posses maculare vitam Crimine linguæ.

In festo S. Joannis Baptistæ. Hymnus ad matutinum, Stroph. I.

<sup>3</sup> Cf. Enarrationes in Matthæum, xi, 11. Tom. XX hujusce editionis novæ.

contulit : et ideo in regno cœlorum minister non fuit.

Et ideo qui est minimus *in regno Dei*, seu in regno cœlorum major est Joanne, secundum hujus potestatis comparationem : quia si Joannes via est ad regnum cœlorum, hoc modo dictum, Joannes nihil est in ordine regni cœlorum. Et ideo dixit, Joan. III, 30. *Illum oportet crescere, me autem minui*. Et ideo etiam nullum signum fecit : sicut illi qui gratias habent sanitarum in regno cœlorum. Iste est igitur intellectus litteræ secundum veritatem.

Quædam tamen Glossarum expositiones dicere videntur, quod *regnum Dei*, seu regnum cœlorum dicitur regnum beatorum, qui in limbo liberationem Christi spe felici exspectaverunt : quorum minor quantum ad securitatem, major fuit Joanne adhuc vivo et dubiam viam agentis. Sed hæc non est expositio litteralis. Prior autem litteralis est. Et secundum hoc malus etiam sacerdos qui toleratur in ministerio Ecclesiæ, major est Joanne. Talis enim magnitudo potestatis ecclesiasticæ non competebat ei qui nullum habuit officium ecclesiasticum, sed mediatoris et præcursoris et viæ et præambuli ad hæc acceperat potestatem. Hoc est ergo quod dicit Isaias, LXI, 6 : *Vos sacerdotes Domini vocabimini : Ministri Dei nostri, dicetur vobis*. I Petr. II, 9 : *Regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis : ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*. Nec potest esse de populo acquisitionis qui non habet conferre gratiam populum acquirentem.

Sic ergo Joannes minor est minimo in regno cœlorum, et major est maximo inter natos mulierum in eodem.

29 « Et omnis populus audiens et publicani, justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis.

30 Pharisei autem et Legisperiti con-

silium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo. »

Hic incipit pars tertia illius partis, in qua ponitur reprehensio non suscipientium testimonium Joannis, et commendatio paucorum suscipientium ipsum. Et ideo secundum ita duo dividitur in partes duas.

Prima harum (quæ est de reprehensione non suscipientium) habet partes duas : in quarum prima ponitur reprehensionis causa. In secunda autem, sub metaphora ponitur reprehensio valde congrua.

In prima harum dicit, quod generaliter « *omnis populus* » simplex et idiota solo ductu rationis, « *audiens* » Joannem : et quod minus videbatur, « *publicani*, » quia publico quæstu et actibus magis retrahi videbantur audientes eum, « *justificaverunt Deum*, » hoc est, justum et veracem ostenderunt in sermonibus suis : qui, sicut Joannes prædicabat, spem promisit pœnitentibus et confitentibus peccata sua. Psal. L, 6 : *Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris*. Et ideo dederunt veritati et justitiæ Dei gloriam : et confitebantur peccata sua Joanni, pœnitentiam ad consilium ejus recipientes. Josue, VII, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris*.

« *Baptizati baptismo Joannis*, » qui nihil conferebat nisi ad baptismum Christi introductionem et assuefactionem : sicut in præhabitis est expositum.

« Pharisei autem, etc. »

Ecce secundum istius primæ partis : quia cum idiotæ et publicani sic quærent pœnitentiam secundum consilium Dei qui miserat Joannem, « *Pharisei*, » præsumentes de sua justitia, « *et Legisperiti*, » sive Scribæ præsumentes de falsi nominis scientia (I ad Corinth. VII, 1 : *Scientia inflat*), « *consilium Dei*, » quod fuit in Joanne quod duceret ad

Christum, « spreverunt. » Psal. LXI, 5 : *Consilium meum cogitaverunt repellere*<sup>1</sup>. Proverb. I, 25 : *Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.*

« *In semetipsos,* » hoc est, contra semetipsos. Similis modus loquendi est, Daniel. XIII, 59 : *Recte mentitus es et tu in caput tuum,* hoc est, contra caput tuum.

Vel, « *In semetipsos,* » hoc est, quod datum fuit directum « *in semetipsos* » ad utilitatem eorum. Psal. XVII, 46 : *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis,* hoc est, consiliis ad utilitatem eorum datis.

Et tangit hic tertium in quo, dicens :

« Non baptizati ab eo, »

Ad quod tamen ab ipso vocati fuerunt. Proverb. I, 24 et 26 : *Quia vocavi, et re-nuistis : extendi manum meam, et non fuit qui adspiceret : ... ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsamnabo cum vobis id quod timebatis advenerit.* Matth. XXI, 31 : *Publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei.*

31

« Ait autem Dominus : Cui ergo similes dicam homines generationis huius ? et cui similes sunt ? »

Hic ponitur sub metaphora reprehensio.

Et sunt tres paragraphi. Primus duas quæstiones continet assimilationis. Secundus continet assimilationem. Tertius autem assimilationis explanationem.

Primus qui continet quæstiones duas, habet quæstiones secundum duos modos assimilandi qui fieri consueverunt. Unus est quando assimilatio est in dicto, et non in re : sicut est assimilatio parabolarum fictarum : sicut poetæ aliquando fin-

xerunt ad utilitatem instructionis hominum. Alius est quando assimilatio sumitur ad rem quæ est vel fuit in natura.

Attende autem, quod tanta fuit malitia istorum et tot modis variata, quod ad nihil unum assimilari potuit, sive illud esset res ficta vel vera. Unde etiam illi qui ponebant fabulosæ transcorporationes animarum, quando homo in multis malitiis fuit, ponebant eum in multicorporum aliquid transcorporari, sicut in aliquid compositum ex porco et cane et lupo : ut esset porcus ratione immunditiæ, canis propter iram, et leo propter rapacitatem, et lupus propter insidias. Bonum enim est ex una sola et tota causa, malum autem omnifariam. Et ideo etiam malum cum nullo uno habet similitudinem. Bonum autem omne respicit ad unum. Istam ergo difficultatem assimilationis malorum videns Christus, dicit :

« *Cui ergo,* » ex quo tot modis deviant, « *similes dicam,* » fingendo parabolam quæ non sit nisi in dicto, « *homines,* » ab humano tamen cor mutantes? Daniel. IV, 13 : *Cor ejus ab humano commuletur, et cor feræ detur ei.* Si enim homines ab humano non mutarentur, tunc uni assimilari possent. Et hoc non esset difficile invenire. Nunc autem quia ab humano mutantur, in tot generavitiorum degenerant, quod etiam arti fingendi est difficile. Sed oportet quod multicorporibus assimilentur. Non enim conveniunt nisi in boni et humani negatione : aliquando jumentis assimilati, Psal. XLVIII, 13 : *Comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Aliquando secundum aliud vitium comparabiles sunt cani, Isa. LVI, 11 : *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem.* Aliquando porco, II Petr. II, 22 : *Canis reversus ad suum vomitum : et, Sus lota in volutabro luti.* Aliquando pisci et vermi, Habacuc, I, 14 : *Facies homines quasi pisces maris, et quasi rep-*

<sup>1</sup> Vulgata habet, Psal. LXI, 5 : *Pretium meum cogitaverunt repellere.*

*tile non habens principem.* Aliquando leoni, Eccli. xiii, 23 : *Venatio leonis onager in eremo : sic et pascua divitum sunt pauperes.* Et sic diversis comparati, etiamsi fingere liceat, vix possunt assimilari.

Sic ergo fingendo parabolam, « *Cui dicam similes?* » Quasi dicat : Sine exemplo sunt in malitia. « *Homines generationis hujus.* » Deuter. xxxii, 20 : *Generatio perversa est, et infideles filii.* Marc. ix, 18 : *O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar?* Et ideo ut caveatur ab imitatione generationis hujus, dicit Psalmus lxxvii, 8 : *Ne fiant sicut patres eorum, generatio prava et exasperans.* Luc. iii, 7 : *Genimina viperarum.*

« *Et cui similes sunt?* » Quasi dicat : In figmentis parabolarum non invenitur cui assimilentur. Et sic malitia eorum excedit assimilationem artis : et in naturis nihil est cui similes sint. Et ideo modum naturæ excedit eorum iniqua et turpis deformitas. Sicut enim in bono dicitur de Abraham quod non est inventus similis illi qui conservaret legem Excelsi<sup>1</sup>, ita de istis dicitur, quod non est inventus similis illis, qui sic propter suas traditiones irritum facerent mandatum Dei<sup>2</sup>.

32

« Similes sunt pueris sedentibus in foro, et loquentibus ad invicem, et dicentibus : Cantavimus vobis tibiis, et non saltastis : lamentavimus, et non plorastis. »

Ecce hic ponitur assimilatio quæ est in negatione tantum et in habitudine ad verbum Dei. Comparatur enim hic factum facto, et non res rei.

Dicit ergo in solo hoc quod rebelles sunt verbo Dei, et Spiritui sancto resistunt : « *Similes sunt pueris,* » hoc est, facto malorum puerorum, et conformita-

tem et societatem bonam puerilem violentantium.

Attende enim, quod sunt boni pueri, et sunt mali pueri. Boni pueri a puritate innocentiae dicti, mundi, simplices, ludis liberalibus se invicem ad virtutem et civilitatem provocantes. De puritate puerorum, Isa. viii, 18 : *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus.* De munditia, Matth. xix, 14 : *Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire : talium est enim regnum cælorum.* De simplicitate, I ad Corinth. xiv, 20 : *Malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote.* De ludo liberali rationabili, ad virtutem et civilitatem provocante, I Petr. ii, 2 : *Sicut modo geniti infantes, rationale, sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.* Rationabiles sunt, quia actus suos ad rationem referunt. Lac concupiscunt, in quo crescunt, quando studia ludorum convertunt ad virtutis civilitatem. Isti ergo pueri ad hæc puerilia sunt a Patriarchis informati, a Prophetis edocti, a Sanctis exercitati, a Joanne confortati, et a Christo perfecti. Et ideo sunt omnium enumeratorum figura. Matth. xviii, 3 : *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.*

Sunt mali pueri, impuri macula concupiscentiæ, immundi libidine, versuti dolo fraudulentiae, in pessimis ludis et nocivis usitati. De primo horum, Ezechiel. xvi, 4 : *Non est præcisus umbilicus tuus, per quem ad matrem (concupiscentiam) adhuc dependes.* De secundo, Proverb. vii, 22 : *Sequitur vagam mulierem, quasi bos ductus ad victimam,* hoc est, libidinem. De tertio, I ad Corinth. xiv, 20 : *Nolite pueri effici sensibus.* De quarto, hoc est, de exercitiis malis, II Machab. iv, 14 et 15 : *Festinabant participes fieri palæstræ, et præbitionis ejus injustæ, et in exercitiis disci. Et patris quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur.*

<sup>1</sup> Eccli. xlii, 20.

<sup>2</sup> Cf. Matth. xv, 6.

Et facti illorum similes sunt Pharisæi et Legisperiti. Et sic legenda est littera.

« Similes sunt, »

Per negationem, « *pueris*, » hoc est, factis bonorum puerorum qui propter dictas proprietates *pueri* vocantur, « *sedentibus*, » hoc est, quiescentibus. Et in hoc commendatur puer qui ætatem vincens, sedet in studiis honestorum ludorum et disciplinalium. Aristoteles in VII *Physicorum* : In sedendo et quiescendo fit anima sciens et prudens. »

« *In foro*. » Tripliciter dicitur *forum* : a iudicio, a venalium rerum exhibitione, et theatrum. Locus iudicii, primo dictus est *forum* : et erat locus ubi iudices semper inveniebantur, et ubi leges ex responsis sapientum dictabantur. Locus autem sic dictus est a quodam Foroneo, qui sic locum appellavit, et curias tales ad justitiam faciendam ordinavit. Postmodum autem ab usu loci, quia ibi solebant confluere multi, locus ille venalium rerum esse cœpit. Et ideo ubi res venales exhibentur, ibi *forum* vocatum est. Quia vero etiam qui spectacula ludorum exhibent, multitudines hominum adspicientium quærunt, theatrum etiam *forum* est appellatum. Dicitur autem *theatrum* a  $\theta\acute{\epsilon}\alpha\tau\omicron\mu\alpha\iota\text{-}\acute{\omega}\mu\alpha\iota$ , quod est *video, vides* : quia ibi spectacula exhibebantur.

Adhuc autem attende, quod est ludus liberalis a sapientibus inventus et institutus : et est ludus utilis, tamen mechanicus, et hic ab artificibus propter commoditatem civium inventus et institutus : et ludus turpis et nocivus, et hic (ut dicunt Aristoteles et Plato) a civitate est exterminandus. Ludus liberalis est in quo præter ludum nihil aliud volumus : quia ipse ludus animum liberum et virtuosum reddit, et provocat ad virtutem et cordis lenitatem et mansuetudinem : sicut musicorum, et cantuum ludus, et organorum, et huiusmodi. Ludus autem mechanicus est quem propter aliud volumus : sicut est equestris ludus, quem volumus

propter militiam : militiam autem propter patriæ defensionem. Ludus autem obscœnus et turpis est ludus scenicorum, qui nudi discurrunt, turpia tecta denudant, et ad turpia provocant : et ludus taxillorum qui nocivus est.

Attende autem, quod cantus facientes primitus Pythagorici tria intendebant. Aut enim congaudere volebant gaudentibus : et ideo faciebant epithalamia cantica, et celeumata, et huiusmodi. Aut convivere moribus et civilitate : et ideo cantica de moribus faciebant, virtutes laudantes, et vitia vituperantes. Aut collamentari volebant tristibus : et ideo faciebant lamentabilia cantica, ut construerent ea quæ dicit Apostolus, ad Roman. XII, 15 et 16 : *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus : idipsum invicem sentientes*.

Et in his ludis boni pueri secundum statuta patrum sedebant, in bono studio quiescentes, et se invicem exercentes in spectaculis hominum in foro. Mali autem pueri ad omnia hæc tria erant discoli, et ideo non restabat illis nisi communis omnium maledictio, et de civitate exterminatio. Et ideo dicitur, Ezechiel. II, 9, quod vidit librum *qui erat scriptus intus et foris, et scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen*, scilicet quoad bonos : *et væ*, quoad malos.

Et hoc est quod intendit de pueris bonis sedentibus in foro.

« Et loquentibus, »

Per figuram ipsorum carminum, « *ad invicem*, » hoc est, ad collactaneos et coætaneos malos : volentes eos ad honesta provocare.

« *Et dicentibus* » ipsa figura carminis : « *Cantavimus vobis* » cantica quibus ad gaudendum cum gaudentibus de spe promissionis æternæ, provocavimus. Psal. CXXI, 1 : *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : In domum Domini ibimus*. Psal. LXXX, 2 : *Exsultate Deo adjutori*

*nostro*. Isa. v, 1 : *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ.*

« *Et non saltastis,* » hoc est, concentu et motu cordis et corporis ad cantus nostros non concordastis : sed discoli a nobis fuistis. Saltus enim hic vocatur tripudium. Tripudium autem secundum Pythagoram vocatur ludus, quo artificialiter decenti motu corporis et membrorum, modulatio musicorum repræsentatur. Unde Augustinus dicit, quod « intelligitur de saltu cordium potius quam histrionicis motibus corporum. » II Reg. iv, 14 et 22, David saltabat ante arcam cum deferretur, cantans in musicis, et dicens : *Et ludam, et vilior fiam plus quam factus sum,* scilicet ante Dominum qui elegit me.

« *Lamentavimus vobis,* » hoc est, cantica lamentorum cecinimus, ut vos ad compassionem miserorum et tristitiam pœnitentium provocaremus. Thren. i, 2 : *Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus.* Et ad litteram *Threni,* hoc est, lamentationes canticum lugubre fuerunt.

« *Et non plorastis,* » per consonantiam ut fleretis cum flentibus. Et sic semper vos discoli estis : et ideo, *Væ vobis.* Sed potius de tristitiis aliorum vobis gaudium fecistis. Abdiæ, x. 10 : *Propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob, operiet te confusio, et peribis in æternum.*

**33** « Venit enim Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, et dicitis : *Dæmonium habet.*

**31** Venit Filius hominis manducans, et bibens, et dicitis : Ecce homo devorator, et bibens vinum, amicus publicanorum et peccatorum.

**35** Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis. »

Hic explanat assimilationem.

« *Venit Joannes.* » Non sequitur ordinem enumerationis ludorum, sed ordi-

nem temporis. « *Venit enim Joannes* » Baptista, cujus tota vita et vox lamentum fuit et terror : dicens, Luc. iii, 9 : *Jam securis ad radicem arborum posita est.*

« *Neque manducans panem,* » desiderabilem et delectabilem. Daniel. x, 3 : *Panem desiderabilem non comedi... trium hebdomadarum diebus.* Matth. iii, 4 : *Esca ejus erat locustæ, et mel silvestre.*

« *Neque bibens vinum* » in jucunditate. Luc. i, 15 : *Vinum et siceram non bibet.*

Et hoc fecit in signum lamentationis.

« *Et dicitis,* » discoli vocibus lamenti Joannis quod ore et opere deprompsit : « *Dæmonium habet.* » Hoc tamen expresse non leguntur dixisse, sed per circumlocutionem. Joan. i, 25 : *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta ?* Quasi dicant : Si tu non es Christus qui est fons gratiæ, neque Elias qui est figura gratiæ et Christi, neque Propheta qui est præco gratiæ : ut quid ergo de purificatione te intromittis, nullam in te habens virtutem purificationis ? Et hoc dicebant in conspectu populi Domini, volentes populum provocare contra Joannem, ut fatuus et insanus reputaretur. Et sic per æquipollens dicebant, quod Joannes dæmonium haberet.

« Venit Filius hominis, »

Hoc est, Christus filius Virginis, « *manducans, et bibens,* » societati hominum morem exhibens in comedendo et bibendo. I ad Corinth. ix, 22 : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.*

« *Et dicitis* » contra, irridentes : « *Ecce homo devorator.* » Aviditatem sonat qui pro ventre insanit. « *Et bibens vinum.* » Amos, vi, 6 : *Bibentes vinum in phialis.* Et parum ante, x. 4 : *Comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti.*

Hæc autem quidam inducunt in suæ excusationem edacitatis : volentes assi-

gnare pro religione quia comedant et bibant quæ sunt apud illos <sup>1</sup>. Et quotidie comedunt pingua ad magnas buccas, et bibunt mulsum ad magnum ventrem. Et in hoc ex sorditie habitus volunt esse religiosi, de quibus dicitur, ad Philip. III, 18 et 19: *Multi ambulaut, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi: quorum finis interitus, quorum Deus venter est: et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Ad Roman. XVI, 18: *Hujusmodi Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri: et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium.* Christus autem et Apostoli non sic: sed adeo esurientes incedebant, quod oportuit spicas confricare <sup>2</sup>. Adeo raro hoc factum est, quod non invenitur ultra tres vices factum: nobis autem est quotidianum. Et si aliquando non fit, vituperamus hospitem. Excusamus etiam, quod hoc facimus ut simus grati hominibus, voluptatem nostram sub pallio tali procurantes. Ad Titum, 1, 12: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* Christus autem hoc non fecit. Eccle. X, 17: *Beata terra cujus rex nobilis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, et non ad luxuriam.*

« *Amicus publicanorum et peccatorum.* » Non in quantum hujusmodi sunt, sed in quantum per familiaritatem trahuntur ad pœnitentiam. Matth. IX, 12: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.*

Sic ergo terminata est pars de reprehensione eorum qui Joannis testimonium non receperunt.

« Et justificata est sapientia, etc. »

Ecce commendatio paucorum qui Joannis testimonium receperunt.

Dicit ergo: « *Et sapientia,* » quæ omnia sapienter et cum moderamine disponit. Sapient. VIII, 1: *Attingit ergo a fine*

*usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Sapientia quæ Joannem misit, quæ peccatoribus benigne utitur ut convertantur, de qua clamat Apostolus, ad Roman. XI, 33: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!*

« *Justificata est,* » hoc est, justa et æqua esse probata est, « *ab omnibus filiis suis,* » qui forma sapientiæ in filios sapientiæ formati sunt: de quibus dicitur, Joan. 1, 12: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Eccle. IV, 12: *Sapientia filiis suis vitam inspirat, et suscipit inquirentes se, et præbit in via justitiæ.* Et ideo cum publicani et peccatores exquirant eam, illos suscipit, et præit ut sapientes efficiat.

Sic ergo terminatur pars de terminatione ejus qui promissus est in lege, et qui habet ordinare gradus Ecclesiæ.

« Rogabat autem illum quidam de Pharisæis ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit. »

Hic incipit pars illa quæ est de ostensione potestatis in spiritualibus, ut perfecte probetur esse caput charismatum omnium quæ fluunt in omnem universitatem membrorum.

Hæc autem historia in tres dividitur partes: in quarum prima peccatricis ad accedendum ad Christum ostenditur oportunitas. In secunda, notatur ejusdem accessus. Et in tertia, de hoc murmurantis repressio.

In primo autem tria sunt, scilicet, modus invitationis, dignitas hospitis invitantis, et abundantia et commodum exhibitionis.

Modus autem invitationis est quod « *Rogabat illum.* » Sunt enim peregrini,

<sup>1</sup> Luc. X, 7.

<sup>2</sup> Cf. Luc. VI, 4.

maxime Dei verbum annuntiantes, vocandi, adducendi, rogandi, attrahendi, et cogendi.

Vocandi, Luc. xiv, 16 et 17 : *Vocavit multos et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent.*

Adducendi, Genes. xliii, 16 : *Introduc viros domum, ... quoniam mecum sunt comesturi meridie.*

Adducendi, Tob. ii, 2 : *Vade, et adduc aliquos de tribu nostra, timentes Deum, ut epulentur nobiscum.*

De tractu autem per adjurationes et violentas preces, Genes. xviii, 3 et seq. : *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum : sed afferam paucillum aquæ, et lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore : ponamque buccellam panis, et confortate cor vestrum : postea transibitis.* Talia enim verba trahentia dicenda sunt peregrinis, ut sciatur quod ex corde procedat invitatio.

Sunt etiam cogendi, Luc. xxiv, 29 : *Coegerunt illum, dicentes : Mane nobiscum, quoniam advesperascit.* Hoc autem ideo faciendum est quia hospitalitas est una de operibus misericordiæ. Et Deus ostendit illam acceptare per hoc quod illi qui sæpe receperunt peregrinos, tandem receperunt Angelos in specie peregrinorum. Ad Hebr. xiii, 2 : *Hospitalitatem nolite oblivisci : per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.*

« Quidam de Pharisæis. »

Ecce dignitas invitantis. Particulari enim signo segregatur iste ab aliis. *Pharisæi* nomine commendatur a specie religionis. Luc. xxiii, 51 : *Hic non consenserat consilio et actibus eorum* : sicut nec Nicodemus, nec Gamaliel, et alii quamplures Pharisæi. De religione autem dicitur, Act. xxvi, 5 : *Secundum certissimam sectam nostræ religionis, vixi Pharisæus.*

« Ut manducaret. »

Ecce tangitur hic præparationis exhibitio in tribus : in reparante intrinsecus in cibo, in defendente ab impugnatione aeris extrinsecus in receptione domus, in commodo præparato lassato ex itinere in stramento molli commodius in discubitu.

Duo autem in primo notantur : præparatio ciborum, et societas, in qua etiam subintelligitur solemnitas.

De primo dicit : « *Ut manducaret,* » ad reparationem desperditi ex fame. Cantic. v. 1 : *Comedite, amici, et bibite, charissimi.* Isa. xxiii, 18 : *Non condentur, neque reponentur mercedes ejus : quia his qui habitaverint coram Domino (Glossa, veris pauperibus) erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem.*

In domo autem illa non est invitatus tantum ad comedendum : sed adjungitur societas, et intelligitur solemnitas hospitalitatis per hoc quod dicit : « *cum illo.* » Quidam autem ad ostia dant pauperibus vel mittunt, et benefaciunt. Quidam intra domos recipiunt procurandos, et melius faciunt. Quidam secum in societate et solemnitate et gaudio comesturos, et optime faciunt. De primo, Nehemiæ seu II Esdræ, viii, 10 : *Mittite partes his qui non præparaverunt sibi.* De secundo, Job, xxxi, 32 : *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* De tertio, Genes. xliii, 16 : *Mecum sunt comesturi meridie.* Apocal. iii, 20 : *Ecce sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et apuruerit mihi januam, intra bo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Et hæc est magna gloria. Luc. xv, 32 : *Epulari et gaudere oportebat.*

« Et ingressus domum Pharisæi. »

Ecce secundum opus misericordiæ in receptione intra domum quæ defendit ab imbribus, et caumatibus, et universaliter impugnantibus ex aere extrinsecus. Matth. xxv, 35 : *Hospes eram, et collegi-*



*stis me. Genes. XIX, 2 : Obsecro, Domini, declinate in domum pueri vestri, et manete ibi.*

« Discubuit. »

Ecce commoditatis (quæ lassus debetur in mollium substratione) præparatio. Discubitus enim est sessio a femore inferius cum appodiatione spinæ dorsi et laterum ad mollia reclinatoria. Fatigabatur enim Dominus et discipuli ex itinere : et ideo talia emolumenta eum recreabant. Luc. IX, 14 : *Facite illos, scilicet homines, discumbere per convivia.*

Sic ergo Jesu posito in discubitu, nata mulier opportunitatem ut posset eum comprehendere familiariter, quia peccatrici non expediebat immittere se turbis, mota fuit ad veniendum. Cantic. I, 11 : *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Nardus natura significat humilitatem, et calore significat charitatem : et hæc ambo fragrant bonum in naribus Domini.

Et hoc est quod sequitur :

**37** « Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix. »

Tanguntur autem ibi duo. Primum quidem est peccatricis apud Dominum exhibitio. Secundum autem ejusdem mulieris pietatis operatio.

Circa exhibitionem mulieris notantur quatuor, quorum tria in littera ponuntur, et quartum intelligitur. Primum est mulieris hujus ad præsentiam Domini exhibitio. Secundum sui peccati manifestatio. Tertium est divinæ cognitionis illuminatio. Quartum autem, quod subintelligitur, est adventus ipsius ad Dominum devotio.

De primo dicit :

« Et ecce mulier. »

Mulier dicitur molliens herum. Et sic

hæc præcipue mulier fuit, quæ multos emollivit, pelliciendo, hoc est, mollitie pellis provocando ad libidem et illiciendo. Et in hoc se Domino præsentavit, Proverb. VII, 10 : *Præparata ad capiendas animas.* II Petr. II, 14 : *Oculos habentes plenos adulterii, et incessabilis delicti. Pellicientes animas instabiles.* In tali enim nocumento vixerat, et in hoc se mulierem fuisse Domino demonstrabat. Et ideo, Eccle. VII, 27 : *Sagena cor ejus, vincula sunt manus illius.* Talibus enim multos enervaverat animos viriles. Et ideo remissionem petens, se nomine mulieris Domino ostendit.

Secundum autem (quod est peccati sui manifestatio) est in tribus : in peccati nocumento, in peccati actu, et in peccandi consuetudine et officio.

Peccati nocumentum importatur per hoc quod dicit :

« Quæ erat in civitate, »

Corruptio et lenocinium multis exhibitum : et ideo multis nocuit. Osee, VII, 4 : *Non quievit civitas a commistione fermenti, donec fermentaretur totum.* I ad Corinth. V, 6 : *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Osee, VII, 4 : *Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente.* Ista autem in civitate fuit succendens clibanum sicut fomes ignis, et tria habuit succendentia : pulchritudinem, ornatum (quia dives dicitur fuisse), et generis nobilitatem (quia legitur fuisse nobilis). Et ista tria significantur tribus quibus succendebatur fornax Babylonis, Daniel. III, 46 : *Naphtha, et stuppa, ... et malleolis.* Naphtha enim est bitumen, ignis fomentum, et significat pulchritudinem in qua convalescit ignis libidinis in fornace concupiscentiæ carnalis. Stuppa autem ex multis collecta, ornatus meretricii significat varietatem. Malleoli autem qui in fascibus sunt materia ignis ex sarmentis vitium, generis significant nobilitatem. Unde

etiam viris nobilibus aptantur <sup>1</sup>. Tale igitur nocumentum fuit vilis commercii et contubernii hujus mulieris. Et hoc sese Domino præsentando accusans in se demonstravit.

« Peccatrix. »

Actus autem peccati ostenditur per significatum nominis *peccatricis*.

Et consuetudo et officium importatur per modum significandi. Peccatum autem mulieris proprium, ut dicit Chrysostomus, est luxuria et fornicatio. II Machab. vi, 4 : *Templum luxuria et comestationibus gentium erat plenum, et scortantium cum meretricibus*. Templum, hoc est, corpus quod templum esse debebat. Eccli. ix, 9 et 10 : *Propter speciem mulieris multi perierunt : et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescet. Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via, scilicet ab omnibus prætereuntibus, conculcabitur*.

Consuetudo etiam importatur per modum significandi : quia consueta erat talibus. Proverb. vii, 10 et 11 : *Garrula et vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis*. Ezechiel. xxiii, 44 : *Ingrediebantur ad Ollam et Oolibam, mulieres nefarias*. Oolla interpretatur *tabernaculi inhabitatio*, Ooliba *tabernaculi altitudo* : quia tabernaculum contubernii ejus inhabitabant multi, et alto fastigio concupiscentiæ fixerat illud. Ezechiel. xvi, 31 : *Fabricasti lupanar tuum in capite omnis viæ, et excelsum tuum fecisti in omni platea*. Hæc autem habuit istud illi peccato dedita. Ezechiel. xvi, 25 : *Ad omne caput viæ ædificasti signum postitionis tuæ, et abominabilem fecisti decorem tuum, et divisisti pedes tuos omni transeunti, et multiplicasti fornicationes tuas*.

Quæritur autem hic, Quare talis mulier in civitate permittebatur? Deuter. xxiii, 17 : *Non erit meretrix de filiabus*

*Israel, nec scortator de filiis Israel*. Et dicendum ad hoc, quod (sicut dicit Aristoteles in *Politica*) coitum difficile est puniri ab ordinatore civitatum propter nimiam ejus delectationem : quia periculum esset sodomiæ vel mollitici. Et ideo talia lex quidem prohibet, sed in præsentia non punit, sed tolerat, ne pejus fiat. Et ideo etiam in Deuteronomio pœna non adjungitur. Exemplum autem hujus dat Augustinus, valde conveniens. Si quis enim palatium pulchrum ædificet, et in angulo ejus fœtorem cloacæ sustinere nolit : palatium totum fœtore implebit. Unde tolle cloacam de palatio, et aula fœtore efficitur inhabitabilis. Tolle meretricem de mundo, et sodomia totus efficitur reprobus. Sic ergo tolerabatur, et hac de causa. Talis ergo fuit, ut dictum est, Ad Roman. v, 20 : *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*.

Et hoc est quod sequitur :

« Ut cognovit quod accubisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti. »

Hic enim ponitur divinæ cognitionis circa mulierem istam illuminatio.

Et tanguntur quatuor : illuminatio sui, cognitio salutis Christi, accubitus expectantis Domini, familiaritas convenientis loci.

Illuminatio sui tangitur per hoc quod dicit : « *Ut*, » hoc est, postquam « *cognovit*, » hoc est, divinæ illuminationis notitiam accepit. Psal. xvii, 29 : *Deus meus, illumina tenebras meas*. Michææ, vii, 8 : *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est*. Hanc enim peccatricem Christus primo luce sua irradiavit : quia aliter ad ipsum non cucurrisset. Unde Gregorius : « Quia turpitudinis suæ maculas adspexit, lavanda ad fontem misericordiæ cucurrit. » Maculas autem suas non adspiceret, nisi jam in lumine cog-

<sup>1</sup> Judicum, ix, 13.

nitiois esset. Unde Dionysius dicit in epistola ad Titum : « Primum donum « quod datur homini ex respectu ad lucem, cognitio sui est. » Jerem. xxxi, 19 : *Egi pœnitentiam et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.* Proprietas enim hujus lucis est, quod turpia illustrat, et a turpibus non deturpatur. Joan. i, 9 : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt,*

Sic ergo luce divina respecta, « cognovit, » hoc est, recognovit salutem in salutis auctore.

Et hoc est quod dicit : « *Quod Jesus.* » Scivit quod dixerat Habacuc, iii, 18 : *Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo.* Ex hoc enim jam concepit spem salutis, dicens cum Manasse, in Oratione sua, ad finem : *Indignum salvabis me secundum magnam misericordiam tuam.* Scivit promissum Domini de muliere nefaria, Ezechiel, xvi, 6 : *Dixi tibi cum esses in sanguine tuo : Vive,* hoc est, cum esses in immunditia sanguinis fornicationum tuarum. Hac igitur spe concepta ex notitia nominis Salvatoris, amplius tracta fuit.

Cognovit etiam « *quod accubisset,* » quæ in via propter infamiam, nec sequi potuisset, nec decuisset. Moram autem facientem invenire præsumpsit, et accedere. Et idecirco, Cantic. i, 6, in persona sua Salomon dicit : *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam.* Ad litteram enim ibi ad pastum suorum plus quam suiipsius accubuerat in meridie : quia in meridie secundum naturam et usum temperatorum hominum tempus est refectionis : sicut probatum est in nostris Glossis super Matthæum <sup>1</sup>. Unde etiam Petrus in Actibus, ii, 15, excusat discipulos ab ebrietate : quia nondum venit hora edendi, cum tuuc esset hora diei tertia. Cantic. i, 11 : *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem*

*suum.* Ad litteram enim de spica nardi unguenta odorifera facere consuevit, quibus Domino cum accumberet obsequium unctionis impendit. Joan. xii, 3 : *Unguentum nardi pistici,* hoc est, fidelis et purissimi. In accubitu enim, lassæ ex iniquitate animæ Christum comprehendere possunt : quæ exultantem ad currendam viam suam comprehendere non possunt.

Accubitus autem est moraliter æquanimis et dulcis expectatio peccatorum ad pœnitentiam. Ad Roman. ii, 4 : *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ?* Isa. xxx, 18 : *Expectat Dominus ut misereatur vestri : et ideo exaltabitur parcens vobis : quia Deus judicii Dominus.* Hoc enim iudicium omnino jucundum est, quod iudicavit in domo expectare meretricem ad pœnitentiam, magis quam pasci corporaliter a Pharisæo. Et ideo exaltata est misericordia ejus : quia tantæ peccatrici pepercit misericors et miserator et justus Dominus.

Cognovit etiam quod « *in domo Pharisæi,* » scilicet Simonis, ubi erat accessus familiarior et quietior et major opportunitas obsequendi, quam in via publica, in qua frequentantium impediabat multitudo. Luc. xix, 9 : *Salus domui huic facta est, eo quod et ipse filius sit Abrahæ.* Domus tamen hæc spiritualiter significat conscientiam. Psal. xcii, 5 : *Domum tuam decet sanctitudo, Domine.* Et ideo peccatum in ipsa domo puniendum. Vagam enim, et quietis impatientem, et in plateis se exhibentem, ad custodiam domus coerceri conveniebat : ut secreta domus custodiret, quæ multis in plateis fuerat causa ruinæ. Unde de forti muliere legitur, Proverb. xxxi, 27 : *Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit.*

Quædam Glossæ allegorice exponentes dicunt, quod domus Simonis est Synagoga vel sacra Scriptura. Peccatrix au-

<sup>1</sup> Cf. etiam, Marc. ii, 13 et vi, 39.

tem Gentilitas quæ fornicata est cum idolis. Sed hoc facile est prosequi. Et ideo nos litterali simul et morali intendimus expositioni. Id autem quod supra est, intelligi ex his dicimus, quod omnibus prædictis tracta venit ad Dominum. Et (sicut dicit Gregorius) non jussa venit : tracta tamen vinculis charitatis Christi, et odore gratiæ ipsius, et spe salutis. Et ideo funiculus quo trahebatur, quasi tribus restibus complexus fuit : cognitione fidei, spe salutis, et amore eam ex bonitate sua expectantis. Eccle. iv, 12 : *Funiculus triplex difficile rumpitur*. Dum cognitio illuminat ad veritatem, spes trahit ad veniam, charitas autem ad misericordiam Dei accendit amorem. Osee, xi, 4 : *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*. Sic enim Adam tractus est et omnes alii peccatores. Odor igitur talis misericordiam exhibet omnibus peccatoribus, et nulli denegatæ traxit eam. Cantic. 1, 3 : *Trahe me : post te curremus in odorem unguentorum tuorum*.

Sic ergo tracta venit.

Officium autem devotionis statim exhibuit.

Hoc autem officium exhibitura duo fecit. Primo enim se idonee (ne indecenter rejiceretur) præparavit. Deinde officiosa omnem obsequii devotionem impendit.

Præparavit autem se in quinque. Impensas enim obsequii pretiosas et opportunas secum attulit. Per rectitudinem erecta et parata stetit. Ex verecundia retro se retraxit, et se ad sequendum Dominum aptavit. Quantum licuit, se Domino conjunxit. Locum sibi congruum quæsivit.

Primum horum notatur in hoc quod dicit :

« Attulit alabastrum unguenti. »

In quo tria notantur : sapientia ferentis, vas liquoris, et usus unctionis.

Sapientia enim ferentis mulieris in

hoc notatur, quod cum esset indigna, vacuis manibus non apparebat in conspectu Domini : attendens quod scriptum est, Exod. xxiii, 15 : *Non apparebis in conspectu meo vacuus*. Et cum esset vulneribus plena, impensas attulit unctionis. Et cum esset fœtida, aromata tulit quæ fœtorem restringerent. Cogitavit enim secum illud Michææ, vi, 6 : *Quid dignum offeram Domino ?* Psal. xxviii, 1 : *Afferte Domino, filii Dei*. Psal. l, 19 : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum, Deus, non despiciet*.

Attulit autem alabastrum. Ad litteram *alabastrum* hic vocatur vas alabastrinum, hoc est, de alabastrino marmore factum. Est autem firmum et perspicuum. Et quia pretiosa unguenta spirando evanescent, ideo frigiditate illius marmoris restringuntur et conservantur : sicut ab auctoribus medicinæ camphora præcipitur in psillio vel semine lini conservari propter eandem causam. Significat autem cor jam illuminatum, propter perspicuitatem, et luminis divini susceptibile : et solidum, propter lapidis naturam, et infrigidatum ab æstu libidinis, et conservationem Spiritus sancti unctionis.

De illuminatione autem et susceptione luminis cordis dicitur, II ad Corinth. iv, 6 : *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei*.

De soliditate autem dicitur, Exod. xxxiv, 1, quod scripsit legem in lapidibus, hoc est, in cordibus solidissimis, et tenaci memoria legem tenentibus.

De frigiditate autem quæ est castitas, dicitur, Cantic. ii, 2 : *Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias*. Quia liliū candore castitatem præterdit, spina vero puncturam tentationibus libidinum. Tale igitur est cor. Unde, Cantic. vii, 2 : *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis*. Acervus enim tritici est acervus sacri eloquii. Vallatio

autem liliorum est undique defendens castitatis munitio.

Unguenti autem usus est lenitio, impinguat, et odoris diffusio. Lenit enim, impinguat, et odores diffundit. Significat autem compunctionem quæ lenit dolorem peccatorum.

De lenitione, Eccli. xxxviii, 7 : *Un-  
guentarius faciet pigmenta suavitatis, et  
unctiones conficiet sanitatis.*

De impinguatione devotionis, Psal. lxii, 6 : *Sicut adipe et pinguedine re-  
pleatur anima mea.* Lenit ergo vulne-  
rum dolorem in conscientia, et impin-  
guat sancta devotione. Eccli. xxxviii,  
11 : *Impingua oblationem, et da locum  
medico.*

De odoris autem, hoc est, de virtutum  
fragrantia, ex quibus unguentum illud  
conficitur, dicitur, Job, xli, 22 : *Fer-  
vescere faciet quasi ollam profundum  
mare, et ponet quasi cum unguenta bul-  
liunt.* Profundum maris est profundi  
cordis amaritudines. Hoc fervet in ca-  
lore doloris et devotionis et charitatis,  
et spirat odorem virtutum : sicut quan-  
do bulliunt unguenta, spirantia diversa  
virtutum odora. Cantic. iv, 10 : *Odor unguentorum tuorum super omnia  
aromata.*

Dicunt autem quidam, quod hæc mu-  
lier unguentum illud sibi ob decorem  
paraverat. Et hoc non est probabile :  
quia unguenta mulierum talium sunt,  
aut ad restrictionem fœtoris, maxime in  
inguine, aut sub mammillis : aut sunt  
ad incitamenta libidinis, quæ duo non  
fuissent competentia. Sed probabile est,  
quod hoc Domino fecit fieri ad lassitu-  
dinis abstersionem. Et ideo etiam unxit  
sibi pedes qui in via fuerant lassati.

Sequitur :

38

« Et stans retro secus pedes ejus,  
lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et  
capillis capitis sui tergebat, et oscula-

batur pedes ejus, et unguento unge-  
bat. »

Ista est secunda præparatio ipsius : in  
quo notatur, quod per rectitudinem  
erecta et parata stetit.

« *Stans* » enim paratus est obsequi :  
et significat, quod qui obsequi debeat  
Domino, rectitudini debet se coaptare.  
Eccli. ii, 1 : *Accedens ad servitutum  
Dei, sta in justitia et timore, et præpa-  
ra animam tuam ad tentationem.* Eze-  
chiel. ii, 1 : *Fili hominis, sta super pe-  
des tuos.* III Reg. xvii, 1 : *Vivit Domi-  
nus Deus Israel, in cujus conspectu sto.*

Sequitur :

« Retro. »

Et in hoc duo notantur : unum, quod  
ex verecundia se retrorsum retraxit :  
aliud autem, quod se directe post Domi-  
num in via ad sequendum eum aptavit.

De primo dicit, Jerem. xxxi, 19 : *Con-  
fusus sum, et erubui, quoniam sustinui  
opprobrium adolescentiæ meæ.* Oppro-  
brium adolescentiæ maxime sunt pecca-  
ta libidinis. Eccli. xxvi, 19 : *Gratia su-  
per gratiam mulier sancta et pudorata.*  
Et illa trahit semper retrorsum. Unde  
etiam venientibus Angelis ad Abraham,  
sancta mulier Sara retraxit se post osti-  
um tabernaculi <sup>1</sup>.

Adaptavit etiam se ad sequendum in  
via Domini. Unde cum Petrus præire  
niteretur, non sapiens quæ Dei sunt, di-  
xit ei Dominus : *Vade retro, Satana* <sup>2</sup>.  
Quasi diceret : Retro te retrahas, ad se-  
quendum ea quæ meæ sunt voluntatis.  
Eccli. xxiii, 38 : *Gloria magna est sequi  
Dominum.* Econtra, Isa. lix, 13 : *Aversi  
sumus ne iremus post tergum Dei nostri.*

Sequitur :

« Secus. »

Notat in hoc quod ipsi Domino, vere-

<sup>1</sup> Genes. xviii, 10.

<sup>2</sup> Matth. xvi, 23.

cunde quantum potuit, se conjunxit et appropinquavit. Psal. xxxiii, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini*. Scivit enim quod etiam tactus fimbriæ ipsius sanaret<sup>1</sup>. Et ideo tactu pedum Christi virtutem dæmonis expellere a se nitebatur : sciens illud Apostoli, II ad Corinth. vi, 13 : *Quæ conventio Christi ad Belial?* Et ideo quantum valuit, accessit non minus affectu per consensum, quam corpore per tactum. Genes. xxvii, 24 : *Accede huc, ut tangam te, fili mi*.

Locum autem competentem sibi elegit, qui est humilitatis et supplicationis, hoc est,

« Pedes ejus. »

Iste enim locus non est despectabilis : quia et ibi exit diabolus, et indoctus salutari imbuitur disciplina, et supplex adorando invenit suffragia.

De primo horum trium dicitur, Habacuc, iii, 5 : *Egredietur diabolus ante pedes ejus*.

De secundo, Deuter. xxxiii, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius*.

De tertio autem in Psalmo cxxxii, 7 : *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus*.

Pedes autem Domini quibus omnia opera sua, et maxime corda hominum perambulat, duo sunt : misericordia scilicet, pes mollis : et veritas sive justitia, pes durus et gravis. Psal. xxiv, 10 : *Universæ viæ Domini, misericordia et veritas, requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus*.

Pes autem, ut dicunt Physici, ex quinque componitur ordinibus ossium. Sed in pectine pedis isti ordines habent juncturas strictas, et in digitis habent juncturas laxas. Misericordiæ pes quinque habet compositionis suæ ordines, quia est misericordia dulciter peccatorem suscipiens, est misericordia multum de-

biti relaxans, est misericordia ad pœnitentiam exspectans, est misericordia in satisfaciendo adjuvans, et est misericordia tandem in toto a peccato liberans : et iste est pes unus tota devotione complectendus.

De suscipiente quidem misericordia habetur, Luc. xv, 20, ubi pater in amplexibus et osculis filium peccatorem suscepit post multa dispendia vitæ luxuriosæ.

De misericordia autem relaxante magnam partem debitorum, Job, xi, 6 : *Intelligeres quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua*.

De misericordia ad pœnitentiam exspectante, Isa. xlii, 14 : *Tacui semper, silui, patiens fui*. Isa. xxx, 18 : *Exspectat Dominus ut misereatur vestri*.

De misericordia adjuvante, Psal. ix, 10 : *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*.

De misericordia in toto liberante, Matth. xviii, 27 : *Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei*. Et, Luc. vii, 42 : *Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque*.

Similiter autem pes justitiæ habet quasi ossium ordines quinque ex quibus componitur, quorum unus est justitiæ inflexibilis rigor : secundus autem, comminationum timor : tertius autem, quia non tantum commissorum, sed etiam usurarum est implacabilis exactor : quartus autem, sententiarum inevitabilis et incontradicibilis ipse judex est tentor : quintus autem, quia in potestate justitiæ durissimus est inimicorum dominator et conculcator.

De primo, II ad Timoth. ii, 13 : *Si non credimus, ille fidelis permanet : negare seipsum non potest*. Proverb. vi, 33 : *Non acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima*.

De secundo, Ad Hebr. xii, 21 : *Et ita*

<sup>1</sup> Cf. Matth. ix, 21, et Luc. viii, 44.

*terribile erat quod videbatur. Moyses dixit: Exterritus sum et tremebundus. Exod. xx, 18: Perterriti ac pavore concussi, steterunt procul. Job, xxvi, 14: Cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?*

De tertio, Matth. xxv, 26 et 27: *Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congreco ubi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura.*

De quarto, Matth. xxv, 41: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Et stat sententia et obtinet vim, quia sequitur: *Et ibunt in ignem æternum.* Nec est quem non terreat illa sententia. Psal. xc, 3: *Ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.* Hoc est verbum asperum quod est condemnatio in ignem æternum. « Laqueus autem, ut dicit beatus Bernardus, est pondus catenarum stringentium, stridentium, urentium, et in morte tenentium. »

De quinto autem, in quo super colla inimicorum extolletur, sicut Dominus dicit, Isa. lxiii, 3: *Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea.* Isa. ii, 11: *Exaltabitur Dominus solus in die illa: quia tunc implebitur quod dicit Psalmus cix, 1: Ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Isti sunt pedes Domini: de quibus, Zachar. xiv, 4, dicitur: *Stabunt pedes ejus in die illa super montem olivarum,* hoc est, misericordiæ et miserationum: quia, sicut dicitur, Jacob. ii, 13: *Superexaltat misericordia judicium.*

Hos pedes Domini tota devotione peccatrix ista complexa est: pedem misericordiæ quærens per spem veniæ, pedem autem veritatis sive justitiæ per timorem qui est initium sapientiæ. Timor quidem, ut dicitur, Eccli. i, 27 et 28, *expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit justificari.* Hic etiam excludit timorem qui contrarius est ve-

ritati. Ad Roman. xi, 20: *Noli altum sapere, sed time.*

Dicit etiam Glossa, quod pedes Domini sunt pauperes. Et pedes etiam Domini portant, sunt verbi Dei prædicatores. Pedes etiam Domini in cor portant, sunt intellectus et affectus primæ Dei susceptiones. Duo enim pedes quibus anima occurrit Deo, sunt intellectus et affectus. Pedes autem quos Deus ponit in animam, sunt illuminatio veritatis, et charitas bonitatis et dulcedinis ipsius. Quando enim Dominus dicit, Matth. xxv, 40: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis: tunc pedes Sanctorum suos reputat.*

Lavantur autem pedes pauperum, quando necessitates eorum consolantur per eleemosynas. I ad Timoth. v, 10: *Si Sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit.* Genes. xviii, 4 et 5: *Lavete pedes vestros, et requiescite sub arbore: ponamque buccellam panis.*

De pedibus autem prædicantium, Isa. lii, 7: *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem: annuntiantis bonum!* Istud autem leve est prosequi in littera: et ideo ad primam recurrendum est expositionem.

Jam enim habitum est totum hoc quod se hæc peccatrix ad obsequendum Domino præparavit.

Obsequium autem quod impendit, consistit in quatuor, scilicet, in pedum rigatione, in rigatorum pedum mundissima tersione, in tersorum pedum deosculatione, et in osculatorum et lassorum pedum suavissima unctione.

De primo horum dicit:

« Lacrymis cœpit rigare pedes ejus. »

Et in hoc rursus notantur quatuor. Primum est abundans lacrymarum effusio. Secundum, impigra lotionis obsecutio. Tertium, pedum Domini ad spiri-

tualium germinum fœcunditatem effusio. Quartum est extremorum Domini quæ magis indigebant, prudens et humilis procuratio.

De primo notandum, quod oportuit quod multum abunde lacrymas funderet, quæ ambos pedes non solum infundere, sed et lavare et lotos rigare cupiebat. Jerem. ix, 1 : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo die ac nocte?* Psal. cxviii, 136 : *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.*

Unde ista flevit abundanter, et fudit lacrymas, proprietatem omnium lacrymarum habentes. Lacryma enim est clara sive pura, est salsa, est calida, est humida.

Clara ut non sordidet, sed sordida detergens. Psal. vi, 7 : *Lavabo per singulas noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meum rigabo*, hoc est, tenebras peccati et turpitudinem stratus ad purum lavabo. Isa. i, 16 : *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.*

Salsa autem est in fletus amaritudine. IV Reg. iv, 27 : *Dimitte illam : anima enim ejus in amaritudine est.* Ita dixit Eliseus de muliere quæ tenuit pedes ejus. I Reg. i, 10 : *Cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum flens largiter.* Ruth, i, 20 : *Ne vocetis me Noemi (id est, pulchram), sed vocate me Mara (id est, amaram), quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.*

Calidæ sunt etiam lacrymæ : quia de calida contritione et devotione et charitate procedunt. Psal. xxxviii, 4 : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.* Istud significatum est, Genes. xxxvi, 24, ubi Ana invenit aquas calidas in deserto. Ana enim interpretatur *gratificatio*, et significat istam peccatricem desertam quæ ferventissimas super Dominum effudit lacrymas ut grata efficeretur.

<sup>1</sup> Vulgata habet, Psal. vi, 7 : *Lacrymis meis stratum meum rigabo.*

Humidas etiam effudit lacrymas, quæ infundere possent et rigare. Psal. vi, 7, secundum aliam translationem : « *Lacrymis meis stratum meum natate feci*<sup>1</sup>. » Ex humiditate enim habent, quod ablutivæ sunt : et quando humor procedit ex intimis, tunc magis lavat : quia ante se sordes propellit. Jerem. iv, 14 : *Lava<sup>2</sup> a malitia cor tuum, Jerusalem.* Sic ergo flens largiter et ista, mundata est lota lacrymis. Gregorius : « *Lavans lacrymis maculas criminis, susceptoris sui tetigit vestigia : ac prava sua derelinquens itinera, illi postea assidebat, et verbum illius semper audiebat.* »

De impigra autem obsecutionis diligentia dicit :

« *Cœpit.* »

Non enim ita cœpit, quod cœptum opus non perficeret : sed quia ita diligens fuit ac si omni hora inciperet, ideo dicit : « *Cœpit.* » Eccli. xviii, 6 : *Cum consummaverit homo, tunc incipiet.* Psal. lxxvi, 11 : *Dixi : Nunc cœpi : hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

Sequitur :

« *Rigare.* »

In quo notatur spiritualium germinum infusio. Terra enim invia et inaquosa sterilis est. Et ideo rigat pedes, quod in vestigio pedum suorum germinet : et rigati pedes, humorem habentem in se vim deitatis infundant. Eccli. xxiv, 42 : *Dixi : Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.* Hæc est Axa, Josue, xv, 19, *cui pater dedit irriguum superius et inferius.* Irriguum inferius pro peccatis commissis : irriguum superius pro adeptione amoris patris cœlestis.

<sup>2</sup> Vulg. habet, *leva.*



« Pedes ejus. »

Ecce extremorum Domini (quæ magis indigebant) prudens et humilis procuratio. Pedum enim lotio humile est obsequium. Pedes etiam Domini lassi, hoc obsequio indigebant. Quod enim humile sit, patet in Christo qui in signum maximæ humilitatis pedes lavit discipulorum<sup>1</sup>.

Pedes etiam indigebant hoc obsequio : quia per loturam pedum lassorum, pedum extrahitur lassitudo. I Reg. xxv, 41 : *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes domini mei.*

Secundum obsequium est tersio, quæ notatur in hoc quod dicit :

« Et capillis capitis sui tergebat. »

Et notantur in hoc tria : mollities et delicatio tergentis, inclinatio capitis, et ipsa diligentia tersionis.

Capilli enim mulieris secundum naturam molliores sunt quam virorum. Et capilli capitis propter mollitiem cerebri maxime sunt molles. Ex motu enim calor spiritum et sanguinem in pedes Domini traxerat : et ideo levi tactu sensum doloris, lassi pedes accipiebant. Et ideo hæc prudens mulier molle tersorium apponebat : et ideo tali obsequio suam devotionem exhibebat.

Alia autem causa fuit, ut hoc in obsequium humilitatis Christi converteret, in quo ante maximam exhibuerat vanitatem. Et ideo in Canticis, vii, 5, in laudem ejus dicitur : *Comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus.* Purpura enim regis rubet purpureo sanguine humilitatis et passionis Christi consideratione. Hæc autem canalibus vincta est, quando coma immista est lacrymarum fluminibus.

Quantum autem ad hoc quod vanitatem capillorum traxit in tersionis pulveris humilitatem, dicitur, Cantic. v, 11 : *Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ*

*quasi corvus.* Elatæ palmarum sunt ramusculi valde crocei, repandi sub spatulis et super stipitem palmæ. Hujus ergo mulieris comæ primo in vanitate croceæ et repandæ, sicut elatæ palmarum existentes, postea in tersione pulveris attritorum pedum Domini fuerunt nigræ et deturpatæ quasi corvus per humilitatem et abjectionem.

Sequitur :

« Capitis sui. »

Ecce capitis mulieris ad pedes Domini inclinatio : in quo notatur litteraliter majestatis creditæ in Christo adoratio, et typice notatur mentis (quæ per caput intelligitur) et cogitationum et affectionum (quæ de mente sicut capilli de capite fluunt) ad Christum concursus relatio.

De adoratione quidem, Psal. cxxxii, 7 : *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Exod. iv, 31 : *Proni adoraverunt.*

De relaxatione autem cogitationum et affectionum in Christum, Cantic. iv, 9 : *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.* Unus enim oculorum, est uniformitas intentionum absque duplicitate. Unus crinis, est unitate conformis consensus contendentium cogitationum et affectionum in Christum. Hæc enim duo amore vulnerant cor Christi : ita quod oportet fateri quod captus et vulneratus sit amore, sicut confessus est amorem hujus peccatricis.

Tersionis autem diligentia, et obsequium præstabat Domino, et figuram indulgentiæ peccatricis. Domino enim secundum litteram absternit humorem, et pulverem, ut penetrare in pedes ejus posset unctio : sicut et Christus linteo quo erat præcinctus, tersit pedes discipulorum quos laverat<sup>2</sup>.

Figuram autem habuit ad indulgentiam : quia sicut tersit, ita tersa est a Chri-

<sup>1</sup> Cf. Joan. xiii, 5 et seq.

<sup>2</sup> Ibidem.

sto a sordibus vitiorum. Et quoad utrumque istorum dicit, Cantic. v, 2 : *Caput meum plenum est rore*, hoc est, roscido lacrymarum humore : *et cincinni mei guttis noctium*. Noctium enim guttæ magnæ et humidæ sunt valde, significantes abluentes lacrymas maculas et tenebras peccatorum.

Hoc est igitur obsequium tersionis.

« Et osculabatur pedes ejus. »

Ecce tertium obsequium in pedum osculatione. In osculo autem tria sunt : labiorum impressio, spiritus a corde procedentis in id quod osculatur immissio, et pacis et amoris assecuratio.

Labiorum impressio significat labiorum ad laudem veniam concedentis obligationem, et laudis ipsius jubulum et dulcedinem. De primo quorum dicitur, Psal. LXII, 4 : *Labia mea laudabunt te*. De secundo, item, Psal. LXII, 7 : *Labiis exultationis laudabit os meum*. Propter quod dicitur, Cantic. IV, 11 : *Mel et lac sub lingua tua*.

Spiritus autem a corde processio in osculatum, indissolubilem significat spiritus adhæSIONEM. I ad Corinth. VI, 17 : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est*. Psal. LXII, 9 : *Adhæsit anima mea post te*.

Conjunctio autem ipsa duorum, osculantis et osculati, consensum significat amoris, et assecurationem pacis. Cantic. I, 1 : *Osculetur me osculo oris sui*. Ad Roman. XVI, 16 : *Salutate invicem in osculo sancto*. Cantic. VIII, 1 : *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat ?* Hoc est, Quis mihi det ut tu, qui es Deus meus, efficiaris et in conformitate naturæ frater meus, qui sugis ubera matris communis sapientiæ Dei : ut pœnitens, et pœnitendo quærens te, inveniam solum, absque tumultu turbarum : foris, extra secretum contemplationis Angelorum, in discubitu convivan-

tium tecum peccatorum, sed pœnitentium : et ibi in signum æternæ pacis deosculer te : et remissione percepta, jam me nemo despiciat ut ante, quando lenociniis adhærens despecta fui, et peccatrix.

Illud igitur obsequium est deosculatio.

« Et unguento ungebat. »

Et est illud ultimum obsequium, quod est lassorum pedum suavissima unctio. Et est mirabile : quia cum unctio non possit fieri nisi unguento, tamen addit : « *Unguento ungebat*. » Nec est nugatio : quia antonomastice fuit illud unguentum cæteris unguentis rarius, ideo carius et pretiosius : quod non sibi, ut diximus, sed soli Deo præparaverat condignum. Hoc igitur unguentum de diversis aromatibus confectum, unctionem significat devotionis et compunctionis et charitatis. Est enim unguentum pinguedine laxans locum unctum, et ex acumine in locum unctum penetrans, et ex suavitate dolorem mitigans. Habet igitur istud pinguedinem devotionis, et acumen compunctionis, et suavitatem charitatis.

De primo horum dicit Psalmus LXII, 6 : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea*. De secundo, Psal. IV, 5 : *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*. De tertio, I Petr. II, 3 : *Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus*, hoc est, charitas Domini. Hæc igitur tria concussa et commista, unctionem istam conficiunt. Eccli. XXXVIII, 7 : *Unguentarius pigmenta faciet suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis*. Ne autem careat odore, recipiuntur in ipso omnium virtutum spiramenta, ut verum sit quod dicitur, Cantic. I, 2 : *Fragrantia unguentis optimis*. Et illud Canticorum, IV, 10 : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata*.

Hoc ergo unguento pedes unxit dominicos, de quibus jam ante dictum est. Misericordia enim mollis quidem est, sed

isto unguento delinita mollior efficitur. Veritas autem sive justitia non emollitur nisi peruncta : et tunc obliviscuntur pedes isti dolorum quos peccatrix incussit, dum pedes isti eam ad pœnitentiam quærentes lassarentur:

Hæc ergo « *ungebat* » unctione consueta : unctionem de præterito in præsens continuabat et extendebat. Et hoc est quod in persona uncti dicit Job, xxix, 6 : *Lavabam pedes meos butyro*, hoc est, devotionis pinguedine. Christus enim unctus sonat, et unctus a Spiritu Domini, Isa. lxi, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me*. Unctione charismata gratiarum infundit, I Joan. ii, 27 : *Unctio ejus docet vos de omnibus*. Et ungentes se diligit et suscipit, Psal. cxxxii, 1 et 2 : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum ! Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus, scilicet in corpus totum*.

In hoc ergo consistit hujus mulieris obsequium.

Sed attendendum, quod quæ fuerit ista mulier, et ubi factum fuerit istud quod hic refertur, non est expressum. Et ideo inter Patres de hoc inveniuntur diversitates. Gregorius enim et Beda hanc fuisse dicunt Mariam Magdalenam, sororem Lazari et Marthæ, accipientes hoc pro argumento quod legitur, Joan. xi, 2 : *Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis : cujus frater Lazarus infirmabatur*. Adducunt etiam hoc quod dicitur, Luc. viii, 2 : *Maria quæ vocatur Magdalene, de quâ septem dæmonia exierant*. Quod explanans Gregorius dicit : « Septem Maria Magdalene dæmonia habuit, quæ universis vitiis plena fuit. » Et hos tota sequitur Romana et Occidentalis Ecclesia.

In contrarium horum opinantur Joannes Chrysostomus et Origenes, qui dicunt Mariam Magdalenam virginem

fuisse, et virginem permansisse : nec probabile esse quod tanta peccatrix cum Domino tantam habuisset familiaritatem. Dicunt etiam corporaliter quidem eam obsessam dæmonibus septem fuisse. Dicunt insuper non unam tantum istam peccatricem pedes Domini unxisse, sed et illam et forte plures alias quæ sequebantur eum, et de facultatibus suis sibi ministrabant. Et cum in hopistiis curam ejus agerent, et pedes lavarent, tunc terserunt capillis propter participationem sanctitatis pedum, ut secum gestarent pulverem. Et unxerunt ad tollendam de pedibus lassitudinem. Ecce ista est diversitas opinionum Patrum : et accipiat quilibet quod vult. Ecclesia enim Occidentalis sequitur Gregorium.

Et sic pro certo fecit Deus duo magna luminaria : duas Marias, matrem videlicet Domini, et sororem Lazari. Luminare majus, hoc est, Virginem Beatam ut præset diei, hoc est, lucem infunderet innocentibus. Proverb. iv, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem*. Luminare autem minus, hoc est, Mariam pœnitentem sub pedibus Beatæ Virginis. Apocal. xii, 12 : *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus*. Et hanc fecit ut præset, exemplum pœnitentiæ præbendo, nocti, hoc est, peccatoribus. Eccli. xliii, 7 : *A luna signum diei festi : quia gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*<sup>1</sup>. Luminare quod minuitur quantum ad dignitatem et humilitatem in consideratione virtutis et perfectionis. Virgo quidem sanctificata a Spiritu sancto, humilis ancilla profudit Salvatorem. Peccatrix autem extracta de Leviathan maxilla<sup>2</sup> unxit unctione Salvatorem in pœnitentiæ salutem.

Sequitur :

« Videns autem Pharisæus, qui vo-

<sup>1</sup> Luc. xv, 10.

<sup>2</sup> Job, xl, 20.

caverat eum, ait intra se, dicens : Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. »

Hic incipit pars quæ est de murmuris repressione.

Est autem duplex murmur, scilicet, de mulieris facto, et alterum de indulgentia peccatorum quam fecit sibi Christus. Et ideo sunt hic duæ partes.

In prima harum adhuc sunt duo, quorum primum est murmuratio, et secundum de murmuris repressione.

In prima harum sunt tria : descriptio murmurantis, modus murmurationis, et ipsa murmuratio.

In primo horum tangitur invidiæ nuntius, qui est boni quod fiebat aspectus : in secundo, istius invidentis religionis fastus : in tertio, liberalitatis suæ apparatus.

Dicit ergo :

« *Videns autem.* » Vidit enim iste, et invidit. Sapient. vi, 23 : *Nec cum invidia tabescente iter habebō.* Unde de sex reprehenditur iste Pharisæus, quorum primum est invidia tabescens. Secundum, justitia falsa de se præsumens. Tertium, murmuratio intus mordens. Quartum est, quod peccatrici pro compassione est indignans. Quintum, quod proximum et non se de criminibus est accusans. Sextum autem, quod superiorem et meliorem se est redarguens.

De invidia quidem habitum est. De falsa vero justitia, ad Roman. x, 3 : *Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* De tertio dicitur, Sapient. i, 11 : *Custodite vos a murmuratione quæ nihil prodest, et a detractatione parcite linguæ : quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit.* De quarto dicitur, Joan. vii, 23 : *Mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato.* Hieronymus : « Religio Pharisæorum non compassio-  
« nem, sed indignationem habet. » De

quinto, Luc. xviii, 11 : *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri : velut etiam hic publicanus.* De sexto, Job, xv, 3 : *Arguis verbis eum qui non est æqualis tibi, et loqueris quod tibi non expedit.*

Hoc est ergo quod dicit : « *Videns autem.* »

« Pharisæus. »

Divisus propter religionis signum, Matth. xxiii, 26 : *Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat id quod deforis est mundum.*

« *Qui vocaverat eum.* » Aliquando Dominus vocatur, ut hic. Aliquando ex humilitate repellitur, Matth. viii, 8 : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Aliquando sine vocatione ut pauper recipitur, Luc. x, 38 : *Mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam.* Aliquando præcipit se recipi, Luc. xix, 5 : *Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Aliquando præmittit nuntios ex fiducia ad præparandum, Marc. xiv, 13 et 14 : *Ite in civitatem, et occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans : sequimini eum, et quocumque introierit, dicite domino domus quia Magister dicit : Ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem ?* Aliquando pulsat ut aperiatur, Apocal. iii, 20 : *Ecce sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cenabo cum illo, et ipse mecum.* Hic tamen Pharisæus in hoc commendabilis erat, quia tantum hospitem in domum vocaverat.

« Ait intra se, dicens. »

Ecce modus murmuris. Toties enim alios confutatos audierat quod aperte loqui non audebat. Isa. xxix, 4 : *De humo audietur eloquium tuum, et erit quasi pythons de terra vox tua.*

Matth. ix, 4 : *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris ?* Isa. 1, 16 : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.*

« Hic si esset propheta. »

Ecce murmuratio in duobus peccans : in dubitatione, quia conjunctio notat dubitationem : et in minus dicendo, quia dicit prophetam Dei Filium.

De dubitatione, Jacob. 1, 6 : *Qui hæsitat, similis est fluctui maris qui a vento movetur et circumfertur.*

De minus dicendo dicitur, ad Hebr. iii, 5 et 6 : *Moses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant.* Similiter autem et alii Prophetæ. *Christus vero tanquam filius in domo sua : quæ domus sumus nos, etc.*

« Sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum. »

Ecce proximi accusatio.

Dicit autem, *quæ et qualis.* Quæ autem refert ad naturam corruptam quam mulier ista secuta est. *Qualis* autem refert ad vitium superinductum ex consuetudine.

De natura corrupta dicit, Sapient. xii, 10 : *Et erat naturalis malitia ipsorum, et quoniam non poterat mutari, hoc est, immutari vix poterat.*

*Qualis* autem refertur ad vitium inolitum ex longo actu, Jerem. xiii, 23 : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* De ingenita ex corruptione peccati malitia dicitur, Ezechiel. xvi, 3 : *Radix tua et generatio tua de terra Chanaan, hoc est, transmutata : quia bona natura in corruptionem transmutata est.* Et, Joan. viii, 44 : *Vos ex patre diabolo estis.*

De qualitate autem huic pessimæ naturæ superinducta dicitur, Eccli. ix, 9 :

*Propter speciem mulieris multi perierunt, et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Species enim mulieris hic dicitur præparatio : quia præparata est ad capiendas animas. Et hæc est qualitas superinducta naturæ malæ.

Addit autem : « *Mulier,* » quæ est ab emolliendo dicta. Unde, III Esdr. iv, 17 et seq. : *Non possunt homines separari a mulieribus. Si congregaverint aurum et argentum, et omnem rem speciosam, et viderint mulierem unam bono habitu et bona specie, omnia hæc relinquentes in eam intendunt, et aperto ore conspiciunt, et eam alliciunt.* Sic ergo a molliendo vocat eam mulierem.

Et addit accusationes :

« Quia peccatrix est. »

Et in hoc male judicat. Apocal. xvii, 8 : *Bestia quam vidisti, fuit, et non est.* Proverb. xii, 7 : *Verte impios, et non erunt.* Sed falsa justitia non præsumit bonum de aliquo, sed hoc quod fuit adhuc reputat esse : non advertens quod Rahab meretrix quæ habitabat in Jericho tempore meretricii, per pœnitentiam civis Jerusalem effecta est <sup>1</sup>. Psal. lxxxvi, 5 : *Memor ero Rahab et Babylonis, scientium me.* Non enim peccatrix mulier Sanctum sanctorum potuit tangere ad inquisitionem sanctitatis, sed potius ad emundationem peccatorum. Unde, ad Hebr. xi, 31 : *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.* Ita et ista in fide sancta de peccatrice facta est.

Et in eo completa est murmuratio Pharisæi.

Sequitur :

« Et respondens Jesus, dixit ad illum : Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait : Magister, dic.

<sup>1</sup> Cf. Josue, ii, 8 et seq., et vi, 22.

**41** Duo debitores erant cuidam fœneratori : unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta.

**42** Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. »

Christus hic sicut sæpe (quia Deus erat) respondet tacitæ cogitationi. I Reg. xvi, 7 : *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Ad Hebr. iv, 13 : *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus.*

Et est hic repressio murmuris : « *Simon.* » Ecce, hic primo nominatur : quod non fit de Zachæo, Luc. xix, 2, quem nominat antequam domum ejus ingrediatur : cum tamen ille fuerit publicanus. Et hujus causa est, quia ille ad Dominum sinceram habuit devotionem sine duplicitate : hic autem non sinceram, sed etiam ipsam facti vocationem videtur observando fecisse, et minora sensit de Domino quam se haberet veritas. Dubitavit in eisdem. Eccli. ii, 14 : *Væ duplici corde, et labiis scelestis !*

Dicit ergo nunc primo nominans : « *Simon, habeo tibi aliquid dicere.* » In modo autem loquendi excitat studium audientis quasi aliquid ænigmaticum et magnum dicere velit. Proverb. vii, 6 : *Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum, et aperientur labia mea ut recta prædicent.* Proverb. i, 6 : *Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum, et ænigmata eorum.*

« At ille ait : Magister, dic. »

Magistrum nominat quem Deum, et Dominum, et Patrem vocare debuerat, et tunc demum etiam Magistrum. Psal. xlv, 12 : *Ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.* Matth. vi, 9 : *Pater noster, qui es in cælis.* Matth. xxiii, 8 et 9 : *Unus est Magister vester... qui in cælis est.* Matth. xxii, 16 : *Magister, scimus*

*quia verax es, et viam Dei in veritate doces.* Joan. iii, 2 : *Scimus quia a Deo venisti magister.*

« Duo debitores erant cuidam fœneratori, etc. »

Excitata intentione ad audiendum, proponit similitudinem per quam compeccit murmurationem.

Et in hac parte duo facit. Primo enim iudicio Simonis proponit similitudinem. Et secundo, post iudicium ejusdem, reprimit murmurationem, et explanat similitudinem.

Dicit autem primo duo : similitudinem, et similitudinis a Simone petit iudicium, et approbat.

De primo dicit : « *Duo debitores,* » in genere, non specie, vel numero, « *erant cuidam fœneratori.* » Isti enim duo debitores, sunt in quolibet genere duo, inæqualiter peccantes, sive inæqualitas ista sit in numero peccatorum, sive in circumstantia peccantium. Unus enim in numero peccatorum, peccat plus quam alius. Alius autem in circumstantia gravius peccat quam alius : aut quod turpius peccat, vel quia ipse peccans in altiori est gradu : sicut gravius peccat religiosus quam sæcularis, et clericus quam laicus. Omnia hæc comprehendit sub una similitudine. Tamen hic videtur loqui de peccatorum multitudine. Magis ergo peccans est unus debitorum. Minus autem peccans est alter debitorum. Fœnerator est Christus, sicut patet, Matth. xxv, 14 et 15, quod *vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua, ... unicuique secundum propriam virtutem, dicens : Negotiamini dum venio*<sup>1</sup>.

Isti ergo debitores in omni genere hominum sunt illi fœneratori. « *Unus debebat,* » quoad debitum satisfactionis, « *denarios.* » Denarius dicitur a decem : quia unus valuit decem usuales parvos. Et in denario erat sculpta imago Cæsaris.

<sup>1</sup> Luc. xix, 13.

Matth. xxii, 20 et 21 : *Cujus est imago hæc et superscriptio ? Dicunt ei : Cæsaris.*

Tales denarios « *quingentos* » debuit unus qui plus debebat. « *Alius autem quinquaginta,* » qui minus debebat. Uterque autem numerus surgit a quinque et decem. Quinquies enim decem quinquaginta sunt, et quinquies centum (qui sunt decies decem) quingenta sunt. Quinque autem ad quinque sensuum delectabilia referuntur, quæ avertunt hominem a denario perfectionis decalogi. Et hoc est perversio tantum in opere. Centenarius autem refertur ad perfectionem virtutis : quia illa non est tantum ex opere, sed ex voluntate et perseverantia in opere, et ex circumstantia et fine. Et in his quatuor consistit virtutis perfectio. Et ideo homo dicitur quadrangulus ad virtutem. Diximus autem supra quod centenarius est numerus quadratus, multiplicato in se denario. Avertentia autem a virtutis perfectione sunt quinque, et ideo quinquies centum est corrupta contra virtutem perfectio. Majus autem debitum corruptio virtutis quam corruptio operis. Et ideo unus ex corrupta imagine summi Cæsaris, debet denarios quingentos, propter corruptionem quæ est contra honestatem virtutis : et alius quinquaginta, ex corruptione imaginis ejusdem contra perfectionem operis. Plus enim peccat corrumpendo virtutem quam opus. Matth. xviii, 25 : *Cum non haberet unde redderet, jussit eum dominus ejus venundari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi,* hoc est, animam et carnem et omnes vires ejus et conatus et opera.

Sequitur :

« Non habentibus illis unde redderent.

Ex proprio, quia nihil habemus nisi quod Domini est. I ad Corinth. iv, 7 :

*Quid habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis ?* Joan. xv, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* I Paralip. xxix, 14 : *Tua sunt omnia : et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Sic ergo patet quoniam de suo nemo solvere potest debitum. Ergo clamemus omnes : *Dimitte nobis debita nostra* <sup>1</sup>.

Non habentibus ergo unde redderent, pius dominus « *donavit utrisque,* » hoc est, condonavit. Matth. xviii, 27 : *Miseratus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei.* Largus enim Dominus est in dimittendo et ignoscendo, et benedictionem post omnia donando. Sicut Eliseus, IV Reg. iv, 7, non solum multiplicavit oleum in solutionem debiti, sed etiam impensas et vitam viduæ et filiorum, dicens : *Tu et filii tui, vivite de reliquo.*

« Quis ergo eum plus diligit ?

Respondens Simon dixit : **43** *Æstimo quia is cui plus donavit. At ille dixit ei : Recte judicasti.*

Et conversus ad mulierem, dixit Simoni : **44** *Vides hanc mulierem ? Intravi in domum tuam : aquam pedibus meis non dedisti : hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit.*

Osculum mihi non dedisti : hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. **45**

Oleo caput meum non unxisti : hæc autem unguento unxit pedes meos. **46**

Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. **47**

Dixit autem ad illam : Remittuntur tibi peccata. **48**

<sup>1</sup> Matth. vi, 12.

**49** Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se : Quis est hic, qui etiam peccata dimittit ?

**50** Dixit autem ad mulierem : Fides tua te salvam fecit : vade in pace. »

Petit iudicium Simonis secundum rationem rectam, et dicit duo : iudicium, et iudicii approbationem.

Judicium petit, dicens : « *Quis ergo,* » duorum, « *eum plus diligit,* » hoc est, diligere tenetur ex beneficio percepto, aliis omnibus paribus existentibus ? Sapient. xi, 25 : *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti.* Et ideo non est inæqualitas dilectionis in Deo, sed in effectu. Cum igitur inæqualis sit effectus circa duos debitores, quis eum plus diligere tenetur ?

« Respondens Simon, dixit. »

Pharisæus cui proposita fuit similitudo : « *Æstimo.* » Hoc dixit, quia jam vidit Christum cordis sui perpendisse cogitationem. Et ideo non audet aliquid assertive dicere, timens se undique capi in sermone.

« *Æstimo quia is* » debitor « *cui plus* » debiti « *donavit,* » quoad effectum dilectionis : quia in alio non proponitur similitudo. Job, vi, 29 : *Respondete, obsecro, absque contentione : et loquentes id quod justum est, iudicate.*

« *At ille,* » Jesus, « *dixit,* » ex verbis suis arguens, et iudicium commendans, et dicens : « *Recte iudicasti.* » III Esdr. iii, 12 : *Super omnia vincit veritas.*

« Et conversus ad mulierem, »

Respectu misericordiæ plus quam corporis. Cantic. vii, 10 : *Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus.* Psal. xxxix, 2 : *Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi.*

« *Dixit Simoni : Vides hanc mulierem ?* » Mulieris enim devotionem com-

parans superstitioni Pharisæi qui non nisi in exterioribus gloriabatur, cum Christus quæreret interiora. Et idcirco mulier meruit multa dimitti, Simon autem nulla. Et ideo etiam recedit a similitudine, sicut infra patebit : quia incivile esset de hospite dicere, quod multa deberet in peccatis.

« Intravi in domum tuam, »

A te liberaliter vocatus. Et ideo alicuius salus in ea fieri debuit : tibi propter superstitionem Pharisæi non potuit salus fieri : oportuit ergo quod illi fieret quæ hoc ex devotione postulavit. Luc. xix, 9 : *Salus domui huic facta est,* scilicet ad introitum Salvatoris. Hæc autem quærebat salutem, et ideo delectabilius in corde pœnitentis requievi quam in domo tua. Tu quidem peccator es, licet tua reputatione minus debitum habeas quam illa. Unde Gregorius : « Ad ipsius « quippe mentem exsultim confugerat, « quam post vitiorum ignes pœnitentiæ « temperies refrigerabat. » Unde, Cantic. ii, 9 : *Similis est dilectus meus capræ, hinnuloque cervorum.* Quia, sicut dicit Gregorius, « Ut caprea videt cordis se- « creta et in Pharisæo et in peccatrice : « reprehendens contemptum Pharisæi, et « devotionem et humilitatem pœnitentis « laudans et approbans. Ut hinnulus autem fugit æstum, quærens umbræ refrigerium post æstum concupiscentiæ, « ad refrigeratum cor pœnitentis confugiens. Melius ergo intravit in cor pœnitentis quam in domum Simonis. » Cantic. i, 12 : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi : inter ubera mea commorabitur.* Fasciculus enim myrrhæ ex multis amaritudinibus pœnitentiæ componitur quibus dilectus libenter immoratur : eo quod ista cubile cordis pro fœtore voluptatis, et urtica libidinis, et inobedientiæ cicuta, aromatibus aspergunt, et sua proprietate putredinem libidinis exsiccant, et sua naturali fragrantia expurgant fœtores voluptatum.



Sequitur :

« Aquam pedibus meis non dedisti, »

Quæ tamen lassis peregrinorum pedibus a patribus sanctis exhiberi solebat <sup>1</sup>. I ad Timoth. v, 10 : *Si sanctorum pedes lavit. Hi enim pedes Domini sunt, qui erant sui sacrosancti corporis membra. Sed et illi sui sunt pedes, qui per mundum sanctos suos portant pauperes. Unde, Matth. xxv, 40 : Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

« *Hæc autem,* » majore signo dilectionis, « *lacrymis,* » de capite et corde suo fluentibus, quasi delicatioribus expensis circa me impensis, « *rigavit,* » hoc est, infudit « *pedes meos,* » ad fecunditatem sui cordis. Isa. xvi, 9 : *Inebriabo te lacryma mea, Hesebon et Eleale. Hesebon, signum mæroris : Eleale conscensio interpretatur : quia peccatrix anima pœnitens sic voluptatem trahit in mœrorem, quod mœrore cingitur ne voluptas amplius confluat. Et per hoc conscendit ad veniæ auctorem Dominum.*

« *Et capillis suis tersit,* » multo tenerius adhibens tersorium omnibus pannis pretiosis. Et ideo, Cantic. iv, 1, de ea dicitur : *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Greges enim caprarum (qui sunt sacrificium Domini pro peccatis exhibendum : sicut præcipitur Levit. i et ii, passim) sunt congregationes subtilium cogitationum et affectionum in amaritudine et igne devotionis Christo oblatarum pro peccatis perpetratis. Et istæ de monte Galaad, hoc est, de acervo testimonii ascendunt, quando in testimonio Scripturæ spem salutis peccatori tribuunt.

« Osculum mihi non dedisti, »

Quod tamen ab hospitiis recipientibus

peregrinis in primo introitu, in signum securi et pacifici ingressus, dari consuevit. Et quibusdam etiam in occurso hoc fecerunt. Unde, Genes. xxix, 11, Jacob ad puteum occurrens Racheli, osculatus est eam.

« *Hæc autem ex quo intravit,* » veniam quærens, « *non cessavit osculari pedes meos,* » vestigia pedum adorans, locum veniæ ante pedes quærens, inimicum sub scabellum pedum meorum conculcans, verbum sedens ad pedes humiliter audiens, vestigia mea observans. Hæc enim omnia quæsivit in osculo pedum.

Adoravit enim in loco ubi steterunt pedes, eo quod ille locus honorandus est adoratione. Isa. lx, 13 : *Locum pedum meorum glorificabo.* Ibi enim Deus habitat. Ezechiel. xliii, 7 : *Locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel.*

Etiam veniam quæsivit ante pedes. Deuter. xxxiii, 24 : *Tingat in sanguine<sup>2</sup> pedem suum,* hoc est, in sanguine expiationis, in quo peccatores veniam consequuntur.

De conculcatione autem inimici, Judicum, v, 27 : *Inter pedes ejus ruit : defecit, et mortuus est :olvebatur ante pedes ejus, et jacebat exanimis et miserabilis.* Et ibidem, x. 21 : *Conculca, anima mea, robustos.* Ad Roman. xvi, 20 : *Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.*

De auditu autem verbi, Luc, x, 39 : *Maria quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.*

Vestigia etiam observavit, ne ab eis de cætero aberraret. Isa. lxiii, 17 : *Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis : indurasti cor nostrum ne timeremus te ?* Et ideo vestigia observavit, et ea frequenter osculabatur : quia per illa sibi patuit via ad veritatem et vitam. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.*

<sup>1</sup> Cf. Genes. xviii, 4.

<sup>2</sup> Vulgata habet *oleo.*

« Oleo caput meum non unxisti. »

Hoc etiam peregrinis hospitio receptis in calidis terris exhibebatur ad pellis exhilarationem. Nec erat oleum simplex, sed compositum, quod nigredinem et partes incensas in facie sanavit, et vultum exhilaravit. Et hoc Simon non exhibuit. Psal. ciii, 15 : *Ut exhilaret faciem in oleo.* Eccl. ix, 8 : *Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat.* Matth. vi, 17 : *Unge caput tuum, et faciem tuam lava.* Daniel. xiii, 17 : *Afferte mihi oleum, et smigmata, et ostia pomarii claudite, ut laver.*

« *Hæc autem unguento* » pretiosissimo « *unxit pedes meos,* » lotos, tersos, et osculatos : ut attritio pedum per hoc sanetur, et pes lassus refocilletur. Psal. lxxxviii, 21 : *Oleo sancto meo unxi eum.* Eccl. xxiv, 21 : *Quasi balsamum non mistum odor meus.* Odor enim suus pinguedinis, olei, et balsami, et aliorum aromatum fuisse perhibetur. Et ideo tota domus odore fragrabat.

Et hoc fecit in signum. Oleum enim excitabat figura sua misericordiam, Cantic. i, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.* Balsamum autem spirabat divinæ bonitatis communicationem. De aliis autem aromatibus dicitur, Eccl. xxiv, 20 : *Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi : quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.* Cinnamomum est figurans calorem et spiramen charitatis : balsamum autem spiramen bonitatis : electa myrrha in compunctione amaritudinis odorem mortificationis carnis. His ergo aromatibus Domini pedes ad fugam doloris perunxit, pedes (inquam) de quibus superius dictum est. Illos enim sæpe læserat, et justum fuit ut eosdem reliniret per suavitatis unctionem.

« Propter quod dico tibi, »

<sup>1</sup> Jacob. v, 20. Cf. I Petr. iv, 8,

Ex tuo iudicio tuam tibi condemnationem ostendens, sed non promens : quia propter hospitis honorem te non arguo, sed iudicio tuo te relinquo. Luc. xix, 22 : *De ore tuo te iudico, serve nequam.* Psal. xlix, 21 : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam.*

« Remittuntur ei peccata multa. »

Ecce, sicut diximus, dimittit comparisonem. Si enim similitudinis comparisonem prosequeretur, diceret : Dimittuntur ei peccata plura, quia plus dilexit. Tibi autem dimittuntur peccata pauciora, quia minus dilexisti, et minora signa dilectionis exhibuisti. Sed quia incivile est culpam hospitem, recedit a comparisonem similitudinis, in una persona factum concludens, qui duas in similitudine proposuit.

Dicit ergo quia « *remittuntur ei peccata multa,* » in genere, et specie, et numero. Isa. lxiv, 6 : *Iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* Jacob. iii, 2 : *In multis offendimus omnes.* Osee, xii, 1 : *Tota die mendacium et vastitatem multiplicat.* Osee, iv, 2 : *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit.* Thren. i, 22 : *Multi enim gemitus mei, et cor meum mærens.*

« Quoniam dilexit multum, »

Quia *charitas operit multitudinem peccatorum* <sup>1</sup>. Hanc tamen charitatem de se non habuit, sed de larga manu Domini. Hanc autem multam dilectionem opere ostendit post peccati dimissionem : quia probatio dilectionis exhibitio est operis.

« Cui autem minus dimittitur, minus diligit. »

Non specificat propter hospitis urbani-

tatem. Parum enim dilexit, qui in corporalibus exterioribus dilexit. Sed videtur falsum quod dicit : quia quantulumque charitas omnia delet peccata. Adhuc, impium est a Deo dimidiam sperare veniam. Ergo non dimittitur minus nisi dimittatur totum. RESPONDENDUM, quod intelligitur quod charitas pro certo operit peccata : quia licet, ut dicunt antiqui, quatuor sunt in justificatione impii, scilicet, infusio gratiæ, motus liberi arbitrii in Deum, et motus liberi arbitrii cum gratia in peccatum, et ipsa peccati expulsio : tamen in ipsa gratiæ infusione sunt tria : unum quidem secundum recessum a malo, et sic primum est timor. Alterum autem secundum accessum ad bonum : et hoc est aut in comparatione ad verum, aut in comparatione ad bonum. Ad verum quidem prima est fides in intellectu : ad bonum autem primum est charitas in affectu, et hoc est simpliciter primum : quia etiam fides operatur per dilectionem : et ideo charitas est peccati remissiva. Et quod dicitur, Act. xv, 9 : *Fide purificans corda eorum*, intelligitur de fide quæ per dilectionem operatur. In omnibus enim divinis affectus præcedit intellectum. Nec timor peccatum expellit, nisi eum amor in affectu prævenisset. Quod autem dicitur, « *cui minus dimittitur* : » non intelligitur quantum ad ipsius maculæ vel reatus dimissionem, quia hæc omnia et tota dimittuntur ex quantulumque charitate, sed quantum ad dimissionem pænæ debitæ pro peccato. Cui enim minus de illa dimittitur, minus habet de fervore dilectionis. Et hoc est quod dicit : « *Minus diligit*. »

« Dixit autem ad illam, »

Jam proprio iudicio, convicto Simone. Ac si diceret, Joan. viii, 10 et 11 : *Mulier, ubi sunt qui te accusabant ? Nemo te condemnavit ?... Nec ego te condemnabo*.

« Remittuntur tibi peccata, »

Scilicet quoad culpam. Hoc constat. Et videtur quod etiam quoad pœnam, quia pœnitentiam non injunxit. Matth. ix, 2 : *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*. Luc. vii, 48 : *Remittuntur tibi peccata*. Hæc enim omnia operatur Deus sine usu clavium, et sine sacramentis, quibus ipse virtutem suam non alligavit.

« Et cœperunt qui simul accumbabant, »

Scilicet alii Pharisæi : quia, ut dicit Ecclesiasticus, xxvii, 10 : *Volatilia ad sibi similia conveniunt*.

« *Dicere intra se*, » quia aperte non audebant, videntes principem suum sua conscientia esse deprehensum et confusum. Ad Roman. i, 29 et 30 : *Susurriones, detractores, Deo odibiles*. Et est ista secunda murmuratio, cui non respondet Dominus, quia istam jam repressit <sup>1</sup>.

« *Quis est hic ?* » Despectum notat interrogatio, « *qui etiam peccata dimittit* : » quæ non dimittit nisi solus Deus. Marc. ii, 7 : *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus ?* Isa. xliii, 25 : *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me*.

« Dixit autem ad mulierem, »

Oblocutoribus despectis. Isa. xxxvii, 22 : *Despexit te, et subsannavit te virgo filia Sion*.

« *Fides tua*. » Ad Galat. v, 6 : *Fides per charitatem operatur*.

Hæc igitur fides quæ est veritas charitatis, « *te salvam fecit*, » quia me Deum credidisti, mihi pœnitentiam prædicanti credidisti, per charitatem in me tendens ad me venisti. Hæc (inquam) fides sub hac charitatis forma te formaliter « *salvam fecit* : » ego autem Deus ut causaliter et efficienter.

<sup>1</sup> Cf. Matth. xi, 16-19 ; Luc. vi, 3 et seq.

« *Vade* » ergo profectibus virtutum. Psal. LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus Deorum in Sion.*

« *In pace,* » in reconciliatione ad Deum. Ad Roman. v, 1 : *Justificati ergo ex fine, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.* Et infra, ̄. 11 : *Non solum autem, sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.* Hæc autem pax etiam facit pacem conscientiae, et pacem

cum Sanctis : quia tunc uno consensu bona Sanctorum communicamus. De pace conscientiae, ad Philip. iv, 7 : *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras.* De pace Sanctorum, Psal. CXXI, 7 : *Fiat pax in virtute tua.* Unde de omnibus his, Joan. xiv, 27 : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis.*

Sic igitur, « *Vade in pace* »



## CAPUT VIII.

*Parabolam de seminante proponit, ac discipulis interpretatur : nihil occultum quod non manifestetur : quos dicat suam esse matrem, suosque fratres : in mari a somno excitatus, ventum increpat : dæmoniacum ferocissimum a dæmonum legione liberat, permittens dæmonibus ut in porcos introeant : tacta fimbria vestimenti ejus mulier a fluxu sanguinis curatur, et filia Jairi archi-synagogi verbo ipsius resuscitatur.*

1. Et factum est deinceps, et ipse iter faciebat per civitates et castella, prædicans et evangelizans regnum Dei : et duodecim cum illo,
2. Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a spiritibus malignis, et infirmitatibus : Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant<sup>1</sup>,
3. Et Joanna, uxor Chusæ, procuratoris Herodis, et Susanna, et aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.
4. Cum autem turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem :
5. Exiit qui seminat<sup>2</sup>, seminare semen suum. Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud.
6. Et aliud cecidit supra petram, et natum aruit, quia non habebat humorem.
7. Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.
8. Et aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat : Qui habet aures audiendi, audiat.
9. Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset hæc parabola.
10. Quibus ipse dixit : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant\*.
11. Est autem hæc parabola : Semen est verbum Dei.
12. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt : deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.
13. Nam qui supra petram, qui, cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum : et hi radices non habent : qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.
14. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ, euntes, suffo-

<sup>1</sup> Marc. xvi, 9.

<sup>2</sup> Matth. xiii, 3 ; Marc. iv, 3.

\* Isa. vi, 9 ; Matth. xiii, 14 ; Marc. iv, 12 ; Joan. xii, 40 ; Act. xxviii, 26 ; ad Roman. xi, 8.

- cantur, et non referunt fructum.
15. Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.
16. Nemo autem lucernam accendens<sup>1</sup>, operit eam vase, aut subtus lectum ponit: sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen.
17. Non est enim occultum, quod non manifestetur: nec absconditum, quod non cognoscatur, et in palam veniat<sup>2</sup>.
18. Videte ergo quomodo audiatis. Qui enim habet, dabitur illi<sup>3</sup>: et quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.
19. Venerunt autem ad illum mater et fratres ejus<sup>4</sup>, et non poterant adire eum præ turba.
20. Et nuntiatum est illi: Mater tua et fratres tui stant foris, volentes te videre.
21. Qui respondens, dixit ad eos: Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, et faciunt.
22. Factum est autem in una dierum<sup>5</sup>, et ipse ascendit in naviculam, et discipuli ejus, et ait ad illos: Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt.
23. Et navigantibus illis, obdormivit, et descendit procella venti in stagnum, et complebantur, et periclitabantur.
24. Accedentes autem suscitaverunt eum, dicentes: Præceptor, perimus. At ille surgens increpavit ventum, et tempestatem aquæ, et cessavit, et facta est tranquillitas.
25. Dixit autem illis: Ubi est fides vestra? Qui timentes, mirati sunt ad invicem dicentes: Quis putas hic est, quia et ventis et mari imperat, et obediunt ei?
26. Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam.
27. Et cum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus multis, et vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis.
28. Is, ut vidit Jesum, procidit ante illum, et exclamans voce magna, dixit: Quid mihi et tibi est, Jesu, Fili Dei Altissimi? obsecro te, ne me torqueas.
29. Præcipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, et vinciebatur catenis et compedibus custoditus, et ruptis vinculis agebatur a dæmonio in deserta.
30. Interrogavit autem illum Jesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio: quia intraverant dæmonia multa in eum.
31. Et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent.
32. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte: et rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis.
33. Exierunt ergo dæmonia ab homine, et intraverunt in porcos: et impetu abiit grex per præceptum in stagnum, et suffocatus est.
34. Quod ut viderunt factum qui pascebant, fugerunt, et nuntiaverunt in civitatem et in villas.

<sup>1</sup> Matth. v, 15; Marc. iv, 21.<sup>2</sup> Matth. x, 26; Marc. iv, 22.<sup>3</sup> Matth. xiii, 12 et xxv, 29.<sup>4</sup> Matth. xii, 46; Marc. iii, 32.<sup>5</sup> Matth. viii, 23; Marc. iv, 36.

35. Exierunt autem videre quod factum est, et venerunt ad Jesum : et invenerunt hominem sedentem, a quo dæmonia exierant, vestitum, ac sana mente, ad pedes ejus, et timuerunt.
36. Nuntiaverunt autem illis et qui viderant, quomodo sanus factus esset a legione.
37. Et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum ut discederet ab ipsis, quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens navim, reversus est.
38. Et rogabat illum vir a quo dæmonia exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem eum Jesus, dicens :
39. Redi in domum tuam, et narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per universam civitatem, prædicans quanta illi fecisset Jesus.
40. Factum est autem, cum redisset Jesus, excepit illum turba : erant enim omnes exspectantes eum.
41. Et ecce venit vir, cui nomen Jairus<sup>1</sup>, et ipse princeps synagogæ erat : et cecidit ad pedes Jesu, rogans eum ut intraret in domum ejus,
42. Quia unica filia erat ei fere annorum duodecim, et hæc moriebatur. Et contigit, dum iret, a turbis comprimebatur.
43. Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari :
44. Accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus : et confestim stetit fluxus sanguinis ejus.
45. Et ait Jesus : Qui est qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, et qui cum illo erant : Præceptor, turbæ te comprimunt et affligunt, et dicis : Quis me tetigit?
46. Et dixit Jesus : Tetigit me aliquis : nam ego novi virtutem de me exiisse.
47. Videns autem mulier quia non latuit, tremens venit, et proci-dit ante pedes ejus, et ob quam causam tetigerit eum indicavit coram omni populo, et quemadmodum confestim<sup>1</sup> sanata sit.
48. At ipse dixit ei : Filia, fides tua salvam te fecit : vade in pace.
49. Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei : Quia mortua est filia tua, noli vexare illum.
50. Jesus autem audito hoc verbo, respondit patri puellæ : Noli timere, crede tantum, et salva erit.
51. Et cum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem, et patrem et matrem puellæ.
52. Flebant autem omnes, et plangebant illam. At ille dixit : Nolite flere : non est mortua puella, sed dormit.
53. Et deridebant eum, scientes quod mortua esset.
54. Ipse autem tenens manum ejus clamavit, dicens : Puella, surge.
55. Et reversus est spiritus ejus, et surrexit continuo. Et jussit illi dari manducare.
56. Et stupuerunt parentes ejus, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.

<sup>1</sup> Matth. ix, 18 ; Marc. v, 22.

## IN CAPUT VIII LUCÆ

## ENARRATIO.

« Et factum est deinceps, et ipse iter faciebat per civitates et castella, prædicans et evangelizans regnum Dei : et duodecim cum illo,

Et mulieres aliquæ quæ erant curatæ a spiritibus malignis, et infirmitatibus : Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant,

Et Joanna, uxor Chusæ, procuratoris Herodis, et Susanna, et aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. »

Hic incipit pars illa, in qua informat Ecclesiæ Prælatos de prædicandi et docendi officio ad quod principaliter inventus est et traditus ordo Episcopalis.

Et notatur hujus officii privilegium in quatuor : quorum primum est, quia illius officii actus ab Episcopo per se est exercendus, in aliis autem potest constituere vicarium. Act. vi, 2 et seq., dixit Petrus : *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus.* Ex hoc patet quod in operibus misericordiæ licet habere vicarios, et non in verbi dispensatione. De judiciis autem quæ committuntur Prælati, dicit Apostolus, I ad Corinth. vi, 4 : *Contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Non quidem contemptibiles in vita, sed qui ad prædicandum verbum non sunt idonei : sicut

et Jethro consuluit <sup>1</sup>, ut Moyses per seipsum ageret in his quæ ad Deum pertinent, et ut majora referrentur ad ipsum, et in aliis haberet vicarios qui odissent avaritiam, et sapientes in judiciis qui judicarent populum : quia aliter stulto labore consumendus esset. Hujus signum est quod Dominus injungit officium doctrinæ et prædicationis Prælati, et tacet de aliis. Act. 1, 8 : *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Hæ autem omnia nunc commixta et perversa sunt : quia de principali nulla vel modica cura : de secundariis autem propter lucrum annexum totum consumitur tempus.

Secundum est, quia ad hoc officium per contestationem extremi judicii Ecclesiæ pastores obligantur, et non ad aliud. II ad Timoth. iv, 1 et 2 : *Testificor coram Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, et per adventum ipsius et regnum ejus, prædica verbum, insta opportune, importune : argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*

Tertium est, quia hoc officium diligenter exercens, dupliciter remuneratur. I ad Timoth. v, 17 : *Qui bene præsent presbyteri, duplici honore digni habeantur.*

Quartum est, quia cum voce jubili tales, quando boni sunt, suscipit Deus. Matth. xxv, 21 : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.*

Et hac de causa etiam Dominus hic valde diligenter tria exsequitur, et instruit Apostolos.

Facit autem circa hæc tria quæ sunt necessaria, quorum primum est diligentia sui in exemplum proposita. Secundum autem, diversitas verbi prædicati in fructu demonstrata. Tertium autem, virtus verbi in cordibus auditorum per effectum miraculorum probata. Et hæc patent in littera.

<sup>1</sup> Cf. Exod. xviii, 19 et seq.



In primo horum notantur duo: Prælatorum ad prædicandum exemplaris instructio, et prædicantium in accipiendo temporale solatium potestatis concessio.

In primo horum adhuc sunt duo: exempli scilicet exhibitio, et eorum quibus exhibetur ad exemplum excitatio.

Quinque autem sunt in exemplo, scilicet, ordinata a Deo ad hoc ministerium dispositio, laboris adhibiti sollicitudo, diversitas eorum quos docuit prædicationis verbo, modus quem habuit in proponendo, et sinceritas quam tenuit verbum de caste docendo et nullo peregrino dogmate adulterando. Et hæc patent in littera.

De primo dicit :

« Et factum est deinceps, »

Non quidem adhuc in operis executione, sed in summæ sapientiæ præordinatione. Et ideo hoc opus dicit sibi præordinatum a Patre. Joan. xvii, 4 : *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.* Joan. vii, 16 : *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me, scilicet Patris.*

Hoc autem quod dicit, « *deinceps*, » non notat ordinem temporis, sed rationis: quia ordinat ista Evangelista secundum quod ad propositi sui in officio sacerdotali faciunt probationem.

« Et ipse iter faciebat. »

Ecce laboris adhibiti difficultas. Itinerando enim pedes laborabat Dominus in prædicando. Joan. iv, 6 : *Jesus fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* Proverb. vi, 3 : *Discurre, festina, suscita amicum tuum.*

« Per civitates. »

Ecce eorum quibus prædicandum est

diversitas. In civitatibus enim sunt personæ urbanæ et solemnes. In castellis autem habitant forenses et humiles personæ. Et hoc est quod dicit : « *Et castella.* » Ad Roman. i, 14 et 15 : *Sapientibus et insipientibus debitor sum : ita (quod in me) promptum est.* Matth. ix, 35 : *Circuibat Jesus omnes civitates et castella.* Cantic. vii, 11 : *Egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Notatur etiam in hoc quod urbanis hominibus loquendum est de civilibus et virtute : castellanis autem de his quæ spectant ad militiam et culturam, ita quod cuilibet proponatur verbum secundum suam capacitatem, et instruatur ex his quæ magis novit : « ut, sicut dicit Gregorius, ex « his quæ animus novit, surgat ad incognita quæ non novit : quatenus exemplo visibilium se ad invisibilia rapiat, « et per ea quæ usu didicit, quasi confricatus incalescat : ut per hoc quod scit « notum diligere, discat et incognita « amare<sup>1</sup>. » Quia quilibet facilius instruitur per ea quæ visitavit, quam per ea quæ non consuevit.

« Prædicans et evangelizans. »

Prædicatio est de his quæ sunt fidei : licet sint supra rationem, tamen congruis et rationabilibus similibus exposita facile capiuntur : quia fides non longe est a ratione. Ad Roman. x, 8 : *Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo.* Hoc est verbum fidei quod prædicamus. Evangelizatio autem est eorum quæ proponuntur ex divino oraculo. Et ideo dicitur *bona nuntiatio* : quia quod ex oraculo Dei, et Angelorum, et Sanctorum annuntiatur, semper est bonum. Vel ad hoc quod cautos reddit si terret. Vel ad hoc quod allicit si promittit. Vel quia instruit ad veritatem si enuntiat aliquid de divinis. Unde isti sunt duo boni modi verbum proponendi. Matth. iv, 23 : *Circuibat Jesus totam Galilæam docens in*

<sup>1</sup> S. GREGORIUS, Homil. XI in Evangel.

*synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni. Luc. II, 10: Evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo.*

« *Regnum Dei,* » non adulteratum, sed simplex et simpliciter propositum. Ezechiel. II, 7: *Loqueris verba mea ad eos, si forte audiant, et quiescant.*

Hoc enim verbum auctoritate, subtilitate, veritate, utilitate, præcellit omne verbum.

Auctoritate quidem, quia Dei est qui primus omnium auctorum auctor est. Et ideo propheta non sibi verbum usurpat, sed se calamum auctoris vocat. Psal. XLIV, 2: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Et ideo verbum Dei potestativum est, et omnipotens. Potestativum quidem in Psalmo CXL, 6: *Audient verba mea, quoniam potuerunt.* Omnipotens autem, Sapient. XVIII, 15: *Omnipotens sermo tuus de cælo a regalibus sedibus venit.*

De subtilitate autem dicitur, ad Hebr. IV, 12, quod sermo Dei *penetrabilior est omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.*

De veritate, Joan. XVII, 17: *Sermo tuus veritas est.* II ad Corinth. I, 18 et 19: *Non est in illo, Est et Non: ... sed Est in illo fuit.* Dionysius ad Appollophanem: « *Veritati dedisti manus, et falsitatis te nebris es absolutus.* »

De utilitate, Isa. LV, 11: *Verbum quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud.*

« *Et duodecim cum illo.* »

Ecce instruendorum ad instructionem exemplarem excitatio. Duodecim enim Apostoli figura sunt omnium Episcoporum in Ecclesia constituendorum, sicut diximus in ante habitis: ubi etiam nu-

meri istius ostendimus soliditatem, et perfectionem. Isti ergo duodecim sequebantur eum relictis propriis. Matth. XIX, 27: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.*

« *Et mulieres, etc.* »

Ecce collata potestas temporale solatium accipiendi his, qui verbum fideliter annuntiant. Et innuitur hic quod etiam ab uno potest accipi, quando alii quam illi prædicatur. Ponitur autem in mulieribus exemplum: quia devotior est sexus, et facilius obedibilis in bonum.

Dicuntur autem hic duo. Primo enim commendantur quædam specialiter descriptæ per nomina. Secundum autem innuitur de aliis multis inferioribus quæ non sunt nominatæ, quæ forte ut ancillæ istis deserviebant.

Circa eas autem quæ specialiter nominantur, duo attenduntur, scilicet, spirituale impensum eis beneficium, et expressio nominum.

De primo dicit:

« *Et mulieres,* » non a mollitie, sed a sexu sic vocatæ. II Machab. VII, 21: *Fæminæ cogitationi masculinum animum inserens.* Proverb. XXXI, 10: *Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium ejus.*

« *Aliquæ,* » notæ dignitatis et virtutis. Ruth, III, 11: *Scit omnis populus qui habitat intra portas urbis meæ mulierem te esse virtutis.* Proverb. XXXI, 31: *Date ei de fructu manuum suarum: et laudent eam in portis opera ejus.*

« *Quæ erant curatæ a spiritibus malignis.* »

Ecce mulieribus impensum beneficium, quod optime competit mulieribus Prælati Ecclesiæ ministrantibus, quod prius per eas a spiritibus immundis sint curatæ: quia aliter magnum in hoc esset periculum. I ad Corinth. IX, 5: *Nunquid*

*non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et cæteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas?* Mulieres enim tunc apud Judæos viris ministrabant, et post eos ibant seorsum, tamen sequestratæ a viris. Zachar. xii, 12: *Mulieres eorum seorsum*. Unde etiam legitur in *Itinerario Clementis*, quod multæ mulieres cum uxore Petri sequebantur, præsertim quæ ministrabant: sequestratæ tamen ibant a viris, et seorsum noctibus hospitabantur. Nunc autem quia Prælati mulieres a spiritibus immundis non curant, sed potius curatas pollunt et immundant, esset hoc valde suspectum si fieret. Attendendum etiam est, quod hi qui hoc fecerunt, mortuos suscitaverunt, et alias virtutes operabantur. Unde Hieronymus quibusdam monachis mulieres circumducentibus respondit: « Suscita mortuum, et duc mulierem tecum. »

Non autem erant tantum curatæ a spiritibus malignis, sed etiam ab aliis « *infirmatibus*. » Unde, supra, iv, 38 et 39, curata est socrus Petri a magnis febribus. Et infra, in eodem, ȳ. 43 et 44, mulier hæmorrhøissa a fluxu sanguinis, et aliæ quædam sunt curatæ.

« Maria, quæ vocatur Magdalene, »

De qua in præcedenti capitulo habitum est. Dicitur autem *Magdalene* a Magdalo castro, cujus ipsa domina et hæres fuit. Et hæc est prima specialiter nominata, et est exemplum pœnitentiæ, ut ante diximus. Maria enim *amarum mare* vel *amaritudo* interpretatur. Et hæc fuit in dolore contritionis, sicut dicitur, Ruth, i, 20: *Amaritudine valde replevit me Omnipotens*. Magdalena vero interpretatur *turrita*: quia sicut turris quædam firmissima, suo exemplo salvat pœnitentes. Cantic. iv, 4: *Turris David ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. David enim, qui *manu fortis* interpretatur, etiam exemplum est pœ-

nitentium. Sua autem turris præsidium est pœnitentium, quæ propugnacula habet pœnitentium amaritudines, et pœnitentiæ partes, et exempla pœnitentium. Armatura autem fortium sunt virtutes, dignos fructus pœnitentiæ facientium. In hoc enim nomen Domini Jesu verificatur, quod salvum faciat populum suum a peccatis eorum. Proverb. xviii, 10: *Turris fortissima nomen Domini: ad ipsum currit justus, et exaltabitur*.

Et post nomen proprium et patriæ descriptionem, tangit a Domino consecutum beneficium:

« De qua septem dæmonia exierant. »

Septenarius autem, ut dicit Gregorius, ad universitatem pertinet: quia omne tempus septem diebus agitur: et ideo septem dæmonia habuit, quæ universis vitiis plena fuit. Universis autem vitiis plena fuisse dicitur, quæ septem capitalia vitia habuit, ad quæ omnia alia reducuntur sicut membra ad capita: de quibus dicitur, Isa. i, 5: *Omne caput languidum*. Et, Habacuc, iii, 13: *Percussisti caput de domo impii*. Et, Exod. xii, 30, quod in omni domo jacebat mortuum primogenitum. Primogenitum enim in domo Ægyptiorum, est in quolibet genere capitale vitium.

Inveniuntur etiam in sacra Scriptura septem nomina dæmonum, septem vitia prætentia, quæ sunt Diabolus, Satanas, Leviathan, Asmodæus, Behemoth, Appollion, Dæmon.

Diabolus autem qui *deorsum fluens* interpretatur, significat superbiam, quæ quanto in altum se extendit, tanto profundius cadens deorsum fluit. Unde, Job, xli, 25, dicitur: *Ipse est rex super universos filios superbix*.

Satanas autem interpretatur *adversarius plasmationi*, et significat invidiam, quæ semper comes est superbix, ut dicit Augustinus, et Gregorius: quia invidia contrariatur omni ei quod in bonum plasmat Deus. Sapient. ii, 24 et 25:

*Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum : imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* Et isti duo dæmones cum omni nequitia sua sunt spirituales.

Leviathan autem interpretatur *additamentum eorum*, et significat avaritiam, quæ semper est in addendo. Isa. v. 8 : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci.* Et hæc cum suo exercitu in medio carnis et spiritus habitat.

Appollion quod latine sonat *exterminator*, significat eum qui præest iræ, quæ omnia exterminat, et hominem ponit extra terminos rationis : quia impedit ira animum ne possit cernere verum. Jacob. 1, 20 : *Ira viri justitiam Dei non operatur.* Et ille dæmon etiam in medio carnis et spiritus habitat et obsidet : quia in carne facit evaporationem fellis : in spiritu autem vindicationis appetitum.

Dæmon autem, ut quidam dicunt, *sufficiens iniquitas* interpretatur, et significat acediam, quæ amore jucunditatis temporalis tristis et pigra est in spiritualibus : et materiam quidem habet in exterioribus, tristitiam autem in interioribus : et etiam ipsa est in medio obsidens et opprimens. II ad Corinth. vii, 10 : *Sæculi tristitia mortem operatur.* Eccli. xxx, 25 : *Multos occidit tristitia, et non est utilitas in illa.*

Behemoth autem *bos* dicitur, et gastrimargiam significat : quia ventrosi sicut vituli effunduntur super escam. Jerem. 1, 11 : *Effusi estis sicut vituli super herbam.* Job, xl, 10 : *Fœnum quasi bos comedet*, hoc est, sine intellectus discretionem, sicut bos comedit fœnum. Ad Philip. iii, 19 : *Quorum Deus venter est.*

Asmodæus autem qui insidiabatur sanctorum nuptiis, et *profanum judicii* interpretatur, luxuriæ est dæmon, propter quem mundus iudicio Dei diluvio periit. Genes. vi, 12 et 13 : *Cumque vi-*

*disset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruerat viam suam super terram), dixit ad Noe : Finis universæ carnis venit coram me.*

Sunt tamen adhuc duo non tam dæmonum quam rerum nomina, quæ dæmones aliquando accipiunt in potestate : sicut Lucifer, et Mammona. Sed Lucifer aliquando dicitur propter eventum, quia se in Angelum lucis transformat. II ad Corinth. xi, 14 : *Ipse Satanæ transfiguratur se in Angelum lucis.* Et ideo hoc non est proprium uni exercitui, sed multis appropriatur. Mammona autem Syra lingua, interpretatur *divitiæ*. Et hoc est quod aliquando committit dæmoni avaritiæ. Et ideo non proprie est nomen dæmonis. Matth. vi, 24 : *Non potestis Deo servire, et mammonæ.*

Hæc igitur septem, universitatem significant nequitiarum dæmonis, sicut dicit Gregorius, a quibus Maria Magdalena in figuram omnium pœnitentium curata fuit : sicut habitum est in præcedenti capitulo <sup>1</sup>. Et ideo sapienter vestigiis illis semper adhæsit, ante quod a tot dæmonibus liberata fuit.

« Et Joanna. »

3

Secunda est quæ nominatur, quæ Dominum sequebatur, quæ aliquando fuit uxor procuratoris Herodis, et post mortem ejus, ut creditur, vel etiam ante mortem, si vir non voluit ei cohabitare, nisi in contumeliam Creatoris. Primum tamen est probabilius. Hæc autem Joanna quæ vaga non fuit, sed uni idololatræ conjuncta : ideo vel Ecclesiam de Gentibus, vel animam significat, prius idolis spectaculorum mundi deditam, nunc autem ad Christum verum sponsum conversam. I ad Corinth. vii, 15 : *Quod si infidelis discedit, discedat : non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Joanna autem interpreta-

<sup>1</sup> Vide supra vii, 37 ad finem.

tur, *Dominus est gratia ejus* : vel, *Dominus misericors ejus* : quia per misericordiam Domini venit ad gratiam Domini. Ad Titum, III, 5 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.*

Hæc fuit « *uxor*, » uxorio affectu, non sorde contubernii lupanaris, « *Chusæ*, » qui *sextarius* interpretatur : quia ad mensuram iniquam Herodis, ad tributa iniqua persolvenda homines impellebat. Mich. VI, 10 : *Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena.* Mensuram enim minorem habent ad dandum, et mensuram majorem ad recipiendum.

« *Procuratoris Herodis.* » Glossa : « Cum quilibet malignus spiritus pro regno diaboli ad decipiendum laborat, quasi Herodis impissimi procurator existit. » Unde et hæc Joanna sicut et Matthæus et Zachæus de lucris illicitis ad Deum conversa intelligitur. Et sicut Matthæus, supra, V, 29, et Zachæus, Luc. XIX, 6, fecerunt Domino convivia : ita et ista, ea quæ illicite acquisita fuerant, et nesciebatur cujus erant, in usus pios sustentando Dominum, erogabat. Unde Glossa : « Ministrabat Domino carnalia, cujus metebat spiritualia : ut formam daret Prædicatoribus, quod victu et vestitu debent esse contenti. » Isa. XXIII, 18 : *Erunt mercedes ejus sanctificatæ Domino : non condentur neque reponentur, quia his qui habitaverint coram Domino erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem.* I ad Corinth. IX, 11 : *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?*

Tertia nominata inter famosas mulieres, est

« Susanna, »

De cujus modo vivendi nihil dicitur.

<sup>1</sup> Psal. LXXXVI, 3 et seq. : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei ! Memor ero Rahab et Babylo-*

Interpretatur autem *lilium*, propter odoriferum cœlestis vitæ candorem, ut dicit Glossa. Et ideo significat viventes in cœlibatu et innocentes. Cantic. II, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Una igitur trium ex scandalo fluxæ carnis ad Christum conversa. Secunda, ex lucris concupiscentiæ sæculi. Tertia autem, ex flore virtutum cœlestium adhæsit divino flori. Hæc enim est colonia civitatis divinæ, quod cum Susanna et similibus gloriosa dicuntur de ea : cum Magdalena memor est Rahab meretricis, et Babylonis probrosissimæ confusionis : cum Joanna alienigena, et Tyrus, et populus Æthiopum, de angustia lucrorum sæculi ereptus, habitat in ea : appropriat enim virtutem et attrahit peccatores, ostendes quod innocentes et recti adhæserunt sibi <sup>1</sup>.

Hoc est quod sequitur :

« Et aliæ multæ, »

Similes illis, vel secundum pœnitentiam, vel secundum innocentiam. Nec est hic murmur innocentis contra pœnitentem, sicut, Numer. XII, 1, Maria, soror Moysi pulchra, murmurabat de uxore Moysi Æthiopissa : quia jam Æthiopissa mutavit pellem nigram : quod non fuit possibile Moysi, qui gratiam per legem suam non conferebat. Jerem. XIII, 23 : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas : et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.*

Tangit autem harum fœminarum pietatis officium, dicens :

« Quæ ministrabant ei de facultatibus suis. »

Luc. XXIII, 49, dicitur, quod ascenderunt cum eo de Galilæa. Et hic dicitur, quod *ministrabant ei de facultatibus suis.*

*nis, scientium me : ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic, etc.*

Matth. x, 10 : *Dignus est operarius cibo suo.* I ad Corinth. ix, 7 : *Quis militat suis stipendiis umquam?... quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducatur?* Hoc autem illo tempore a mulieribus accipere non erat scandalum : quamvis scandalum esset apud Gentiles, non apud Judæos. Et ideo Paulus prædicans Gentibus, ista potestate uti noluit, I ad Corinth. ix, 14 et 15 : *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Ego autem nullo horum usus sum.*

Licet ergo tres sint nominatæ, quarum una fuit pœnitens, et altera conjugata, et tertia continens et innocens, ex quibus tribus statibus tota consistit Ecclesia : tamen « *et aliæ multæ,* » ad aliquem statum istarum relatæ, sequebantur eum. In talibus enim ædificationis exemplum est, quando multæ sequuntur : et scandalum, quando sequitur una vel pauca. Luc. xxiii, 27 : *Sequebatur autem illum multa turba populi, et mulierum quæ plangebant et lamentabantur eum.*

Et talis multitudo sequentium innuitur hic cum dicit :

4 « Cum autem turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem.

Tangitur autem hic modus doctrinæ quem debent habere discipuli.

Et sunt in hac parte duæ instructiones, quarum prima est diversitas verbi penes fructum quem facit in audientibus. Secunda autem est diversitas modi docendi, quem debet habere in prædicantibus. Et hæc patent in littera.

Prima harum instructionum habet partes duas : in quarum prima competens audientibus proponitur sermo parabolicus. In secunda, congruens Doctori-

bus ponitur ejusdem explanationis modus.

Adhuc, in prima harum partium tangit tria, quorum unum est convenientium multitudo, sermonem parabolicum exigens. Secundum autem, docentis officium, ad docendum ex debito officii cogens. Tertium autem, diversitatem fructus verbi, non ex docente, sed ex auditoribus esse ostendens.

De primo dicit :

« Cum autem turba plurima convenirent. »

Et in hoc notantur quinque : temporis videlicet congruentia, multitudinis præsentia, turbationis in audientibus impediens malitia, præsentium ad audiendum concordia, et Doctorum veritatis deficientia.

Primum horum notatur cum dicit : « *Cum autem.* » Dicit enim Chrysostomus, quod « omnis Doctor bonus, multis præsentibus auditoribus ad docendum incitatur : cum autem nulli sunt præsentibus, casso labore clamans Doctor consumitur. » Joan. xvii, 1, cum multi venirent, et Gentiles etiam properarent, dixit Jesus : *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum.* Clarificatur autem maxime in verbo fidei in cordibus auditorum. Hoc tempus describit, Joan. iv, 35, quando dicit discipulis : *Videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem :* quia jam corda auditorum præparata erant ad verbi prædicati fidem.

« *Turba* » a turbando dicitur. Et erat in eis malitia perversorum dogmatum, turbans et obnubilans ex diversis hæresibus Phariseorum, Essæorum, et Sadducæorum, inducta. Et in ista turbatione primo venit ad Joannem, et postea per Joannem ad Dominum. Unde, Matth. v, 1 : *Videns Jesus turbas, ascendit in montem.* Sequebantur autem eum *sicut oves non habentes pastorem*<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Matth. ix, 36 ; Marc. vi, 34.

« *Plurima.* » Ecce multitudinis præsentia. Plurimum enim pro superabundantia dicitur multitudinis. Joan. vi, 5 : *Cum vidisset quia multitudo maxima venit ad eum.* Joan. xii, 12 et 13 : *Turba multa, quæ venerat ad diem festum,*... clamabat : Hosanna filio David. Unde, Matth. xiii, 2, et Marc. iii, 9, dicitur, quod ascendit in naviculam propter turbæ multitudinem, et turba stabat in litore.

« *Convenirent.* » Ecce ad audiendum concordia. Ad hoc enim convenerunt ut audirent. Genes. xlix, 2 : *Congregamini, et audite, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum.* Eccli. li, 31 : *Congregate vos in domum disciplinæ.* Hic autem conventus turbæ est convolutio mentis in unum, ut tota intentione sermo percipiatur auditus.

« Et de civitatibus properarent ad eum. »

Ecce Doctorum in locis solemnibus ubi esse debuerunt, deficientia.

Et tangit duo : loca solemnia doctrina bona destituta, et aviditatem auditus.

Dicitur ergo : « *Et de civitatibus* » solemnibus, in quarum portis Doctores sedere debuerant. Isa. i, 21 : *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicii? Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.* Isa. lix, 14 : *Corruit in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi.*

Et ideo currebant, ut « *properarent ad eum* » tamquam ad veritatis Doctorem. Isa. lv, 1 : *Omnes sitientes, venite ad aquas.* Matth. xi, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis.* Proverb. viii, 1 : *Numquid non sapientia clamitat, et prudentia dat vocem suam?* Isa. lv, 1 : *Omnes sitientes, venite ad aquas : et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite : venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac, hoc est, doctrinam gaudiorum cœlestium, et*

doctrinam fidei rudimentorum, quæ debetur parvulis. Proverb. v, 16 : *Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide.*

« Dixit per similitudinem. »

Ecce, secundum analogiam humani intellectus proprius doctrinæ modus. « Est enim, ut dicit Dionysius, materia-  
« *lis noster intellectus, et non instruitur nisi per similitudines corporales introductus.* » Sic enim dicit Philosophus : « Intellectus noster accipit cum continuo et tempore. » Et ideo oportet cum similitudinibus informari, donec seipsum plenius adipiscatur, ex percepto intelligentiæ separatæ lumine. Adeptus enim seipsum intellectus, intelligit sine similitudine. Et sic intellectus discipulorum, non adeptus autem, sine similitudine et forma continui et temporis, nihil penitus intelligit. Et talis est intellectus turbarum. Matth. xiii, 34 : *Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis.* Psal. lxxvii, 2 : *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.* Proverb. i, 6 : *Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum et ænigmata eorum.*

« Exiit qui seminatur, seminare semen suum. »

Ecce officium, ad docendum Doctorem cogens.

Et dicit quinque : Doctoris scilicet ad docendum processum, Doctoris debitum officium, Doctoris proprium actum, doctrinæ materiam, et ejusdem materiæ puritatem.

Processum tangit cum dicit : « *Exiit.* » In domo enim seminatum putrescit, et non fructificat. Unde, Matth. xiii, 38 : *Ager autem est mundus, in quo verbum Dei sicut in agro seminatur.* Joan. xvi, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum.*

Iste est ager de quo dicitur, Genes. xxiv, 63 : *Egressus autem fuerat Isaac ad meditando in agro.* Cantic. vii, 11 : *Egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Talis igitur est ad seminandum processus. Arguuntur autem de ignavia agricolæ domi manentes, expectantes donec ager, rura relinquens propria, ad eos in domum veniat. Agricola enim egreditur ad agrum, et non ager domum vadit ad agricolam. Genes. ix, 20 : *Exercere terram Noe vir agricola cæpit.*

« Qui seminat. »

Ecce seminantis sive prædicantis officium. Qui seminat enim est seminator, qui seminandi per curæ susceptionem sive per voti emissionem suscepit officium. Unde et Apostolus, Act. xvii, 18, seminator verborum est vocatus<sup>1</sup>. Marc. iv, 3 : *Exiit seminans ad seminandum.* Psal. cxxv, 5 : *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.* Isa. xxvii, 6 : *Qui ingrediuntur impetu ad Jacob, florebit et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine.* Videns enim Isaias in spiritu dignitatem horum seminorum, admirando dicit : Qui ingrediuntur impetu charitatis et zelo animarum impulsus ad Jacob, et in isto ingressu florebit virtute et germinabit opere Israel, et replebunt verbo prædicationis faciem orbis, in cordibus hominum semine germinante verbo in fidem credentium.

« Seminare. »

Ecce seminantis proprius actus. Est autem *seminare* late per totum agrum semen spargere, non in unum locum conjecta semina reponere. Eccle. xi, 6 : *Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua : quia nescis quid magis oriatur hoc aut illud : et si utrumque simul, melius erit.* Osee, x, 12 :

*Seminate vobis in justitia, et metite in ore misericordiæ.* Seminatio enim fit in veritate fidei, ut justitia bonorum morum exoriat. Messio autem quando fructus de conversione fidelium colligitur, fit in ore misericordiæ, ut inopiæ et fragilitati, quantum fieri potest, parcat.

« Semen. »

Ecce seminantis materia. Non enim prædicationis materia est nisi semen quod fructum potest facere : non cicuta, quæ inducit insaniam : vel urtica, quæ excitat libidinis pruritus : sed semen faciens fructum, in quo effectiva causa est fructus nativitatis divinæ. Genes. i, 12 : *Faciens semen juxta genus suum.* Sicut etiam semen Dei juxta genus suum effectiva causa est nativitatis divinæ. Psal. cvi, 37 : *Seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis.* Hoc est enim naturale.

« Semen suum. »

Ecce seminis puritas. Non enim debet seminari nisi semen summi agricolæ, et non aliud : quia quidquid aliud seminatur, producit stirpes adulterinas. Sapient. iv, 3 : *Spuria vitulamina non dabunt radices altas.* Matth. xiii, 27 et 28 : *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Et ait illis : Inimicus homo hoc fecit.* Levit. xix, 19 : *Agrum tuum non seres diverso semine.* Non enim seminandum est nisi semen Dei, et nullum aliud. Et hoc optime significatum est, Osee, ii, 21 et seq. : *Et erit in die illa : Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos : et illi exaudient terram. Et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum, et hæc exaudient Jezrahel. Et seminabo eam mihi in terra,* etc. Cæli enim rorantes desuper Angeli sunt seminibus jactis, illuminando, pur-

<sup>1</sup> Act. xvii, 18 : *Quidam dicebant : Quid vult*

*seminiverbius hic dicere?*



gando, et perficiendo semini verbi in corde cooperantes. Terra autem, fundus est boni et culti per virtutem cordis. Triticum autem, fructus cor confirmans in gratia : vinum, lætitiā ferens in spē cœlestium. Jezrahel autem *semen Dei* interpretatur, quod est divinum et efficax ad fructum fidei verbum. His igitur Domini terra utiliter seminatur.

Attende autem, quod semen quinque in se habet boni dispositiones. Est enim purum a palea purgatum. Est in se habens duplicem virtutem : imprægnantis, et imprægnati, ut dicit Philosophus : et in his est vigorosum. Est etiam germinans sola virtute cœlestium. Est in se moriens, ut faciat suæ speciei fructum. Est etiam sui, licet sit parvum, mirabiliter multiplicativum. Et a quocumque horum ceciderit, cadit a ratione et perfectione seminis.

Purum enim a palea (temporalium superfluitatum) et herba (quæ est jumentorum pabulum) depuratum est : sicut dicitur, Luc. III, 17 : *Cujus ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum : paleas autem comburet igni inextinguibili*. Sed nunc e converso est : quia agricolæ Domini, triticum comburunt igni inextinguibilis concupiscentiæ, et paleas quibus ignis inferni in eos succendatur, diligenter congregant in horrea sua.

Quod autem semen habeat virtutem et imprægnantis et imprægnati, dicit Philosophus : quia est sicut ovum in quo congregatus est uterque sexus, et ideo est efficiens et materia fructus : sicut dicitur, Genes. I, 11 : *Cujus semen in semetipso sit*, hoc est, seminis efficacia. Non enim haberet seminis efficaciam, nisi haberet utramque naturam.

Virtute autem cœlesti pullulat : sicut dicitur, Jerem. XXXIII, 13 : *Germinare faciam David germen justitiæ*. Quasi dicat : Ego de cœlo suscito. Isa. XLV, 8 : *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet salvatorem*. Psal. LXXXIV, 13 : *Dominus*

*dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum*.

De morte autem dicitur, Joan. XII, 24 et 25 : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*. Et ideo dicit Apostolus, I ad Corinth. XV, 36 : *Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur*. Sic et nos mori nobis oportet, si in fructu animarum volumus resurgere.

De mirabili multiplicatione dicitur, Isa. LV, 10 et 11 : *Quomodo descendit imber et nix de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti : sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo : non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud*. Isa. IV, 2 : *Erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis*.

Est etiam considerandum secundum Constantinum in *Pantegni*, et Isaac, quod in granis bonitas consideratur in tribus, scilicet, si colore est rubeum, si quantitate secundum suum genus est magnum, si pondere est grave in genere suo : quæ competunt divino semini, quod est Dei verbum. Hoc enim magnum est, quia de magnis. Proverb. VIII, 6 : *De rebus magnis locutura sum : et aperientur labia mea, ut recta prædicent*. Matth. V, 2 : *Jesus aperiens os suum, docebat eos*. Act. X, 34 : *Aperiens Petrus os suum, dixit*. Hoc etiam est colore exterius charitatis igne rubeum, et intus puritate substantiæ mirabiliter candidum. Cantic. V, 10 : *Dilectus meus candidus et rubicundus*. Dilectus autem est verbum divinum. Hoc etiam est pondere intelligendi gravissimum, et omnem excedens intellectum. Eccli. I, 3 : *Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigavit?* Ad Roman. XI, 33 : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!*

Sic igitur, « *Exiit seminare semen suum.* »

« Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud. »

Ecce ex parte fundi suscipientis semen in fructificando diversitas.

Et tangit duo, scilicet, quod ex parte seminantis non est ista diversitas, et quod ex fundo suscipiente tota generatur diversitas et non ex semine.

Primum horum notatur cum dicit : « *Et dum seminat,* » hoc est, in commune spargit semen sicut debet. Non enim potest attendere seminans quo semen cadat, dummodo in communi in agrum ubique semen dispergit. Disperguntur autem semina, quando diversis moribus bene adaptantur verba. Unde, Matth. xxviii, 19 : *Docete omnes gentes.* Genes. xxxiv, 21 : *Negotientur in terra, et exerceant eam, quæ spatiosa et lata cultoribus indiget.* Spatiose enim et late semen est spargendum.

« Aliud cecidit secus viam. »

Ecce diversitas ex fundo. Dicit autem in communi ex fundo duas in communi diversitates : unam ex fundo malo, et aliam ex fundo bono.

Quia autem malum est omnifariam, ideo ex fundo malo tres ponit diversitates, quarum una est malitia, non ex fundo, sed ab extrinseco fundi in fundum inducta. Secunda est ab ipsa fundi malitia causata. Tertia est ab intimo fundi concepto, ad superficiem fundi pullulando exorta. Via enim trita est, et indurata pedibus transeuntium. Lapidosa autem ab ipso fundo sunt nata, et spinosa a mala stirpe in fundo concepta ad superficiem emersa. Hæc autem tria, malæ tres sunt cordis dispositiones. Est enim cor omnibus vanitatum et concupiscentiarum et phantasiarum transitibus tritum, et quasi via factum, et induratum : ut ni-

hil boni seminis in interioribus sui recipiat. Et huic malitiæ fundi duplex dicit malum : attritionem, et indurationem interius : et insidias avium exterius.

Et hoc est quod dicit :

« *Aliud cecidit,* » non ex intentione seminantis, sed ex malitia recipientis, « *secus viam,* » in loco conculcato et indurato ex frequentia transeuntium vanitatum, in deliciis et levitate ambulantium. Isa. li, 23 : *Dixerunt animæ tuæ : Incurvare, ut transeamus : et posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeuntibus.* I Reg. xxi, 5 : *Via hæc polluta est.* Hæc est dispositio cordis in quo omnis aratura, disciplinæ sarculo facta, consuetudine vanitatis et deliciarum deleta est et in duritiam redacta. Super hanc enim terram semen cadens, retunditur et resilit : et tunc nudum in superficie dura jacens, nullas radices in profundum mittit : et ideo perit expositum avibus ad devorandum. Psal. lxxix, 13 : *Vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam.*

Et hoc est quod sequitur :

« Et volucres, »

Hoc est, dæmones insidiando circumvolantes, « *cœli,* » hoc est, hunc aerem caliginosum eos celantem inhabitantes, « *comederunt,* » sibi incorporaverunt, « *illud,* » quoad fructum quem non facit nisi malum. Deuter. xxxii, 24 : *Devorabunt eos aves morsu amarissimo.* Apocal. xviii, 2 : *Facta est custodia omnis volucris immundæ.*

Objicitur autem, quod si semen est verbum Dei, non potest esse verum quod volucres dæmones hoc comedant : quia verbum Dei fugiunt et sibi non incorporant.

Ad hoc autem dicendum est, quod omne semen in naturam suam trahit terram in quam cadit : quia aliter pullulare non posset. Et ideo hic etiam non dicitur tantum, *semen,* verbum nudum : sed etiam cordis dispositio, quod attrahitur

vel attrahi debet a verbo. Et quia hoc dæmon a verbo exspolians incorporat et sibi assimilat, ideo verbum et semen dicitur devorare. Osee, viii, 7 : *Culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam : quod et si fecerit, alieni comedent eam.* Ezechiel. xxxix, 4 : *Feris, avibus, omnique volatili et bestiis terræ dedi te ad devorandum.*

Attende etiam, quod primo conculcatum est transitibus vanitatum, et postea ab avibus comestum : quia vanitas concupiscentiarum locum dat diabolo ut devoret semen verbi. Et hoc cavens Sara, Tob. iii, 17, dixit : *Numquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in levitate ambulant participem me præbui.* Matth. vii, 6 : *Ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.*

« Et aliud cecidit supra petram, et natum aruit, quia non habebat humorem. »

Secunda est dispositio, malitia fundi quæ ex ipso nascitur fundo.

Est autem hæc malitia triplex, scilicet, quod aut fundus est nuda petræ duritia, aut parum terræ habens in superficie : aut quod fundus non sit petra, sed petrosus nimis, licet modicum terræ sit interpositum inter petram et petram. Hæc enim ex fundo est malæ terræ dispositio. Si enim sufficienter posita esset terra inter petram et petram, et esset locus aliquo accidente frigidus : aut quia longe esset a via solis, aut ex vicinitate montium superiorum : tunc interpositio petrarum faceret agri fertilitatem : quia tunc petræ modicum solis incidentem calorem congregarent, et diu tenerent, et terram interpositam temperate calefacerent, et facerent eam feracem et fertilem. Et hoc probant opera rusticorum, qui ante agros suos habent montes altos versus meridiem. Illi enim non ejiciunt de agris suis petras : et si ejiciunt, terra re-

ducitur ad sterilitatem. Si enim locus totus petra sit, illi non recipiunt semen ad intrinsecus sui, sed petra sole percussa retinet calorem ignitum, et arefacit semen, et non facit fructum. Et hæc terra significat cor obduratum, et induratum. Obduratio autem terræ est propositum non emolliendi per aliquem Dei timorem. Jerem. v, 3 : *Induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti.* Job, xli, 15 : *Ecce cor ejus indurabitur tamquam lapis, et stringetur quasi malleatoris incus.* Nec umquam hæc terra fructum affert, nisi beneficio Domini fiat : quod dicitur, Ezechiel. xxxvi, 26 : *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum.*

Petrosus autem locus, parum et minus (quam ad fructificandum sufficiat) terræ habens interpositum, significat cor quod in se est durum : et tamen aliquando (raro scilicet) concipit aliquid desperantis timoris, qui fossilis est in profundum. Et hic timor non est temperie spei mistus : et ideo lapis ubique fere occupans prævalet : et calorem solis incidentem colligit, quo assatus terram modicam conjunctam incendit et exurit, et comminuibilem in pulverem reddit, et non commiscibilem ad fructificandum. Unde, Psal. lxxix, 17 : *Incensa igni et suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt.* Ignis fulgoris mundi, est conceptæ cupiditatis avaritia, quæ totum incendit et exurit, et lapideum cor excoquit in petræ soliditatem. Jacob. i, 11 : *Exortus est sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit.*

Petra autem in fundo, et parum expansum terræ desuper, est cor in se quidem durum, habens tamen speciem in se pietatis exterius, de quo Apostolus, II ad Timoth. iii, 5 : *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Sicut sunt hypocritæ et simulatores, de quibus dicitur, Job, xxxvi, 13 : *Simulatores et callidi provocant iram Dei.* Numquam enim tales faciunt fructum ad maturitatem venientem. Sed potius erit

sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit<sup>1</sup>. Hæc igitur est ex petra mali fundi dispositio.

Unde sequitur : « *Et natum aruit, » incensum ex petræ calore ustivo. Isa. xv, 6 : Aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit. Joel, i, 11 : Periiit messis agri.*

Et reddit causam : « *Quia non habebat »* verum pietatis « *humorem, »* de quo dicitur, Jerem. xvii, 8 : *Erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas. Psal. i, 3 : Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.*

7 « Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. »

Ecce tertia mali fundi dispositio.

Et dicit Glossa, quod spinosa terra est cor sollicitudinibus aggravatum. Est autem intelligendum de spina nigra, quæ ex profundo medullæ exoritur, et in circuitu stipitem et ramos replet aculeis. Hoc enim lignum multum est umbrosum et amarum : quod etiam acumen fructus sui ostendit, et umbra sua fundum facit frigidum, densitate autem inaccessibilem, et amaritudine infœcundum. Et ideo, sicut dicit Chrysostomus, in spinosis non est habitatio nisi serpentium. Et ideo significat cor sollicitudinibus et curis compunctum. Quod vero lumine non est lustratum, serpenti, hoc est, diabolo ad habitandum datum hic, et in futuro amaritudine æterna infusum. Proverb. xxiv, 30 et 31 : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ. Jerem. iv, 3 : Novate vobis novale, et nolite serere super spinas. Hujusmodi spinæ sunt am-*

bitionis aculei pungentes superbos, invidia anxietates pungentes invidos, et sollicitudinum punctiones confodientes avaros, fellitæ amaritudines incitantes iracundos, prurientes scalptationes stimulantés gulosos et luxuriosos. Isa. vii, 23 : *In spinas et in vepres erunt.*

Unde sequitur :

« Et simul exortæ spinæ, »

Quoad punctiones inductas, « *suffocaverunt illud »* semen, hoc est, cor ad semen et conversum et attractum. Suffocare autem est subtus occare, aut subtus focum exstinguere. Quando aut sub gutture occat et strangulat, aut ignem naturalem scilicet calorem exstinguit. Versus :

*Suffocat exstinguit, suffocat guttura stringit.*

Spinæ enim exortæ, fundum connaturalem sibi habentes, ex inolita sui germinis consuetudine, præveniunt seminis ortum : quod amaritudini non connaturale, frigiditate umbræ exstinguitur, et subtus occatur, et putrescit. Genes. iii, 18 : *Spinas et tribulos germinabit tibi. II Reg. xxiii, 6 : Prævaricatores quasi spinæ evellentur.*

« Et aliud cecidit in terram bonam : et ortum fecit fructum centuplum. »

8 Ecce una et sola et simplex terræ bonæ dispositio, quæ quidem pinguis sit devotione. Isa. v, 1 : *In cornu filio olei.* Et est translatio Septuaginta, hoc est, « in loco pingui. » Fossa autem sarculo et aratro disciplinæ, adæquata mansuetudine. Isa. xxviii, 24 et 25 : *Numquid proscindet et sarriet humum suam? Nonne cum adæquaverit faciem ejus, seret gith, et cyminum sparget, et ponet triticum per ordinem, et hordeum, et*

<sup>1</sup> Psal. cxxviii, 6.

*miliū, et viciam in finibus suis?* Humilis etiam sit ad quam descendat montium dulcedo. Psal. LXIV, 14: *Valles abundabunt frumento.* Infusa pluvia doctrinæ, et rore gratiæ, et rivulis lacrymarum. Ad Hebr. VI, 7: *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo.*

« Et ortum fecit fructum centuplum. »

Ortum quidem et maturum. Ortum enim primum facit herbæ virorem: deinde stipitis erectionem, et paleæ purificationem: et post aristam, florem, siliquarum circumpositionem, formatur in fructum. Et viror quidem est fidei vigor. Stipitis autem erectio, justitiæ rectitudo. Paleæ purgatio, superfluum expulsio. Aristæ formatio, bonorum est societas. Siliquarum circumpositio, necessitatum provisio. Floris emissio, bonæ conversationis fama, et pulchritudo. Fructus maturatio, meritorum multitudo.

Dicit autem Lucas: « *Centuplum.* » Matth. XIII, 8, distinguit *trigesimum*, et *sexagesimum*, et *centesimum*, quia Matthæus statuum in Ecclesia considerat diversitates: Lucas autem sine differentia statuum, germinis jacti considerat perfectionem (quæ surgit ex obedientia præceptorum) in se ductam, dum quodlibet præceptum in seipsum ducitur per charitatem observatum. Genes. XXVI, 12: *Sevit Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum.* Et ideo dicit Psalmus XXXVI, 3: *Inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus.* Numer. XIII, 28: *Venimus in terram, ad quam misisti nos, quæ revera fluit lacte et melle, ut ex his fructibus cognosci potest.* Genes. XLVII, 6: *In optimo loco fac eos habitare.*

Fert autem terra *centuplum*, quando omnis vigor terræ nostræ multiplicatur

per denarium præceptorum. Vigor autem terræ est in decem sensibus: quinque interioribus, qui sunt sensus communis, imaginativa, phantasia, æstimativa, et memorativa: et quinque exterioribus, qui sunt visus, auditus, olfactus, gustus et tactus. Et in cordis adspectu sunt intellectus: agens, materialis, formalis, speculativus, adeptus, sanctus sive eliacus, et divinus. Et isti septem sunt in anima, et juvantur duobus luminibus studii, et revelationis. Et lumen studii duplex est, scilicet inventionis, et doctrinæ. Et sic decem sunt intellectus.

Decem etiam sunt illuminationes: novem, scilicet ordinum Angelorum, et decima, divina.

Decem etiam sunt modi ad instructionem propositi. Quidam enim ex mundana theologia per vestigium Creatoris proficiunt. Quidam autem altius, per imaginem quam apud se figuravit, in cognitionem Creatoris ascendunt. Quidam vero similitudinibus parabolicis inducuntur. Quidam vero altius imbuti, puritate conscientiæ conspiciunt: quorum oculi beati esse dicuntur<sup>1</sup>. Quidam vero per humilitatem orationis revelationem accipiunt: sicut Daniel. IX, 3-22. Et quidam per raptum contemplantur limpide: sicut Paulus, II ad Corinth. XII, 4, passim. Quidam vero per studium sacræ Scripturæ, in qua quatuor juvantur modis: litterali, allegorico, morali et analogico.

Sunt etiam decem lumina: rationis scilicet, fidei, sapientiæ, intellectus, consilii, scientiæ, donorum, prudentiæ, virtutis, munditiæ cordis (quæ est beatitudo<sup>2</sup>), contemplationis, et artis.

Ex omnibus autem his fructificat intellectus.

Affectus autem in anima habet liberum arbitrium, voluntatem, synderesim quæ malis remurmurat, conscientiam: et illam quæ impetum facit ad opus, quæ est completus ex ratione et voluntate

<sup>1</sup> Matth. XIII, 16.

<sup>2</sup> Matth. V, 8: *Beati mundo corde.*

consensus. In sensibili autem anima etiam sunt quinque, scilicet, appetitiva, desiderativa, concupiscibilis, irascibilis : et quæ totum perficit, sensualitas. Appetitiva quidem primo appetit, desiderativa vero cum cognitione quadam trahit, concupiscibilis cum dilectionis stimulis impellit, irascibilis vero contra adversans insurgit, et sensualitas illicitum tangit et gustat.

Ista autem decem quæ insunt in homine secundum animam motivam, aliis tribus denariis perficiuntur.

Liberum enim arbitrium, ut dicit Augustinus, tribus perficitur libertatibus : libertate scilicet naturæ, gratiæ, et gloriæ : quæ sunt libertates a materiæ obligatione, a culpæ electione, et a misericordiæ affectione.

Voluntas etiam tribus perficitur : bono scilicet voluntatis divinæ placente, consilio divino, et perfecto profectu in merito. Ad Roman. xii, 2 : *Probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.*

Synderesis in reluctando malo, tribus completur : notitia et appetitu liciti, expedientis, et ædificantis. I ad Corinth. x, 23 : *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt : omnia mihi licent, sed non omnia ædificant*<sup>1</sup>. Licet enim est quod nullo præcepto prohibetur. Expediens quoque ad utilitatem honestam et publicam refertur. Ædificans est quod in nullius me judicare cupientis, ponit potestatem.

Conscientia juvatur tribus, scilicet, puritate, ut nullius mali sit sibi conscia : veritate, ut doctrina Scripturæ sit informata : Spiritus sancti attestazione, ut secundum instinctum Spiritus sit semper ad opus incitata. De primo, II ad Corinth. i, 12 : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* De secundo et tertio, ad Roman. ix, 1 : *Veritatem dico in Christo : non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto.*

Consensus qui impetum facit ad opus tribus rectificatur. Dicitur enim *consensus*, diversorum in unum relatus sensus. Si scilicet operabile certa ratione discutiat, si circumstantiis debitis actum vestiat, si ad finem congruum per intentionem dirigat. Tunc enim est perfectus consensus.

Appetitiva etiam quæ est animæ sensibilis, tribus perficitur ad fructum. Si scilicet sit boni, si sit pulchri, si sit laudabilis. Boni quidem, quod habitum bonum facit : pulchri, quod confert virtutis decorem : laudabilis autem, quod famæ bonæ facit opinionem.

Desiderium etiam quod est cum delectatione secundum doctrinam moralem, perficitur tribus, quæ perfectam faciunt delectationem. Si scilicet delectatio trahens desiderium sit connaturalis, si sit admirabilis, si sit firmitate perpetua stabilis et immobilis. Naturalis autem est, quando est pura nihil materiæ habens annexum : sicut in homine sunt ea quæ secundum intellectum sunt delectabilia, et in quolibet alio secundum suam simplicem naturam. Admirabilis autem est, quando est altissimorum et dignissimorum secundum naturam. Firma autem, quando perpetuæ innititur veritati quæ nihil habet contrarium. III Esdræ, iv, 38 : *Veritas manet, et invalescit.*

Concupiscibilis autem etiam tribus perficitur : zelo scilicet honesti, ardore devotionis, et ignitione charitatis.

Irascibilis item tribus perficitur : altitudine suæ dignitatis, in qua indignatur omnibus se vilificantibus et prosternentibus, mansuetudine suæ refrænationis, et fortitudine suæ contra malum insurrectionis.

Sensualitas etiam tribus perficitur, scilicet, verecundia turpitudinis, exercitio studiositatis, gustu puritatis in bonis actibus et operibus.

Hæc si ducantur in denarium, et cum denario præceptorum accipiantur : fa-

<sup>1</sup> Cf. I ad Corinth. vi, 12.

ciunt fructum meritorum centuplum : et quodcumque horum defecerit, erit fructus aliqua diminutio. Cum his autem erit quod dicitur, Isa. iv, 2 : *Erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis*. In magnificentia enim erit per naturalium perfectionem, et gloria per contemplativorum illuminationem, sublimis autem per motivorum sive operabilium perfectionem.

« Hæc dicens clamabat : Qui habet aures audiendi, audiat.

Hic incipit parabolæ explanatio.

Et tria facit. Primo enim ad quærendum explanationem excitat. Secundo, inter auditores explanationis discretiones monstrat. Tertio, explanationem declarat.

De primo dicit : « *Hæc* » parabolice « *dicens clamabat,* » ut intentione clamoris ad intentionem excitaret cor auditoris. Joan. vii, 37 : *Stabat Jesus, et clamabat, dicens : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat*. Psal. lxxviii, 4 : *Labo-ravi clamans, rauce factæ sunt fauces meæ*. Cantic. ii, 10 : *Dilectus meus loquitur mihi*.

« Qui habet aures audiendi, audiat. »

Est enim auris quæ non est nisi aëris figura, sicut idoli, Psal. cxiii, 6 : *Aures habent, et non audient*. Est auris obturata sicut aspidis, Psal. lvii, 5 et 6 : *Sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium*. Est etiam auris bona audiens intus, et retinens audita, Eccli. iii, 31 : *Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam*. Ad Roman. x, 17 : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*. Proverb. i, 5 : *Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit*. Apocal. ii, 7 : *Qui*

*habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis* <sup>1</sup>.

Hoc verbo excitati discipuli interrogabant. Et hoc est quod sequitur :

« Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset hæc parabola. »

Discipuli sunt disciplina magistri imbuendi, et cognoscuntur a quatuor : professione veritatis, affectione mutue charitatis, exhibitione mansuetudinis, et habitu humilitatis.

De professione veritatis, Joan. viii, 31 et 32 : *Si vos manseritis in sermone meo, veri discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos*.

De affectione mutue charitatis, Joan. xiii, 35 : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*.

De mansuetudine et humilitate, Matth. xi, 29 : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*.

Humilitas discipuli inclinatur ad audiendum, mansuetudo præparatur ad bene suscipiendum, veritas illuminatur ad intelligendum, charitas notitiam amatam quæ verbum est, unit cordi ad implendum. Doctrinæ enim morales, ut dicit Philosophus, non sunt contemplationis gratia, sed ut boni fiamus.

De primo horum, Psal. lxxxv, 1 : *Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me : quoniam inops et pauper sum ego*.

De secundo, Jacob. i, 21 : *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras*.

De tertio, Psal. xlii, 3 : *Emitte lucem tuam*.

De quarto, ad Roman. xiii, 10 : *Plenitudo legis est dilectio*.

Hi ergo veri discipuli « *interrogabant,* » quia « *nescienti, ut dicit Chryso-* »  
« *stomus, et scire volenti, clavis scientiæ*

<sup>1</sup> Cf. etiam Apoc. ii, 11, 17 et 29.

« est interrogatio. » Eccli. xxxii, 12 : *Audi tacens simul et quærens.* Marc. iv, 10 et 34, dicitur, quod non in via, sed domi in secreto silentii, exuti ab occupationibus et tumultibus interrogabant<sup>4</sup>. Eccli. xxxviii, 25 : *Sapientia scribæ in tempore vacuitatis : et qui minoratur actu, sapientiam percipiet, qua sapientia replebitur,* etc.

Sic ergo et hac de causa interrogabant « *quæ esset,* » hoc est, cujus interpretationis secundum intellectum esset, « *hæc parabola.* » Proverb. i, 6 : *Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum et ænigmata eorum.* Adhuc enim erant imbuendi, necdum imbuti. I ad Corinth. xiii, 11 : *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.*

10 « Quibus ipse dixit : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant. »

Secundum in quo describitur differentia capacitatis in audientibus. Quidam enim non nisi parabolis instruuntur, qui adhuc habent rationem totam ad sensum reflexam : et illi dicuntur esse *animales sensu.* Quidam autem habent rationem ad fidei principia aliquantulum in se stantem, et illi capiunt veritatem interpretationis parabolarum. Quidam autem habent rationem ad intellectum divinorum elevatam, stantem in lumine divino : et illi sunt perfecti in veritatis contemplatione, et sunt magistri in divinis. Primus gradus est idiotarum turbarum. Secundus, discipulorum imbuendorum proficientium. Tertius autem perfectorum.

<sup>4</sup> Marc. iv, 10 : *Et cum esset singularis, interrogaverunt eum,* etc. Ibidem, §. 34 : *Seorsum*

De primis dicitur, I ad Corinth. iii, 1 et 2 : *Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam : nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis.* De secundis dicitur, ad Hebr. xii, 7 : *In disciplina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus.* De tertiis dicitur, Matth. x, 23 : *Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus.* Hos tres status innuit Dominus hic : duos quidem in discipulis, et unum in turbis. Profectum enim tangit in discipulis secundum statum præsentem, sed perfectum innuit secundum statum futurum in eisdem : ruditatem autem tangit in idiotis turbis.

Et hoc est quod dicitur :

« Quibus ipse dixit, »

Benignus magister, omnibus secundum analogiam uniuscujusque doctrinam communicans. Eccli. xxiv, 44 : *Doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque ad longinquum.*

« *Vobis datum est,* » per donum intellectus verbis meis vobis inditum, « *nosse,* » hoc est, noscendi potentia : et adhuc perficietur in vobis. Unde, Matth. xv, 16 : *Adhuc et vos sine intellectu estis ?* hoc est, sine intellectus perfectione.

« *Mysterium.* » Μυστήριον græce, latine est *secretum.* Et, sicut beatus docet Dionysius, « Tota theologia aut est mystica, aut symbolica. » Mystica quidem est in his quæ proprie et non velate de divinis dicuntur : sed secreta sunt propter elevationem eorum supra nostrum intellectum : sicut Deus, substantia, esse, vivere, et intelligere, et cætera, quæ nude dicuntur. Et hoc capere incipiunt discipuli. Perfecte autem talia docent magistri. Symbolica autem sunt omnia quæ velata sunt corporali similitudine, in qua divina aliquantulum capiunt idiotæ.

*discipulis suis disserebat omnia.*



Et hoc est quod dicit :

« Vobis, »

Discipulis futuris magistris, « *datum est,* » per revelationem veritatis, « *nosse,* » hoc est, noscendi potentia, « *mysterium,* » non velatum, « *regni Dei,* » hoc est, eorum quæ ad regnum Dei pertinent. Regnum enim Dei, sicut jam sæpius diximus, completa est potestas in distributione boni, et finium, et legum, et ordinum, sive officiorum et graduum divinorum perfecte consistens.

« *Cæteris autem,* » idiotis de turba, « *datum est,* » per fidem involutam adhuc noscendi potentia mysterium ejusdem regni, « *in parabolis,* » hoc est, corporalibus similitudinibus : ut ex his quæ animalis animus novit, surgat ad incognita quæ non novit. I ad Corinth. II, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus : Dei stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.* Et, ibidem, §. 6 : *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et infra, §. 7 : *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.*

Tangit autem duos quasi fines parabolicæ doctrinæ, quæ animalibus debetur hominibus. Qui duo fines secundum velationem duorum sensuum disciplinalium accipiuntur : quorum primus est visus, qui inventioni deservit. Et hoc est quod dicit :

« Ut videntes, »

Ænigmatice in parabola velata divina, « *non videant* » nuda et aperta mysteria. Et hoc significatur, Numer. IV, 5-15, ubi præcipitur quod interiora tabernacula portent involuta : quæ tamen nuda et aperta tetigerunt et viderunt Aaron et filii ejus. Exod. XXXIV, 2 et 3 : *Esto paratus mane, ut ascendas statim in montem Sinai, stabisque mecum super verticem montis. Nullus ascendat tecum, nec*

*videatur quispiam per totum montem : boves quoque et oves non pascantur e contra.* Soli enim Moysi licuit videre nuda, quæ simplicibus (qui per oves) et animalibus (qui per boves) videre non licuit, nisi per signa involuta.

Et hoc est quod sequitur : « *Et audientes* » divina in signis verborum parabolicis, non intelligant nuda, sed involuta.

Nec est intelligendum quod Dominus aliquas similitudines proposuerit, vel aliquas parabolas dixerit, quas nullo modo intelligi voluerit. Quia hoc esset prævaricatoris, quod doceret et nollet intelligi. Sed propter analogiam capacitatis idiotis noluit proponere nisi velate : quia non intelligebant nuda : ut sic aliquo modo viderent quæ simpliciter et nude videre non poterant, et aliquo modo audirent quæ simpliciter et nude intelligere non valebant. I ad Corinth. II, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* Isa. XLIII, 8 : *Educ foras populum cæcum, et oculos habentem : surdum, et aures ei sunt.* Et hoc optime significatur in Psalmo LXX, 15 et seq. : *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini. Domine, memorabor justitiæ tuæ solius. Deus, docuisti me a juventute mea, et usque nunc.* Qui enim non cognoscit litteraturam spiritus, necesse est ut introeat passibus considerationis in potentias operum Domini mirabilium corporalium, et ut intueatur illa ad suam ædificationem, in quibus velata videt divina : et memoretur justitiæ Dei solius, quæ in factis corporalibus, et verbis parabolicis proponitur. Quia sic Deus docet juvenes mentes usque nunc, quando proficiunt ad Spiritus sancti litteraturam intelligendam.

« Est autem hæc parabola : Semen est verbum Dei. 11

Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt : deinde venit diabolus, et 12

tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.

**13** Nam qui supra petram, qui, cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum : et hi radices non habent : qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.

**14** Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ, euntes, suffocantur, et non referunt fructum.

**15** Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia. »

« *Est autem hæc parabola,* » hoc est, parabolici sermonis explanatio. Unde, Marc. iv, 34, dicitur, quod *seorsum discipulis suis disserebat omnia.*

« Semen est verbum Dei. »

Ponit autem hic expositionem, et facit duo. Primo enim ponit expositionem seminis, et innuit expositionem seminantis, et deinde ex fundi diversitate ponit fructus differentiam. Sator enim Christus est, et omnis ejus vicarius Prædicator. Isa. xxxvii, 30 et 31 : *Seminate et metite... Et mittet id quod salvatum fuerit de domo Juda, et quod reliquum est, radicem deorsum, et faciet fructum sursum.* Iste enim est terræ cœlique sator,

Qui cuncta superno

Ducit ab exemplo...

Quem non æternæ pepulerunt fingere causæ.

..... Verum insita summi

Forma boni livore carens <sup>1</sup>.

Unde etiam ille sator triplex seminat semen verbi Dei : semen videlicet Verbi increati, semen verbi naturaliter insiti, et semen verbi inspirati.

Semen Verbi increati est, de quo dicitur, Genes. xxii, 18 : *Benedicentur in semini tuo omnes gentes.* Ad Galat. iii, 16 : *Et semini tuo, qui est Christus.* Hoc autem semen in triplici agro est seminatum : in agro cordis, in agro uteri virginalis, et in agro sepulcri Dominici. De agro cordis, Genes. xxiv, 63 : *Egressus est Isaac ad meditandum in agro.* De agro uteri virginalis, Deuter. viii, 10 : *Benedicas Domino Deo tuo pro terra optima quam dedit tibi.* De agro sepulcri, Matth. xxvii, 8 : *Propter hoc vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis.* In corde spargitur per notitiam, in utero per carnis assumptam materiam, in sepulcro per mortis efficaciam. In corde germinat in lumine, in utero floret omni honestatis sanctitate, in sepulcro resurrectionis vigore et immortalitate. De primo dicitur, Joan. i, 9 : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* De secundo, Cantic. vii, 2 : *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.* De tertio, Isa. xi, 10 : *Erit sepulcrum ejus gloriosum.*

Verbum autem naturaliter insitum sive innatum, est seminatum secundum tria, quæ sunt in verbo. Est enim potens, sicut dicitur, Sapient. xviii, 15 : *Omnipotens sermo tuus.* Est noscens et sapiens, sicut dicitur, Eccli. i, 5 : *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis.* Est benignum et spiritu plenum, sicut dicitur in Psalmo cxviii, 140 : *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Igitur secundum tria hæc seminatur in corde, scilicet, posse, nosse, et bene velle. Pater quidem seminat posse, Filius nosse, et Spiritus sanctus bene velle. Virtus enim Altissimi obumbrat ut defendatur seminatum, sapientia Filii illuminat ut diffundatur, bonitas Spiritus sancti irrorat ut in fructum multiplicetur. Sic enim dicitur, Isa. xlv, 8 : *Rorate, cæli, desuper, et nubes pluant justum : aperiat*

<sup>1</sup> BOETIUS.

*terra, et germinet Salvatorem.* Sed attritio viæ impedit posse, lapidositas impedit bene velle, et spinositas sollicitudinum impedit nosse. Secundum posse quidem est in Prælatiis, sed via tumultuantis turbæ conterit et conculcat. Secundum nosse seminatum est in Magistris et Doctoribus, sed duritia cordis impedit ne sursum germinet. Secundum bene velle est in Religiosis, sed spinæ diviliarum suffocant ne fructum faciens multiplicetur in meritis. Aggæi, I, 6 : *Seminastis multum, et intulistis parum :... et qui mercedes congregavit, misit eas in saccum pertusum.*

Semen autem inspiratum sunt dona et virtutes, quæ etiam seminantur in agro cordis. Et hoc est semen cui inimicus superseminat zizania, Matth. XIII, 27 et 28 : *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Et ait illis : Inimicus homo hoc fecit.* Est etiam bonum semen quod fert fructum centuplum, eleemosyna de bonis fortunæ seminata. II ad Corinth. IX, 10 : *Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* Hujus autem seminis ager est pauperes. Psal. CXI, 9 : *Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi.*

Sunt autem quidam qui perdunt semina, quæ vel ventus abjicit, vel terra exstinguit, vel humor lutosus non exsiccabilis putrefacit.

In ventum autem seminat qui in fastu et pomposis mendaciis verbum prædicat, Osee, VIII, 7 : *Ventum seminabunt, et turbinem metent.* Osee, XII, 1 : *Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum : tota die mendacium et vastitatem multiplicat.*

De his autem quæ mala terra degenerat et exstinguit, dicitur, Jerem. XII, 13 : *Seminaverunt triticum, et spinas mesuerunt.*

Et de his quæ humor malus concupiscentiæ putrefacit dicit Apostolus, ad Galat. VI, 8 : *Quæ seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem.*

Et ideo sequitur :

« Qui autem secus viam, »

In qua diabolus per delectabilia et vanitates mundi cor ad duritiam conculcavit. Numer. XXII, 32 : *Perversa est via tua, mihi que contraria.*

« *Hi sunt qui audiunt,* » auditu exteriori : sicut via extra suscipit et non intus abscondit. Isa. XLII, 20 : *Qui apertas habes aures, nonne audies?* Quasi dicat : Mirum est si non audis. Hic est Heli qui in templo non audivit interius loquentem Dominum, et non vidit lucernam antequam exstingueretur<sup>1</sup>.

« *Deinde venit,* » per accessum tentationis, « *diabolus.* » Matth. IV, 3 : *Accedens tentator dixit.*

« *Et tollit verbum,* » hoc est, cor verbo attractum, « *de corde* » humano « *eorum.* » Judicum, VI, 3 et 4 : *Cum sevisset Israel, ascendebat Madian et Amalec, cæterique orientalium nationum, et apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis, cuncta vastabant.* Diabolus autem dicitur *volucris*, quia insidiando circumvolat. Hæ sunt aves quas de sacrificio suo abigebat Abraham<sup>2</sup>.

Finem autem a malitia diaboli intentum subjungit, quando dicit : « *Ne credentes* » fide formata : quæ, sicut dicitur, ad Galat. V, 6 : *Per charitatem operatur,* « *salvi fiant,* » a peccato per gratiam, et a miseria per gloriam. Joan. III, 15 : *Ut omnis qui credit ipsum, non percat, sed habeat vitam æternam.* Joan. XI, 26 : *Qui credit in me, non morietur in æternum.* Fides enim formata per dilectionem operans salvat. Luc. VII, 50 :

<sup>1</sup> Cf. I Reg. III, 2 et 3.

<sup>2</sup> Cf. Genes. XV, 11.

*Fides tua te salvam fecit : vade in pace.*

« Nam qui supra petram. »

In omni petræ diversitate quæ supra determinata est.

Tamen specialiter secundum modum tangere videtur, ubi parum terræ super superficiem petræ est expassum, et hoc est in calido ustivo incensum. Act. vii, 51 : *Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.*

Hi sunt « qui cum audierint, » auditu exteriori ad interiorem relato, « cum gaudio, » ex levitate animi procedente, non ex devotione, « suscipiunt verbum, » cum potius in timore et devotione esset suscipiendum. Isa. xxvi, 18 : *Sic facti sumus a facie tua, Domine. Concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum, scilicet salutis.*

« *Et hi radices* » in profundum fixas, quæ est intellectus veritatis cum pietate, et affectus charitatis cum devotione, et timor castus et initialis cum humilitate, « non habent. » Isa. xl, 24 : *Et quidem neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum : repente flavit in eos, et aruerunt, et turbo quasi stipulam auferet eos.*

Et hoc est quod sequitur : « *Qui ad tempus credunt,* » scilicet prosperitatis. Psal. xlviii, 19 : *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.*

« *Et in tempore tentationis recedunt* » a fide, et negant. Joan. vi, 61 : *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire ? et abierunt retrorsum.* Sapient, iv, 4 : *Si in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita, a vento commovebuntur.*

« Quod autem in spinas cecidit »

Umbrosas, scilicet sæculi sollicitudines et puncturas sollicitudinum. Genes. iii, 18 : *Spinæ et tribulos germinabit tibi.*

« *Hi sunt qui,* » quandoque quiete sollicitudinibus interposita, « *audierunt* » exterius, et cum aliquo motu interiori, « *et a sollicitudinibus,* » quæ sunt puncturæ ex spinarum aculeis, « *et divitiis,* » quæ sunt stipites spinarum circumpositi dum labore acquiruntur, timore possidentur, et cum dolore deseruntur. Unde versus :

Dives divitias non congregat absque labore,  
Nec tenet absque metu, nec deserit absque dolore.

Ad Hebr. vi, 8 : *Terra proferens spinas ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima.* Isa. xxxii, 13 : *Super humum populi mei spinæ et vepres ascendent.*

« *Et voluptatibus vitæ.* » Iste est niger humor spinæ, de quo fit incaustum, quod immobili colore omnia denigrat. Unde etiam nigram spinam emittit. Obscæna enim voluptas vitæ, totam denigrat vitam. Thren. iv, 8 : *Denigrata est super carbones facies eorum.*

« *Suffocantur,* » hoc est, subtus occantur. I ad Timoth. vi, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.*

« *Et non referunt fructum,* » nisi forte accasia, quæ tussim excitant et inducunt strangulationem. Ad Roman. vi, 21 : *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis ? Nam finis illorum mors est.* Sapient. v, 8 : *Quid nobis profuit superbia ? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis ?*

« Quod autem in bonam terram, »

Cujus conditiones supra explanatæ sunt, hoc est, in cor bonum, devotione pingue, lacrymis humidum, doctrina sanctorum complutum, gratia irroratum, sarculo disciplinæ fossum, per confessionem et per pœnitentiam a malis stirpibus expurgatum, fimo dolorosæ recor-

dationis peccatorum fimatam, æqualitate virtutis adæquatam, meditatione sanguinis Christi ad fertilitatem redactam. Hæc enim est terra bona si austrino flatu Spiritus sancti sit perflata, et limpidissima contemplatione soli exposita. Et de omnibus his superius habitum est. De primo enim dicitur in Psalmo LXII, 6 : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.* De secundo in Psalmo VI, 7 : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* De tertio, Isa. XLV, 8 : *Nubes pluant iustum.* De quarto, ibidem : *Rorate, cæli, desuper.* De quinto, Osee, x, 11 : *Arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob.* De sexto, Jerem, I, 10 : *Ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes.* De septimo, Isa. XXXVIII, 15 : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* De octavo, Isa. XXXVIII, 25 : *Cum adæquaverit faciem, ejus, scilicet terræ, seret.* De nono, Matth. XXVII, 8 : *Vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis.* Secundum naturam enim terra pinguis humano sanguine multum est ferax. Ovidius in *Epistolis* :

Luxuriat rigido sanguine pinguis humus.

De decimo, Cantic. IV, 16 : *Surge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum meum.* De undecimo, Matth. V, 45 : *Solem suum oriri facit super bonos et malos.* Lumen enim solis vivificum est : et ideo causam generationis in circulo declivo solis Philosophi esse dixerunt.

Tale igitur est cor significatum per terram bonam. Unde dicit :

« *Hi sunt,* » significati, « *qui in corde bono,* » per disciplinæ et virtutis exercitium, « *et optimo,* » per internæ contemplationis et consolationis solatium. Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.*

« *Audientes,* » interiori auditu spiritus, « *verbum,* » quod est cum amore notitia, potens, luminum, et spiritu plenum,

et sanctum, « *retinent,* » memoria, affectu, et operis impletione. De primo quorum dicit Psalmus CXXXVI, 6 : *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.* De secundo, Jerem. XX, 9 : *Factus est sermo in corde meo quasi ignis exæstuans :... et defeci, ferre non sustinens.* De tertio, Matth. VII, 24 : *Omnis qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.* Apocal. I, 3 : *Beatus qui legit et audit verba prophetiæ hujus, et servat ea quæ in ea scripta sunt.*

« *Et fructum,* » centesimum, « *afferunt in patientia* » tribulationum quæ insurgunt propter verbum Jacobi, I, 4 : *Patientia opus perfectum habet : ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.* Ad Hebr. X, 36 : *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Jacob. V, 7 : *Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum.*

« Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit : sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen. »

Hic tangit modum doctrinæ sacræ quem debet habere ex parte docentis.

Et dicuntur hic duo : modus scilicet doctrinæ, et verificatio sive probatio modi per exemplum, quando Christus suam doctrinam sub modio carnalis affectus non abscondit.

In primo autem horum tria dicuntur : quorum primum est proprius modus doctrinæ sub metaphora propositus. Secundum est idem modus per sermonem explicitum explanatus. Tertium est comminatio et promissio fideliter vel infideliter docentis, per quæ Doctor redditur instans et cautus : instans quidem doctrinæ per incrementum boni, quod

fideliter docenti promittitur : cautus autem per subtractionem habitus boni, quod amittit qui fideliter doctrinæ non institerit. Et hæc patent in littera.

In modo autem metaphorico doctrinæ quem præmittit, quinque innuit : quorum primum est lucerna, et lucernæ proprietates. Secundum autem, lucernæ ejusdem accensio quam innuit. Tertium autem est locus lucernæ incompetens in quem non ponitur. Quartum autem, locus lucernæ congruus in quo locatur. Quintum autem est debitus lucernæ usus.

Lucerna autem est lumen clausum et circumdatum perspicuo corpore, sicut est vitrum, vel crystallus, vel pellis, vel pannus transparens et albus. Unde Gregorius dicit, quod lucerna est lumen in testa. Lucerna igitur est triplex : Prælati videlicet, sermo parabolicus, et sermo sonans creatus. Et de his lucernis hic fit secundum litteram mentio.

Præter has autem lucernas, dicitur lucerna Christus, dicitur lucerna Joannes Baptista. Sed ambo isti in figura Doctorum Ecclesiæ dicuntur. In Christo enim lux verbi divini, in humana claritate pervia (quam peccati tenebra non offuscatur) lucerna vocatur Job, xxix, 3, : *Splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris*. Hæc est lucerna quam sapiens mulier, sapientia divina, accendit, et domum everrit, donec inveniatur drachmam quam perdidit<sup>1</sup>. De præcone autem hujus lucernæ (qui lucem veritatis in vita pura exhibuit) dicitur, Joan. v, 25 : *Ille erat lucerna ardens et lucens*. De Apostolis autem et Doctoribus dicitur in Psalmo cxxxii, 17 : *Paravi lucernam Christo meo*. Illi enim lucem doctrinæ vita pervia et perspicua præbent : sicut dicitur, Matth. v, 16 : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*.

Sermo autem parabolicus continet veritatis lucem sub similitudine perspicua. Et ideo hic vocatur *lucerna*. Psal. cxviii, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis*. Similitudinibus enim congruis docet ubi intellectus et affectus pedem ponamus.

Verbum etiam creatum, Verbum increatum in se continens, *lucerna* vocatur : sicut in Proverbiis, vi, 23, dicitur : *Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ*. Hæc enim omnia lucem continent divinam, ad illuminandum *his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*<sup>2</sup>. Unde hæc quinque lucernæ sunt.

Et sexta (de qua hic non fit mentio) est pura in prædicando intentio : quæ etiam est vas lucis ad lucem æternam relata, non nobis lucens, sed Deo : de qua, Matth. vi, 22 : *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*.

Est etiam lucerna, fulgor honestæ conversationis, ubi virtus ut lumen splendet in operibus perspicuis. Eccli. xxvi, 22 : *Lucerna splendens super candelabrum sanctum, et species faciei super ætatem stabilem*.

Vel possumus dicere quod omnes istæ septem lucernæ stant super unum candelabrum in templo Domini. Quia Prælati in fundamento fidei splendet, lucerna Christi, in præcursionis et præparationis officio. Hæc lucerna Præcursoris in flamma sapientiæ habet fulgorem propriæ dignitatis, in modo coaptationis sui ad auditores habet lucernam parabolæ, in doctrina sapientum habet lucernam verbi Dei, in puritate intentionis habet lucernam oculi, et in luce conversationis habet lucernam speciei. Hæc lucerna lipipientibus oculis Heli exstincta est et non visa : et ideo condemnatus est<sup>3</sup>. His lucernis scrutatur Dominus Jerusalem, hoc

<sup>1</sup> Luc. xv, 8.

<sup>2</sup> Luc. i, 19.

<sup>3</sup> Cf. I Reg. iii, 2 et 3.

est, Ecclesiam <sup>1</sup>. Hæ sunt septem lucernæ in candelabro <sup>2</sup>. Et, Zachar. iv, 10, ubi dicitur, quod super lapidem unum septem oculi sunt, qui has septem lucernas designant.

De accensione autem lucernæ subjungit, dicens :

« Accendens lucernam. »

Succenditur autem lucerna prima, flamma divinitatis. Isa. lxii, 1 : *Donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvatorejus ut lampas accendatur.* ἁγίου enim græce, latine *flamma* dicitur. Hæc debet ardere in corde Prælati, ut timeatur, et reverentia sibi exhibeatur, et ut peccati rubigo in conspectu ejus comburatur. Deuter. iv, 24 : *Dominus Deus tuus ignis consumens est.*

Lucerna autem ejus in præcursionis officio ignescere debet zelo rectitudinis, et lucere luce cœlestis castitatis. Unde, Job, xxxviii, 32 : *Numquid producis luciferum in tempore suo ?*

Lucerna autem ecclesiasticæ rectitudinis accendi debet igne charitatis Dei, et lucere luce claritatis et sanctitatis, Eccli. xlviii, 1 : *Surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.*

Lucerna autem parabolicæ similitudinis, accendi debet igne veritatis, et lucere luce propriæ adaptationis, Job, xxxviii, 24 : *Indica mihi per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram.*

Lucerna autem vocalis verbi, accenditur igne divino Spiritus sancti, Psal. cxviii, 140 : *Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud.*

Lucerna autem rectæ intentionis accenditur flamma piæ devotionis, Psal. xxxviii, 4 : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescit ignis.*

Lucerna vero lucidæ conversationis tota accenditur flamma charitatis Christi,

Luc. xii, 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ?*

Sic est omnis lucerna ardens et lucens.

Hanc igitur lucernam sic accensam nemo

« Operit vase. »

Ecce locus incongruus huic lucernæ.

Et tangit duo lucernam hanc offuscantia, quorum unum pertinet ad mensuram, alterum autem ad quietem resolutam.

Id autem quod pertinet ad mensuram capacitatis, est quod dicit : « *Operit vase,* » quod, Matth. v, 15, *modius* vocatur. Et duo in ipso intelliguntur : capacitas scilicet avaritiæ, et capacitas unius gentis Judææ. Non enim lux Evangelica concludi debet sub mensura lucri avaritiæ, nec sub pretio ponatur impretiabile. Nec etiam, sicut dicit Hieronymus, concludatur sub terminis unius gentis Judææ vel alterius. De primo dicitur, Matth. x, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.* I ad Corinth. ix, 18 : *Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio.* De secundo, Isa. xlix, 6 : *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas : ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

Id autem quod pertinet ad quietis resolutionem, tangit cum dicit : « *Aut sub tus lectum ponit.* » Omne autem id in quo quiescit resolutus animus, nomine *lecti* significatur : et sunt commoda propter quæ lumen prædicationis obscuratur, et aliis non ostenditur. Cantic. iii, 1 : *In lectulo meo per noctes quæsi quem diligit anima mea : quæsi illum, et non inveni.* Non enim tenebras noctis diligit : quia qui dormiunt, nocte dor-

<sup>1</sup> Cf. Sophon. i, 12.

<sup>2</sup> Cf. Exod. xxv, 37.

miunt : et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt.

Sic ergo veritas sub modio carnis non est abscondenda.

« Sed ponit supra candelabrum. »

Ecce locus lucernæ Dei congruus.

Et tangit duo : positionem factam ab alio, et candelabrum.

Positio autem est ab alio superiori facta vocatio. Ad Hebr. v, 4 : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Candelabrum autem est dignitas Ecclesiastica Apocal. II, 1 : *Hæc dicit, ... qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.* Septem enim candelabra est ecclesiastica dignitas, septem donis sancti Spiritus illustrata. Aurea autem sunt propter deitatis fulgorem in eis. Isti sunt septem spiritus qui in conspectu throni ejus sunt. In loco illo igitur ponitur.

Tangit autem hujus lucernæ communem et generalem usum :

« Ut intrantes, »

In Ecclesiam per ostiarium et ostium Christum <sup>1</sup>, « *videant lumen* » veritatis et cœlestis conversationis, et ædificentur ad fidem per veritatem doctrinæ, ad mores autem per lumen conversationis divinæ. Ad Ephes. III, 8 et 9 : *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes.* Baruch, III, 35 et 36 : *Stellæ luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. Hic est Deus noster et non æstimabitur alius adversus eum.*

17 « Non est enim occultum, quod non manifestetur : nec absconditum, quod non cognoscatur, et in palam veniat.

18 Videte ergo quomodo audiatis. Qui enim habet, dabitur illi : et quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo. »

Ecce figuratæ locutionis et parabolici sermonis ponit expositionem. Et est antipophora. Quasi aliquis quæreret : Dixisti sermonem parabolicum, *ut videntes non videant*, et hunc commisisti [Lucernis, quarum lumen omnes intrantes debent adspicere. Quid ergo? Debetne occultum revelari? Et ostendit quod sic. Quod enim prius velatum committitur rudibus, propter hoc exponitur perfectis : ut ab ipsis perfectis, aliis ad perfectionem proficientibus reveletur : quia aliter nemo proficeret, et nullus de discipulo efficeretur magister.

Dicit autem circa hoc duo : unum quidem de occulto similitudine corporali involuto : alterum de abscondito, oculis spiritualium virorum ostendendo.

Dicit ergo :

« *Non enim* », scilicet aliquid divinorum, « *est occultum,* » velatum parabolis : quod sub modio pretii sit reponendum, aut sub lecto corporalis voluptatis recondendum : quia nec pretium nec voluptas teneant vos nisi manifestetis.

« *Non est enim occultum,* » hoc est, sub velaminibus clausum. Isa. XLV, 15 : *Vere tu es Deus absconditus.* Apocal. II, 17 : *Dabo ei manna absconditum, ... quod nemo scit, nisi qui accipit.*

« *Quod non manifestetur,* » hoc est, intellectui proficienti paulatim aperiatur. Intellectus enim velatus continuo et tempore, et materialis, non nisi velata accipit. Si autem auferatur velamen per laborem proficientis, et diligentiam Doctoris, tunc manifesta erunt abscondita quæ prius erant in tenebris. II ad Corinth. III, 16 et 17 : *Cum conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem Spiritus est.* Unde, Augustinus : « Ne-

<sup>1</sup> Cf. Joan. x, 9.



« sciebam quod palato non sano pœna est  
« panis, qui sano est suavis : et oculis  
« ægris odiosa est lux, quæ puris est  
« amabilis. » Hoc enim nostri intelle-  
ctus defectui ex peccato accidit : sicut di-  
cit Psalmus xxxviii, 12 : *Propter iniqui-  
tatem corripuisti hominem, et tabescere  
fecisti sicut araneam animam ejus.* Et  
ideo a salvante nos sapientia Dei, iterum  
revelato intellectu proficere possumus ad  
veritatem. Psal. cxviii, 18 : *Revela oculo-  
los meos, et considerabo mirabilia de lege  
tua.* Sic ergo duobus modis juvatur ad  
manifestationem : emundatione cordis,  
Matth. v, 8 : *Beati mundo corde, quo-  
niam ipsi Deum videbunt.* Et diligentia  
doctoris exponentis veritatem, Apocal.  
v, 9 : *Dignus es, Domine, accipere li-  
brum, et aperire signacula ejus: quo-  
niam occisus es.* Sic Philippus imbuit  
eunuchum Candaces reginæ sedentem in  
curru <sup>1</sup>. Sic Petrus Cornelium <sup>2</sup>. Sic  
Christus Nicodemum <sup>3</sup>.

« Nec absconditum. »

Absconditum est quod est procul in  
profundum a notitia hominum conditum.  
Et hoc est quod mystice in divinis est  
dictum : hoc enim a notitia hominum est  
remotum : hoc enim est super intelle-  
ctum, et super rationem, et super lin-  
guam, ut dicit Sapiens <sup>4</sup>. Et non defi-  
ciunt linguæ a narratione ejus, nisi pro-  
pter excellentiam naturæ et altitudinis  
ipsius : sicut sunt ea quæ de Deo sunt.  
Quia, sicut dicit Dionysius, « cum ad di-  
« vina verba attollimus, perfectam irra-  
« tionalitatem invenimus, et quid loqua-  
« mur nescimus. »

*Abscondita* etiam sunt futura quæ præ-  
dicta sunt per Spiritum sanctum, Act. i,  
7 : *Non est vestrum nosse tempora vel  
momenta, quæ Pater posuit in sua po-  
testate.* Daniel. xii, 4 : *Claude sermo-*

<sup>1</sup> Cf. Act. viii, 27 et seq.

<sup>2</sup> Cf. Act. x, 24 et seq.

<sup>3</sup> Cf. Joan. iii, 1-21.

*nes, et signa librum usque ad tempus  
statutum.*

Hæc autem abscondita cognoscentur :  
primum quidem a doctoribus veritatis,  
et tunc in palam venient per doctrinam  
ipsorum.

Et hoc est quod dicit : « *Quod non  
cognoscatur,* » sicut dicitur, Joan. xvi,  
29 et 30 : *Ecce nunc palam loqueris, et  
proverbium nullum dicis : nunc scimus  
quia scis omnia, et non opus est tibi ut  
quis te interroget.* Hoc enim cognoscere  
facit Spiritus, de quo dicitur, Joan. xiv,  
26 : *Spiritus vos docebit omnia, et sug-  
geret vobis omnia quæcumque dixero vo-  
bis.* Job, xxviii, 11 : *Sapientia abscondita  
in lucem produxit.*

« *Et* » sic « *in palam veniat.* » Sic  
enim discipuli quod in aure audiunt,  
prædicant super tecta <sup>5</sup>. Sic, Joan. vi,  
45 : *Erunt omnes docibiles Dei* <sup>6</sup>.

Et hoc est quod dicit.

Cautos autem omnes reddens circa hu-  
jusmodi profectum, subjungit :

« Videte, »

Hoc est, diligenter attendite vobis,  
« *quomodo audiatis,* » hoc est, ad quem  
et quantum profectum, non intellectus  
tantum, sed etiam spiritus et vitæ, per-  
cipitis ea quæ dicuntur. Act. xx, 28 : *At-  
tendite vobis et universo gregi, in quo  
vos Spiritus sanctus posuit Episcopos re-  
gere Ecclesiam Dei, quam acquisivit san-  
guine suo.* I ad Timoth. iv, 16 : *Attende  
tibi, et doctrinæ.*

Bene dico quod attendatis quia : « *qui  
habet* » in talibus conatum et studium,  
« *dabitur illi* » perfectio intellectus my-  
steriorum occultorum. Qui enim in tali-  
bus habet, non habet nisi principia, sine  
quibus nullus aliquid potest accipere.  
Unde, Joan. xiv, 17 : *Quem mundus non  
potest accipere, quia non videt eum, nec*

<sup>4</sup> Cf. Eccli. i, 3 et seq.

<sup>5</sup> Matth. x, 27.

<sup>6</sup> Cf. Isa. lvi, 13.

*scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit.* Nullus enim aliquid accipit per doctrinam, cujus principia apud se prius non habuit. Et ideo habenti divina, jam in parabolis et occultis et absconditis, dabitur intellectus veræ contemplationis. I ad Corinth. II, 12: *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.*

« *Et quicumque non habet* » hæc rudimenta fidei in parabolis et occultis, « *etiam quod putat se habere,* » de lumine intellectus naturalis, quod non vere habetur nisi ad divina referatur. Ad mundum enim relatum putatur haberi, et non habetur: quia obnubilatum habetur, et hoc non vere habetur. Apocal. III, 17: *Dicis quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo: et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.*

« *Auferetur ab illo.* » Luc. XIX, 24: *Auferte ab illo mnas, et date illi, qui decem mnas habet.* Matth. XXV, 29: *Omni habenti dabitur, et abundabit: ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo.* Hoc modo, Daniel IV, 13, cor Nabuchodonozor mutatum est ab eo, et cor feræ datum est ei. Hoc modo dicitur, ad Roman. I, 21 et 22, quod *obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt,* et dati sunt in reprobum sensum. Et ideo multum cavendum est in auditu verbi ut audiatur et proponatur ad profectum.

**19** « Venerunt autem ad illum mater et fratres ejus, et non poterant adire eum præ turba. »

**20** Et nuntiatum est illi: Mater tua et fratres tui stant foris, volentes te videre.

Qui respondens, dixit ad eos: Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, et faciunt. »

Hic incipit pars illa quæ cautos reddit Doctores, ne sub lecto vel vase carnalis affectus ponant lucernam. Reddit autem cautos per exemplum.

Dicuntur autem hic tria. Primum est carnalium amicorum ad Christum dispensativus adventus. Secundum est tentativus cujusdam de amicis quærentibus nuntiatus. Tertium autem, sapientissimus a Christo factus responsionis modus.

De primo dicit: « *Venerunt autem,* » dispensante sapientia Dei, ut exemplo suo Doctores veritatis instruerent, « *ad illum,* » hoc est, ad Christum « *mater,* » quæ præcipuo honore erat digna. Tobie, IV, 3: *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus.*

« *Et fratres,* » scilicet consobrini et consanguinei. Multipliciter enim dicuntur fratres, sicut notatum est super Matthæum <sup>1</sup>. Contribules enim dicuntur hic fratres: et non, sicut dicunt Ebionitæ hæretici, ex eadem matre post Christum nati. Job, XIX, 13: *Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me.*

« Et non poterant adire eum præ turba. »

Tanta enim erat virtus verborum ejus quod certatim se comprimebant ad audiendum eum. Aggæi, II, 8: *Veniet desideratus cunctis gentibus.* Turba enim devotione sua hic excludit propinquos carnales: et hoc est gloria Doctoris. Isa. LX, 5: *Videbis, et afflues, mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.*

<sup>1</sup>Cf. Enarrationes in Matthæum, XII, 47. Tom. XX hujusce novæ additionis.

« Et nuntiatum est illi. »

Ecce secundum Glossam vult quod ab aliquo tentante sit factum istud nuntium volente experiri si spiritualia intermitteret propter carnalem affectum. II ad Corinth. v, 16 : *Nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Vel potest dici, quod non tentando sed bono affectu nuntiavit : quia nihil mali fecit, nisi quod tempus opportunum non expectavit. Eccle. iii, 1 : *Omnia tempus habent.*

Nuntians autem sic dixit : « *Mater tua,* » cujus venter beatus est qui te portavit, et ubera quæ suxisti <sup>1</sup>.

« *Et fratres tui,* » tibi per eandem matrem tam dignam conjuncti, quorum affectu merito debes moveri, « *stant* » lassi « *foris* » ad æstum et aeris intemperiem : quibus est condescendum. Cantic. v, 2 : *Aperi mihi, soror mea, ... quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.*

« *Volentes,* » ex affectu intimo cupientes, « *te videre,* » propter hoc quod omnes te videre desiderant. Joan. xii, 21 : *Domine, volumus Jesum videre.* Tuis igitur plus teneris quam alienis. Levit. xix, 18 : *Diliges fratrem <sup>2</sup> tuum sicut teipsum.*

« Qui respondens, dixit ad eos. »

Tertium est in quo est et confutatio tentantis, et præpositio spiritualis operis, et propinquitatis : et tamen nulla abnegatio carnalis propinquitatis.

« *Mater mea,* » in cujus corde formor. Ad Galat. iv, 19 : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Isa. xxvi, 18 : *Quasi parturivimus, et peperimus spiritum,* scilicet salu-

tis. Hæc est mater honoris et honestatis <sup>3</sup>, quæ, Apocal. xii, 2 et 3, clamat in doloribus zeli et charitatis, et parit filium masculum, qui raptus est ad Deum et ad thronum ejus.

« *Et fratres mei,* » ex eodem patre per gratiam, et ex visceribus castitatis ejusdem matris per charitatis affectum, et non carnis conceptum nati. Joan. xx, 17 : *Dic fratribus meis : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.*

« *Hi sunt,* » secundum spiritum : quia dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt <sup>4</sup>.

« *Qui verbum Dei audiunt,* » ad intellectum et affectum : quia illi sunt filii matris sapientiæ. Eccle. iv, 12 : *Sapientia filiis suis vitam inspirat.* Verbum enim est per quod facta sunt omnia <sup>5</sup>. Et qui formantur forma Verbi, efficiuntur filii Dei, et in forma Dei per Verbum. Psal. lxxxvi, 6 : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Isa. lx, 21 : *Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.*

« *Et faciunt,* » in opere. Tales enim virtutum doctrinæ et intellectus, stant in opere : quia in opere est perfectio ultima. Jacob. i, 25 : *Qui perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Luc. xi, 28 : *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.*

Sic ergo terminata est pars de modo docendi.

« Factum est autem in una die, et ipse ascendit in naviculam, et dis-

<sup>1</sup> Luc. xi, 27.

<sup>2</sup> Vulgata habet, *amicum.*

<sup>3</sup> Eccle. xxiv, 23 et 24.

<sup>4</sup> Joan. i, 12 et 13.

<sup>5</sup> Joan. i, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso nihil est quod factum est.*

cipuli ejus, et ait ad illos : Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt. »

Hic incipit pars quæ est de verbi prædicati potentia in qua ipsos confirmat discipulos ad finem verbi, quod committitur eis prædicandum. Necesse enim est quod prius ipsam potentiam verbi Dei videant et experiantur : et quod postea committatur eis eadem potestas : hoc enim statim constanter fiet in capitulo sequenti. Et in hoc est perfectio ordinis Apostolici et Episcopalis. Ostenditur autem verbum Dei omnipotens in mundo majori, et in mundo minori, hoc est, in homine propter quem mundus major sive macrocosmus factus est. Sicut enim dicit Plato, « Universitas rerum in quatuor mundis consistit, ita quod in quolibet tota sistit : in mundo scilicet ideali, qui est paternus intellectus Dei deorum, qui opifex et pater existit omnium aliorum. » Et hic mundus vere mundus est : quia nihil inquinatum incurrit in ipsum : qui, sicut dicit Boetius,

Mundum mente gereas pulchrum pulcherrimum  
[ipse,  
... similique imagine formans.

Et hic mundus, ut dicit Augustinus, est Sapientia et Verbum Dei : et ideo potens super tres alios mundos faciendi in eis quidquid voluerit.

Secundus, in quo universitas rerum consistit, est prima materia, sicut dicit Gregorius. Unde, Eccli. xviii, 1 : *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul, in prima materia.*

Tertius, in quo consistit rerum universitas, est tota continentia cœli et terræ et omnium quæ in eis sunt. In quo mundo est universitas formis distincta, et virtutibus propagata, quæ perfecta est ex Verbo Dei, in quo sunt omnia vita et lux. Joan. i, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est.* Sicut enim dicitur in Libro de *Intelligibilibus* : « Quæcumque sunt

in primo motore per rationem et ideam, sunt in prima materia per potentiam, et in mundo sensibili per formam distinctam. »

Quartus autem, in quo est rerum universitas, est anima hominis quæ est imago mundi, ut dicit Trismegistus, in qua resultant omnia per imaginem cuncta ambientem. Sensibilia quidem per partem sensibilem, intellectualia autem per intellectum potentialem, qui est omnia fieri, sicut dicit Philosophus. Omnia autem hæc continet mundus primus, qui vere et secundum causam mundus est. Et ideo in aliis facit quidquid voluerit.

Hoc autem verbum in omni virtute sua committitur prædicandum Apostolis, et apostolicis Episcopis : et ideo conveniens est ut virtutum ejus accipiant verum experimentum, tam in mundo sensibili, quam in mundo minori.

In mundo autem sensibili dupliciter ostendit virtutem : in creatura videlicet corporali, et in creatura spiritali incorporea, virtuti verbi contraria, hoc est, in dæmonibus quorum legionem compescit, et sibi servire facit : sicut patet in sequenti miraculo.

In isto autem miraculo ostendit se esse potentem verbo, in aqua per tempestatis sedationem, in aere per ventorum quietationem, in terra per vaporis terrei qui est ventus, repressionem : et in cœlo per hoc quod lunam compescuit, ne talem ventum suscitaret qui mare moveret.

Dividitur autem historia hæc in tres partes : in quarum prima continentur ea quæ pertinent ad navigationem, in qua factum est miraculum : in secunda, omnia ponuntur quæ aggravant tempestatis periculum : in tertia autem, ea quæ perficiunt miraculum.

In prima harum continentur quatuor, in quorum primo Evangelista ponit continuationem historiarum : in secundo, Domini præparatam navigationem : in tertio, discipulorum confirmandorum cum Domino associationem : in quarto,

Domini ad navigandum dispensatoriam ad discipulos exhortationem.

In primo horum non dat continuationem temporis, sed potius dicit continuationem ordinis quam sæpe diximus, in qua fides verborum probatur per mirabilia facta operum verbo subjacentium.

Et hoc notat cum dicit :

« Factum est autem, »

In sapientia æterni Verbi, « *in una dierum,* » hoc est, in aliqua dierum, quæ non nominatur ne ordo temporis requiratur. Non enim facta Domini subjacent tempori : sed et tempus et omnia alia sujacent factis Domini. Unde Boetius ;

Qui tempus ab ævo

Ire jubes.

Unde, Act. 1, 7 : *Tempora et momenta Pater posuit in sua potestate.*

« Et ipse ascendit. »

Ecce secundum. « *Ascendit* » autem, cujus omnis actus ascensio est. Psal. LXXXIII, 6 : *Ascensiones in corde suo disposuit.* Unde cum etiam ad passionem iret, cujus hæc navicula figura est, ascendisse perhibetur. Matth. xx, 18 : *Ecce ascendimus Jerosolymam.*

Ascendit autem, dum nos ascendere facit. Luc. v, 3 et 4 : *Ascendit in unam navim quæ erat Simonis, ... et dixit : Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam.*

« *In naviculam,* » quæ natura, usu, et quantitate passionem crucis significat : natura ligni, usu gubernationis, quantitate diminuta humilitatem significat Christi in passione : et hæc tria simul continentur, Sapient. xiv, 5 : *Ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera : propter hoc etiam et exiguo ligno credunt homines animas suas, et transeuntes mare, per ratem liberati sunt.* Sic etiam Ecclesia a Christo gubernata crucis gubernaculo,

*navis* dicitur. Et bene competit, Proverb. xxxi, 14 : *Facta est quasi navis institutis, de longe portans panem suum,* hoc est, de ultimis finibus cæli afferens per opus redemptionis.

« Et discipuli ejus. »

Ecce discipulorum confirmandorum associatio. Tota enim familia domus Domini cum Domino ingreditur in navim : quia extra navim non est salus. Genes. vii, 1 : *Ingredere tu, et omnis domus tua, in arcam : te enim vidi iustum coram me.* Luc. xi, 23 : *Qui non est mecum, contra me est : et qui non colligit mecum, dispergit.* Ideo dicit, Luc. xxii, 28 : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.*

« Et ait ad illos. »

Ecce dispensatoria ad navigandum exhortatio.

Et dicuntur duo : exhortatio Domini cum præsciret quidem quod esset futurum, et simplex obedientia discipulorum.

Exhortando enim dicit : « *Transfretemus,* » hoc est, trans fretum sive stagnum quod *fretum* vocatur hic, navigemus. Joan. vi, 6 : *Ipse enim sciebat quid esset factururus.* Et ideo dispensatorie hanc fecit exhortationem. Habacuc, iii, 15 : *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* Notatur autem diligentia Domini in prædicando, cui non suffecit in una parte prædicando discurrere, nisi etiam transiret ad aliam ripam et ibi prædicaret. Notatur etiam transitus ejus cum discipulis ab isto littore ad aliud littus æternitatis. Isa. xvi, 8 : *Propagines ejus relictæ sunt, transierunt mare.* Relictæ enim nobis propagines, sunt Apostoli et discipuli, qui maria transeuntes, et nobis prædicaverunt, et nos ad littus æternitatis transvexerunt. Isa. xxiii, 2 et 3 : *Transfretantes mare, repleverunt te. In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges ejus.* Isti

sunt enim qui mare transfretantes cum Domino aquis suæ doctrinæ orbem repleverunt : et semine Nili (qui est unus fluviorum paradisi) quod est verbum Dei, fruges fidei et justitiæ in nobis, irrigaverunt corda ad fructum faciendum. Deus autem dedit incrementum, I ad Corinth. III, 7 : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat : sed qui incrementum dat, Deus.*

« Et ascenderunt. »

Ecce discipulorum obedientia, qui cum Domino in naviculam Ecclesiæ et obedientiæ crucis ascenderunt. Matth. x, 38 : *Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus.* De aliis enim potest dici : *In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur*<sup>4</sup>. Sed de discipulis non sic : vias enim in aquis tribulationum cognoverunt. Proverb. xxx, 18 et 19 : *Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro : viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, et viam viri in adolescentia.* Viam aquilæ in cælo cognoscit, qui oculo contemplationis cum Christo pervolat altivola contemplatione cælestia. Viam colubri super petram cognoscit, qui viam sapientiæ Christi in fundamento veritatis Ecclesiasticæ perspicaciter pervidet cum Petro, qui hanc veritatem illuminatus a Deo perspexit. Viam navis in medio mari cognoscit, qui gubernationem Ecclesiæ a Christo per crucem factam, per mysterium cognovit. Viam autem viri in adolescentia investigat, qui vias Incarnationis in visceribus Beatæ Virginis, vel in juventute humanitatis assumptæ perspexit. Et hoc quidem nemo ad plenum cognovit, nisi Christus. Discipuli autem secuti vestigia conditoris secundum partem aliquam cognoverunt, et ideo obedienter cum Christo ascenderunt

<sup>4</sup> Psal. LXXVI, 20.

« Et navigantibus illis, obdormivit. »

Hic incipit occursus periculi, de quo salvat suos Salvator.

Dicuntur autem hic quinque, quorum primum est insufficiens contra periculum adjutorium hominis. Secundum est ad tempus dissimulatio auxilii Salvatoris. Tertium est causa periculi navis. Quartum, ipsius periculi violentia vires hominum superexcellens. Quintum autem est præsentia periculi jam imminens. Hæc autem per singula patent in littera.

Insufficiens enim contra periculum adjutorium hominis tangitur per hoc quod dicitur :

« *Et navigantibus illis.* » Non enim est aliquid ex arte et labore hominis adjutorium contra periculum tempestatum, nisi navim in ventum vertere et fortiter navigare. Et innuitur per hoc quod existentibus in periculis auxilium et consilium humana non sunt refutanda. Et quando deest auxilium hominis, requirendum est auxilium divinum. Jonæ, 1, 13 : *Remigabant viri ut reverterentur ad aridam, et non valebant : quia mare ibat, et intumescebat super eos.* Eccli. XLIII, 26 : *Qui navigant mare, enarrant pericula ejus.*

« Obdormivit. »

Ecce ad tempus dissimulatio auxilii Salvatoris. Causa autem dormitionis est lassitudo prædicationis et vexatio turbarum in procuratione salutis : sicut expresse dicitur, Marc. IV, 36 : *Assumunt eum ita ut erat in navi : et aliæ naves erant cum illo.* Confutatur autem et manichæus qui dixit Christum verum hominem non fuisse. Quia si verus homo non fuit, vere humana non est passus, sicut somnum, et vigiliam : cujus contrarium hic dicitur. Dicit etiam Marcus, quod erat ipse in puppi *super cær-*

*vical dormiens* <sup>1</sup> : quæ solatia, nisi verus homo fuisset, nullo modo quævisset : innuens per hoc quod et nos in laboribus solatia necessitatis accipere, et nobiscum possumus portare. Sicut autem dicit Origenes, « Mira res esse videtur, quod dormit qui numquam dormit. » Psal. cxx, 4 : *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.* Sed dormit secundum humanitatem, et semper vigilat et insomnis est secundum deitatem. Cantic. v, 2 : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Cervical autem super quod dormit, non est nisi ad reclinacionem capitis : docens nos per hoc, quod si accipimus recreationem lassitudinis, ad necessitatem accipienda sunt et non ad voluptatem et resolutionem. Amos, vi, 4 : *Væ qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris.* Unde etiam non legitur quod aliquem Dominus in lecto jacentem curavit. Sed, Joan. v, 8 et 9, dicitur, quod curavit eum qui jacebat in grabato, qui sola necessitate etiam in infirmitate fuit contentus. Grabatum enim est lectulus, in quo solum quiescit caput. Et dicitur a graba quod hebraice sonat caput <sup>2</sup>.

Videtur autem contrarium ei quod dicitur, Matth. viii, 20 : *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Et dicendum, quod in veritate sicut Marcus innuit, tunc propter laboris lassitudinem, discipuli secum in navim cervical assumpserant : cujus signum est quod ita cito obdormierat. Non enim ita cito obdormivisset nisi multum laborasset, nec ita fortiter dormiret in tanto motu navis, nisi multum fatigatus fuisset. Dormire vero istud in navi signat dormitionem mortis in cruce. Psal. iii, 6 : *Ego dormivi, et soporatus sum : et exsurrexi quia Dominus suscepit me.*

« Et descendit procella venti in sta-

gnum, et complebantur, et periclitabantur. »

Ecce causa periculi navis.

Et tanguntur quatuor : modus scilicet impulsione, impetus concussionis, causa eversionis, et loci dispositio tempestati congruens et habilis.

Modus impulsione tangitur cum dicitur : « *Descendit.* » Dum enim ventus in alto est et flat, non multum mare concutit : quia tunc aerem transcendit, et non multum impellit inferiora : sicut videtur aliquando in nubibus altissimis, quæ moventur a vento, et inferius ventus vel non sentitur, vel parum percipitur : sed quando gravatur venti materia, signum est quod continuo a vapore terreo forti regeneretur, et tunc fortissimus ventus efficitur et ad inferiora concutienda sua naturali dejicitur gravitate. Unde, Matth. viii, 24 : *Motus magnus factus est in mari.* Jonæ, i, 4 : *Dominus misit ventum magnum in mare : et facta est tempestas magna in mari : et navis periclitabatur conteri.* Et istum ventum præcepit Dominus oriri ad probationem discipulorum. Psal. cvi, 26 : *Ascendant usque ad cælos, et descendant usque ad abyssos : anima eorum in malis tabescebat.*

« Procella. »

Ecce impetus concussionis. Procella enim est quando ad modum collium et montium intumescit mare, sive stagnum interpositis vallibus semper inter duas procellas : quia tunc navis inæqualiter ascendit ante, et descendit retro : et timor est ne inter duas procellas absorbeat. Job, xxvii, 20 : *Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas.* Nahum, i, 3 : *Dominus in tempestate et turbine viæ ejus.* Jonæ, ii, 4 : *Gurgites tui et fluctus tui super me*

<sup>1</sup> Marc. iv, 38.

<sup>2</sup> Vide quæ diximus de hoc verbo in notula

quadam super Marcum, ii, 4 Tom. XXI hujusce novæ editionis.

*transierunt.* Psal. LXVIII, 2 : *Intraverunt aquæ usque ad animam meam.*

« Venti. »

Ecce causa eversionis. Ventus enim, sicut dicit Avicenna, est fortiter impellens elementum, quod in se non est terminabile, et semper a situ uno in alium evertens. Act. XXVII, 14 et 15 : *Misit se contra navim ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo. Cumque arrepta esset navis, et non posset conari in ventum, data nave flatibus, ferebamur, hoc est, jactabamur. Et hoc maxime contingit quando mixtim flant venti oppositi.* Daniel. VII, 2 : *Quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.*

« In stagnum. »

Ecce locus periculo conveniens et habilis. Si enim esset fluens aqua, fluxus procellas distraheret: sed quando stat, ad impetum venti tota movetur aqua ventum exspectans, et a fundo illius elevatur ventus totam aquam crispantibus undis in procellas convertens motu inordinato. Job, XLI, 22 : *Fervescere faciet quasi ollam profundum mare, et ponet quasi cum unguenta bulliunt.* Psal. LXVIII, 3 : *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.* Descensus autem iste impetum significat suggestionis diabolicæ. Ezechiel. I, 4 : *Ventus turbinis veniebat ab Aquilone.* Job, I, 19 : *Ventus vehemens irruit a regione deserti.* Et dicitur *descendere*, quia deorsum fluere facit. Et fluit juxta interpretationem nominis diaboli, qui *deorsum fluens* interpretatur. Procella autem ex isto flatu causata, procellosa est concupiscentia. Psal. CXLVIII, 8 : *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum.* Ignis quidem libidinis. Grando percussio in violentia tentationis. Nix in frigiditate devotionis. Glacies algidæ charitatis. Spiritus suggestionis procellarum in motu libidinosi humoris. Hæc enim omnia confun-

duntur in tentatione dæmonis. Sapient. V, 23 et 24 : *Excandescet in illos aqua maris, et flumina concurrent durrer. Contra illos stabit spiritus virtutis, etc.* Hæc omnia irruunt in stagnum vani cordis.

« Et complebantur, »

Alias, compellebantur. Hic tangitur ipsius periculi violentia vires hominis excedentis.

Et ideo dicuntur duo: excessus scilicet periculi ex parte navis, et excessus ex parte virium hominis.

Ex parte navis quidem, cum dicit: « *Et complebantur,* » hoc est, navis incepit impleri aqua: quia vento eam inclinante sæpius hausit aquam. Unde, Matth. VIII, 24 : *Ita ut navicula operiretur fluctibus.* Jonæ, II, 4 : *Projecisti me in profundum in corde maris, et flumen circumdedit me: omnes gurgites tui, et fluctus tui super me transierunt.* Thren. III, 54 : *Inundaverunt aquæ super caput meum: dixi: Perii.* Act. XXVII, 41 : *Puppis solvebatur a vi maris.*

« Et periclitabantur. »

Ecce excessus virium hominis. Eccli. XLIII, 26 : *Qui navigant mare, enarrent pericula ejus.* Causa vero periculi, ut dicit Glossa quædam, fuit, quia proditorem habebant in navi, non quod jam tunc esset proditor, sed quia forte jam tunc moliebatur proditorem. Et in hoc notatur quod societas malorum sæpe est causa discriminis bonorum. Et hoc confirmatur, Numer. XVI, 26, ubi dicitur: *Recedite a tabernaculis hominum impiorum...., ne involvamini in peccatis eorum.* Et, Josue, VII, 13 : *Anathema in medio tui est Israel: non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere.* Unde, Glossa: « Merito turbatur navis in qua proditor est cum bonis: et qui suis meritis firmi fuerunt vel non erant turbati,



turbantur alienis. » Job, 1, passim, ubi inter filios Dei fuit Satan, qui procuravit Job spoliationem, liberorum extinctionem, et corporis beati Job percussio- nem, et corporis beati Job percussio- nem, et corporis beati Job percussio- nem. I ad Corinth. v, 7: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi.* Et ideo de navi Religionis et Ecclesiæ tales sunt eliminandi, ne turbetur ex præsentia ipsorum. Sed Christus dispensatorie hunc sustinuit: quia adhuc seipsum non manifestaverat, nec adhuc prodicionem perfecerat: et ideo ut homo jam nihil fecit contra eum, quamvis ut Deus præsciret quid esset facturus.

Ex omnibus autem his colligitur præsentia periculi jam imminentis: quod etiam notatur in hoc quod dicitur: « *Et periclitabantur.* » Unde Glossa quædam dicit: « *Adverte neminem sine tentatione de hac vita posse demigrare: cum et Apostolos quibus Dominus adest, sæpe tentationum procella perturbet.* » II ad Timoth. III, 12: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Luc. XXII, 31: *Ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum.* Tob. XII, 13: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.*

**24** « Accedentes autem suscitaverunt eum, dicentes: Præceptor, perimus. »

Hic ponuntur ea quæ faciunt ad miraculi perfectionem, et sunt tria.

Quædam sunt antecedentia, quædam essentialia, et quædam consequentia. Antecedentia faciunt ad interpellationem facientis miraculum. Essentialia faciunt perfectionem miraculi. Consequentia miraculi ostendunt finem.

In antecedentibus tria notantur: appropinquatio interpellantium, suscitatio supplicantium, et allegatio periculorum jam instantium.

Dicit ergo:

« Accedentes autem. »

Ecce interpellantium appropinquatio, quæ non tam loco quam devotione facta intelligitur. Jacob. IV, 8: *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Psal. LXXIX, 19: *Non discedimus a te, vivificabit nos.* Deuter. IV, 7: *Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Psal. XXXIII, 19: *Juxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde.* Psal. xc, 15: *Cum ipso sum in tribulatione.* Est tamen debilis fidei signum, quod accesserunt, loco æstimantes plus posse Salvatorem in propinquos quam in remotos: simile quid passi regulo de quo loquitur, Joannes, IV, 47 et 48, qui Dominum descendentem in domum suam plus posse putavit quam absentem, et ideo a Domino est redargutus de parvitate fidei, sicut et hic Apostoli redarguuntur.

« Suscitaverunt eum. »

Ecce excitatio: quia plus putaverunt posse vigilantem quam dormientem: quod quamvis verum est secundum humanitatem, tamen secundum deitatem non est verum: quia secundum illam *non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel*<sup>1</sup>. Sed fecerunt sicut docet Josaphat, II Paralip. xx, 12: *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Proverb. VI, 3 et 4: *Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis.* Dispensatoria enim (ut diximus) fuit hæc dissimulatio adjutorii, ut probaretur in quanta devotione et fervore discipuli ad Dominum recurrerent.

« Dicentes. »

Ecce interpellatio, in qua duo continentur: professio majestatis, et allegatio necessitatis: in quibus duo alia intel-

<sup>1</sup> Psal. cxx, 4; Isa. v, 27.

liguntur, scilicet, præsumptio benignitatis, et reverentia subjectionis.

Professio majestatis tangitur per hoc quod dicitur :

« Præceptor. »

Est enim verè præceptor qui omni creaturæ præcipiendi habet potestatem. Esther, xiii, 9 : *In ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati.* Ibidem, x. 11 : *Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuæ.* Psal. cxxxiv, 6 : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cælo, in terra, in mari et in omnibus abyssis.*

« Perimus. »

Ecce allegatio necessitatis. Osee, vi, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Isa. xxvi, 16 : *In angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.*

Præsumptio autem benignitatis notatur ex hoc quod simplex allegatur necessitas, nec petitur aliquid : quia tantum de benignitate sua præsumpserunt, quod per seipsum sciret et vellet et posset et faceret quod salutarum et bonum foret pro ipsis. Psal. liv, 23 : *Jacla super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet.* I Petr. v, 7 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Psal. xxxix, 18 : *Ego autem mendicus sum et pauper : Dominus sollicitus est mei.* Reverentia vero subjectionis notatur in hoc quod non pro-caciter instant, merita sua prætendentes, sed humili subjectione se sibi subjicientes. Et hoc notatur, Marc. iv, 38, ubi dicitur : *Non ad te pertinet quia perimus ?* Et est sensus : Quoad inferiores causas perimus, neque est auxilium nisi in te. Esther, xiii, 9 : *Si decreveris salvare Israel, supple, continuo liberabitur.*

« At ille surgens increpavit ventum,

et tempestatem aquæ, et cessavit, et facta est tranquillitas. »

Hic tanguntur ea quæ sunt de essentia miraculi, et sunt quatuor : virtutis excitatio, contrariæ potestatis increpatio, periculi sedatio, salutis inductio.

Virtutis divinæ excitatio notatur cum dicitur : « *At ille surgens,* » hoc est, virtutem erigens et ad actum extendens : quod licet fiat virtute divina operante in humanitate, tamen secundum deitatem semper uno modo se habet. Hanc autem excitationem virtutis non nisi significat in surrectione corporis. Psal. lxxvii, 63 : *Excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino.* Hæc autem surrectio Salvatoris in navicula significat resurrectionem ejus de morte et inferno, in qua solutis vinculis somni et mortis, suis surrexit ad salutem. Somnus enim ligatio est sensuum, sicut dicit Philosophus. Judicum, xv, 14 : *Irruit Spiritus Domini in Samsonem : et sicut solent ad odorem ignis lina consumi, ita vincula quibus ligatus erat dissipata sunt et soluta.*

« Increpavit ventum. »

Ecce contrariæ potestatis increpatio.

Et tangit duo : unum in alto, quod fuit movens causa : et alterum in imo, quod motum fecit periculum.

De primo dicit : « *Increpavit ventum,* » ut facientem primo periculum. Et in hoc notat se Dominum aeris et terræ : quia ventus est de natura terræ, et est in forma aeris et movens aerem. Matth. viii, 26 : *Imperavit ventis et mari.* Marc. iv, 39 : *Exsurgens comminatus est vento, et dixit mari : Tace, obmutesce.*

Et hoc est quod subjungit : « *Et tempestatem aquæ,* » ut se Dominum aquæ ostenderet, et Dominum lunæ, quia luna movet aquas : et per consequens Dominum ignis, quia luna non nisi calore ignis qui cum lumine cæli descendit elevare potest vaporem venti qui mare

impellit. Nahum, I, 4: *Dominus increpans mare, et exsiccans illud, et omnia flumina ad desertum deducens.* Psal. LXXXVIII, 10: *Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* Surgit ergo Dominus cum adjutorium præterdit: increpat ventum, cum suggestionem dæmonis annihilat: sedat mare, dum motum mundi vel cordis amari ad pacem reducit. Isa. LVII, 20: *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.*

« Et cessavit. »

Sedatio periculi. Psal. LXXXVIII, 10: *Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* Job, XXXVIII, 11: *Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.*

« Et facta est tranquillitas, »

Hoc est, quies in aere et in mari. Et hæc est magnitudo salutis inductæ per miraculum: quia quando sedatur ventus per naturam, non continuo sedatur aqua: sed postea adhuc movetur aqua propter motum qui ante fuerat in ea. Tob. III, 22: *Post tempestatem tranquillum facis: et post lacrymationem et fletum, exultationem infundis.* Isa. LI, 10: *Posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati.* Sapient. X, 18: *Transvexit illos per aquam nimiam.*

25

« Dixit autem illis: Ubi est fides vestra? Qui timentes, mirati sunt ad invicem dicentes: Quis putas hic est, quia et ventis et mari imperat, et obediunt ei? »

Ecce miraculum consequentia, et sunt tria: increpatio dubietatis, et effectus increpationis, et effectus miraculi.

Increpatio tangitur cum dicitur: « Ubi

*est fides vestra, »* tot sermonibus instructa, tot exhortationibus invitata, tot miraculis confirmata, tot gratiis dotata? Non quærit autem ut instruatur ignorans, sed ut increpetur dubitans cor discipulorum. Marc. XVI, 14: *Exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis: quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Matth. VII, 26: *Quid timidi estis, modicæ fidei?* Marc. IV, 40: *Quid timidi estis? necdum habetis fidem?*

« Qui timentes. »

Effectus est increpationis: et est timor filialis et reverentialis. Increpati enim filii timent offensam patris, quamvis non timeant condemnationem. Psal. XVIII, 10: *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi.* Psal. II, 11: *Servite Domino in timore, exsultate ei cum tremore.*

« Mirati sunt. »

Effectus est miraculi.

Et tanguntur hic quatuor: admiratio, prædicatio, Christi exaltatio, et miraculi celsitudo.

Admiratio tangitur, cum dicitur: « *Mirati sunt* » majestatem. Esther, XV, 17: *Valde mirabilis es, domine, et facies tua plena est gratiarum.* Judicum, XIII, 18: *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* Mirari autem est secundum cognitionem in cognitione hujus facti suspendi, et in agonem cordis et stuporem converti. Eccli. XLIII, 26: *Qui navigant mare, enarrant pericula ejus: et audientes auribus nostris admirabimur.* Psal. XCII, 4 et 5: *Mirabilis in altis, Dominus. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Eo enim quod sic in altissimis mirabilis inventus est, omnia quæ docuit credibilia fecit, et his argumentis corda ad fidem convicit. Sic enim, ut dicitur, Act. I, 3, *in multis argumentis fidei fuit cum patribus fidei, et contestatus est in*

nos fidem, quam tenemus : et ideo securi sumus.

« Ad invicem dicentes, »

Fidei prædicationem in seipsis jam inchoantes, implentes illud quod dicitur in fine Apocalypsis, xxii, 17 : *Qui audit, dicat : Veni.* Ad Hebr. x, 25 : *Non deserentes collectionem nostram..., sed consolantes, et tanto magis quanto videritis appropinquantem diem.* Isa. xxxv, 4 : *Dicite pusillanimis : Confortamini.* Proverb, xviii, 19 : *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.*

« Quis putas hic est, »

Hoc est, quautus et quam magnus potestate divina præditus. Simile, Luc. i, 66 : *Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.* Ultra hominem enim videbant eum facere : et ideo mirantur potestatem infinitam, cuius limites nusquam vident, et infinitatem ejus in multis conspiciunt. Isa. lxiii, 1 : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* Psal. xxiii, 10 : *Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.*

Et subjungunt de magnitudine miraculi tria tangentes : facientis facilitatem, facti difficultatem, et perfecti signi velocitatem.

Facientis quidem facilitatem cum dicunt :

« Quia imperat. »

Imperio enim facere maximæ facilitatis est indicium. Sed omnia hæc fecit quatenus virtutem sui verbi demonstraret, et in tali virtute verbum prædicandum Apostolis committeret. Psal. xxxii, 9 : *Ipse dixit, et facta sunt : ipse man-*

*davit, et creata sunt.* Joan. i, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt, hoc est, per Verbum.* Et ideo, Sapient. xviii, 15, dicitur : *Omnipotens sermo tuus.*

« Ventis et mari, »

Quod maximæ difficultatis est : quia nullo modo hæc sunt in potestate hominis : quia ventus capi non potest, et mare non potest ambiri propter latitudinem. Dei enim solius, ut dicit Psalmus cxxxiv, 7, est *producere ventos de thesauris suis.* Et Dei solius est concludere ostiis mare, ut dicitur, Job, xxxviii, 8 et seq., *quando erumpit quasi de vulva procedens.* Et dicere : *Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.*

« Et obediunt ei. »

Et hic est velocissimus modus perficiendi : quia ad dictum hominis creatura obedit Creatori. Sapient. xvi, 24 : *Creatura tibi factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos, et lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.* Quoniam verbum suum omnia ordinat, et moderatur per sapientiam divinam, quæ prædicanda committitur Apostolis.

Et in hoc consistit istius miraculi tota perfectio.

« Et navigaverunt ad regionem Ger-senorum, quæ est contra Galilæam. »

In majori mundo sensibili Christus ostendit potentiam sui verbi. Hic autem ejusdem verbi ostendit potentiam in eodem majori mundo insensibili, hoc est, in spiritali creatura, quæ hunc mundum sensibilem exercet ad virtutem bonorum, et tentationem malorum. Et congruus est ordo : quia prius est quod ani-

male, quam quod spirituale est <sup>1</sup>. Et ideo prius ostendit virtutem in sensibilibus corporalibus, quam in spiritualibus nequitiis. Sic enim prædicatoribus verbi Dei potestatem dat super omnia dæmonia, et ut languores curent : sicut patebit in cura hæmorrhœissæ, et suscitatione filiæ Archisynagogi : quæ se continuo in historia consequuntur.

Tria autem dicuntur in hac historia. Primum quidem est, quod antecedit miraculum per modum causalitatis. Secundum autem, quod est de perfectione miraculi. Tertium est, quod est de consequentibus per modum effectus ipsius miraculi.

Antecedentia autem sunt tria. Primum est, quod ex parte Domini, faciendi miraculum inducit opportunitatem : et hoc est adventus Domini illuc secundum corporalem præsentiam. Secundum vero, ex parte dæmoniaci dicit miseriam, ad faciendum miraculum misericordem Dominum moventem : et hoc est occursum viri dæmoniaci. Tertium autem est ex parte dæmonum, atrox et perseverans malitia, quæ a salutis auctore erat comprimenda.

In prima harum partium tria continentur, quorum primum est arripitio navigantium. Secundum, descriptio loci in quem navigantes applicuerunt. Tertium autem est exitus Salvatoris in locum ubi salutis requirebatur effectus.

De primo dicit :

« Et navigaverunt, »

Domino hæc faciente, ut de abyssu aquarum suos educeret. Psal. cXLIII, 7 : *Eripe me et libera me de aquis multis.* Isa. LXIII, 13 : *Eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem.* Habacuc, III, 13 : *Viam fecisti in mari equis tuis.* Equi enim Domini quibus vectus est per mundum, Apostoli

sunt et Apostolici viri, quos enavigare facit per abyssum mundi cæteris submersis. Exod. xv, 10 : *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Sic enim, Sapient. XIV, 5 : *Transeuntes mare per ratem liberati sunt.* Sic Petrum de fluctibus liberavit <sup>2</sup>. Sic Paulum tertio naufragantem de profundo maris liberavit <sup>3</sup>. Enavigant ergo qui cum Domino navigant. Submerguntur qui sine Dei adiutorio se abyssis concupiscentiæ mundanæ committunt.

Describens autem locum in quem navium ejiciunt, tria dicit : culmen, nomen, et situm.

Culmen tangit cum dicit :

« Ad regionem, »

Ut notetur quod omne culmen regni Christi subjiendum erat imperio. Isa. LX, 12 : *Gens et regnum quod non servierit tibi, peribit : et gentes solitudine vastabuntur.* Est autem, ut dicit Beda, hoc regnum, regio minoris Arabiæ : non illius unde Magi venerunt in tribu Manasse juxta montem Galaad, ubi Jacob a Laban avunculo suo comprehensus est <sup>4</sup>. Scepta enim in una parte stagni et altera parte ejusdem, subdenda erant potentiæ verbi ejus, ut ubique dominans esse intelligatur. Psal. cXLIV, 13 : *Regnum tuum regnum omnium sæculorum, et dominatio tua in omni generatione et generationem.*

Nomen etiam subdit :

« Gerasenorum, »

Quod sic dicitur propter stagnum adjacentem, versus ripam alteram. In alia enim ripa erat Galilæa.

Et hoc est quod sequitur :

<sup>1</sup> Cf. I ad Corinth. xv, 46.

<sup>2</sup> Cf. Matth. xiv, 31.

<sup>3</sup> Cf. II ad Corinth. xii, 25.

<sup>4</sup> Cf. Genes xxxi, 23.

« Quæ est contra Galilæam, »

Ad differentiam illius quæ est Arabiæ majoris, de qua tres Magi venerunt <sup>1</sup>. Interpretatur autem, vel *generans auram*, vel *colonium ejiciens*, vel *advena appropinquans*. Per præsentiam enim Domini terra et aura sancti Spiritus generabat, in qua deambulabat Dominus ad auram post Meridiem : cum in declinatione mundi Dominus quæreret Adam ad pœnitentiam <sup>2</sup>. Et tunc ejicit colonium suum diabolum, de quo, Psal. cxix, 5 et 6 : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Habitavi cum habitantibus Cedar : multum incola fuit anima mea*. Et tunc fuit advena ejectus de paradiso, Deo suo appropinquans. I Petr. II, 11 : *Obsecro vos tamquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis*, etc. Psal. xxxviii, 13 : *Advena ego sum apud te, et peregrinus, sicut omnes patres mei*. Hæc sita est spirituali positione contra Galilæam, quæ *transmigratio facta* interpretatur, semper respiciens eam transmigracionem quæ in Domino facta est : ut ex illa spirituali præsentia Christi visitetur, per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Et ideo etiam ibidem dæmonum legio est expulsa.

27

« Et cum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus multis, et vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. »

Ecce tertium, scilicet egressus Domini ad procurandam salutem eorum qui dæmonibus serviebant. Hos undique quærebat, et se eis tamquam bonus exhibuit medicus. Matth. ix, 35 : *Circuibat Jesus*

*omnes civitates et castella*. Aliquando enim prædicavit, sicut, Matth. v, 2. Aliquando in tentatione confortavit, sicut ante fecit timentes in mari. Aliquando curavit in corpore. Aliquando curavit in mente, sicut nunc curat istos dæmoniacos. Totum enim assumpsit hominem, et totum curat in corpore et mente.

Et ideo, « *egressus*, » de quiete soporis, de sapientia gubernationis, de confortatione quam exhibuit tentatis. De primo, Psal. III, 6 : *Ego dormivi et soporatus sum, et exsurrexi*. De secundo, Proverb. xxxi, 14 : *Facta est quasi navis institoris*. De tertio, Luc. xxii, 32 : *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua*.

Inde ergo « *Egressus*, ad actionis laborem, ad gubernatorum eruditionem, et ad confortatorum consolationem. De primo in Psalmo lxxviii, 4 : *Laboravi clamans, rauce factæ sunt fauces meæ*, De secundo, Matth. v, 2 et 3 : *Aperiens os suum docebat eos, dicens : Beati pauperes*. Omnis enim Christi actio nostra est instructio. De tertio, Isa. lxxvi, 13 et 14 : *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. Videbitis, et gaudebit cor vestrum*.

Ecce quæ faciunt opportunitatem faciendi miraculum ex parte Domini.

« Occurrit illi vir. »

Hoc est secundum, in quo describitur miseria movens misericordem Dominum ad faciendum miraculum.

Et notantur hic quinque, quorum primum est dæmoniaci ocessus. Secundum, dæmoniaci istius subintellectus status clarus. Tertium est, quod a dæmonio miser est vexatus. Quartum est, miseriæ illius jam longum tempus. Quintum est, quod a dæmonio etiam in confusionem humanitatis lacerabatur, non tegens nuditatem habitus : et ab homi-

<sup>1</sup> Cf. Matth. II, 1.

<sup>2</sup> Cf. Genes. III, 8.

num habitatione in horrida loca propellebatur expulsus.

Per primum horum notatur dæmonis a Christi præsentia coactio. Non enim occurrit ut noceret : cum etiam sanctis viris dæmones nisi permissi nocere non possunt. Oportet enim quod etiam dæmones luci et discussioni Christi se obijciant. Job, I, 6 et 7 : *Affuit inter eos etiam Satan, cui dixit Dominus : Unde venis?* Non ex ignorantia quærens, sed vias suo examine discutiens, ut dicit Gregorius. Sic ergo occurrit coactus suo se examini præsentans. II ad Corinth. V, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.*

« Vir. »

Hic innuitur clarus status istius dæmoniaci : sexu enim erat vir.

Cum dicitur : « *Quidam,* » intelligitur quod erat claræ dignitatis, de qua (ut dicunt Sancti) tota dolens erat regio. Et ideo cum, Matth. VIII, 28, duos dicat fuisse dæmoniacos, Lucas unum solum commemorat : quia iste dignitatis erat singularis : innuens etiam in eos qui potentes sunt in sæculo, plus posse dæmonia. Et ideo dicitur quod iste a legione possessus erat. Alter autem non nisi ab uno vexabatur dæmone. Jacob. II, 6 : *Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia?* IV Reg. V, 1 : *Naaman, princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum suum, et honoratus : per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ : erat autem vir fortis et dives, sed leprosus.* Frequenter enim contingit quod illi qui præ cæteris fulgent divitiis et dignitate, ampliori dæmonum inficiantur quasi ejusdem lepræ varietate. I ad Timoth. VI, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.* Et dum vires et virilitatem strenue in obsequio

dæmonis expendunt, a multis dæmonibus possidentur.

« Qui habebat dæmonium. »

Ecce dæmonum habitus, qui habitus et miser et miserabilis est. Habere enim dæmonem, non haberi a dæmonio, notat quod hic per peccatum causa fuerat quod dæmones intraverunt in eum. Ad Ephes. IV, 27 : *Nolite locum dare diabolo.* Jacob. IV, 7 : *Resistite diabolo, et fugiet a vobis.* Tobia, VI, 17 : *Ii namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.*

« Jam temporibus multis. »

Notat hic miseriam istius antiquitatem et continuationem.

Per hoc enim quod dicitur : « *Temporibus multis,* » notat antiquitatem. Per hoc autem quod dicit : « *Jam,* » notat continuationem. *Jam* enim, ut dicit Aristoteles in IV *Physicorum*, notat nunc propinquum præsentem, vel in præterito, vel in futuro. Et est sensus : Ex multo tempore continuo usque ad propinquum præsentem nunc.

« *Habebat dæmonium.* » Isa. XLVIII, 8 : *Prævaricans prævaricaberis, et transgressorem ex utero vocavi te.* Jerem. II, 20 : *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam.* Hic enim dæmoniacus quasi nunquam lucida habuit intervalla, qui ab antiquo de vitio in vitium secundum voluntatem cujuslibet dæmonis exagitabatur.

« Et vestimento non induebatur. »

Ecce dæmonis furor : qui et lacerabat habitum ut detegerentur turpia, et expulit de domibus, propellens ad loca ho-

minum habitationi incongrua et horrida. Significatur autem in hoc quod habitum virtutum lacerat dæmonum furiosa inhabitatio, et habitationes humanæ naturæ congruas horret, quærens immunda mortuorum in inferno positorum sepulcra. Et in hoc duo genera vitiorum notantur. Quædam enim sunt contra virtutem : quædam præter hoc, contra hominum consuetudinem et naturam. Quam distinctionem etiam ante nos Philosophi invenerunt. Contra virtutem sunt luxuria, gula, ira, et alia hujusmodi peccata. Contra naturam et hominum mortem, sunt horrida : sicut de craneis hominum bibere, hominum societatem abhorrere, et cum mortuis eligere domicilium, et hujusmodi : quæ jam etiam brutalitatem animalem excedunt, neque animalitati neque humanitati congruentia. De primo, Apocal. xvi, 15 : *Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.* Ezechiel. xvi, 37 : *Nudabo ignominiam tuam coram eis, scilicet amatoribus tuis, et videbunt omnem turpitudinem tuam.* Ubi enim hominem non operit virtus, ibi statim apparet turpitudine oppositi vitii.

« Neque in domo manebat. »

Ecce vitium contrarium animalitati et humanitati. Domus enim est habitatio animalis et hominis, significans quietem, in qua vel ut animal vel ut homo inhabitat. Ut animal, Daniel. iv, 22 : *Cum bestiis ferisque erit habitatio tua.* Quia licet peccator sit, tamen animalis naturam custodit. I ad Corinth. ii, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* Tamen quia animalis est vita, ut dicit Glossa, fertur dissoluta lascivia in corporis quinque sensus : quam intra metas suas spiritus rector non continet. Nihil ergo admittit contrarium generi animalis, quod sibi ex genere est naturale.

Domus etiam est habitatio hominis, in qua aliquis per rationem humanitatis

inhabitat : sicut est qui civilia custodit et humana, quamvis contra Deum et gratiam committat multa : sicut Paulus legem æmulans, antequam converteretur ad Dominum, et alii multi, de quibus dicit, ad Roman. x, 3 : *Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Et extra hæc exagitat dæmon ad præternaturalia, et ad irrationabilia compellit. Jerem. ii, 16 : *Filii Mempheos et Thaphnes constupraverunt te usque ad verticem.* Usque ad verticem enim in qua ratio sita est constupratur, cujus ratio penitus sic evertitur ut irrationabilia prosequatur.

Hic igitur dæmoniacus, et contra virtutem civilem, et contra naturam animalitatis, et contra ordinem rationis exagitabatur.

Et quartum adjungitur genus vitiorum, cum dicitur.

« Sed in monumentis. »

In quo notatur quod in spurcis cadaveribus et horridis dæmonum locis delectabatur. Et talis consuetudinis dicitur fuisse tyrannus Siciliæ Dionysius, qui in inventionibus dæmoniacis quæ malitiam ferarum et hominum excedebant, delectabatur. Psal. xiii, 3 : *Sepulcrum patens est guttur eorum.* Baruch, iii, 11 : *Inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis.* Psal. lxxvii, 7 : *Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris.* Sed tanta est Dei misericordia, quod nec illos deserit. Deuter. xxxii, 10 : *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis.*

« Is, ut vidit Jesum, procidit ante illum. »

Tertium est in quo continetur id quod ex parte dæmonis ad miraculum movit faciendum.



Sunt autem tria. Vidit enim, et pro-  
cidit, et clamavit. *Vidit* visu cognitionis  
et fidei : quia dicit Jacobus, II, 19 :  
*Dæmones credunt et contremiscunt. Pro-*  
*cidit*, coactam reverentiam exhibens.  
*Clamavit*, intensionem malitiæ ad vo-  
luntatem nocendi ostendens.

De primo dicit : « *Is ut vidit Jesum,* »  
hoc est, deitatem Christi cognovit. Luc.  
IV, 41 : *Exibant dæmonia a multis cla-*  
*mantia, et dicentia : Quia tu es Filius*  
*Dei.*

Sed contra, I ad Corinth. II, 8 : *Si co-*  
*gnovissent, numquam Dominum gloriæ*  
*crucifixissent*, hoc est, crucifigi persua-  
sissent. RESPONSIO. Sciebant in signo, et  
non in veritate : et sic videbant eum.  
Dæmones autem Filium Dei videre, est  
dæmonem in tenebris quidem existen-  
tem, lucem claritatis ejus in signis gra-  
tiæ cognoscere. Et ideo videntes contrem-  
miscunt, ut dicit Jacobus, II, 19 : quod  
non facerent, si in tenebris non mane-  
rent. Spiritus enim sunt tenebrarum.

« Procidit ante illum. »

Ecce coactam exhibet reverentiam. Sic  
enim inimicos suos etiam invitos ponit  
scabellum pedum suorum <sup>1</sup>. Et iterum,  
Psal. XC, 13 : *Super aspidem et basili-*  
*scum ambulabis, et conculcabis leonem*  
*et draconem.* Ad Philip. II, 10 : *In no-*  
*mine Jesu omne genu flectatur cæle-*  
*stium, terrestrium, et infernorum.* Sic  
ergo non sponte procidit, qui sicut dicitur,  
Isa. XIV, 14, vult esse similis Altis-  
simo <sup>2</sup> : sed invitatus ei quem in signis æs-  
timat, reverentiam deitati debitam co-  
actus exhibet, ut fidei etiam ab inimicis  
testimonium perhibeatur. Ad Roman.  
XIV, 11 : *Mihi flectetur omne genu, et*  
*omnis lingua confitebitur Deo.* Isa. XLV,  
23 : *Mihi curvabitur omne genu : et ju-*  
*rabit omnis lingua.* Homo ergo erube-  
scat qui Christo Domino genu non cur-

vat, cui veritatis inimicus, deitatem  
agnoscens, contremiscens, totus procum-  
bens, reverentiam exhibet. Et in hoc  
hæretici Ariani et Judæi pejus aliquid  
faciunt dæmoniacæ malitiæ. Unde Glos-  
sa : « Arius contendit esse creaturam,  
quem dæmon confitetur Dei Filium. Ju-  
dæi dicunt : *In principe dæmoniorum*  
*ejicit dæmones* <sup>3</sup> : quem dæmonia negant  
aliquid secum habere commune. »

« Et exclamans voce magna, dixit :  
Quid mihi et tibi est, Jesu, Fili Dei  
altissimi. »

Ecce hic est intensio clamoris, demon-  
strans intensionem malitiæ ad nocen-  
dum.

Et notantur tria : modus videlicet cla-  
moris, quantitas, et significatio cordis.

Modus exprimitur cum dicit : « *Et*  
*exclamans.* » Exclamatio vocatur expul-  
sa præter ordinem vox ex affectu cordis.  
Et ideo aliquando sumitur in bono,  
quando bonus affectus talem vocem expul-  
lit : sicut dicit Psalmus CVI, 6 : *Clam-*  
*maverunt ad Dominum cum tribularentur,*  
etc. Et, Daniel. XIII, 24 : *Exclama-*  
*vit autem voce magna Susanna.* In ma-  
lo autem, quando malus affectus talem  
extrudit vocem : sicut, Daniel. XIII, 24 :  
*Exclamaverunt autem et senes.* Et hic.  
Et hoc notat præpositio *ex*, quæ est in  
compositione participii.

« Voce magna, »

Quæ semper est potius affectu expul-  
sa, quam sit mente et ratione ordinata.

Dicitur autem : « *Magna,* » non vera  
vocis quantitate, sed ab intensione sonan-  
di : eo quod alte vel horride vel cum acu-  
mine sonat. Et notat cordis anxietatem  
vox talis. Aliquando autem vox dicitur  
*magna*, quæ magna exprimit. Et sic dæ-  
monis vox in divinis *magna* non dicitur.

<sup>1</sup> Psal. CIX, 1.

<sup>2</sup> Isa. XIV, 14 : *Ascendam super altitudinem*

*nubium, similis ero Altissimo.*

<sup>3</sup> Matth. IX, 34.

Et ideo vox ista cum ejulatu fuisse putatur. Isa. xv, 4 : *Expediti Moab ululabunt, anima ejus ululabit sibi.* Expediti Moab sunt principes dæmonum, qui principantur his qui ex patre diabolo sunt. Et anima illius principis ululabit sibi, quando per Christum sibi cognoscit auferri arma in quibus confidebat<sup>1</sup>.

« Dixit. »

Ecce significatum vocis. Componitur autem ex duobus : confessione, et deprecatione.

Confessione autem duplici, scilicet, disparitatis, et veritatis fidei.

Disparitas notatur cum dicit :

« Quid mihi et tibi est, »

Supple, commune ? Quasi diceret : Nihil. Ita enim sumus dispares quod me colentes ad te non pertinent, et te colentes nihil mecum habent commune. Et quia nihil est commune mihi, et tibi quare usurpas vasa mea ? Et in hoc notatur quod jam se sensit ejiciendum. II ad Corinth. vi, 15 et 16 : *Quæ conventio Christi ad Belial ? Aut quæ pars fidei cum infidei ? Qui autem consensus templo Dei cum idolis ?*

« Jesu, Fili Dei Altissimi. »

Ecce confessio veritatis, in qua est confessio actus proprii Redemptoris, qui procedit ex virtute deitatis. Et confessio distinctionis personæ in deitate, et confessio hæreditariæ æqualitatis cum Patre.

Primum est in hoc quod dicit : « *Jesu,* » qui *Salvator* interpretatur : quæ salus proprius actus est Redemptoris : in humanitate quidem perfectus, sed ex virtute deitatis elicitus. Matth. i, 21 : *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim*

*salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Habacuc, iii, 18 : *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo.*

« Fili Dei. »

Ecce distinctio personalis. Ex modo enim constructionis, transitio ad distinctas personas refertur. « *Fili Dei,* » hoc est, fili Patris. Joan. i, 49 : *Rabbi, tu es Filius Dei.* Joan. xi, 27 : *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Et hanc quidem confessionem revelatam a Patre cœlesti accipit Petrus<sup>2</sup>. Qui etiam dicitur *petra* super quam ædificatur Ecclesia<sup>3</sup>. Sed dæmones per signa gratiæ et amissionem vasorum, existimationem vehementem acceperunt de ea, et coacti cum ejulatu confessi sunt veritatem : non ex propriis, sed ex cogente veritate loquentes. Joan. viii, 44 : *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus.*

« Altissimi. »

Non dicitur Deus altissimus loco, vel comparatione aliorum deorum : quia non est comparatio ipsius ad alios. Sed dicitur *altissimus* altissimorum bonorum naturali possessione. Psal. xc, 9 : *Altissimum posuisti refugium tuum.* Luc. ii, 14 : *Gloria in altissimis Deo.* Genes. xiv, 19 : *Benedictus Abram Deo altissimo<sup>4</sup>, qui creavit cœlum et terram.* Si autem Jesus noster, Filius Altissimi est, omnia hæc hæreditate possedit. Et quia unicus est, cum alio hæreditatem istam non divisit. Et ideo ipse est altissimus. Joan. i, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis.*

Hæc ergo confessio de infidelitate vincit Arium, et condemnat Judæum,

<sup>1</sup> Cf. Luc. xi, 22.

<sup>2</sup> Cf. Matth. xvi, 17.

<sup>3</sup> Ibidem, ŷ. 18.

<sup>4</sup> Vulgata habet, excelso.

ut diximus : quia confitetur dæmon quod ex virtute divina procedat, et quod non ex principe dæmoniorum Beelzebub, et quod Filius Dei sit altissimi, et quod non sit creatura sicut mentitur Arius.

« Obsecro te, ne me torqueas. »

Ecce deprecatio : in quo notantur duo : modus scilicet, et petitum.

Modus tangitur cum dicitur : « *Obsecro te,* » hoc est, ob sacramentum tuæ deitatis et præfinitionis. Præfinitionem enim non hoc tempore iudicium de me facere. Serva ergo sacram tuam præfinitionem. Serva etiam tuæ deitatis rectitudinem. In se enim non habet dæmon quod alleget ad obtinendam suam voluntatem : et ideo confugit ad ea quæ scit esse in Salvatore. Simile, Daniel. ix, 19 : *Attende et fac : ne moreris propter temetipsum, Deus meus.* Ezechiel. xxxvi, 22 : *Non propter vos ego faciam, domus Israel, notum sit vobis, sed propter nomen sanctum meum.* Et est dolosa allegatio in dæmone : quia ex his quæ sunt in Deo, malitiam intendit suæ obtinere voluntatis. II Machab. ix, 13 : *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.*

« Ne me torqueas. »

Ecce petitum, quod in Glossa dupliciter exponitur : et tertius modus innuitur.

Uno quidem modo : quia torqueri se reputat, quando a læsione hominis arceatur, et tabescit ex ira et malitia in seipso, et sic torquetur. Psal. cxl, 10 : *Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet : desiderium peccatorum peribit.* Mich. vii, 10 : *Et aspiciet inimica mea, et operietur confusione, quæ dicit ad me : Ubi est Dominus Deus tuus ?*

Aliter exponitur in Glossa, de tempore, quod tempus iudicii non erat, in quo potestatem tentandi hominem et vexandi dæmon scivit se amissurum. Et ideo,

Matth. viii, 29, dicunt dæmones : *Venisti huc ante tempus torquere nos.* Quasi dicant : Hoc esset contra tuam præfinitionem, et contra tuum ordinem.

Tertia innuitur expositio, quod in præsentia Christi dæmon incendebatur et puniebatur. Quod fit ex odio : quia odians aliquem, amplius affligitur in præsentia ejus cum videt eum in negotiis suis prosperari. Psal. lxxiii, 23 : *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.* Mich. vii, 10 : *Oculi mei videbunt in eam, inimicam scilicet, nunc erit in conculationem ut lutum platearum.*

« Præcipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab homine. »

29

Hic ponitur id quod est ad miraculi perfectionem et commendationem.

De perfectione autem miraculi non est nisi præceptum Domini, ut ostendatur virtus verborum Domini, sicut diximus in præcedentibus : quia in illa virtute verbi Domini, committitur verbum prædicandum Apostolis.

Dicit ergo : « *Præcipiebat enim,* » quia cujus præcepto paret etiam sensibilis creatura, sicut ventus et mare : illius præcepto (quamvis invita) subditur etiam creatura dæmoniaca, et obedit coacta. Marc. i, 27 : *Quænam doctrina hæc nova ? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei ?*

« *Spiritui immundo.* » Spiritus immundus dicitur a duobus : ab immunditia quam in se fecit, et ab immunditia quam in alio persuasionem facit. Matth. xii, 43 : *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida,* etc. Marc. i, 23 : *Erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo.*

« Ut exiret ab homine. »

In hoc iterum notatur quod homo iste

causam dederat et locum dæmoni : et ideo in interioribus ejus erat præsidens et impediens operationes ejus, ne ad ordinem regiminis vitæ recta pervenire posset ratio. Et quoad hoc spiritus dicitur immundus esse in aliquo : non ita quod sit intra animam ejus, vel spiritui illius illabatur : sed turbat sanguinem, et spiritum corporeum ipsius, qui est vector formarum et virtutum ejus, et in cogitatu, et verbis, et motibus. Per hunc modum reddit inordinatum. Sic dicitur, I Reg. xvi, 14 : *Spiritus Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam, a Domino.* Matth. xvii, 14, dicitur de quodam qui male patitur a dæmonio : *Nam sæpe cedit in ignem, et crebro in aquam.* Et, Matth. xv, 22, dicitur : *Domine, filia mea male a dæmonio vexatur.* Et similia multa sunt in Scripturis. Et ideo quia interiores vias et vires sic impedit, dicitur hic, quod præcepit *ut exiret ab ipso*, hoc est, ut interiora relinqueret, et non impediret vel vexaret eum.

« Multis enim temporibus arripiebat illum, et vinciebatur catenis et compedibus custoditus, et ruptis vinculis agebatur a dæmonio in deserta. »

Hic ponit miraculi commendationem a quatuor, quorum primum est dæmonum vis et crudelitas, cui posse imperare fuit commendabile. Secundum est, dæmonum numerosa multiplicitas. Tertium autem, dæmonum coacta supplicitas, quod a Christo nihil nisi per supplices preces impetrabant. Quartum autem, ostensa in porcis dæmonum, malitiæ cui posse imperare erat maximum.

Circa primum duo dicuntur : antiquitas, et tyrannica crudelitas.

Antiquitas adhuc in duobus describitur : in tempore, et violentia.

In tempore quidem : quia « multis temporibus » possederat eum : jam quasi

præscriptum jus habens in ipso, sicut homo in jumento suo quod ab antiquo possidet. Unde, Luc. xi, 21, vocatur *fortis armatus* qui custodit atrium suum, cujus in pace sunt omnia quæ possidet : nec ab aliquo impetitur vel inquietatur in jure suo, sibi a multo tempore descripto.

Secundum autem notatur per hoc quod dicit :

« Arripiebat illum. »

Arreptio enim sonat violentiam et inordinatam exagitationem et vexationem. Unde, Marc. v, 5, dicitur de isto, quod *erat clamans, et concidens se lapidibus.* Arreptio enim est raptus spiritus corporei, qui est vector virtutum ad impulsus dæmonis. Et ideo anima destituta instrumento suo quo movet corpus et regit, quod est spiritus : quasi sopita et destituta, nullum ordinatum motum habet in corpore : sed vivificat ipsum tamen : quia vita est essentialis motus ejus, a quo non destituitur dum est in corpore : sed animalibus operationibus destituitur propter hoc quod spiritus ad operationes dæmonis usurpatur. Unde, Matth. viii, 28, dicuntur dæmoniaci isti *sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam.* Isa. x, 7 : *Ad conterendum erit cor ejus, et ad interneccionem gentium non paucarum.* Apocal. xii, 12 : *Descendit ad vos diabolus, habens iram magnam.*

« Et vinciebatur catenis et compedibus custoditus. »

Hic describit tyrannicam crudelitatem, quod ruptis vinculis, in desertum agitabatur.

Dicit ergo quod « vinciebatur catenis, » quæ de ferro fiunt, quod omnia domat, et istum non domabat. Daniel. ii, 40 : *Ferrum comminuit, et domat omnia.* Istum autem non domabat. Marc. v, 4 : *Nemo poterat eum domare.*

« Et compedibus, » ferramentis pe-

dum, « *custoditus* » insuper ab hominibus. Psal. cXLIX, 8 : *Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis*. Iste enim significat dementem concupiscentiam, et furorem irrationabilem, et phantasiam protervam in peccatore : qui per ista tria exagitatus in concupiscibili et irascibili et rationali, ruptis omnibus fertur ad motus diaboli, nullo retentus retinaculo. Catenæ enim quæ colligantur ansis, significant præcepta colligata charitatis ansulis. Compedes autem sunt sapientiæ divinæ instituta, per patres promulgata, quæ tamquam nihil rumpuntur ab eo qui demente concupiscentia et furore irrationabili et phantasia proterva exagitur. Jerem. II, 24 : *Nullus avertet eam : omnes qui quærunter eam, non deficient : in menstruis ejus invenient eam*.

Et hoc est quod sequitur :

« Et ruptis vinculis »

Catenarum et compedum. Jerem. v, 5 : *Confregerunt jugum, ruperunt vincula*.

« *Agebatur* » violenter « *a dæmonio*, » inordinato motu, « *in deserta*, » ubi nihil humanum colebatur vel habebatur : sicut supra diximus. Jerem. II, 24 : *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui*. Sicut enim dicit Gregorius : « Qui societatem hominum violat, superest ut solus bestialiter vivat. » Marc. v, 3, 4 et 5 : *Neque catenis jam quisquam poterat eum ligare : quoniam sæpe compedibus et catenis vinctus, dirupisset catenas, et compedes comminuisset, et nemo poterat eum domare. Et semper die ac nocte in monumentis et in montibus erat*. Et ideo significat eos, quorum peccata sunt et contra gratiam, et contra rationem humanam, et contra naturam : sicut diximus. Et ex his agitantur, demente concupiscentia in desideriis delectabilium, et furore irrationabili in nocumento proximorum, et phantasia proterva in con-

traditione veritatis, et cum contemptu mandatorum divinorum, et cum transgressionem statutorum paternorum : et præter omnia hæc solitudinem et singularitatem habent in inventionem novorum peccatorum. Psal. LXXIX, 14 : *Singularis ferus depastus est eam*. Isa. III, 8 : *Lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus*. Psal. LXXX, 13 : *Ibunt in adinventionibus suis*.

« Interrogavit autem illum Jesus, dicens : Quod tibi nomen est ? At ille dixit : Legio : quia intraverant dæmonia multa in eum. »

30

Descriptio est commendationis miraculi a multiplicitate.

Non autem interrogat ut discat ignorans. Joan. XVI, 30 : *Non opus est tibi ut quis te interroget*. Sed interrogat ad commendationem gratiæ et miraculi : quia et magnæ gratiæ et magnæ majestatis est a tot dæmonibus hominem liberasse.

Dicit autem tria : nominis interrogationem, multitudinis expressionem, et rationem dat talis nominis et responsionis.

Nominis interrogatio fit cum dicitur :

« Quod tibi nomen est ? »

Accipiunt enim nomina ab officiis, sicut et Angeli boni : vel aliquando etiam ab operationibus, sicut dicitur Satan qui adversatur, Diabolus qui deorsum fluere facit, Mammona qui divitias suadet. Et sic de aliis nefandis nominibus dæmonum. Psal. XV, 4 : *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*. Osee, II, 17 : *Auferam nomina Baalim de ore ejus, et non recordabitur ultra nominis eorum*. Et quod hic quærit nomen, non facit ut nominetur, sed ut tamquam abominabile fugiatur : quia, sicut dicit Boetius, non

vitatur malum nisi cognitum. Ideo in morte pessimi Domitiani, lex romana fuit ut nomen infandum e lignis et lapidibus eraderetur, ne esset in recordatione.

« At ille dixit : Legio. »

Ecce expressio numerosæ multitudinis. Nec respondet quæstioni : quia hoc erat impossibile. Non enim potest multis malitiis in speciali designatis unum nomen imponi. Multæ autem speciales malitiæ in isto videbantur dæmoniaco : et ideo *legionem* se vocavit. Et quia legio est multitudo militiæ ordinata ad unum ducem, ideo intelliguntur omnes isti dæmones in isto unum habuisse principem, cujus imperia exercebant. Multæ enim legiones contrariæ potestatis dirigebantur contra Christum, ex quibus virtutum ejus experimenta accipere dæmones intendebant. Psal. xc, 7 : *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis.*

Legio autem antiquitus dicebatur a legatione, hoc est, multitudine sub uno duce legata, et præceptis et statutis illius ligata. Et hæc multitudo tunc sex millia et sexcentos et sexaginta sex milites continebat. Qui numerus a sex surgit : quia senarius perfectus est numerus partibus suis constitutus, nec abundans, nec deficiens : ut ex perfectione senarii legio ipsa instrueretur, quod nec in plus nec in minus quam edictum esset faceret. Continet autem millenarium in sex multiplicatum, qui cubicus est numerus. Decies enim decem decies faciunt mille : ut ex ipsa figura cubi stabilitatem et immobilitatem legio doceretur. Minimus enim in ea, decem præfuit : et denarius erat radix. Maximus autem sub duce fuit centum : et hoc erat quadratum radicis. Et dux præfuit sexaginta centenariis, ad primam perfectionem respiciens, et ad radicem, et ad quadratum et ad figuram cubi, quæ in omni latere est stabilis et inconvulsa.

<sup>1</sup> Cf. Job, 1 et 11, passim.

Nec respondet dæmon quæstioni, ut diximus : sed quærenti, per legionem innuens multitudinem malitiæ et militiæ contrariæ potestatis.

« Quia intraverant dæmonia multa in eum. »

Ecce ratio suæ responsionis : et sunt verba Evangelistæ, non dæmonis. Luc, viii, 2 : *Maria quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant.* Gregorius : « Septem dæmonia Maria habere debuit, quæ universis vitiis plena fuit. »

In hoc autem quod dicit : « *Intraverant in eum,* » notatur quod in interioribus ipsius possederant istum hominem ; quod raro contingit, nisi quando dæmonibus datur locus per enormitatem criminis. Exteriorius enim aliquando illudunt dæmones, et aliquando exterioris corporis puniendi accipiunt potestatem, et aliquando rerum ad inferenda damna : sicut acceperunt potestatem in rebus et in corpore beati Job <sup>1</sup>. Sed illudendi sensibus, numquam legitur dæmon accepisse potestatem, nisi prius illis sensibus illuserit sæculi vanitas : sicut, II ad Corinth. xi, 14 : *Ipse Satanæ transfiguratur se in Angelum lucis.* Quod autem intus præsideat et opprimat, non accipit potestatem nisi per peccati alicujus enormitatem. Unde Augustinus in libro de *Conflictu vitiorum et virtutum* : « diabolus aliquem fœdaret, nisi prius « fœdasset interius. » De isto introitu diaboli, Joan. xiii, 27 : *Post buccellam, introivit in eum Satanæ.* Et, ibidem, v. 2 : *Cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ.*

« Et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent. »

Describitur hic commendatio majesta-

tis facientis miraculum a supplicatione dæmonum.

Et tanguntur duo, quorum primum est supplicatio, ne finaliter condemnentur. Secundum est supplicatio, ut saltem in bonis fortunæ noceant, quibus in corporis et animabus nocere non sunt permissi.

De primo notantur duo, scilicet, supplicatio ipsa iudicii valde timendi : in quo docetur homo timere finale iudicium, quod tantum timent dæmones, quod differri rogant, cum auferri non posse desperant. Secundum est, quid sit in abyssum ire ?

De primo, Job, xli, 3 : *Non parcat enim verbis potentibus, et ad deprecandum compositis.* Sive enim dæmon coram summo iudice potentiam justam alleget, sive deprecetur, iudicium tamen finale non evadet. II Petr. ii, 4 : *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reservari.*

Quod ergo auferre non possunt, differri rogant dicentes :

« Ne in abyssum irent. »

Ire autem in abyssum, est condemnari tenebroso carcere, nec ulterius potestatem habere tentandi. Hoc enim cum fiet in die iudicii, evacuabitur omnis potestas et omnis principatus : sicut dicitur, I ad Corinth. xv, 24 : *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem :* scilicet tradetur totum regnum Angelorum et dæmonum et hominum Deo et Patri : qui Angelos reget in gloria cum hominibus assumptis, et dæmones premet in justitia cum hominibus damnatis. Et sic omnes inimicos filii sui ponit in scabellum pedum suorum<sup>1</sup>. Ad Roman. xvi, 20 : *Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.*

<sup>1</sup> Psal. cx, 1.

Malach. iv, 3 : *Calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.* Unde, Marc. v, 10, dicitur, quod *deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem :* quia in illa regione homines magis obediebant eis. Et ideo magis habebant in eos dæmones potestatem.

« Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte : et rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. » **32**

Exierunt ergo dæmonia ab homine, et intraverunt in porcos : et impetu abiit grex per præceps in stagnum, et suffocatus est. » **33**

Hic tangitur commendatio miraculi ab appetitu nocendi dæmonum, et justa permissione Domini.

Et tanguntur hic quatuor, quorum primum est nocendi opportunitas. Secundum autem, nocendi cupiditas. Tertium, justa nocendi permissa potestas. Quartum, ipsum nocementum.

De primo dicitur : « *Erat autem ibi,* » in loco expulsorum dæmonum, « *grex.* » Improperie sumitur hic : quia nomen gregis non competit nisi animalibus gregatim ambulantiibus. Gregatim autem non ambulat nisi quod custodit ordinem in ambulando : sicut oves, et boves, et huiusmodi. Porcus autem inordinatis incedit motibus. Et sumitur grex pro confusa multitudine. Eccle. i, 13 : *Stultorum infinitus est numerus.*

« Porcorum. »

Porcus dicitur quasi spurcus : quia spurcum est animal, natura, lege, consuetudine. In natura enim quasi est monstrum. Quod patet ex hoc quod multa in se colligit quæ in nullo secundum natu-

ram inveniuntur animali. Animal enim quod unguam in duo dividit, ruminat, et polifilium, hoc est, multorum non est filiorum, sed unius, et raro duorum : et mammas non habet per longitudinem laterum ventris, sed sub posterioribus cruribus. Porcus autem unguam quidem dividit, sed non ruminat, et polifilium est, et mammas multas habet ab utroque latere per longitudinem ventris.

Adhuc autem, Cætera animalia unguam in duo findentia, sepum habent loco pinguedinis. Porcus autem mollem habet arvinam.

Adhuc autem, Animal mollis carnis phlegmaticæ, mollis est pellis, et mollium pilorum. Porcus autem contra mollis quidem est carnis, et duræ et spissæ pellis, et durissimorum pilorum, ita quod setas habet loco pilorum.

Adhuc autem, In compositione etiam, capitis est enormis, et colli spissi et brevis, ita quod capite numquam superius elevato potest cælum adspicere.

Secundum legem autem, Levit. xi, 7, porcus animal est immundum : quia contra naturam, cum omne animal fortius sit in superiori mandibula quam in inferiori, quod movet mandibulam inferiorem et non superiorem : solus porcus et elephas fortius in inferiori : et ideo arma defensionis habent in inferiori. Consuetudo autem causa est quare lex prohibet. In luto enim volutatur, et luto in pelle indurato ad pugnam armatur, immundis et spurcis nutritur, singulariter efferatur, et multas alias secundum suum nomen habet spurcitas.

« Multorum, »

Qui, Marc. v, 13, ad duo millia fuisse dicuntur, « *pascentium*, » pastu de terra effosso. Qui terrenum habet saporem, cæcus existens, lumine cæli privatus, et gressus homini incongruus.

« *In monte* : » quia forte timore dæ-

moniaci ad montem se contraxerant pastores porcorum.

Hic autem grex, multitudinem confusam significat voluptuosorum. II Petr. ii, 22 : *Canis reversus ad suum vomitum : et, Sus lota in volutabro luti*. Horum grex magnus est : quia lata est via quæ ducit ad mortem, et multi sunt qui inveniunt eam<sup>1</sup>. Hi pascuntur in monte superbiæ et altitudinis hujus mundi. Luc. xv, 15 : *Misit illum in villam suam, ut pasceret porcos*. Pascuntur autem siliquis, non veris granis, hoc est, temporalium inanitate, non adipe gratiæ quo pascuntur Sancti. Psal. cxlvii, 14 : *Adipe frumenti satiat te*.

« Et rogabant eum, etc. »

Ecce nocendi cupiditas : ut saltem nocent in rebus, qui in corporibus hominum nocere non sunt permisi. Job, i, 11 : *Extende paululum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet*.

« *Ut permetteret eis in illos ingredi*, » quia etiam in porcos non potest dæmon, nisi permissus.

Dicit autem, Marc. v, 10 : *Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem*, quia licet legio fuerit, tamen tota illa multitudo ordinabatur ad unum, et ille rogabat.

Si autem quæritur, Quare non rogabat ut permetteretur ingredi in oves vel boves istorum hominum ?

Dicendum, quod omnis Christi actio, fidelium est instructio. Et sicut in primo homine non est permissus tentare nisi in serpente, ut de facili deprehenderetur venenum ipsius : ita et nunc non est permissus ingredi in animal significans innocentiam mansuetudinem, sicut est ovis : vel honestorum maturitatem, vel piorum sacrificium, sicut est bos vel hircus : sed significans immundorum spurcitiâ, ut est porcus : ut ex hoc homo instrueretur in quos haberet potestatem dæmo-

<sup>1</sup> Cf. Matth. vii, 13.



nium, et sic cautius homo se conservaret, ne dæmon in eum potestatem acciperet. Unde Glossa : « Porci sunt homines vocis et rationis expertes, lutulentis actibus dediti, in monte superbiæ pascentes. Et nisi quis porci more vixerit, diabolus in eum potestatem non accipit. »

« Et permisit illis. »

Juste quidem : quia Creatoris omnium erant omnia. Juste etiam : quia in illa regione dæmones ex immundis actibus hominum, specialem habebant potestatem. Et ideo puniendi erant pœna damni : quæ tamen eos instrueret, ut ab immundis actibus cessarent. Signum autem malæ conversationis eorum erat, quia Dominum a se discedere rogabant. Et sic justa et instructoria erat ista permissio. In beato autem Job erat probatoria, et ad probationem virtutis ordinata.

« Exierunt ergo dæmonia ab homine. »

Ecce perfectio unius miraculi, et nocumentum instructorium civium illius regionis.

Dicit autem quod « *exierunt*, » ne operationem et virtutes et organa ejus de cætero impedirent. Et sic liberatus est homo, et homo homini secundum usum rationis est restitutus, qui ante fuerat quasi porcus. Psal. XLVIII, 13 : *Homo, cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*. Hic ergo homo factus est, per liberationem a spiritu porcino, et restitutionem imaginis divinæ. Daniel. IV, 33 : *In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, et ad honorem regni mei decoremque perveni : et figura mea reversa est ad me*.

« Et intraverunt in porcos, »

Porcino modo viventes, ut diximus. Ecce causa nocumenti.

« Et impetu abiit, etc. »

Ecce nocumentum per effectum. Dicit autem impetus motum non ordinatum a natura, sed impulsus a dæmone. Dæmon enim impellit et exagitat eum quem inhabitat. Et sic feruntur voluptuosi impetu dementis concupiscentiæ. Et hoc habet porcus ex natura, cujus (ut dicunt Aristoteles et Avicenna) notatur descensus concupiscentiæ in aurium submissione quas ante porcus fert erectas. Ita voluptuosi submittunt aures ad auditum, quando obscœna audiunt. De concupiscentia carnali, Jacob. I, 14 : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus*.

« *Abiit*. » Bene abiit, qui viam honestæ conversationis dereliquit. Eccli. IX, 10 : *Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur*. Psal. I, 1 : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit*, etc.

« *Per præceps*, » quia concupiscentia præceps etiam non utitur ratione. Osee, IV, 19 : *Ligavit eum spiritus in alis suis*. Glossa Hieronymi : « Spiritus fornicationis et immunditiæ ligat et præcipitat hominem. »

« *In stagnum*, » quod humorem signat carnalium vitiorum. « *Et suffocatus est*, » hoc est, extinctus. I ad Timoth. V, 6 : *Quæ in deliciis est, vivens mortua est*. Istud est poculum meretricis<sup>1</sup>. Istud est mare rubens concupiscentia sanguinis in quo submersi sunt Ægyptii<sup>2</sup>.

« Quod ut viderunt factum qui pa-

**34**

<sup>1</sup> Cf. Apocal. XVIII, 6.

<sup>2</sup> Cf. Exod. XIV, 28.

seebant, fugerunt, et nuntiaverunt in civitatem, et in villas. »

Hic incipiunt consequentia ad miraculum. Et sunt quædam consequentia ex parte pastorum : quædam autem ex parte civium regionis : quædam autem ex parte Domini, et quædam ex parte ejus qui a dæmonibus est liberatus.

Ex parte pastorum quidem sunt tria : facti scilicet consideratio, majestatis trepidatio, et veritatis nuntiatio.

Facti consideratio notatur cum dicitur : « *Quod ut viderunt,* » hoc est, diligenter inspexerunt, « *factum,* » virtute divina, « *qui pascebant,* » hoc est, pastores. Sic enim facta Domini consideranda sunt ut virtus operans in eis consideretur ad admirationem. Matth. viii, 27 : *Porro homines, scilicet cum vidissent, mirati sunt.* Joan. vi, 14 : *Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant : Quia hic est vere propheta qui venturus est in mundum.*

« Fugerunt. »

Ecce majestatis trepidatio. Non enim se dignos reputabant appropinquatione Domini : quia porcos paverant, sicut filius prodigus. Genes. iii, 10 : *Vocem tuam audivi in paradiso : et timui, eo quod nudus essem,* scilicet spoliatus a veste virtutum. Jonæ, i, 10 . *Dominum Deum cæli ego timeo,* et ideo a facie ejus fugio. Et est stultum consilium quia potius esset ad ipsum accedendum. Psal. lxxix, 19 : *Non discedimus a te, vivificabis nos, Domine.*

« Et nuntiaverunt. »

Ecce nuntiatio veritatis. Tob. xii, 7 : *Opera Dei revelare et confiteri honorificum est.* Isa. xii, 5 : *Annuntiate hoc in universa terra.*

Nuntiaverunt autem hoc « *in civitatem,* » ubi habitabant sapientes et majores, « *et in villas,* » hoc est, illius civitatis pagos et rura, in quibus habitabant rudes et minores. Ad Roman. i, 14 et 15 : *Sapientibus et insipientibus debitor sum : ita (quod in me) promptum est.* Nuntianda enim in veritate, et laude, et timore, sunt opera Dei : quia ex veritate confirmant fidem, ex laude reddunt gratiarum actionem, ex timore convertunt ad bonam operationem. De primo, ad Roman. ix, 1 : *Veritatem dico in Christo, non mentior.* De secundo et tertio, Isa. xxv, 3 : *Super hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium robustarum timebit te.* Omnibus autem nuntianda sunt magnalia Dei : quia, sicut dicitur, Sapient. vi, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.* Psal. cxlviii, 12 et seq. : *Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini : quia exaltatum est nomen ejus solius. Confessio ejus super cælum et terram.*

« Exierunt autem videre quod factum est, et venerunt ad Jesum. »

35

Hic ponitur consequens effectus miraculi ex parte civium regionis.

Dicuntur autem hic tria : exitus videlicet ad probandum, veritatis probatio per visum et auditum, timoris irrationalis percussio ex veritate probata.

De primo dicuntur tria : exitus ex auditu causatus, finis exitus qui est probatio per visum, et perventio exeuntium usque ad Dominum.

Exitus autem de civitate et villis, exitus significat pristinæ conversationis et societatis. Genes. xii, 1 : *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi.* Cantic. i, 7 : *O pulcherrima inter mulieres, egredere.* Apocal. xviii, 14 : *Exite de illa, populus meus.*

« Videre quod factum est. »

Quia, ut dicit Horatius,

Segnius irritant animum demissa per aures,  
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Job, XLII, 5 et 6 : *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam.* Joan. IV, 42 : *Jam non propter tuam loquelam credimus : ipsi enim audivimus, et scimus quia hic est vere Salvator mundi.* Sic et nobis exeundum est a nobis, et nostris, ut videamus Dominum Jesum. II ad Corinth. III, 18 : *Revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur.* Cantic. III, 11 : *Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem,* etc.

« *Quod factum est.* » Quia interim in factis suis Dominus videtur, donec per speciem in futuro clarius perspiciatur. I ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ad Roman. I, 20 : *Invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas.*

« Et venerunt ad Jesum, »

Qui, sicut dicitur, Joan. XIV, 6, est *via, et veritas, et vita* : via portans, veritas ducens, vita beatificans et gratificans : via per mandatum, veritas per verbum, vita per gratiæ juvamentum. Et utinam ita perstitissent sicut bene venerunt ! Ad hunc adventum invitat, Matth. XI, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Jerem. LI, 50 : *Qui fugistis gladium, venite, nolite stare.* Psal. XXXIII, 12 : *Venite, filii, audite me : timorem Domini docebo vos.*

« Et invenerunt hominem sedentem, a quo dæmonia exierant, vestitum, ac sana mente, ad pedes ejus, et timuerunt. »

Ecce veritatis probatio : primo per visum, et secundo per iteratum auditum testificatum.

Dicit ergo circa primum duo : veritatis per rem ipsam probationem, et cautatum in eis ex tanto prodigio timorem.

Circa facti veritatem sex in littera notantur, ex quibus probatur veritas : quod scilicet naturalibus est redditus, quod in ordine regiminis vitæ sedit quietus, quod anterioris status erat liber redditus, quod vestitu honestatis erat amictus, quod sana mente erat decoratus, quod sermonibus Dei erat intentus. Hæc enim sex significant perfecte a dæmonio liberatum.

Dicit ergo quod « *invenerunt,* » hoc est, intus per veritatem venerunt sive cognoverunt, et ad rei notitiam perfectam venerunt. Matth. VII, 7 : *Quærite, et invenietis.* Sic sapiens mulier accendit lucernam rationis, et everrit domum cordis, et quærit diligenter donec inveniat Christi veritatem<sup>1</sup>. Isa. LV, 6 : *Quærite Dominum dum inveniri potest : invocate eum dum prope est.* Sapient. I, 2 : *Invenitur ab his qui non tentant illum : apparet autem eis qui fidem habent in illum.*

« Hominem. »

Qui prius porcino spiritu immundo et fero vexabatur, modo homo invenitur, restitutus humanis et divinæ imagini. Genes. I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Eccli. XVII, 1 : *Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum.* Et quando non sequitur imaginem, cum Nabuchodonosor con-

<sup>1</sup> Cf. Luc. xv, 8.

vertitur in bestiam, cujus actus imitatur<sup>1</sup>.

« Sedentem, »

Hoc est, quiescentem in vitæ regimine ordinato, qui prius per vepres et montana exagitabatur. Aristoteles in VIII *Physicorum* : « In sedendo et quiescendo fit anima sciens et prudens. » Thren. III, 28 : *Sedebit solitarius, et tacebit : quia levavit super se.* Luc. XXIV, 49 : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.*

« A quo dæmonia exierant. »

Ecce pristini status liberatio, hoc est, dæmonum expulsio. Ad Roman. XIII, 12 : *Abjiciamus opera tenebrarum.* Jacob. IV, 7 : *Resistite diabolo, et fugiet a vobis.* Deuter. XXXIII, 27 : *Dominus ejiciet a facie tua inimicum, dicetque : Conterrere.*

« Vestitum, »

Honestate virtutis et conversationis. Isa. LXI, 10 : *Induit me Dominus vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me.* Ad Roman. XIII, 12 et 13 : *Induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus.* Genes. XXXVII, 3 : *Fecit ei tunicam polymitam,* hoc est, diversis virtutibus depictam. Ezechiel. XVI, 10 : *Vestivi te discoloribus.*

« Ac sana mente, »

In continentia sapientiæ. Mens enim est quæ rerum rationes et veritates mensurat. Sana autem tunc est, quando id perfecte facere potest. Continentia autem, ut dicit Aristoteles, virtus est quæ facit hominem permanere in mensura mentis, ita quod non abducitur violentia passionis et tentationis. Jerem. XVII,

14 : *Sana me, Domine, et sanabor : salvum me fac, et salvus ero : quoniam laus mea tu es.* Psal. CII, 3 : *Qui sanat omnes infirmitates tuas.* Hæc sanitas mentis perficitur per continentiam passionis mensura sanæ mentis refrænantem. Eccli. XV, 1 et seq. : *Qui continens est justitiæ, apprehendet illam, et obviabit illi quasi mater honorificata... Cibabit illum pane vitæ et intellectus.* Et, infra, XVIII, 3 et 4 : *Firmabitur in illo, et non flectetur : et continebit illum, et non confundetur.*

« Ad pedes ejus, »

Verbum et monita illius incessanter audientem. Luc. X, 39 : *Maria autem sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Recordatus enim erat iste quod dixit Habacuc, III, 5 : *Egredietur diabolus ante pedes ejus.* Et ideo semper illis hæsit vestigiis, ante quæ diabolus stare non poterit. In his ergo est probatio plenæ veritatis.

« Et ideo timuerunt, »

Timorem reverentiæ ad Dominum concipientes. Habacuc, III, 1 : *Domine, audivi auditionem tuam, et timui. Domine, opus tuum, in medio annorum vivifica illud, etc.*

« Nuntiaverunt autem illis et qui viderant, quomodo sanus factus esset a legione. » **36**

Ecce auditus testificatus. Isti enim duosensus sunt disciplinales : visus, et auditus : et ex his plene certificatur veritas.

Dicuntur autem hic tria : nuntiatio, veritas nuntiantium, et modus rei nuntiatiæ.

Nuntiatio notatur cum dicitur : « *Nuntiaverunt autem illis.* » Psal. LXIII, 10 :

<sup>1</sup> Cf. Daniel. IV, passim.

*Annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt.*

« Et qui viderant. »

Ecce certitudo nuntiantium : quia visa sunt certa. Matth. XI, 4 : *Renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis.* I Joannis, I, 1 et 2 : *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contractaverunt de verbo vitæ : et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis, etc.*

« Quomodo sanus factus esset a legione. »

Ecce annuntiata rei modus. Joan. V, 14 : *Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

37

« Et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum ut discederet ab ipsis, quia magno timore tenebantur. »

Hic notatur qualiter irrationabili timore sunt percussi.

Dicuntur autem hic tria : rogatio, unanimitas rogantium, et res petita cum causa petitionis.

Rogatio exprimitur cum dicitur : *Rogaverunt* » illum quem forte violenter ejecissent, si non majestatem ejus extimuisent. Vel forte scientes se peccatores, timebant ne rememorarentur eorum iniquitates, et perirent propter suam indignitatem. Et ideo etiam ad preces se converterunt. I ad Timoth. V, 1 : *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Genes. xxxi, 29 : *Deus patris vestri heri dixit mihi : Cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius.*

« Omnis multitudo. »

Unanimitatis rogantium. « *Regionis Gerasenorum,* » quia tot porci magnæ erant multitudinis, et tot millia dæmonum magnæ multitudini principabantur. Multitudinis enim Gerasenorum, hoc est, *auras humanas captantium,* concursus consensus est ad ejiciendum Christum. Psal. LXXXII, 6 : *Cogitaverunt unanimiter, simul adversum te testamentum dispuerunt.*

« Ut discederet ab ipsis. »

Job, xxxi, 14 : *Dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* Et est miserabile, quod isti nunquam unanimiter repulerunt dæmones, qui a multo tempore erant cum eis : et semel tantum venientem Dominum statim a se ejecerunt. III Reg. xvii, 18 : *Quid mihi et tibi, vir Dei ? ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, et interficeres filium meum ?* Luc. V, 8 : *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.*

« Quia magno timore tenebantur. »

Quia porcorum more viventes, timebant porcis pati similia. Exod. xiv, 25 : *Fugiamus Israel : Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Sed stulti fuerunt, quia a dæmonibus non nisi per Dominum poterant liberari. Psal. LIV, 6 : *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ.* Ad Hebr. xii, 19 et 21 : *Qui audierunt, excusaverunt se, ne eis feret verbum... Et ita terribile erat quod videbatur, etc.*

« Ipse autem ascendens navim, reversus est. »

Istud est consequens ex parte Domini : derelictio scilicet indevotorum.

Dicit ergo : « *Ipse autem,* » scilicet Jesus, « *ascendens.* » Semper enim as-

cendit Dominus. Modo autem super capacitatem eorum qui eum a se discedere rogabant, est elevatus : faciens sicut Paulus et Barnabas, Act. XIII, 46: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.* Gentes enim habitabant in Galilæa. Ascendere ergo est exaltari in cogitatione devotorum. Psal. XX, 14: *Exaltare, Domine, in virtute tua: cantabimus et psallemus virtutes tuas.* Mich. II, 13: *Ascendet pandens iter ante eos.*

« Navim. »

Navis autem qua undis supernatat, est via virtutis nusquam mersa in aquis concupiscentiæ. Et hic aliquando *navicula* vocatur propter vitæ suæ humilitatem. Vocatur autem et *navis* propter virtutis securitatem. Sapient. XIV, 5: *Transeuntes mare per ratem liberati sunt.* Proverb. XXXI, 14: *Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.*

« Reversus est »

In Gælilæam ad civitatem suam, ut dicit Matthæus <sup>1</sup>, hoc est, Capharnaum, quam suam fecit coruscatione miraculorum. Et est mirabile de pietate Christi : quia rogatus recedere, recedit ab indevotis : et non rogatus supervenit devotis, ubi scit se ea quæ pertinent ad salutem, operaturum : nec exspectat donec cum choris et processionibus recipiatur. Unde, Sapient. XII, 1, exclamat ad ipsum Sapientia : *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus!* Non enim conviciatur his qui eum a se eji-ciunt, nec exspectat supplicationes eorum qui se invitant : sed ingerit se omnibus ad salutem. Mich. VI, 3 : *Popule*

*meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi.* Ejicientibus enim molestus non fuit. Recipientes autem gratis salvavit, implens illud Apostoli, II ad Timoth. IV, 2 : *Insta opportune, importune.*

« Et rogabat illum vir, a quo dæmonia exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem eum Jesus, dicens :

Redi in domum tuam, et narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per universam civitatem, prædicans quanta illi fecisset Jesus. »

Ecce consequens ex parte sanati a dæmonio.

Et dicuntur tria, quorum primum est sanati ad Dominum devotio. Secundum autem, ejusdem a Christo salutaris instructio. Tertium vero, instructi fervens exsecutio eorum quæ a Domino injuncta sibi cognovit.

Dicit itaque : « *Et rogabat illum,* » scilicet Jesum, « *vir a quo dæmonia exierant,* » volens adhærere ei qui sibi fuerat causa salutis, « *ut cum eo esset,* » et sequeretur eum, sicut Maria Magdalena. Psal. LXII, 9: *Adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.* Zachar. VIII, 23 : *Ibimus vobiscum: audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.* IV Reg. II, 2 : *Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te.* Et est laudanda istius devotio, cui dulce erat remanere cum Domino, et liberari a diabolo. Ad Philip. I, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius.* Ruth, I, 16 : *Ne adverseris mihi ut relinquam te et abeam: quocumque enim perrexeris, pergam, et ubi morata fueris, et ego pariter morabor.* Matth. XVII, 4: *Domine, bonum est nos hic esse.*

<sup>1</sup> Cf. Matth. IX, 1 : *Et ascendens in naviculam,*

*transfretavit, et venit in civitatem suam.*

« Dimisit autem eum Jesus, dicens. »

Ecce utilior dimissio et instructio. Causa autem dimissionis est, ut salutem indevoti aliquem habeant testem veritatis Domino recedente, et aliquem adhortantem ad salutem. Act. 1, 8: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Causa etiam alia potuit esse, ut nobis formam daret, ne curatos in testimonium laudis nobiscum duceremus. I ad Corinth. iv, 3: *Mihi pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Et, infra, 5: *Laus erit unicuique a Deo.* Tertia etiam causa esse potuit, quia jam iste confirmatus fuit: et ideo ad prædicandum mittendus fuit, maxime cum notus esset et vir præclaræ dignitatis, et multum fructum facere posset. Matth. ix, 38: *Rogate Dominum messis ut mittat operarios in messem suam.* Luc. x, 3: *Ite: ecce ego mitto vos.* Matth. autem, viii, 20, eum qui in dolo propter cupiditatem secum esse voluit, non misit, sed abiecit, dicens: *Quo vis me sequi? Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.*

His ergo de causis istum devotum dimisit, « dicens » per instructionem:

« Redi in domum tuam, »

Hoc est, ad familiam tuæ generationis, in qua magis vales, cum sis homo præclaræ dignitatis. Matth. ix, 6: *Tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.*

Præterea, Tuis primò prædicare teneris. I ad Timoth. v, 8: *Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.*

« Et narra, » prædicando, « quanta » beneficia « tibi » per me « fecit Deus. » Psal. xxi, 23: *Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo et.* Hoc autem fecit ideo, ut illis claræ

dignitatis conversis, facilius alii converterentur. I Machab. ii, 17 et 18: *Princeps et clarissimus et magnus es in hac civitate, et ornatus filiis et fratribus. Ergo accede prior, et fac jussum regis.* Majores enim sunt minoribus in exemplum obedientiæ et fidei.

« Et abiit per universam civitatem, »

Scilicet metropolim. Et est devota sanati obedientia. Cantic. iii, 2: *Surgam, et circuibo civitatem: per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea.* Jonæ, iii, 4: *Et cæpit Jonas introire in civitatem itinere diei unius: et clamavit, etc.*

« Prædicans quanta illi fecisset Jesus. »

Et est mirum quod dæmoniacus a legione curatus, factus est Evangelista. Marc. xvi, 13: *Prædicate Evangelium omni creaturæ.*

« Quanta illi, » beneficiorum miracula « fecisset Jesus, » hoc est, Salvator. Psal. lxxv, 16: *Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.* Tobia, xi, 3: *Bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?*

« Factum est autem, cum rediisset Jesus, excepit illum turba: erant enim omnes expectantes eum. »

Hic incipit ostendere verbi virtutem in mundo minori, hoc est, in homine, tam in vita quam in morte.

Et ideo hic duo inducuntur miracula: quorum unum est de sanatione hæmorrhœissæ, pro qua nemo intercessit. Alterum autem de suscitatione filiæ Archisynagogi, pro qua multi intercedebant, quam clamore suscitavit: docens Apostolos quod verbo virtutis suæ omnia portat: aliquando sanans virtute, ver-

bum confirmante : aliquando autem verbi potestate : ut et ipsi virtute utantur in vitæ testimonium, et verbo in veritatis illuminationem.

Et ideo dividitur tota hæc historia in duas partes : in quarum prima agitur de solemnitate recipientium se, et expectantium reditum ejus, quem indevoli abjecerunt. In secunda autem ponuntur ea quæ faciunt ad miraculorum perfectionem.

Circa primum tria dicuntur : reditus scilicet, exceptio sollemnis, et causa expectationis.

Reditus describitur cum dicit :

« Factum est autem, cum rediisset Jesus, »

Scilicet ad devotos qui noverant opera virtutum ejus. Cantic. vi, 12 : *Revertere, revertere, Sulamitis : revertere, revertere ut intueamur te.* Revertere, inquam, adventu iterato veritatis, per illuminationem intellectus, Luc. i, 79 : *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Revertere per accensionem affectus in ardore charitatis, Isa. lxii, 1 : *Donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur.* Revertere per infusionem virtutis ad curationem infirmitatis, Act. x, 38 : *Pertransivit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Revertere per ostensionem tuæ speciei, et auditum tuæ prædicationis ad doctrinam honestæ conversationis, Cantic. ii, 14 : *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis : Vox enim tua dulcis, et facies tua decora.*

Sic ergo cum rediisset, « *excepit illum turba.* » Juxta Isaiæ, vaticinium, Isa. lx, 4 : *Leva in circuitu oculos tuos, et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.* Joan. xii, 12 et 13 : *Turba multa quæ evenerat ad diem festum, ... clamabat Domino : Hosanna ! Benedictus qui ve-*

*nit in nomine Domini.* Psal. cxvii, 25 et 26 : *O Domine, salvum me fac : o Domine, bene prosperare. Benedictus qui venit in nomine Domini.*

« Erant enim omnes expectantes eum. »

Ecce causa expectationis : quia cum magno desiderio salutis in corpore et anima, expectantes erant reditum Salvatoris. Psal. xxxix, 2 : *Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi.* Michææ, vii, 7 : *Ego autem ad Dominum adspiciam, expectabo Deum salvatorem meum.*

« Et ecce venit vir, cui nomen Jairus, et ipse princeps synagogæ erat. »

Hæc est secunda pars in qua ponitur historia duorum miraculorum.

Et dividitur in partes tres : in quarum prima ad miraculum faciendum ponitur intercedentium dignitas et multitudo, et Domini ad faciendum inclinatio. In secunda, cum esset in itinere, ponitur prioris miraculi in sanatione hæmorrhœissæ perfectio. In tertia vero ponitur filiæ Archisynagogi suscitatio.

In prima harum ponuntur tria : intercedentis dignitas, intercedentis humilitas, et intercedentis devota postulatio cum rationis allegatione, quæ compulsi affectum paternum ad postulandum.

De primo dicuntur tria : postulantis strenuitas, postulantis famosum nomen, et postulantis dignitas.

De primo dicit :

« *Et ecce,* » in turba, ut intercessione multorum exaudiretur facilius, et esset miraculum coram multis factum gloriosius, « *vir,* » in quo intelligitur strenuitas principis in regenda republica. Bias qui fuit unus de septem sapientibus Apollinis dicit : « Principatus ostendit virum. » « Vir enim est, ut dicit Gregorius, qui contra bifformes fortunæ in-



« sultus, uniformi constantia mentis « militat præmunitus. » Et vere vir virens virore fidei, qui salutem filiæ non peteret ab eo quem non crederet Salvatore. Jerem. xvii, 7 et 8 : *Beatus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas.* Vir, inquam, a vi mentis, quem non desperatio salutis ex magnitudine infirmitatis dejecit a spe salutis. Ad Roman. iv, 18 : *Qui contra spem in spem credidit*, ut vere se probaret filium Abrahæ.

Hic ergo vir,

« Cui nomen Jairus. »

Ecce designatio famosi nominis. Interpretatur enim Jairus *illuminatus*, cujus facies cum Domino in monte resplenduit<sup>1</sup>. Illuminatus ad fidem Redemptoris, II ad Corinth. iii, 18 : *Nos omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domino Spiritu.* Hic ergo sic juxta nomen suum ad fidem illuminatus Domino se præsentans.

« Et ipse princeps synagogæ erat. »

Allegatio est dignitatis, non cujuslibet, sed ecclesiasticæ quæ major erat omni dignitate sæculari. Isti sunt *principes populorum* qui *congregati sunt cum Deo Abraham*<sup>2</sup>. Princeps autem erat cujus est prima potestas et jurisdictio in his quæ spectant ad synagogam, cæteris ad minora officia deputatis. Isa. xxxii, 8 et 5 : *Princeps ea quæ digna sunt principe, cogitabit : et non vocabitur ultra is qui insipiens est, princeps.* Principis enim est jura et condere, et aliis præcipere, et alios ad honesta per verba et exempla ducere. Hæc enim secundum Isaiam, sunt condigna principi.

Et ideo dicit Isaias, xxxii, 5, quod *fraudulentus non appellabitur major.* Et infra, y. 7 : *Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites.* Fraudulentus enim, qui dictat leges ad perdendos et exspoliandos mites et innocentes, tyrannus est. Princeps autem non nisi utilia populo decernit : et hoc aliis præcipit quod ipse prior facit. Econtra de malis principibus synagogæ dicitur, Matth. xxiii, 4 : *Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum : digito autem suo nolunt ea movere.* Iste autem princeps erat summus sacerdos, sicut Episcopus, vel Archiepiscopus apud nos.

« *Synagogæ.* » Et in hoc notatur quod jam in sacrificiis et sacramentis synagogæ cessaverat virtus curationum, et inchoabatur nova gratia, et requirebatur qui curaret. Ad Hebr. vii, 19 : *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Si enim aliquem ad perfectum duxisset, ipse princeps synagogæ alium non requireret.

« Et cecidit ad pedes Jesu, rogans eum ut intraret in domum ejus,

42

Quia unica filia erat ei fere annorum duodecim, et hæc moriebatur. »

Tangitur hic istius principis humilitas.

Et tanguntur duo : supplicitas adorationis, et humilitas cordis.

Supplicitas adorationis notatur in hoc quod « *cecidit*, » id est, pronus adoravit. Exod. iv, 31 : *Proni adoraverunt.* Pronus enim cadit in Deum : supinus autem cadit a Deo et avertitur ab ipso. Et ideo pronus manuum apprehensione adhæret Deo, et accedit ad ipsum : supinus autem capite avertitur ab ipso, et impingit contra eum pedibus. Deuter. iv, 4 : *Vos qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi.* De supinis autem,

<sup>1</sup> Cf. Exod. xxxiv, 5.

<sup>2</sup> Psal. xlvi, 10.

Isa. ix, 13 et 14, dicitur : *In omnibus his non est aversus furor ejus... Et populus non est reversus ad percutientem se.* I ad Corinth. xiv, 25 : *Cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit.*

« Ad pedes Jesu. »

Ecce humilitas devotionis : quia cum princeps esset, non dedignatus est locum pedum quærere. Psal. cxxxI, 7 : *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* IV Reg. iv, 8, mulier Sunamitis tenuit pedes Elisei. Sic dixit Mardocheus quod pro salute Israel paratus erat osculari pedes Aman<sup>1</sup>. Sed et multo magis Christi. Sic mulier peccatrix stans retro secus pedes Jesu osculabatur eos<sup>2</sup>. Sic multi gratiam invenerunt ad pedes Domini. Ad Hebr. iv, 16 : *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

« Rogans eum. »

Ecce supplicatio in qua duo continentur : modus, et res petita.

Modus exprimitur per hoc quod dicit : « *Rogans eum.* » Est rogatio, petitio cum supplicatione et humilitate. Eccli. xxxv, 21 : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Et attende, quod cum magnus esset, non convertitur ad imperium vel ad preces armatas, sciens divinitatem non cogi nisi per humilitatem. Et hoc est argumentum fidei ipsius. Daniel. iii, 39 : *In animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur, etc.*

« Ut intraret in domum ejus. »

Hic tangitur res petita, et est duplex : quia una ordinatur ad alteram, scilicet,

ut intraret in domum, et suscicaret filiam.

Quæritur autem, Quare non increpatur iste sicut regulus, Joannis, iv, 46 et seq.? Et de hoc Patres multas reddiderunt rationes.

Prima quidem est, quia iste cum istis signis humilitatis et devotionis petit : quod non ille. Procumbit in pedibus, quod signum est devotæ fidei licet pusillæ. Psal. xcviII, 5 : *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.*

Secunda autem est, quia iste ad aliud petit quam ille. Iste enim petit, ut viso lamento matris puellæ magis moveatur ad misericordiam : ille autem, quia absentem non credidit curare posse. Isa. lxiv, 12 : *Numquid super his continebis te, Domine, tacebis, et affliges nos vehementer?* Quasi diceret : Non continebis viscera pietatis, visa tanta miseria in me, et in matre, et in familia domus : quam, quamvis scias jam per præscientiam divinitatis, tamen humanitus moveris videns eam oculis carnis.

Tertia causa est, quia sicut tactus mundissimæ carnis suæ, et deitati unitæ, multa operabatur in ægris, ita scivit quod præsentia corporalis per sensum tactus multa faceret in filia, si se domui præsentare dignaretur. Multa enim facit carbo ignitus, quæ non facit natura ignis. Et ita facit multa deitati unita humanitas, quæ non facit per seipsam separata deitas. Isa. lx, 13 : *Locum pedum meorum glorificabo.* Locus enim pedum est humanitas, quæ glorificatur, quando mirabilibus per suum contactum factis honoratur.

Quarta causa est, ut incarnationis ædificetur fides, quia nisi præsentia deitatis aliqua operaretur, quæ non faceret absens, non construeretur fides incarnationis. Joan. v, 36 : *Opera quæ ego facio testimonium perhibent de me.*

His ergo de causis non reprehenditur qui Dominum rogavit, ut domum ejus

<sup>1</sup> Cf. Esther, iv, 1 et seq.

<sup>2</sup> Cf. Luc. vii, 38.

intraret. Luc. XIX, 9 : *Hodie salus domui huic facta est, eo quod et ipse filius sit Abrahæ.*

« Quia unica filia erat ei. »

Ecce allegatio petitionis subintelle-ctæ : quæ est, ut suscitarer filiam ejus : quæ, sicut dicitur, Matth. IX, 18, *defuncta erat*<sup>1</sup>. Hic autem, et Marc. V, 23, dicitur quod *moriebatur*, hoc est, erat in moriendo, quia exeunte patre de domo, erat in agone. Sed cum moram faceret, rediens jam tendebat ad mortem, et tandem etiam mortua est : sicut et inferius patri nuntiatur.

Quatuor autem dicuntur ad exaggerationem doloris patris, et provocationem misericordiæ Christi, scilicet, quod erat unicum naturæ pignus, fragilitas sexus, teneritudo ætatis florentis, et miseria infirmitatis.

De primo dicit : « *Quia unica erat illi,* » et ideo affectum paternum totum possederat, qui in alia naturæ pignora indivisus erat. II Reg. I, 26 : *Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.* Jerem. VI, 26 : *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.*

« *Filia.* » Ecce sexus infirmitas. Filia enim magis tenera est quam filius. Eccli. XXXVI, 23 : *Est filia melior filio.* Judith, XV, 10 : *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.* Poterat enim esse quod tunc filiæ tenerius diligebantur circa adventum Salvatoris, quia sperabatur quod de ipsis incarnandus esset Salvator. Ruth, III, 10 : *Benedicta es a Domino.*

« Fere annorum duodecim. »

Jam quasi pubes effecta, et ideo jucunditati parentum parabatur, et in castitate nutrita, spem honestatis jam promittebat, et gaudium parentum. Daniel. XII, 3 : *Parentes enim illius, cum essent*

*justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi.* Cantic. VIII, 8 : *Soror nostra parva, et ubera non habet, hoc est, tenella, ex qua spes posteritatis habetur, et nondum fructus.*

« Et hæc moriebatur, »

Hoc est, mori incipiebat. Et hic allegatur magnitudo miseriæ : quia paternum affectum multum affecit dolor mortis filiæ, ex qua pignus nondum susceperat. Thren. I, 4 : *Virgines ejus squalidæ, et ipsa oppressa amaritudine.* Significatur allegorice hac filia, caro, vel Ecclesia, quæ moritur quidem, caro, quando ab inquieto spiritu regitur, vel Ecclesia, quando ab inquieto Prælato. Thren. V, 11 : *Mulieres in Sion humiliaverunt, et virgines in civitatibus Juda.* Taliter autem exponere non est difficile.

« Et contigit, dum iret, a turbis comprimebatur. »

Hic intelligitur bonitas Domini, et inclinatio ad faciendum miraculum. Et est hic inchoatio ad operationem alterius miraculi.

Et tanguntur tria. Primum quorum, descriptio modi, ubi, et quomodo accessit ad eum mulier. Secundum autem, quod humilitas, et devotio, et fides describitur mulieris accedentis. Tertium est fama miraculi, ordinata ad confortationem cujuslibet credentis.

Dicit igitur de primo quod « *contigit, dum iret,* » hoc est, in eundo esset ad domum principis : quia virtus de illo semper manabat sicut fons. Luc. VI, 19 : *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes.*

« *A turbis comprimebatur.* » Comprimebatur autem propter multitudinem. Turbæ enim sunt turbata multitudo, quæ etiam Dominum comprimit, nec discernit. Joan. XVI, 33 : *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo*

<sup>1</sup> Cf. Enarrationes in Matthæum, IX, 18.

Tom. XX hujusce novæ editionis.

*pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum.*

Pressura autem turbæ est triplex. Est enim admirantium facta ejus : et ideo cum pressura ad usum prementium. Joan. vi, 2 : *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur.* Sunt etiam turbæ devotorum, audire eum et videre propter ædificationem cupientium : sicut, Joan. xii, 21, turba exiens ad eum dixit Philippo : *Domine, volumus Jesum videre.* Est etiam turba, tota turbata Christum persequentium, et pressuras ei suscitantium : qui sequebantur ut caperent et accusarent. Matth. xxii, 13 et 16 : *Abeuntes Pharisæi, consilium inierunt ut caperent Jesum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis.* Primi sunt quærentes fidem curiosi. Secundi, fideles devoti. Tertii, simulatores fidei et indevoti. Omnes isti accedentes eum comprimunt. Primi autem eliciunt signa ad ædificationem veritatis. Secundi comprimunt virtutem ad perficiendam bonitatem et sanctitatem. Tertii comprimunt humanitatis fragilitatem ad accusandam infirmitatem.

43

« Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari. »

Hic tangitur devotio mulieris accedentis.

Et tanguntur duo : devotio videlicet mulieris, et meritum.

Devotio tangitur in quatuor : in sexus fragilitate et teneritudine, in singulari dignitate, in infirmitatis descriptione, in accessus humilitate.

<sup>1</sup> Cf. Enarrationes in Matthæum, ix, 20. Tom. XX hujusce novæ editionis. Cf. etiam enarra-

Descriptio sexus tangitur cum dicitur : « *Et mulier.* » Bene mulier, pietate sua summum molliens herum, hoc est, Dominum, et Jesum Christum. Proverb. xxxi, 30 : *Mulier timens Dominum ipsa laudabitur.* Eccli. xxvi, 19 : *Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata.* Mulier autem hæc fortis erat, quæ se turbis immittere cogitabat. Proverb. xxxi, 10 : *Mulierem fortem quis inveniet ? Procul et de ultimis finibus pretium ejus.*

« *Quædam,* » scilicet dignitate singularis. Et hæc ab Ambrosio in Tractatu de *Salomone*, dicitur fuisse Martha, soror Lazari, et Mariæ Magdalænæ. Dicit enim ibi sic : « Christus largum sanguinis fluxum restrinxit in Martha : Lazarum autem suscitavit quatruiduanum, et demones expulit de Maria. » Joan. xi, 5 : *Diligebat autem Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum.*

Eusebius autem Cæsariensis in *Eccllesiastica historia* dicit, quod hæc fuit specialis dignitatis fœmina, quæ ex quo curata est, ad similitudinem Salvatoris fecit fieri imaginem, cui etiam similes vestes vestibibus Salvatoris induit, et fimbrias in vestibibus illis fecit, similes fimbriis vestium Salvatoris : et eam in horto et curia sua collocavit. Herbis autem crescentibus sub imagine, quæcumque herbarum fimbrias attigerunt, similem curationis effectum acceperunt, et fluxum sanguinis curaverunt. Ruth, iii, 11 : *Scit omnis populus qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te esse virtutis.*

« Erat in fluxu sanguinis. »

Describitur hic magnitudo infirmitatis a quatuor : a specie ægritudinis, ab antiquitate, a sumptibus quos fecerat in medicos, et ab incurabilitate.

A specie quidem ægritudinis cum dicitur : « *Erat in fluxu sanguinis.* » Et hæc alibi<sup>1</sup> dicitur hæmorrhœissa, ab ἄμρα quod

tiones in Marcum, v, 23. Tom. XXI ejudem editionis.

est *sanguis*, et ῥέω, quod est *fluo*. Et hic fluxus non erat menstruorum, sed hæmorrhoidarum : qui quando est cum menstruo fluxu, et omnium quinque venarum, periculosus est, et facit casum virtutis, et consumptionem substantiæ corporis. Et hic fluxus est humoris, qui nutritivus est corporis : in quo etiam sedes vitæ est, et causa virtutis. Levit. xv, 25 : *Mulier... quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat, quamdiu subjacet huic passioni, immunda erit*. Erat ergo hæc infirmitas, et periculosa, et immunda, et tædiosa. Psal. l, 16 : *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ*.

*Fluxus* autem dicit distillationem continuam sanguinis immundi. Osee, iv, 2 : *Sanguis sanguinem tetigit*.

« Ab annis duodecim. »

Quot annorum etiam erat puella suscitanda. Sunt autem hi anni circulus unus perfectus nativitatis secundum naturam : quia periodus nativitatis secundum astronomos habet duodecim domos ex duodecim signis confectas : et quælibet domus ponit unum annum. Et ex quo in duodecim annis confortata non fuit, signum erat quod esset morbus incurabilis, qui in nulla suæ parte periodi juvabatur a virtute cœlesti. Jerem. ii, 12 : *Obstupescite, cæli, super hoc, et portæ ejus, desolamini vehementer*. Isa. xxxiv, 3 et 4 : *Tabescent montes a sanguine eorum, et tabescet omnis militia cælorum*. Omnis autem militia militans ad nocumentum, vel profectum vitæ hominis, est in duodecim signis domorum periodi. Et ideo duodecim sunt stellæ in corona capitis mulieris quæ genus humanum significat<sup>1</sup>.

« Quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam. »

Ecce sumptus quos expenderat.

Dicit igitur : « *Quæ*, » mulier miserabilis et mollis per infirmitatem effectam, « *in medicos*, » hoc est, in medicorum et medicinæ sumptus. Attendens hoc quod dicitur, Eccli. xxxviii, 1 : *Honora medicum propter necessitatem : etenim illum creavit Altissimus*. Et ibidem, x, 4 : *Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa*.

« *Erogaverat*, » hoc est, expenderat « *omnem substantiam suam*, » hoc est, facultates sive reditus facultatum suarum, quæ dicuntur *substantia*, quia per eas subsistit infirmitas humana. Attendens illud Job, ii, 4 : *Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua*. Quid enim prosunt bona temporalia, si non adsit vita utentis eis ?

« Nec ab ullo, »

Scilicet medico, « *potuit curari*. » Et in hoc notatur morbi incurabilitas, ad commendationem miraculi pertinens. Eccli. x, 11 et 12 : *Languor prolixior gravat medicum : brevem languorem præcidit medicus*.

Moraliter autem notatur dispositio hujus infirmi in sexu, in circumstantia, in specie ægritudinis, in prolixitate, in sumptibus, et in incurabilitate.

Non enim sanguine flueret, nisi mulier, hoc est, mollis esset. Mollis autem est qui carnalibus vitiis est emollitus, in nullo concupiscentiæ carnali resistens, et nihil in contrarium laborans. Et hunc etiam Philosophi *mollem* vocaverunt. Ad Roman. i, 24 : *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam : ut contumelias afficiant corpora sua in semetipsis*. Matth. xi, 8 : *Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt*. Eccli. ix, 10 : *Mulier fornicaria quasi stercus in via conculcabitur*. Molle enim omni tangenti cedit, et omne tangens in se recipit. Jerem. ii, 24 : *Omnes*

<sup>1</sup> Cf. Apocal. xii, 1.

*qui quærunt eam, non deficient : in men-  
struis ejus invenient eam.*

Hæc ergo erat in fluxu sanguinis, hoc est, in concupiscentia fluxus carnalis. Ezechiel. xvi, 6 : *Vidi te conculcari in sanguine tuo.* Econtra de bonis dicitur : *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* <sup>1</sup>.

« *Ab annis duodecim.* » A duodecimo anno incipit fortis motus concupiscentiæ : quia tunc humor generationis ad loca pudoris incipit descendere. Jerem. iii, 1 : *Tu fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te.* Ezechiel. xvi, 7 : *Pervenisti ad mundum muliebrem : ubera tua intumuerunt, et pilus tuus germinavit : et eras nuda, et confusione plena.*

Et hoc est a duodecimo anno. Tunc enim ornamenta lasciva adhibent sibi fœminæ, quæ vocat propheta *mundum muliebrem* <sup>2</sup> : quia exterius præferunt munditiam in habitu, quam intus non habent : et tunc ex concupiscentia tumet ubera, et prominent quasi poma, et pilus inguinis ex humore descendente ad loca pudoris germinare incipit : qui pilus significat cogitationes immundas. Quod pro certo fit in puellis ab anno duodecimo : in masculis autem fit a quartodecimo.

*Medici* autem sunt carnales consolatores, sicut fornicatores, et gulosi : et medicinæ sunt fomenta libidinum. Ezechiel. xvi, 13 : *Exposuisti fornicationem tuam omni transeunti.* Luc. xv, 13 : *Dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriose, scilicet cum meretricibus.*

« *Nec ab ullo potuit curari,* » quia libido est insatiabilis. Proverb. xxx, 16, os vulvæ est insatiabile. Os autem vulvæ (quæ a volendo dicitur, quia semper vult, et volendo non satiatur), concupiscentiam significat carnalem.

Redeamus autem ad litteram, hujus mulieris devotionem terminantes.

Dicit ergo :

« Accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus. »

44

Tanguntur hic tria : accessus devotionis, verecundia pudoris, et tactus fidei.

Accessus devotionis tangitur cum dicitur : « *Accessit,* » hoc est, devotione appropinquavit. Psal. xxxiii, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini : et facies vestræ non confundentur.* Ad Hebr. xii, 22 et seq. : *Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cælis, et judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum, et testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.* Qui enim ad Christum devote accedit, omnia hæc invenit. Invenit montis æterni in spiritu contemplationem. Invenit etiam civitatis cælestis suffragium, et Angelorum præsidium, et Ecclesiæ primitivorum exemplum, et judicis omnium judicium, et Spiritus sancti donum, et sanguinis Christi pretium et testificationem. Et ideo non est mirum si consequitur auxilium, et medicamentum gratiæ curantis.

Accessit ergo

« Retro. »

Ostendens sicut peccatrix verecundiam. Jerem. xxxi, 19 : *Confusus sum et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* Daniel. ix, 8 et 9 : *Domine, nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, et patribus qui peccaverunt. Tibi autem Domino Deo nostro misericordia et propitiatio.* Psal. l, 3 : *Peccatum meum contra me est semper.*

<sup>1</sup> Joan 1, 13.

<sup>2</sup> Cf. Ezechiel. xvi, 7 et xxxiii, 40.

« Et tetigit fimbriam vestimenti ejus. »

Ecce tactus fidei.

Et notantur duo, quod tetigit, et quid tetigit.

Quod tetigit, fidei fuit. Scivit enim quod aliqua virtus deitatis lateret in omni eo quod tangeret. Non enim tangit nisi ad immutationem. Et ideo adoratur lignum crucis, et vestitus ejus, et omne quod tetigit. Genes. xxvii, 21 : *Accede ut tangam te*. Tangit enim se tangentem, et tangit ad immutationem salutis. Luc. vii, 14 et 15 : *Accessit, et tetigit loculum, ... et resedit qui erat mortuus*. Matth. viii, 3 : *Tetigit leprosum dicens : Volo, mundare*. Hoc autem majoris fidei fuit quæ tetigit per medium. Et confunduntur per hoc hæretici, qui irrident adorantes vestes et reliquias Sanctorum, dicentes nihil inesse virtutis rebus irrationabilibus : ad quorum confutationem Dominus voluit ad tactum vestimenti sui sanitatem præstare isti fœminæ.

« *Tetigit ergo fimbriam,* » quæ minima est, « *vestimenti.* » Et, sicut dicitur, Matth. ix, 21 : *Dicebat intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero*. Legerat enim vel audierat quod dicit Psalmus cxxxii, 2 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus*. Unguentum enim gratiæ a capite Christo descendit in Apostolos, tamquam in eos qui immediate capiti adhæserunt. Et ad litteram, descendit in fila vestimentorum ejus, ex quibus fideles capiunt juvamentum. Et ideo vocantur *vestes sacræ*.

Significatur autem allegorice in hoc quod tactus Jesus per fidem in quolibet ministro Ecclesiæ minimo sanat infirmitates peccatorum, et sæpe etiam infirmitates corporum : quia non minister operatur, nisi sicut instrumentum. Jesus autem est a quo exit virtus. Quidquid enim adhæret corpori Jesu sanitates perficit. Quod autem corpori non adhæret, sicut

hæreticus et schismaticus, non perficit sanitates. Et hoc signatum est, III Reg. xviii, 26 et 38, ubi Elias exauditur : sacerdotes autem Baal non exaudiuntur, qui significant hæreticos. Post resurrectionem autem, quia corpus glorificatum non immutat aliquod non glorificatum, nec aliquam sui qualitatem immittit in ipsum, non consequitur aliquid tangens Christum. Et ideo calix non immutatur a sanguine Christi, neque palla a corpore. Et ideo pallæ aut calicis tactus non leguntur tales sanitates perfecisse. Et ideo forte dixit, Joan. xx, 17 : *Noli me tangere*, quia talis tactus non confert immutationem. Veronicæ autem vestimentum ante resurrectionem tetigit, et ad effigiem immutavit, et per illud multis contulit sanitates diversas.

Est autem attendenda mulieris hujus mirabilis humilitas, quæ sibi fimbrias congruere et sufficere reputavit ad consequendam salutem. Cum enim parva esset in oculis suis, parva reputavit sibi congruere. Et cum plena esset fide, scivit quod in minimo adhærentium Christo, sufficiens esset virtus ad suæ salutis perfectionem. I ad Corinth. i, 25 : *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. I Reg. xv, 17 : *Cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es*.

« Et confestim stetit fluxus sanguinis ejus. »

Tangit hic miraculi perfectionem.

Et tangit tria : curationem subitam, infirmitatem terminatam, et sanitatem restitutam. Primum est supra naturam, secundum supra artem, et tertium est supra creatam virtutem.

Primum enim est supra naturam : quia natura operatur cum motu, et transmutatione, et tempore. Hæc autem curatio est in momento. Et hoc tangit cum dicit : « *Et confestim* : quia, sicut dicit Ambrosius, « nescit tarda rerum molimina Spiritus sancti gratia. » Infinitæ

enim virtutis non est operari paulatim, et cum tempore, sed confestim et in momento. Et hoc probat Aristoteles tali ratione : Quia si virtus aliquanta finita operatur aliquid in aliquanto tempore, dupla illius operatur hoc in dimidio dimidii temporis : et sic de aliis duplis virtutibus. Ergo infinita virtus quæ non habet proportionem ad illam, operabitur hoc in instanti. Et hoc est confestim et in momento. Et hoc est quod dicitur, quod sibi velle et dicere facere est, Matth. viii, 8 : *Tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.* Sapient. xii, 18 : *Subest enim tibi, cum volueris, posse.* Esther, xiii, 9 : *Non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel.*

« Stetit fluxus sanguinis ejus. »

Ecce terminatio infirmitatis. Fluxus enim sanguinis non nisi ex una trium causarum provenire potuit. Aut enim provenit ex quantitate sanguinis, aut ex corruptione, aut ex defectu virtutis re-tentivæ. Et quocumque modo causabatur infirmitas, per imperium Domini stetit sanguis. Et hoc optime significatum est, Exod. iv, 25 et 26 : *Tulit Sēphora acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui.* Et sequitur : *Sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum,* etc. Sēphora enim interpretatur, *adhæsiō placuit*, et significat hanc mulierem, cujus adhæsiō Christo placuit. Petra autem acutissima Christus est, acutissime a nobis et profunde abscidens omnem maculam corruptionis. Caro præputii, significat superfluum fluxum sanguinis corrupti ex defectu perditæ virtutis manantem in omnem concupiscentiæ fœditatem, quæ per Christum abscisa et circumcisa est. Et ideo stetit sanguis, hoc est concupiscentiæ ebullitio. Psal. l, 16 : *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ : et exsultabit lingua mea justitiam tuam.* Ezechiel. xvi, 6 : *Dixi tibi*

*cum esses in sanguine tuo : Vive.* Stat enim fluxus sanguinis quando terminatur fluxus concupiscentiæ ex sanguinis fervore proveniens. Et ideo miraculum quod semel in ista Dominus muliere perfecit carnaliter, quotidie spiritualiter adimplet in fidelibus quos a fervore liberat concupiscentiæ.

In his autem duobus tertium intelligitur quod est restitutio integræ sanitatis, per multitudinem exuberantis sanguinis diminutam, per corruptionem humoris sublatam, per alterationem ferventis sanguinis ad temperiem reductam, per virtutem perditam per peccatum restituam. Hæc enim quatuor exiguntur ad restitutionem integræ sanitatis. Joan. vii, 23 : *Totum hominem sanum feci in sabbato.* Diminuitur autem sanguis superfluus fœde manans, per abstinentiam. Corruptio sanguinis tollitur per continentiam. Fervor frænatur per pœnitentiam. Virtus restituitur per gratiam. Ad primum monet Dominus, Joel, i, 14 : *Sanctificate jejunium.* Et iterum, Joel, ii, 12 : *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu.* Ad secundum, Luc. xii, 35 : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Ad tertium, Matth. iv, 17 : *Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum.* Ad quartum, Joan. i, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.*

Si autem quæritur, Quomodo hæc mulier cognovit ad se rediisse beneficium sanitatis ?

Dicendum, quod cognovit hoc confor-tatione virtutis, et consolidatione corporis, et exsiccatione humoris, quæ in momento in tantum invaluerunt in ea, ac si contraria horum numquam per infirmitatem in ipsa sensisset. Jerem. xvii, 14 : *Sana me, Domine, et sanabor : salvum me fac, et salvus ero : quoniam laus mea tu es.* Psal. cxlvi, 3 : *Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum.*



45

« Et ait Jesus: Qui est qui me tetigit? »

Hic incipit hujus miraculi diffamatio, ad laudem et gloriam facientis, et ad confortationem fidei Archisynagogi, suscitationem filiæ a Domino flagitantis. Quia videns sanatum mulierem ex tactu fimbriæ, confortatus est ad hoc quod credidit futuram suscitationem filiæ, si per seipsum dignaretur eam tangere.

Dicit autem hic quatuor quæ pertinent ad famam tanti miraculi, quorum primum est dispensatoria ordinata ad illuminationem adstantium interrogatio. Secundum autem est illuminationem desiderantium Petri et aliorum responsio. Tertium autem est obscura quædam de virtute tacti Domini eruditio. Quartum autem est veritatis plena reseratio.

De primo horum dicit:

« Et ait Jesus, »

Non ignorans, sed dispensatorie ad illuminationem excitans: « *Quis est?* » Duo dicit: personæ enim notat dignitatem, et facti magnitudinem.

Personæ enim notat dignitatem cum dicit: « *Quis est,* » hoc est, quantæ dignitatis. Simile, Luc. VII, 49: *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Psal. XXIII, 8 et 10: *Quis est iste rex gloriæ?* Luc. XV, 8: *Quæ mulier habens drachmas decem,* etc. Nec ignorat sexum, quærens per dictionem masculini generis, sed sciens fœminam esse, quæ jam mente virum induerat, ponit interrogationem per masculinum. II Machab. VII, 20 et 21: *Supra modum mater mirabilis, et bonorum memoria digna, ... quæ fœminæ cogitationi masculinum animum inserens, etc..*

« Qui me tetigit. »

Ecce supponit virtus actum, qui est tactus. Tangitur enim Deus formata, viva, et devota fide. Formata per dilectio-

nem, viva per sperandarum rerum in corde vigorem, devota per desiderii fervorem. De formata dicitur, ad Galat. V, 6: *Fides quæ per charitatem operatur.* Vivit autem fides, quia secundum actum et experimentum in nobis, certitudine quadam fundat res sperandas. Ad Hebr. XI, 1: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Fervens autem fides est, quæ non sinit cor in seipso quiescere, quin tendat in id quod credit: et hæc est quæ vocatur *non ficta*. I ad Timoth. I, 5: *Charitas est de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.*

« Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, et qui cum illo erant. »

Ecce illuminationem de quæstione Domini desiderantium responsio.

Et tanguntur tria, quorum primum est eorum qui virtutem verborum Domini ignoraverunt, negatio. Secundum autem Petri, qui princeps Apostolorum erat, et aliorum qui cum illo erant, ad illuminationem Dominum inclinans responsio. Tertium autem de quæstione a Domino facta admiratio.

Primum notatur in hoc quod dicitur: « *Negantibus autem omnibus.* » Non enim negat sermonem Domini nisi qui virtutem ejus ignorat. Qui autem virtutem verborum Domini cognoscit, non negat: sed aut assentit, si intelligit: aut si non intelligit, illuminationem expectat et requirit. De negantibus autem dicit Job, XXXI, 28: *Quæ est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum.* Ad Tit. 1, 2: *Non mentitur Deus.* Numer. XXIII, 19: *Non est Deus quasi homo ut mentiatur.* Ad Roman. III, 4: *Est Deus vexax: omnis autem homo mendax.*

« *Negantibus autem omnibus* » sermonem Domini, « *dixit Petrus,* » Apostolorum princeps, et vertex in solidissima petra veritatis fundatus. Matth. XVI, 17: *Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et*

*sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.*

« *Et qui cum illo erant,* » in consensu studii ad veritatis inquisitionem. Psal. civ, 4: *Quærite faciem ejus semper.* Qui non fuerunt rebelles lumini.

« Præceptor, turbæ te comprimunt et affligunt, et dicis: Quis me tetigit? »

In hac admiratione continentur tria. Primum quidem præceptorie excellentiæ professio. Secundum, ejus quæ in effectu apparuit veritatis, ostensio Tertium autem, de quæstione a Domino facta admiratio.

Dicit enim: « *Præceptor,* » quia suum erat omnis divinæ illuminationis dare præcepta. Præceptor enim est omnis magisterii habens perfectionem. Luc. v, 5: *Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus. In verbo autem tuo laxabo rete.* Quasi dicat: Quamvis humanæ rationi videatur inutile, scio quod verbum tuum fultum est omni veritate, nec potest esse irritum et inane quod loqueris. Proverb. viii, 8: *Justi sunt omnes sermones mei, et non est in eis pravum quid neque perversum.* Matth. xxiv, 35, et Luc. xxi, 33: *Verba mea non transibunt.*

« *Turbæ te comprimunt.* »

Ecce veritatis quæ est in effectu apparet ostensio. Turbæ autem sunt multitudo turbata, confusa: et tamen Dominum sequens. Multitudo quidem ad unum non reducta, eo quod unus non univit eam spiritus: sicut dicitur, Act. iv, 32: *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una.* Turbata autem fuit affectus turbatione, quia non simplici corde quærebat Dominum. Contra quod dicitur, Sapient. i, 1: *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum.* Confusa autem fuit in ordinatione, quia modo confitebatur, modo negabat:

modo honorabat, modo lapidare volebat. Joan. vii, 12: *Quidam dicebant: Quia bonus est. Alii autem dicebant: Non, sed seducit turbas.* Sequebatur autem Dominum pro corporis et non animæ utilitate. Joan. vi, 26: *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus.* Et ideo etiam hæc turba non tangit Dominum ad virtutis emissionem, sed ad compressionem, et afflictionem. Psal. xxxvii, 9: *Afflictus sum et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.* Malach. iii, 8: *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me?* Et ideo dicit suis, Joan. xvi, 33: *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.* Turba ergo talis comprimit Jesum, et affligit. Et ideo in eam nihil suæ virtutis emittit.

« *Et dicis,* » qui non nisi vera dicis. Deuter. xxxii, 4 et 5: *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, justus et rectus. Peccaverunt ei, et non filii ejus in sordibus.*

« *Quis me tetigit?* »

Quod dictum quidem omnes miramur, et quærimus a te, scire desiderantes causam dicti tui. Vidit enim Petrus tangi Dominum et comprimi extrinsecus: qui tactus similis est tactui mathematico, qui tangendo conjungitur quidem in ultimis, sed non facit aliquam naturalis virtutis immutationem. Naturalis autem tactus est, quando quod tangit et tangitur, immutant se invicem secundum suas virtutes et qualitates. Et admirabatur de quo horum tactuum Dominus loqueretur.

Et lux vera (*quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*<sup>1</sup>, quæ semper adest quærentibus veritatem) dixit quod sequitur:

<sup>1</sup> Joan. i, 9.

**46** « Et dixit Jesus : Tetigit me aliquis : nam ego novi virtutem de me exiisse. »

« *Et dixit Jesus,* » subobscure, ostendens suæ quæstionis rationem et illuminationem.

Dicit autem duo. Confirmat enim primo iterando quod dixerat : « *Tetigit me aliquis,* » non tactu turbarum comprimente et affligente, per quem nulla de me elicitur virtus, sed tactu devotionis et fidei. Cantic. v, 4 : *Venter meus intremuit ad tactum ejus.* Venter enim est quo continentur virtutes divinæ. Luc. vi, 19 : *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes.*

Et attende, quod tacta fimbria tactum se dicit : quia ad litteram fumus et vapor a corpore Salvatoris resolutus, quod divinitati unitum est, fimbriæ adhæsit, et virtus ejus fideles salvavit.

Et hoc est quod sequitur :

« Nam ego novi virtutem de me exiisse. »

Luc. v, 17 : *Virtus Domini erat ad sanandum eos.* Act. x, 38 : *Pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Cognovit autem hoc Dominus per sui effectus experimentum : qui tamen omnia præcognovit per deitatis suæ sapientiam et præfinitionem.

**47** « Videns autem mulier quia non latuit, tremens venit, et procidit ante pedes ejus, et ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo, et quemadmodum confestim sanata sit. »

Hic incipit veritatis plena reseratio.

Et continet duo : ex parte mulieris scilicet veritatis confessionem, ex parte autem Domini facti miraculi confirmationem, et causæ miraculi revelationem

ad omnium fidelium et infidelium eruditionem.

Circa primum notantur tria, scilicet, causa mulierem ad confessionem veritatis inducens, modus humilitatem confitentis prætendens, et ipsa confessio veritatem explanans.

Causa autem quæ mulierem ad confitendum induxit, tangitur in hoc quod dicit : « *Videns autem mulier,* » visu fidei et munditiæ cordis, quibus duobus oculis potentia videtur deitatis in Christo miracula faciente. Psal. cxviii, 18 : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.* Luc. x, 23 : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.*

His ergo oculis vidit « *quia non latuit,* » scilicet eum quem nihil latere potuit. Ad Hebr. iv, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo.* Eccli. xxiii, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem,... intuentes in absconditas partes.*

« *Videns* » ergo quia visa est ab eo quem nihil latuit : quamvis dissimularet ut convenientius instrueret adstantes, et ad fidem induceret aliena confessione virtutis,

« Tremens venit, etc. »

Ecce modus plenam et perfectam prætendens humilitatem.

Et tangit quatuor : tremorem verecundantis, accessum amantis, procasum adorantis et humilitatem se sibi per omnia subjicientis.

De primo dicit : « *Tremens,* » verecundia eam quasi dissolvente : quia se tanti miraculi operatione reputavit indignam, et incongruum sibi esse quod gratissimo conspectui Christi præsentaretur. Psal. ii, 11 : *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore.* Job, iv, 14 et 15 : *Pavor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt : et cum spiritus me præsentate transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.*

« *Venit :* » charitate Deo appropin-

quans. Jacob. iv, 8 : *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.*

« *Procidit,* » adorando. Matth. iv, 10, et Deuter. vi, 13 : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Psal. XLIV, 12 : *Ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.*

« *Ante pedes ejus,* » se humiliter sibi subjiciendo. Psal. xxxvi, 7 : *Subditus esto Domino, et ora eum.* Psal. cxxxvi, 7 : *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Simile quid peragens illi peccatrici quæ erat in civitate <sup>1</sup>. Non enim despectabilem reputavit locum, ubi illa consecuta est veniam, ubi gratias agit, ubi misericordiam invenit per effectum salutis.

« Et ob quam causam, etc. »

Ecce confessio veritatis duplex. Confitetur enim opus, et confitetur effectum operis. Opus enim quod fecit in intentione sua, causabatur ex sperato effectu salutis : licet secundum rem e converso per tactum meritorie causaretur effectus salutis.

Et hoc est quod dicit : « *Et ob quam causam,* » quæ non in re, sed suæ intentionis causa fuit, « *tetigerit eum,* » sciens scriptum esse, Cantic. i, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.* Et ideo tangit ut oleum misericordiæ eliciat.

« *Coram omni populo,* » ut famosius sit miraculum, « *indicavit.* » *Opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est* <sup>2</sup>. Isa. xii, 5 : *Annuntiate hoc in universa terra.*

« Et quemadmodum confestim sanata sit. »

Ecce confessio salutis. Isa. LIII, 4 : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Unde Glossa : « De Jesu erit virtus, quæ propitiatur omnibus iniquitatibus nostris, et sanat omnes infirmitates nostras. »

<sup>1</sup> Cf. Luc. vii, 37.

« At ipse dixit ei : Filia, fides tua salvam te fecit : vade in pace. »

Ecce operatæ salutis confirmatio.

Et tanguntur tria : benigna salvatæ allocutio, efficaciæ fidei protestatio, pacifica mulieris sanatæ dimissio.

Primum notatur cum dicit : « *Filia,* » quæ jam patrem requiris et similitudinem prætendis. Ruth, III, 10 : *Benedicta es a Domino, filia, et priorem misericordiam posteriore superasti.* I Joan. III, 2 : *Nunc filii Dei sumus : et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus.*

« Fides tua salvam te fecit. »

Causa meritoria non ex condigno, sed ex congruo. Luc. vii, 50 : *Fides tua te salvam fecit.* Hæc autem est fides formata, quæ cor purificat. Et hoc quod postulavit, Christum præstare posse non dubitat. Act. xv, 9 : *Fide purificans corda eorum.* Jacob. i, 6 : *Postulet in fide nihil hæsitans.*

« Vade in pace »

Tibi per sanitatis operationem restituta. Isa. LYII, 2 : *Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulavit in directione sua.* Hæc est pax in qua non bellat oppugnans infirmitas, sed sanitatem confirmat, et consolatur cordis tranquillitas. Ad Philip. iv, 7 : *Pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras.* Hæc responsio et dimissio confundit turbam comprimentem, erudit cætum Apostolicum quærentem, consolatur infirmum ad Christum accedentem, et confutat hæreticum de divinitate Christi mentientem, et confortat Jairum majus a Domino miraculum expetentem. Sicut enim dicit Gregorius, ex « perceptione præsentium

<sup>2</sup> Tob. xii, 7.

« munerum, firma fit expectatio futuro-  
rum. »

Et in hoc terminatur miraculum de  
sanatione mulieris hæmorrhœissæ.

49 « Adhuc illo loquente, venit quidam  
ad principem synagogæ, dicens ei :  
Quia mortua est filia tua, noli vexare  
illum. »

Ut vitæ et mortis ostendatur habere  
imperium verbum a discipulis prædican-  
dum, ad hoc inducitur ista historia. In  
hac enim potestate verbi, perficiuntur  
Episcopi in hac ultima parte istius capi-  
tuli.

Dividitur autem historia hæc in qua-  
tuor particulas : in quarum prima con-  
tinetur id quod ostendit miraculi istius  
magnitudinem : in secunda, continetur  
id quod facit ad gratiæ istius in alios  
propagationem : in tertia, id quod facit ad  
mœrentium consolationem, et irriden-  
tium confutationem : in quarta vero, id  
quod facit ad miraculi perfectionem et  
admirationem.

In prima harum duo sunt paragraphi.  
Primo enim nuntiatur mors cum diffi-  
dencia suscitationis. Consequenter con-  
fortatur ad fidem cum certa promissione  
salutis.

Quatuor autem tanguntur in paragra-  
pho primo. Notat enim primo continua-  
tionem hujus historiæ, in qua omnes  
tres Evangelistæ conveniunt, quod im-  
mediate continuatur ad præcedentem <sup>1</sup>.

Quia, sicut diximus, præcedens factum  
inducitur in argumentum fidei ad istud :  
sicut et Judæi admirantes dicunt, Joan.  
xi, 37 : *Non poterat hic qui aperuit  
oculos cæci nati, facere ut hic non mo-  
reretur.* Consequens enim est ut si vitæ  
habet potestatem, quod et mortis habeat  
potestatem, *et quod in ditione sua cun-*

*cta sint posita* <sup>2</sup>. Et Apostolus, I ad  
Corinth. xv, 54-58, postquam ostendit  
quod omnia subjecta sunt ei, infert quod  
novissime etiam inimica destruetur mors.  
Et sic procedit hic Christus, sui verbi  
ostendens potestatem.

Et hoc est quod dicit :

« Adhuc illo loquente. »

Et simile est in contrario, cum Domi-  
nus probare vellet beatum Job, quod  
dicitur. *Sed et illo adhuc loquente, venit  
alius, etc.* <sup>3</sup>. Ut sicut ibi tristitia tristibus  
succedebant, ita hic virtus virtutis esset  
argumentum, et augetur fides creden-  
tium.

Secundo, tangit fidem nuntii venientis,  
cum dicit :

« Venit quidam. »

Quasi dicat : Non quilibet dubitatæ  
fidei, sed exceptæ actionis. « *Quidam,* »  
cui credi oportebat, « *venit ad princi-  
pem synagogæ,* » ad quem parvus vel  
dubitatae fidei nuntius non mitteretur.  
III Reg. xiv, 6 : *Ego missus sum ad te  
durus nuntius.* Isa. xxi, 6 : *Vade, et  
pone speculatorem : et quodcumque  
viderit, annuntiet.* Dispensatoria autem  
est hæc nuntiatio ad magnitudinem fa-  
ciens miraculi.

Tertio, tangit nuntium quod affert :

« Dicens ei : Quia mortua est filia  
tua. »

Dixit autem cum diffidentia spei salu-  
tis, æstimans diminutam virtutem esse  
Domini, quæ qualitates vitæ mutare  
posset, et non haberet mortis potesta-  
tem. Mors autem privatio est vitæ,  
corruptio principiorum naturæ, exspira-  
tio spiritus vehentis virtutes vitales in  
corpore, destructio organicorum instru-

<sup>1</sup> Cf. Marc. v, 35-43 ; Matth. ix, 18-25 ; et hic,  
Luc. viii, 49-56.

<sup>2</sup> Esther, xiii, 9. Cf. Sapient. xvi, 13.

<sup>3</sup> Job. i, 17. Cf. etiam §§. 46 et 48.

mentorū animæ. Et ideo secundum naturam impossibilis est regressus a morte ad vitam. Sapient. II, 1 : *Non est qui agnitus sit reversus ab inferis*. Thren. III, 53 : *Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me*. Talis igitur est mors puellæ.

Ut autem dolor crucians ostendatur in patre, dicitur : « *Filia tua,* » quæ pignus est naturæ, unicum solatium vitæ tuæ, antequam fructum ex ea receperis. Luc. II, 35 : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*. II Reg. XVIII, 33 : *Quis mihi tribuat ut ego moriar pro te?*

Quartum est in paragrapho isto argumentum diffidentiae salutis, cum dicit nuntius :

« Noli vexare illum. »

Et est ista diffidentia pietati admixta : ne Jesus qui in multis procurans salutem nostram laboraverat, ulterius in cassum vexaretur. Exod. XVIII, 18 : *Stulto labore consumeris*. Marc. V, 35 : *Filia tua mortua est : quid ultra vexas Magistrum?* Quasi dicat : Consolationem accipe quam poteris : quia filia tua non redibit ad vitam. Sic, II Reg. XII, 22 et 23, David mortuo filio consolatus est, dicens : *Propter infantem, dum adhuc viveret, jejunavi, et flevi : dicebam enim : Quis scit si forte donet eum mihi Dominus, et vivat infans? Nunc autem quia mortuus est, quare jejunem? Nunquid potero revocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum : ille vero non revertetur ad me*. Et hæc est causa quod nuntius a Domino non increpatur : quia factis Patriarchæ et Prophetæ se conformavit, sed tantummodo confortavit patrem.

Et hoc est quod sequitur :

« Jesus autem audito hoc verbo,

respondit patri puellæ : Noli timere, crede tantum, et salva erit. »

Dicit autem duo : consolationem, et confortationem ad fidem : et secundo, consolationis et confortationis adhibet causam.

Consolatio est cum dicit : « *Noli timere,* » timore diffidentiae. Hic enim timor auferendo spem, occidit salutis fidem. Et ideo præcipitat in desperationem. Sapient. XVII, 10 : *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis : semper enim præsumit sæva perturbata conscientia*. Et, ibidem, §. 12 : *Dum ab intus minor expectatio est, majorem computat inscientiam ejus causæ, de qua tormentum præstat*.

Tali ergo timore « *noli timere.* » II Paralip. XX, 17 : *Nolite timere, nec paveatis : cras egrediemini contra eos, et Dominus erit vobiscum*.

Et hoc est quod sequitur. Sed « *crede tantum,* » fide confortata. Genes. XVII, 14 : *Numquid Deo quidquam est difficile?* Luc. I, 37 : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*. Fides enim omnipotentiae Dei innititur : et ideo *omnia possible sunt credenti*<sup>3</sup>. Genes. XV, 6 : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*. Ostende ergo te esse tanti Patriarchæ filium, et crede. Joan. XIV, 1 : *Creditis in Deum, et in me credite*. Ego sum virtus Dei, quæ omnia portat et mutat pro voluntatis arbitrio.

« Et salva erit, »

Non solum ab ægritudine, sed etiam a morte. I Reg. II, 6 : *Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit*. Job, V, 18 : *Ipse vulnerat, et medetur : percutit, et manus ejus sanabunt*. Virtus hæc quidem in homine non est, sed ego sum Deus. Unde hanc rex Israel sibi non inesse professus est, di-

<sup>3</sup> Marc. IX, 22.

cens, IV Reg. v, 7 : *Numquid Deus ego sum ut occidere possim, et vivificare. Deus autem vivificat.* Ad Roman. iv, 17 : *Deus qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt.*

Advertendum autem hic quam opportuna, et quam cauta fuit ista responsio. Opportuna, quia tempore illo facta : cum tristitia nuntiarentur. Et hoc notat Evangelista cum dicit : « *Jesus autem audito hoc verbo* » tristis nuntii. Fecit enim juxta consilium Sapientis, Proverb. xxxi, 6 et 7 : *Date siceram mærentibus, et vinum his qui amaro sunt animo. Bibant, et obliviscantur egestatis suæ, et doloris sui non recordentur amplius.* Sicera enim et vinum gaudium excitant. Et significant divinas in tempore tristitiæ consolationes. Clavum enim clavo truditur : clavum verbi tristitiæ, clavo verbi consolationis. Eccle. xii, 11 : *Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi.* Cauta vero fuit. Non enim altercatus est cum nuntio, sed convertit se ad patrem, qui pro affectu paterno libens verba de salute filiæ recepit, alloquens eum de salute speranda filiæ. Isa. xl, 2 : *Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam.* Sic ergo consolatus est patrem, et confortavit ad fidem.

Sequitur :

**51** « Et cum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem, et patrem et matrem puellæ. »

Hic agitur de gratiæ istius in alios propagatione.

Tangit autem hic duo, quam benigne scilicet defuncto nihil abhorrens appropinquavit, et quos gratiæ illi sociavit ut in eos fortius propagaretur.

De primo dicit : « *Et cum venisset ad*

*domum.* » Ecce quod nihil abhorrens defuncto appropinquavit. Scivit quod sicut in contactu leprosi, ita nec in contactu mortui contaminaretur. Unde, Luc. vii, 14 : *Accessit, et tetigit loculum, scilicet defuncti.* Oportuit enim quod medicus nostrarum infirmitatum nobis appropinquaret, et intra domum miseriæ nostræ conversaretur : ut nos undique tangens, et nostra sua faciens, mortem nostram fugaret. Unde, Luc. x, 34 : *Approprians alligavit vulnera ejus, scilicet saucii, et a latronibus vulnerati.* Hoc est quod petivit Rebecca, Genes. xxiv, 31 : *Ingredere, benedicte Domini : cur foris stas?* Hoc quod secundum veram translationem dicitur, Joan. i, 14 : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Sic enim pervenit ad nos in domum, non jam stans post parietem miseriæ nostrarum<sup>4</sup> : et respiciens deitatis oculo per fenestras occultorum nostrorum, et respiciens per cancellos manifestorum nostrorum : sed in ipsam nostrorum humanorum defectuum intrans domum. Baruch, iii, 38 : *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

Sic ergo cum pervenisset ad domum, hoc est, ad hujus mortuæ puellæ hospitium in domum Archisynagogi, hoc est, Moysi, de judaismo corpus assumens in quo jacebat defunctus, quem lex suscitare non potuit,

« Non permisit, etc. »

Ecce tangit in quot, et quos gratia ista fuit propaganda.

Notantur autem duo : quorumdam exclusio propter malum meritum, et quorumdam advocatio propter suum beneplacitum.

Exclusio malorum tangitur ex modo negationis, cum dicitur : « *Non permisit intrare secum.* » Quod attendens Apostolus, ad Hebr. iv, 11, dicit : *Festine-*

<sup>4</sup>Cf. Cantic. ii, 9.

*mus ingredi in illam requiem : ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.* Requies autem illa est in qua quiescitur ab infestatione mortis. Ad Roman. xi, 7 : *Electio consecuta est : cæteri vero excæcati sunt.* Unde hic irridentes et tumultuantes exclusi sunt : sicut patet, Matth. ix, 23, et Marc. v, 40. Tumultuantes sunt confusionem et tumultum sæculi sequentes. Isa. iii, 5 : *Tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem.* Irridentes autem sunt spiritualia nescientes, et carnalia sola reputantes. Matth. vii, 6 : *Nolite dare sanctum canibus : neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

Hos igitur exclusit, et hac de causa.

« Nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem, »

De suis, « *et patrem et matrem puellæ,* » qui erant ex parte defuncti cui præstandum erat beneficium, admisit.

Ad defunctum enim suscitandum ex parte Dei duplex requiritur operatio : Dei scilicet, et ministrorum. Ministrorum autem triplex : potestatis perfectæ in sacramentorum collatione, et veritatis divinæ in fidei cognitione, et gratiæ gratuitæ in virtutis operatione. Primum horum significatur per Petrum, cui ligandi et solvendi plena collata est potestas, Matth. xvi, 19 : *Tibi dabo claves regni cælorum.* Secundum significatur per Joannem, qui radio irreverberato veritatem perspexit, de qua dicitur, Joan. viii, 32 : *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Et, Joan. xviii, 17 : *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.* Tertium significatur in Jacobo, qui *luctator* interpretatur, et primus luctam virtutis inter Apostolos pro Christo perfecit, in quo virtus in lucta non occubuit, Act. xii, 2 : *Occidit autem Jacobum, fratrem Joannis, gladio.* Et hæc est causa quod de Apostolicis ministris

hos et non alios sumpsit : sciens sufficere ad mortis propulsationem cum divina operatione clavium potestatem, veritatis agnitionem, et virtutis et gratiæ operationem.

Ex parte autem puellæ assumit « *et patrem,* » qui Prælatum significat, paterno affectu subditum diligentem, et acerbo luctu de morte filiæ lugentem, « *et matrem,* » lacero pectore pro filia deprecantem, quæ Ecclesiæ significat suffragium.

Hæc enim quinque, nisi defunctus obicem ponat, et in morte remanere contendat, cum operatione divina sufficiunt ad mortui suscitationem. Postulatio patris significatur, Joan. iv, 49, ubi pater dicit : *Domine, descende prius quam moriatur filius meus.* Hoc verbum semper esse debet in ore Prælati orantis pro subditis. Suffragium matris significatur, Luc. vii, 12 : *Hæc vidua erat : et turba civitatis multa cum illa.* Ecclesiæ enim suffragia multos impetrant suscitari. Hinc est quod Aaron Prælatum pro populo rogans, invenisse legitur quæ ad vitam est via <sup>1</sup>. Similiter mater pueri impetrasse legitur suscitationem filii <sup>2</sup>. Testes etiam idonei sunt divinæ operationis in sacramentis, minister perfectæ potestatis, doctor limpidæ veritatis, et operator gratiosæ virtutis : per quos excluditur schismaticus potestatem Ecclesiasticam scindens, hæreticus veritati fidei contradicens, profanus et immundus virtuti se opponens.

His igitur de causis hos assumpsit.

Sequitur :

« Flebant autem omnes, et plangebant illam. At ille dixit : Nolite flere : non est mortua puella, sed dormit. »

Et deridebant eum, scientes quod mortua esset. »

<sup>1</sup> Cf. Sapient. xviii, 21.

<sup>2</sup> IV Reg. iv, 27.



Hic ponuntur ea quæ faciunt ad mœrentium consolationem, et irradientium confutationem.

Dicuntur ergo hic duo. Primo quidem mœrentium consolatio. Secundo, irradientium confutatio.

In primo horum tria dicuntur. Primo enim mœrentium luctus exprimitur. Secundo, consolatio lugentibus adhibetur. Tertio, ratio consolationis subjungitur.

De primo dicit : « *Flebant autem,* » lacrymis, « *omnes,* » propter affectum patris, qui in mansuetudine omnibus profuit, et præfuit : et ideo patris tanti dolorem quilibet tamquam proprium deflevit.

« Et plangebant illam, »

Lugentes quod intempestive defuncta sit adhuc vernans flore juventutis. Isa. xxxviii, 12 : *Præcisa est velut a texente vita mea, dum adhuc ordiretur, succidit me : cum adhuc vita multis diebus videretur esse texenda.* Eccli. xxii, 10 : *Supra mortuum plora, defecit enim lux ejus.*

*Fletus* igitur pertinet ad lacrymarum fusionem. Psal. cxviii, 136 : *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* Jerem. ix, 1 : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum ? et plorabo die ac nocte ?* Multum enim plorandum est, ut defunctus revocetur ad vitam. *Planctus* autem refertur ad lugubre carmen. Unde, Matth. ix, 25, dicitur quod ejecit de domo tibicines. Consuetudo enim erat Judæis in exsequiis defunctorum et planctu, multas facere impensas : ita quod, sicut tradit Josephus, multi propter expensas defunctorum suorum depauperati sunt. Tibicines ergo carmen lugubre præcinuerunt, aliis succinentibus idem carmen. Et hoc vocatur *planctus defuncti.* Jerem. ix, 17 et 18 : *Vocate lamentatrices, et veniant : et ad eas quæ sapientes sunt mittite, et properent : festinent, et assumant super nos lamentum.* Jerem. vi 26 : *Luctum*

*unigeniti fac tibi planctum amarum.* Genes. l, 11 : *Planctus magnus est iste Ægyptiis.*

« At ille dixit. »

Ecce plangentium consolatio.

« *Nolite flere,* » inconsolabiliter flentes, tamquam de resurrectione spem non habentes. I ad Thessal. iv, 13 : *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et cæteri qui spem non habent.* Jerem. xxxi, 16 : *Hæc dicit Dominus : Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis : quia est merces operi tuo, ait Dominus.*

Subjungit autem causam, dicens :

« Non est mortua puella, sed dormit. »

Hujus autem litteræ est triplex expositio a Patribus tradita.

Una quidem, quia pater tantus filiam familias (quæ adhuc in cura patris erat) secundum legem Domini erudierat. Et ideo mundo defuncta et in sinu Abraham recepta, spe felici redemptionem communem expectans vivebat : et hæc hominibus mortua, Deo vivebat, et somno beatorum patrum quiescebat. Daniel. xiii, 3 : *Parentes illius, cum essent justis, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi.* De somno tali dicitur, Job, iii, 13 : *Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem.*

Alia expositio est, quia defunctus sæculo, ut dicit Ambrosius, Deo vivit. Et qui hominibus qui suscitare non possunt, mortuus est, Deo dormit qui suscitare potest. Joan. xi, 11 : *Lazarus amicus noster dormit : sed vado ut a somno excitem eum.* Ad Hebr. xi, 19 : *Et a mortuis suscitare potens est Deus.*

Tertia expositio, quia quidam moriuntur, finalem sententiam excipiendo, de quibus dicitur in Psalmo ciii, 9 : *Terminum posuisti, quem non transgredientur.* Job, xiv, 5 : *Constituisti termi-*

*nos ejus, qui præteriri non poterunt. Et illi mortui esse dicuntur. Alii autem defunguntur, non finalem sententiam accipiendo, sed potius vita funguntur, ut miracula ad gloriam Dei fiant in ipsis : et illorum mors temporalis casus est, sicut somnus temporalis clausio et casus est sensibilis vitæ. Joan. ix, 3 : Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo. Et sic fuit mortua puella. Mors enim illi dominari diu non potuit, cui fons vitæ appropinquavit. Et ista est probabilior expositio. Per hujusmodi enim signa, ut dicit Chrysostomus, se esse Dominum probavit, et communem adstruxit resurrectionem.*

« Et deridebant eum, etc. »

Hic ponitur irridentium confutatio. Derisio autem hæc dispensatoria est : quia licet riserint ex infidelitate potentiæ a morte suscitare valentis, tamen operatur ad manifestationem mortis, et per consequens ad magnitudinem miraculi, et ad gloriam ejus qui vere mortuam puellam suscitare potuit. Peccabant tamen deridentes Dominum, cujus verbis simpliciter credere debuerant. Job, xii, 4 et 5 : *Deridetur justus simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum. Luxit enim in vita resurrectionis. Job, xxx, 1 et 2 : Nunc derident me juniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei, ... et vita ipsa putabantur indigni. De pœna autem sic Dominum deridentium, dicitur, Proverb. xix, 29 : Parata sunt derisoribus judicia, et mallei percutientes stultorum corporibus.*

Subjungit derisionis causam, dicens : « *Scientes,* » humana sapiendo secundum causas inferiores, « *quod mortua esset,* » secundum naturam. Ad Coloss. ii, 3 : *Mortui estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.*

« Ipse autem tenens manum ejus clamavit, dicens : Puella, surge. »

Hic agitur de perfectione miraculi, et fama.

Perfectio autem describitur in tribus : in causa, in effectu, et in demonstratione veritatis.

Causa describitur in tribus, in facto, in clamore, et in verbi potestate.

Factum describitur cum dicit : « *Ipse autem tenens manum ejus,* » ut significaret se sublevare per adjutorium divinæ virtutis, et influere vitam per contactum suæ vivificæ carnis. Job, xiv, 15 : *Operi manuum tuarum porriges dexteram. Psal. lxxii, 24 : Tenuisti manum dexteram meam : et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me. Psal. cxxxviii, 5 et 6 : Posuisti super me manum tuam : mirabilis facta est scientia tua ex me.*

« Clamavit. »

Ecce intensio clamoris notans difficultatem educationis de morte, non quoad se, cui omnia possibilis sunt, sed quoad defunctum qui difficulter redit. Joan. xi, 43 : *Voce magna clamavit : Lazare, veni foras. Psal. lxxvii, 34 : Dabit voci suæ vocem virtutis. I ad Corinth. xv, 54 et 55 : Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus?*

« Dicens. »

Ecce verbum virtutis et vitæ.

« *Puella, surge.* » Marc. v, 41, dicitur : *Talitha cumi, quod est interpretatum : Puella (tibi dico), surge.* Nominando autem a sexu et ætate, notat fragilitatis teneritudinem, quæ meretur ignoscantiam de delictis, et gratiam in bonis. Sic enim est Benjamin noster, hoc est, filius dexteræ Christus, in medio juvenularum tympanistrarium, semper delicta juventutis ignoscens, et bo-

nis gratiam augens. Cantic. viii, 8 : *Soror nostra parva, et ubera non habet.*

« *Surge.* » Per hoc vocat ad vitam, ostendens in his quæ sursum sunt, verum esse vitæ fructum. Ad Coloss. iii, 1 et 2 : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Ibi enim est terra viventium, et ibi est fons vitæ indeficientis, ubi nemo moritur. Psal. xxvi, 13 : *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Item, Psal. xxxv, 10 : *Apud te est fons vitæ : et in lumine tuo videbimus lumen.* Ad Ephes. v, 14 : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.*

**55** « Et reversus est spiritus ejus, et surrexit continuo. Et jussit illi dari manducare. »

**56** « Et stupuerunt parentes ejus, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat. »

Hic tangitur miraculum istud per effectum.

Et tanguntur tria, quorum primum est, quod reversum est veræ vitæ principium. Secundum, quod ostendit vigoro- sæ vitæ actum. Tertium, quod hoc perfectum est, non per naturam, sed per miraculum.

Primum notatur cum dicitur : « *Et reversus est spiritus,* » hoc est, anima, quæ (sicut dicit Philosophus) principium est et causa vitæ. III Reg. xvii, 22 : *Reversa est anima pueri intra eum, et revixit.* Ezechiel. xxxvii, 9 : *Veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant.* Joan. vi, 64 : *Spiritus est qui vivificat : caro non prodest quidquam.*

« Et surrexit. »

Ecce vitæ simul et virtutis actus. Surrexit autem, id est, sursum se egit, in

imis non remanens. Isa. lviii, 14 : *Sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob, patris tui.* Baruch, v, 5 : *Exsurge, Jerusalem, et sta in excelso, et circumspice ad orientem, et vide.* Luc. xxi, 28 : *Levate capita vestra.*

« *Continuo,* » hoc est, in momento simul reparata vita et virtute et organis operationum naturalium : quod non potuit fieri per naturam. Eccli. xxxvi, 6 et 7 : *Innova signa, et immuta mirabilia. Glorifica manum et brachium dextrum.* Sic enim vitam et virtutem reddere non potuit nisi gloriosa manus Dei, quæ naturam instituit. Psal. lxxvi, 11 : *Hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

« Et jussit illi dari manducare, »

Ad veræ vitæ demonstrationem. Quia, ut dicit Ambrosius, phantastice suscitatus, imaginem habet viventis, sed non operationem, quæ est comestio, quæ animalem et veram vitam indicat. Unde, Joan. xxi, 13, et Luc. xxiv, 30, Dominus comedit cum discipulis, veram et humanam vitam ostendens, quæ in gloriosis quidem corporibus est secundum potestatem. Sed in his qui ad animalem vitam redeunt, est secundum potestatem, et indigentiam, et nutrimentum quo indiget corpus hominis animale.

« Et stupuerunt parentes ejus. »

Ecce fama miraculi. Dicuntur autem stupere parentes, quia illi intus fuerunt : tamen per effectum, et per parentes prædicatum est omnibus. Joel, i, 2 : *Audite hoc, senes, et auribus percipite, omnes habitatores terræ : si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum ?* Isa. lxvi, 8 : *Quis audivit umquam tale ? et quis vidit huic simile ?*

« *Quibus præcepit,* » cautelam docens humilitatis in magnis. Eccli. iii, 20 :

*Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Et ideo licet conformare in omnibus præceptis debeamus voluntatem nostram voluntati divinæ, tamen hoc faciendum est in fine præcepti, et non in re præcepta. Et cum Deus intendat per hoc nos reddere humiles, conformes su-

mus quando de donis Dei humiliamur, nihil nobis inde attribuentes.

Et hoc est quod dicit : « *Ne alicui dicerent quod factum erat,* cum tamen miracula Dei et opera semper sint prædicanda : sicut superius sæpe dictum est et probatum.



## CAPUT IX.

*Discipulos ad prædicandum mittens, servanda tradit eis præcepta : Herodes audita Christi fama cupit eum videre : ex quinque panibus et duobus piscibus satiatur Jesus quinque virorum millia : Petrus illum confitetur Christum Dei : suam prædicat passionem, et de propria cruce tollenda : transfigurato junguntur Moyses et Elias in majestate : ad preces patris dæmonium a filio ejicit : contentio oritur inter Apostolos de primatu : filii Zebedæi volunt igne cœlesti consumi Samaritanos nolentes Jesum suscipere : volentem sequi non suscipit ; alterum autem vocat, nec permittit ut primum sepeliat patrem.*

1. Convocatis autem duodecim Apostolis dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent<sup>1</sup>.
2. Et misit illos prædicare regnum Dei, et sanare infirmos.
3. Et ait ad illos<sup>2</sup> : Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.
4. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis.
5. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos<sup>3</sup>.
6. Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes et curantes ubique.
7. Audivit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo<sup>4</sup>, et hæsitabat eo quod diceretur
8. A quibusdam : Quia Joannes surrexit a mortuis : a quibusdam vero : Quia Elias apparuit : ab aliis autem : Quia propheta unus de antiquis surrexit.
9. Et ait Herodes : Joannem ego decollavi. Quis est autem iste, de quo ego talia audio ? Et quærebat videre eum.
10. Et reversi Apostoli, narraverunt illi quæcumque fecerunt : et assumptis illis, secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ.
11. Quod cum cognovissent turbæ, secutæ sunt illum : et excepit eos, et loquebatur illis de regno Dei, et eos qui cura indigebant sanabat.
12. Dies autem cœperat declinare : et accedentes duodecim, dixerunt illi : Dimitte turbas<sup>5</sup>, ut euntes in castella villasque quæ circa sunt, divertant, et inveniunt escas : quia hic in loco deserto sumus.
13. Ait autem ad illos : Vos date illis

<sup>1</sup> Matth. x, 1 ; Marc. iii, 15.

<sup>2</sup> Matth. x, 9 ; Marc. vi, 8.

<sup>3</sup> Act. xiii, 51.

<sup>4</sup> Matth. xiv, 1 ; Marc. vi, 14.

<sup>5</sup> Matth. xiv, 15 ; Marc. vi, 36.

- manducare. At illi dixerunt : Non sunt nobis plus quam quinque panes, et duo pisces<sup>1</sup> : nisi forte nos eamus, et emamus in omnem hanc turbam escas.
14. Erant autem fere viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos : Facite illos discumbere per convivia quinquagenos.
15. Et ita fecerunt. Et discumbere fecerunt omnes.
16. Acceptis autem quinque panibus, et duobus piscibus, respexit in cœlum, et benedixit illis, et fregit, et distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas.
17. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit illis fragmentorum cophini duodecim.
18. Et factum est, cum solus esset orans<sup>2</sup>, erant cum illo et discipuli : et interrogavit illos, dicens : Quem me dicunt esse turbæ?
19. At illi responderunt, et dixerunt : Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero quia unus propheta de prioribus surrexit.
20. Dixit autem illis : Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit : Christum Dei.
21. At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc,
22. Dicens : Quia oportet Filium hominis multa pati, et reprobari a senioribus, et principibus sacerdotum et scribis, et occidi, et tertia die resurgere<sup>3</sup>.
23. Dicebat autem ad omnes : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me<sup>4</sup>.
24. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam<sup>5</sup> : nam qui perdidit animam suam propter me, salvam faciet illam.
25. Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat?
26. Nam qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum<sup>6</sup>.
27. Dico autem vobis vere : sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei<sup>7</sup>.
28. Factum est autem post hæc verba fere dies octo<sup>8</sup>, et assumpsit Petrum, et Jacobum, et Joannem, et ascendit in montem ut oraret.
29. Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera, et vestitus ejus albus et refulgens.
30. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses et Elias?
31. Visi in majestate : et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.
32. Petrus vero, et qui cum illo erant, gravati erant somno. Et evigilantes viderunt majestatem ejus, et duos viros qui stabant cum illo.
33. Et factum est, cum discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum : Præceptor, bonum est nos hic esse : et faciamus tria tabernacula,

<sup>1</sup> Joan. vi, 9.<sup>2</sup> Matth. xvi, 13 ; Marc. viii, 27.<sup>3</sup> Matth. xvii, 21 ; Marc. viii, 31 et ix, 30.<sup>4</sup> Matth. x, 38 et xvi, 24 ; Marc. viii, 34 ; infra, xiv, 27.<sup>5</sup> infra, xvii, 33 ; Joan. xii, 25.<sup>6</sup> Matth. x, 33 ; Marc. viii, 38 ; II ad Timoth. ii, 12.<sup>7</sup> Matth. xvi, 28 ; Marc. viii, 39.<sup>8</sup> Matth. xvii, 1 ; Marc. ix, 1.

- unum tibi, et unum Moysi, et unum Eliæ, nesciens quid diceret.
34. Hæc autem illo loquente, facta est nubes, et obumbravit eos : et timuerunt, intrantibus illis in nubem.
35. Et vox facta est de nube, dicens : Hic est Filius meus dilectus : ipsum audite <sup>1</sup>.
36. Et dum fieret vox, inventus est Jesus solus. Et ipsi tacuerunt, et nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quæ viderant.
37. Factum est autem in sequenti die, descendantibus illis de monte, occurrit illis turba multa.
38. Et ecce vir de turba exclamavit <sup>2</sup>, dicens : Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi :
39. Et ecce spiritus apprehendit eum, et subito clamat, et elidit, et dissipat eum cum spuma, et vix discedit dilanians eum :
40. Et rogavi discipulos tuos ut eicerent illum, et non potuerunt.
41. Respondens autem Jesus, dixit : O generatio infidelis et perversa, usquequo ero apud vos, et patiar vos? Adduc huc filium tuum.
42. Et cum accederet, elisit illum dæmonium, et dissipavit.
43. Et increpavit Jesus spiritum immundum, et sanavit puerum, et reddidit illum patri ejus.
44. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei : omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos : Ponite vos in cordibus vestris sermones istos : Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum.
45. At illi ignorabant verbum istud, et erat velatum ante eos ut non sentirent illud : et timebant eum interrogare de hoc verbo.
46. Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset <sup>3</sup>.
47. At Jesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, et statuit illum secus se.
48. Et ait illis : Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit : et quicumque me receperit, recipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic major est.
49. Respondens autem Joannes, dixit : Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo eicientem dæmonia, et prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum.
50. Et ait ad illum Jesus : Nolite prohibere : qui enim non est adversum vos, pro vobis est.
51. Factum est autem, dum complerentur dies assumptionis ejus, et ipse faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem.
52. Et misit nuntios ante conspectum suum : et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum ut pararent illi.
53. Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem.
54. Cum vidissent autem discipuli ejus Jacobus et Joannes, dixerunt : Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cælo, et consumat illos?
55. Et conversus increpavit illos, dicens : Nescitis cujus spiritus estis.
56. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare <sup>4</sup>. Et abierunt in aliud castellum.
57. Factum est autem, ambulantis illis in via, dixit quidam ad il-

<sup>1</sup> II Petr. I, 17.<sup>2</sup> Matth. xvii, 14 ; Marc. ix, 16.<sup>3</sup> Matth. xviii, 1 ; Marc. ix, 33.<sup>4</sup> Joan. iii, 17 et xii, 47.

- lum : Sequar te quocumque ieris.
58. Dixit illi Jesus : Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet<sup>1</sup>.
59. Ait autem ad alterum : Sequere me : ille autem dixit : Domine, permitte mihi primum ire, et sepelire patrem meum.
60. Dixit que ei Jesus : Sine ut mortui

sepeliant mortuos suos : tu autem vade, et annuntia regnum Dei.

61. Et ait alter : Sequar te, Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his quæ domi sunt.

62. Ait ad illum Jesus : Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.

## IN CAPUT IX LUCÆ

### ENARRATIO.

« Convocatis autem duodecim Apostolis. »

Hic incipit pars illa quæ est de commissione sive collatione potestatis Apostolorum, et Episcoporum, qui primum locum tenent in Ecclesia.

Habet autem partes duas, in quarum prima agitur de potestatis Ecclesiasticæ collatione. In secunda vero agitur de eruditione, et cautela, et modo qualiter istam potestatem in subditos exerceant : ad hoc enim magna est opus eruditione.

In prima harum tria sunt, quorum primum est de potestatis istius collatione. Secundum, de potestatis istius executione. Tertium, de hoc qualiter hanc potestatem exsecuti sint ad Christum relatione : sic et quilibet legatus legationis peractæ facit relationem.

Potestatem autem Christus tradens discipulis quatuor inducit. Primo convocat ad uniatem. Secundo, Apostolicam lar-

gitur potestatem. Tertio, sui Apostolatus et legationis tangit et præscribit finem. Quarto, formam adhibet vivendi tantæ legationi congruentem.

De his autem quæ hic dicuntur, multa supra Matthæum, x, 1, et Marcum, iii, 15, notata sunt<sup>2</sup>, de quibus nullam hic faciemus mentionem.

Dicit igitur circa convocationem tria : modum scilicet qui intelligitur in verbo convocationis, cum dicit :

« Convocatis, »

Hoc est, in unum vocatis : ut cum Christo sint unum, inter se sint unum, et cum eis ad quos mittuntur efficiantur unum. Cum Christo autem existentes unum, sunt cum Patre et Spiritu sancto unum, cum quibus Christus est unum. Joan. xvii, 11 : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi ut sint unum, sicut et nos.* Item, ibidem, x. 21 : *Sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Item, ibidem, x. 23 : *Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.* In hac enim unionem continuus sine interruptione est descensus charismatum in totam Ecclesiam. Psal. cxxxii, 2 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam*

<sup>1</sup> Matth. viii, 20.

<sup>2</sup> Cf. Enarrationes in Matthæum, x, 1 et 2.

Tom. XX hujusce novæ editionis : et in tom. XXI enarrationes in Marcum, iii, 15.



Aaron, etc. Act. iv. 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.*

Hæc autem unitatis concordia perficitur tribus : unitate veritatis creditæ, unitate charitatis effectæ, unitate Spiritus totum corpus Ecclesiæ vivificante et movente. De primo dicitur, I ad Corinth. I, 10 : *Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.* De secundo, Joan. XIII, 33 : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* De tertio, ad Ephes. IV, 5 : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Ideo Apostolus, I ad Corinth. XII, 13 : *Omnes in uno Spiritu potati sumus.* Sic in unitatem vocat credendorum, diligendorum, et per Spiritum operandorum. I ad Corinth. XII, 11 : *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.*

Hujus autem convocationis auctor est « *Jesus,* » qui est auctor salutis et uniformitatis in Ecclesia. Quod significatur per tunicam suam inconsutilem <sup>1</sup>. Ipse enim dicit, Matth. XII, 30, et Luc. XI, 23 : *Qui non est mecum, contra me est : qui non colligit mecum, dispergit.* Genes. XLIX, 2 : *Congregamini, et audite, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum.* Psal. XLIX, 5 : *Congregate illi Sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.*

Tertio autem tangit quos ad se immediate congregat et vocat : cæteros autem mediantibus illis adjungit sibi.

« Duodecim Apostolis, »

Quos supra nominibus propriis expressit. Hic enim ordinat majores in Ecclesia, qui vice funguntur Apostolorum. Partes autem duodenarii sunt unum, duo, tria, quatuor, sex. Et in uno quidem exprimitur unitas deitatis, et simplici-

tas intentionis. In duobus autem exprimuntur mandata geminæ dilectionis in unitate Trinitatis. In tribus autem Trinitas personalis cum trinitate theologice virtutis. In quatuor autem perfectio humanæ virtutis, cum quadriga Evangelicæ prædicationis, et quatuor mundi plagis, in quibus prædicandum est Evangelium. In sex autem perfectio consistit operationis quia in senario explevit Deus omnem diversitatem sui operis.

Hi autem Apostoli habent novem ornatus per duodecim distributos. Habent enim principatus auctoritatem, habent etiam fundamentalis doctrinæ fontalitem, habent sanctitatis fulgorem : quorum primum est potestatis Patris, secundum sapientiæ Filii, tertium bonitatis Spiritus sancti. Quoad primum significantur in duodecim Patriarchis filiis Jacob <sup>2</sup>. Quoad secundum significantur in duodecim fontibus inventis in Elim <sup>3</sup>. Quoad tertium significantur in duodecim lapidibus pontificalis ornatus <sup>4</sup>.

Habent adhuc panis verbi Dei et Eucharistiæ apud se pabulum, habent in se constantiæ in passionibus tribulationum stabilimentum, habent in oblatione pro populo de se offerre sacrificium. In primo horum configurati Christo novo pontifici, novi sacramenti auctori : in secundo, Christo patienti : in tertio, configurati Christo hostiæ. Quoad primum significantur in duodecim panibus propositionis <sup>5</sup>. Quoad secundum figurantur in duodecim lapidibus positus in ripa Jordanis, super quos manavit unda tribulationis <sup>6</sup>. Quoad tertium, in duodecim bobus qui stabant sub mari æneo <sup>7</sup>.

Habent adhuc in se radiantia merita beatitudinis, habent in se foundationem Ecclesiasticæ potestatis, habent in se portas et aditus Ecclesiasticæ dignitatis. Primum per vitæ idoneitatem, secundum

<sup>1</sup> Cf. Joan. XIX, 23.

<sup>2</sup> Cf. Genes. XXXV, 22.

<sup>3</sup> Cf. Exod. XV, 27.

<sup>4</sup> Cf. Exod. XXVIII, 17 et seq.

<sup>5</sup> Cf. Levit. XXIV, 5.

<sup>6</sup> Cf. Josue, IV, 3.

<sup>7</sup> Cf. III Regum, VII, 25.

per datam sibi a Domino clavium potestatem, tertium autem per gratuitam et divinam ad Apostolatam vocationem. Primum est per convenientiam ad Christi vitam, secundum per conformitatem ad Christi fidem qui est fundamentum, tertium autem per assimilationem ad Christi introitum qui est ostium, quod non accepit sibi honorem, sed dedit ei honorem qui dixit: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*<sup>1</sup>. Quoad primum significantur per duodecim stellas in corona sponsæ<sup>2</sup>. Quoad secundum significantur per duodecim cœlestis civitatis fundamenta<sup>3</sup>. Quoad tertium figurantur per duodecim cœlestis civitatis portas sive ostia<sup>4</sup>. Et sic ter trini ornatus Ecclesiæ militantis sunt, sicut sunt ter trini ornatus Ecclesiæ triumphantis.

Hos igitur duodecim in hos vocavit ornatus. Et hos ornatus omnis Pontifex habere tenetur, aut ipse inter Apostolos non vocatur a Deo, sed forte se ingerit in dolosa fraude diaboli.

Sequitur:

« Dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent. »

Hic Apostolicam largitur potestatem.

Dicit autem tria: gratuitam scilicet collationem donationis, magnitudinem largiti muneris, et efficaciam ejusdem contra nocumentum contrariæ potestatis.

Gratuitas largiti muneris tangitur cum dicitur: « *Dedit illis.* » Non enim reddidit meritis sive obsequiis, nec vendidit pretiis, nec exsolvit pro debitis, sed gratuito dono dedit gratis. Matth. x, 8: *Gratis accepistis, gratis date.* Joan. i, 16: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus et gratiam pro gratia.* Jacob. i, 5: *Dat*

*omnibus affluenter, et non impropere.* Ad Ephes. iv, 8, et Psal. lxxvii, 19: *Dedit dona hominibus.* Matth. xxv, 15: *Dedit unicuique secundum propriam virtutem.* Esther, ii, 18: *Dona largitus est juxta magnificentiam principalem.*

« Virtutem et potestatem. »

Magnitudinem describit largiti muneris.

Tangit autem duo munera, quorum unum dicit perfectionem potentiae ad actum: secundum autem ordinationem.

Est enim *virtus* ultimum potentiae cuiuslibet ad summum actus, sicut dicit Philosophus, et confirmat Dionysius. *Potestas* est stans potentia ad legis ordinem. Quoad primum induuntur virtute ex alto<sup>5</sup>. Quoad secundum datur eis potestas ordinandi et statuendi omnia secundum legis Christi ordinem, de qua dicitur, Matth. xxviii, 18: *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra.* Et in Apostolos eandem traduxit potestatem.

Ex virtute igitur incontradicibiliter omnia facere prævalent, sive naturalia, sine supernaturalia: divina ex potestate tamen, nihil nisi recte et recta possunt, dicentes cum Paulo, II ad Corinth. xiii, 8: *Non possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate.* Ad Roman. xiii, 1 et 2: *Non est potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Virtus igitur quasi vi tuens, contra insurgentia tuetur et prævalet. Potestas ultorem gladium lege concessum exhibet ad vindictam malorum, et laudem honorum.

Sic ergo dedit *virtutem*, quæ sit dispositio perfecti ad optimum opus.

Et ad actum dedit *potestatem*, ad ordinatæ severitatis districtiorem et iudicium:

<sup>1</sup> Psal. cix, 4.

<sup>2</sup> Cf. Apocal. xii, 1.

<sup>3</sup> Cf. Apocal. xxi, 19 et 20.

<sup>4</sup> Cf. Apocal. xxi, 12.

<sup>5</sup> Luc. xxiv, 49: *Et ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Cf. Act. ii, 1 et seq.

ut virtus confortet potestatem, et potestas informet virtutem. Virtus enim sine potestate est temeraria, et potestas sine virtute debilis et remissa. Potestas enim semper justa est: virtus autem aliquando præsumptuosa et temeraria. Et ideo, Jerem. ix, 23, dicitur: *Non gloriatur fortis in fortitudine sua.* Psal. XLVIII, 7: *Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.* Tale enim donum dicit *virtus*, quod est perfectum robur ad actum, ut perficere possit quemcumque actum impositum.

« Super omnia dæmonia. »

Tangit hic doni hujus efficaciam contra nequitiam contrariæ potestatis.

Et hæc est duplex, in spiritualibus scilicet, et corporalibus.

In spiritualibus dicit: « *Super omnia dæmonia.* » Multiplicitas autem dæmonum in multitudine dæmoniacorum nocentorum. Hæc autem nocent aliquando ad sensuum eversionem, et imaginationis turbationem, sicut in his qui dicuntur maniaci et dæmoniaci: aliquando autem ad morum corruptionem, sicut in his qui bene sentiunt et male vivunt: aliquando autem ad labefactionem fidei, sicut in hæreticis, qui fraude diabolica decepti videntur bene vivere, et male credunt. Et quodlibet istorum habet multas differentias: quod significatur, Marc. v, 9, et Luc. viii, 30: *Legio mihi nomen est, quia multi sumus.* Judicum, xv, 4, trecentæ vulpes Samsonis, quamvis caudas haberent colligatas, tamen facies habebant divisas. Quia quamvis omnium dæmonum malitia ducat ad finem peccati, tamen diversæ sunt facies peccatorum quæ suadent. Ideo dicit Psalmus iii, 2: *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.* Ideo etiam aliquando dicitur aspis, aliquando basiliscus, aliquando leo, aliquando draco. Psal. xc, 13: *Super aspitem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.* Super omnia

autem hæc, et hujusmodi dæmonia est virtus et potestas Apostolica: sicut dicitur, Matth. xvi, 18: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et hoc est quod dicitur, Job, xl, 14: *Qui fecit eum, applicabit gladium ejus.*

« Et ut languores curarent. »

Languor est defectus in corpore. Dicitur autem languor, longus angor. Eccli. x, 11: *Languor prolixior gravat medicum.* In languores in quos non potest medicina, in hos potest Apostolica auctoritas. Marc. xvi, 18: *Super ægros manus imponent, et bene habebunt.* Unde, Marc. vi, 13, dicitur, quod *ungebant oleo multos ægros, et sanabant.* Inter etiam dona divina, I ad Corinth. xii, 9, dicitur, quod alii datur *gratia sanitatum.* Et hoc quidem aliquando contingit in corpore, quando novit Dei sapientia hoc expedire. Semper autem contingit in anima, quod medici animarum gratias sanitatum perficiunt in mente. IV Reg. v, 10: *Vade, et lavare septies in Jordane, et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaaberis.* Lavari septies in Jordane, est lavari septies in sacramentorum humili descensu, vel influxu septem donorum Spiritus sancti. Et tunc et caro recipiet temperamentum concupiscentiæ, et mens munditiam gratiæ. Et hæc per ministeria sacerdotum Ecclesiæ. Et hoc modo dedit Apostolis potestatem « *ut languores curarent.* »

Nec est instantia, quod ferunt hæretici de Pontificibus nostri temporis, quod ideo non habeant à Deo virtutem et potestatem Christi, quia languores non curant: quia nec in diebus Apostolorum omnes languidi curati sunt, neque in diebus Christi: sicut et ipse Christus dicit, Luc. iv, 27, quod *multi leprosi erant in Israel sub Elisæo Propheta, et nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.* Tales enim gratiæ aliquando fiunt ad ædificationem fidei: et aliquando non fiunt, quando propter aliquam causam non per-

mittit eas fieri Deus : et aliquando fiunt a malis, et aliquando a bonis. Matth. vii, 22 et 23 : *Multi dicent mihi : ... Nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus ? Et tunc confitebor illis : Quia numquam novi vos.* Sic igitur et adhuc dantur virtus et potestas ecclesiastica.

2 « Et misit illos prædicare regnum Dei, et sanare infirmos. »

Tangit suæ legationis auctoritatem, et finem.

Auctoritatem in hoc quod dicit : « *Et misit illos.* » Misit enim illos ut in eis sua auctoritas honoraretur, ut sua voluntas per eos omnibus exponeretur, ut fides per eos prædicaretur, et ut omnes non credentes per eos de infidelitate convincerentur.

De primo quidem horum dicitur, Matth. x, 40 : *Qui recipit vos, me recipit.* Et, Luc. x, 16 : *Qui vos spernit, me spernit.* Et hoc etiam intelligendum est de apostolicis legatis. Sed non sunt apostolici legati, qui in auctoritate et vita et verbo non veniunt Apostolorum, qui in veritate non habent gratiam curandi, sed potius dæmone pessimo impletur, et infirmatur omne cui manus imponunt.

De secundo dicitur, II ad Corinth. v, 20 : *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.*

De tertio, Marc. xvi, 15 : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ,* Psal. xviii, 2 : *Cæli enarrant gloriam Dei.* Et sequitur, y. 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum.* Ad Roman. x, 17 : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Et supra, y. 15 : *Quomodo prædicabunt nisi mittantur ?*

De quarto, Psal. cxlix, 6 : *Exaltationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum.* Exaltationes in faucibus, sunt gratiarum actiones de credentibus. Gladii autem in manibus, sunt

testimoniorum condemnationes contra non credentes. Marc. xvi, 16 : *Qui vero non crediderit, condemnabitur.*

Finem autem legationis subjungit, dicens :

« Prædicare regnum Dei. »

Tangit autem duos fines : primum quidem veritatis, alterum autem virtutis tam in spiritu quam in corpore. Finis veritatis est regni Dei prædicatio. Finis virtutis est infirmorum sanatio.

In primo horum notantur duo : veritatis scilicet propositio, et veritatis ratio.

Propositio importatur cum dicit : « *Prædicare.* » Prædicatur enim, ut dicit Chrysostomus, cujus ratio probans ipsum non habetur : sed cum sit super intellectum, et sit de indemonstrabilibus, oportet quod supermundanis probetur miraculis. Est enim prædicare quoddam prophetare, vel prophetias exponere. Prophetiæ autem omnes innituntur revelationi. Revelatio autem non habet causam per quam possit doceri, sive demonstrari. II ad Timoth. iv, 2 : *Prædica verbum, insta opportune, importune.* Marc. xvi, 15 : *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Isa. lxi, 1 : *Misit me ut prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem.*

« Regnum Dei. »

Ratio et nomen est rei prædicatæ quantum ad veritatem.

Est autem *regnum* (sicut dicit Tullius) perfecta potestas regendi. Hæc autem completur tribus regno necessariis, videlicet, substantialibus, et virtutibus, et operationibus sive officiis.

Substantialia autem regno sunt tria, sicut volunt sapientes : quorum primum est conversa in naturam justitia. Secundum autem, rationum justitiæ plena scientia. Tertium, iudicii inconversa sententia. Propter primum rex eligitur, propter secundum decoratur, propter tertium

intronizatur. Eligitur enim in regem, cui ita naturalis est justitia, quod videtur non anima alia animatus nisi justitia. Isa. xxxii, 1 : *Ecce in justitia regnabit rex, et principes in judicio præerunt.* Et ideo nomen imponitur ei ab habitu sibi in naturam converso. Jerem. xxiii, 6 : *Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Et ideo dicit Philosophus, quod ad regem confugiunt sicut ad judicem : ad judicem autem, sicut ad justum animatum, cujus vitalis et animalis motus est justitia. Propter scientiam autem rationum justitiæ datur ei corona, in qua sicut rationes justitiæ fulgent lapides. Datur habitus regius, cujus fulgor est signum splendentis in eo undique sapientiæ, justitiarum, et legum. Isa. xxxiii, 17 : *Regem in decore suo videbunt.* Qui autem hæc non habet, significatur per eum de quo dicitur, Daniel. xi, 20 : *Stabit in loco ejus vilissimus, et indignus decore regio.* Thronus autem ponitur ut denotet inconvulsam judiciorum sententiam : quia sedendo quiescitur. Et significat quod nulla eum passio timoris, vel amoris, vel odii, vel acceptationis personæ vel munerum divellit ad declinandum ab æquitate justitiæ. Isa. xvi, 5 : *Præparabitur in misericordia solium, et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, judicans et quærens judicium, et velociter reddens quod justum est.*

Virtus etiam regni constat ex tribus, quod videlicet ad infima non sit inclinabilis, quod ad omne arduum sit invincibilis, et quod ad omne æquum ordinata. Sic enim infimis non enervatur, fortioribus non repellitur, et in ordinatione non confunditur. Et ideo quasi ossa regni, sunt domini et homines infima excedentes, militiæ invincibiles, et potestates ordinatæ, gladium defensorem et ultorem portantes, quibus omnia subdita sint. I Petr. ii, 13, et ad Roman. xiii, 1 : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.*

Officia etiam tribus constituuntur : le-

gum videlicet dictatoribus, officiis publicis, et utilitatibus privatis.

Hæc novem sumuntur juxta ordines regni cælorum : et quando divina sunt, faciunt regnum Dei tam in cælo quam in terra. Matth. vi, 10 : *Adveniat regnum tuum.* Luc. xvii, 21 : *Regnum Dei intra vos est.* Et quia multa sunt in isto regno, ideo multis comparatur, Matth. xiii, per totum caput.

Hoc ergo regnum Dei misit eos prædicare, quia hoc sic appropinquavit per regem Christum hominibus. Matth. iii, 2, et iv, 17 : *Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cælorum.* Et quia hæc difficilia sunt : ideo, Matth. xi, 12, dicitur, quod *regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Et prædicatio istius regni, finis est legationis Apostolorum. Hoc enim est regnum quod amiserunt Judæi, et datum est novæ gratiæ populo, Matth. xxii, 43 : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Et hoc simplici nomine et intentione in sacra Scriptura vocatur regnum. Psal. cxliv, 13 : *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum.* Matth. vi, 33 : *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis.* Sic mittuntur Angeli, Matth. xiii, 41, qui *colligent de regno Dei omnia scandala.* Sic, Joan. xviii, 36 : *Respondit Jesus : Regnum meum non est de hoc mundo.*

Prædicatio ergo istius regni prædicatio est veritatis explanantis leges, et substantialia, et virtualia, et officia istius regni, et virtutes et gratias ad ipsum acquirendum facientes, et promissiones ejus, et comminationes in eos qui isti regno contradicunt. Et iste est finis unus et potissimus.

Alter autem finis virtutis exprimitur, cum dicitur :

« Et sanare infirmos. »

Est autem duplex infirmitas, et duplex opposita infirmitati sanitas. Una infir-

mitas mentis, altera autem corporis : et hæc duplex . una quidem ex peccato causata, altera autem causata ex humoribus.

Infirmetas mentis duplex : peccati scilicet, et pœnæ.

Peccatum quidem sanat medicus animæ per effectum sacramentalis gratiæ : infirmitatem autem pœnæ mitigat per eandem. Et ideo, Eccli. xxxviii, 7, utrumque dicitur, scilicet, et quod *unguentarius unctiones conficiet sanitatis*, contra infirmitatem culpæ, et *pigmenta faciet suavitatis*, contra infirmitatem pœnæ.

Contra infirmitatem autem corporis utramque, commissa est ministris medicina unctionis extremæ. Marc. vi, 13 : *Ungebant oleo multos ægros, et sanabant*. Jacob. v, 14 et 15 : *Ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus : et si in peccatis sit, remittentur ei*. Psal. cii, 3 : *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : qui sanat omnes infirmitates tuas*. Act. iii, 16 : *Et in fide nominis ejus, scilicet Jesu, hunc quem vos vidistis et nostis, confirmavit nomen ejus : et fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum*.

Hæc est enim perfectio sanitatis quæ committitur ministris ecclesiasticis : nec umquam carent tali potestate qui vere sunt ministri Ecclesiæ. Sic Joseph magnus dispensator summi regis, in figura Christi committit servis suis medicis, ut aromatibus, hoc est, sacramentalis gratiæ odoramentis condiant totum corpus mysticum sui patris<sup>1</sup>. Sic Joseph Christi amicus et servus mixtura myrrhæ et aloes (quæ a putredine præservant) totum ungit corpus Christi<sup>2</sup>. Sic dicit David, Psal. xv, 10 : *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Quia *notas per ministros mihi fecisti in sacramentis vias vitæ*, quoad rem in sacramentis contentam,

<sup>1</sup> Cf. Genes. l, 23.

<sup>2</sup> Cf. Joan. xix, 39.

*adimplebis me lætitia cum cultu tuo*, per rem in sacramentis significatam et non contentam Verumtamen est quod Apostoli sanabant etiam umbra corporis sui multos ægros, et verbis orationum suarum, et impositione manuum : sicut ubique legitur in Actibus<sup>3</sup>. Sed hæc gratia sanitatum non generaliter derivata est ad Ecclesiæ ministros.

« Et ait ad illos : Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.

Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis.

Et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. »

Hic formam adhibet vivendi tantæ legationi congruentem.

Hæc autem forma triplices continet regulas quantum ad tria, quæ competunt legatis viatoribus. Prima est, de sustentante in via et defendente. Secunda est, de necessariorum provisione. Tertia autem, de protegente ab impugnationibus aeris.

Sustentans autem et defendens in via est virga, quæ est et baculus sustentans, et a ruina defendens. Et quia non longe mittebantur, sed tantum intra terminos Judææ, ideo baculo sustentante non indigebant. Quia autem intra terminos fratrum mittebantur qui pacifici erant, ideo etiam non indigebant baculo defendente. Adhuc autem, quia nova prædicabant omnibus contraria, ideo uni vel paucis contra omnes baculus non profuisset defensionis : et verbum prædicatum plus profecit patientia quam defensione. Et ideo iterum interdicitur defensionis auxilium.

<sup>3</sup> Cf. præcipue, Act. iii, 1 et seq. ; iv, 30 ; v, 12 et 15, et alibi.

Quod autem intra terminos Judææ tantum missi fuerint et non longe, patet, Matth. x, 5 : *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis*. Hæc est enim prima missio, in qua primum oportebat verbum offerri filiis Israel. Et tandem cum culpa repulsionis eorum convertebantur ad Gentes, tunc longe mittendi erant, et solatiis viæ diversis indigebant, et illa tunc Apostolis sunt concessa.

De patientia autem, quam exhibere debebant, dicitur, Matth. x, 16 : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum* : quibus non prodessent pauca defensionis arma. Ita etiam vita concordat doctrinæ et exemplo Magistri. Dixit enim, Matth. v, 39, percutienti unam maxillam, exhibendam esse alteram quando prævalet iniquitas. Ipse etiam patientiam exhibuit in injuriis. Et ideo etiam Apostolis talem formam vivendi et vincendi imposuit. Ad Roman. xii, 19 : *Non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim : Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus*.

Sed hæc contraria. Dicit enim, Marc. vi, 8 : *Præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum*. Filii etiam Israel exeuntes de Ægypto, baculos tenebant in manibus<sup>1</sup>. Moysi etiam dicitur : *Virgam hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa*<sup>2</sup>.

Quare ergo hic prohibet virgam tolli? Ad hoc dicendum est, quod supra dicta ratione prohibet hic, et in Matthæo virgam tolli, maxime secundum quod virga est de armis defensionis et impugnationis : secundum tamen quod virga est instrumentum sustentationis lassitudinis, quæ aliquando contingit in via parva sicut in magna, permittit portari virgam. De filiis autem Israel non est simile : quia illi recedebant fugientes, et armis indigebant defensionis. De Moyse etiam non erat simile : quia ille mittebatur ut

prælatum et dominum Pharaonis. Et ideo in signum hujus virgam accepit directionis. Isti autem mittebantur ad synagogæ populum eis non obediturum. Et ideo ad illos regnum non acceperunt, sed potius in Gentibus post Resurrectionem.

Sic ergo et concedit, et interdicit tolli virgam in manibus.

Defensio enim illa inutilis esset verbo prædicando. Isa. xxxvi, 6 : *Ecce confidit super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum : cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus*. Et ita est de defensione sæcularium armorum, quæ inutilia sunt viris spiritualibus prævalente iniquitate, et coram infideli iudice : sicut diximus alibi. Taliter autem prævaluit iniquitas, et infideles erant iudices in principio nascentis Ecclesiæ. Et ideo non erat opponenda nisi patientia.

Hæc habita regula de armis defensionis et impugnationis, ponit vivendi formam de necessariorum provisione contra impugnans intrinsecus.

Hoc autem est dupliciter. Aut enim est de sollicitudine futuri impugnantis : aut de provisione præsentis necessarii.

Si est de sollicitudine futuri, interdicit peram, dicens.

« Neque peram, »

Supple, tollatis in via. Pera autem omne reservatorium dicitur in futurum. Unde sacculum sub prohibitione peræ prohibuit, et omne reservatorium esculentis, vel poculentis sive vestimentorum. Sicut enim dicit Glossa : « Concessa primum potestate signorum, mittuntur prædicare regnum Dei : ut magnitudinem promissorum attestetur magnitudo factorum, et fidem verbis daret virtus ostensa, et nova facerent qui nova prædicarent. Judæi enim signa quæerunt. Et cum signa de novo exhibebant, necessaria ultro eis exhibebantur a contribulibus suis. » Et ideo de pera non oportuit aliquid cogi-

<sup>1</sup> Cf. Exod. xii, 11.

<sup>2</sup> Exod. iv, 3.

tare. Sed cum postea contradictum fuit verbo prædicationis, et signa magicis artibus et principi dæmoniorum imputabantur, dictum fuit, Luc. xxii, 36 : *Qui habet sacculum, tollat similiter et peram : et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium.* Non prævalente enim iniquitate coram fideli et justo iudice, licet uti armis defensionis ad repulsam injuriæ, donec veniat defensio a iudice : sicut et inter illos qui ultro non exhibent necessaria, potest quis licite uti sacco et pera : sicut et Dominus loculos habuit, in quibus ea quæ mittebantur, portari fecit<sup>1</sup>. Unde et Joan. iv, 8, cum inter Samaritanos esset, *Discipuli ejus abierunt in civitatem ut cibos emerent.*

Hoc est igitur quod dicit « *de pera.* »

Si quis autem apud eos, qui ultro necessaria exhibent, peram portaret, hic eleemosynas aliorum pauperum præripere intenderet, et peccaret. Apud Judæos autem quibus tunc Apostoli prædicabant, præceptum erat ut foris non maneret peregrinus, et maxime Levita, qui habebat sermonem exhortationis ad populum<sup>2</sup>. Et ideo tunc pera Apostoli non indiguerunt. Unde, Josue, ix, 4 et seq., Gabaonitæ qui in peris et utribus esculentum et poculentum portabant, filios Israel deceperunt. Gabaonitæ *proclives iniquitati* interpretabantur, et significant quæstuarios prædicatores, inique de pecuniis et bonis aliorum suas peras replentes : et non intendentes ædificationi proximorum, sed qualiter inique eleemosynas pauperum præripiant, filios Dei convertendos per verbum decipiunt.

Sollicitudo autem necessariorum respectu præsentis defectus tangitur hic tripliciter : in esculento, et commutabili pro quolibet necessario, et in vestitu. Et omnia hæc sunt contra impugnans intrinsecus.

De primo dicit :

« Neque panem, »

<sup>1</sup> Cf. Joan. xii, 6.

In quo omnia necessaria ad victum intelliguntur. Talis enim necessariorum sufficientia copiose a principio cum viderentur signa, et contradictum non esset adhuc Christo, a Judæis exhibebatur. Quia etiam decimam quamdam apud se colligebant, quam proselytis et advenis ministrabant, sicut dicitur, Tob. i, 7 : *Ita ut in tertio anno proselytis et advenis ministraret omnem decimationem.* Job, xxxi, 32 : *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* Cum autem postea contradicebatur Apostolis, istud non potuit neque debuit observari.

« Neque pecuniam, »

Quæ, sicut dicit Aristoteles, fidejussor est cujuslibet necessitatis, et est pro qualibet necessitate commutabilis. Et ideo melius hoc exprimitur, Matth. x, 9, ubi dicitur : *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Sicut enim dictum est, via longissima non sunt missi, neque ad contradicentes sermoni. Et ideo exhibitione signorum omnibus abundabant. Act. iv, 34 et 35 : *Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum : dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Postea autem cum talis cessavit gratia, consulto portabatur pecunia, et alia quibus futuræ providebatur necessitati.

Sequitur :

« Neque duas tunicas habeatis. »

Tunica hic vocatur fovens calorem corporis, et continens spiritus : ne corpora per frigus obviants, aut resolutionem spiritus dissolvantur. Quid autem sit habere duas tunicas jam superius ex-

<sup>2</sup> Cf. Levit. xxv, 45.



positum est <sup>1</sup>. Non enim dicuntur *duæ* a numero vestimenti, sed a numero usus. Non enim duo usus camisiæ, vel duo usus tunicæ, secundum quod est tunica: vel duo usus supertunicæ, secundum quod est supertunicale, sunt necessarii. Sed sicut sufficit unus usus camisiationis, ita sufficit unus usus tunicationis, et unus usus togationis, et unus usus palliationis: et alter simul cum illo adhibitus est superfluus: et hoc hic prohibetur, quia hoc superflue sollicitudini deputatur. I ad Timoth. vi, 8: *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Jacob. v, 1, 2 et 3: *Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tinea comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis.* Si autem dicatur, quod tunica est contra defendens ab extrinseco, non est contradicendum: sed tamen etiam hoc est verum, quod continet digerens intrinsecum, et continet spiritum qui est vehiculum virtutum.

Istis autem ordinatis, ordinat id necessarium quod repellit impugnans extrinsecus, quod est hospitium.

Hic autem ordo est secundum duo, scilicet, secundum recipientes, et secundum non recipientes.

Quantum autem ad recipientes tangit duo, scilicet, quod remanendum est in domo una, et quod inde non est exeundum ad hospitii jura alibi quærenda.

De prima parte dicit:

« Et in quamcumque domum intraveritis, »

Præmissa tamen diligenti inquisitione de hospitis dignitate, quam innuit Matthæus, x, 11, quod postquam dignus hospi-

talitate hospes inventus est, in illius domo manendum est. Est autem dignus, ut dicit Beda, qui sibi potius reputat beneficium impendi suscipiendo hospites, quam impendere. Talis fuit Abraham, Genes. xviii, 3 et seq.: *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum: sed afferam pauxillum aquæ, et lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, et confortate cor vestrum, postea transibitis: idcirco enim declinastis ad servum vestrum.* Talis etiam fuit Lot, Genes. xix, 2: *Obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri, et manete ibi.* Ad Hebr. xiii, 2: *Hospitalitatem nolite oblivisci: per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.* In talem ergo domum intrantes, suscipiuntur charitative prædicatores, ut non sine causa exirent.

Unde dicit:

« Ibi manete. »

Et additur, Luc. x, 7: *Edentes et bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua.* I ad Corinth. ix, 14: *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Tunc enim non erant Ecclesiæ ad quas turbæ verbum audientes confluere, sed ad domos fidelium confluxerunt ut audirent verbum: quæ aliquoties a primitivæ Ecclesiæ Episcopis in Ecclesias sunt ordinatæ: sicut in multis Sanctorum legitur gestis. Et hæc est causa dicti istius.

Sequitur:

« Et inde ne exeatis. »

Tangit hic quod Scribæ et Pharisæi et pseudoprophetæ fecerunt, qui discurrerunt per domos, lautiores quærentes hospites. Hoc veris prohibet prædicatoribus. Discurrens enim per domos, vani-

<sup>1</sup> Cf. Supra, vi, 29.

tates videt in domibus, et capitur diversorum delectabilium formis. II ad Timoth. III, 6: *Ex his sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis.* Si tamen honestus hospes expensis non sufficiat, non prohibet fieri ab aliis contributionem ad expensarum onera supportanda: sicut et ratio dictat, et jura Legatis et Prædicatoribus concedunt: sicut et Apostolus dicit, I ad Corinth. XVI, 2: *Per unam sabbati unusquisque vestrum apud se sponat, recondens quod ei bene placuerit, ut non, cum venero, tunc collectæ fiant.* Et, II ad Corinth. VIII, 13: *Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate.*

Hac igitur de causa « *ibi manete, et inde ne exeatis.* »

Sequitur:

« *Et quicumque non receperint vos.* »

Tangit hic de non recipientibus Prædicatores, et verba prædicationis. Illi autem sunt obstinati, sicut dicitur, Ezechiel. III, 7: *Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.* Et dicitur, Ezechiel. II, 5: *Quia domus exasperans est.* Hi sunt etiam de quibus dicitur, Joan. VIII, 37: *Sermo meus non capit in vobis.* Tales igitur significantur per viros Jericho, qui ejecerunt a se exploratores: recipientes autem significantur per Rahab quæ recepit eosdem, et a persecutoribus abscondit<sup>1</sup>. Non recipientes igitur indigni sunt, quod sibi gratia exhibeatur hospitalitatis. Et illi sunt digni omnibus plagis Ægyptiorum, qui bonis hospitibus male usi sunt. Sapient. XIX, 13 et seq.: *Alii quidem ignotos non recipiebant advenas, alii autem bonos hospites in servitutem redigebant. Et non solum hæc, sed et alius quidam respectus illorum erat: quoniam inviti reci-*

*piebant extraneos. Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eisdem usi erant justitiis, sævissimis afflixerunt doloribus.* Et ideo præcedit, ibidem, X, 12: *Iuste enim patiebantur secundum suas nequitias.*

« *Quicumque igitur non receperint vos.* » Tertia Canonica Joannis, X, 10: *Diotrephes non suscipit fratres, et eos qui suscipiunt prohibet, et de ecclesia ejicit.*

A talibus igitur « *exeuntes de civitate illa,* » quæ est habitatio profanorum illorum qui non audiunt Dominum dicentem: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus*<sup>2</sup>. Isti sunt enim imitatores Diotrephis, quem de malo suo convicit Joannes Evangelista. Isti sunt imitatores illius servi nequam, qui bona domini sui non dedit ad mensam familiæ domini, sed subtrahit filiis Dei bona patris eorum<sup>3</sup>. Et non imitantur servum fidelem et prudentem, qui quia in pauca fidelis fuit, et ideo intrans in gaudium domini sui, supra multa est constitutus.

Et ideo,

« *Etiam pulverem pedum vestrorum excutite.* »

Tripliciter. Pulvis enim in pedibus signum est laboris itineris. Et hic excutitur in eos, quando labor suscepti pro eis itineris, in eos proponitur, ut testis contra eos in judicio Dei habeatur.

Et hoc est quod dicit: « *In testimonium supra illos* » Ezechiel. III, 19: *Si tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua, et a via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur: tu autem animam tuam liberasti.* Et sic pulvis laboris in non recipientem verbum excutitur, quando labor in testimonium condemnationis ejus retorquetur. Act. XX, 26 et 27: *Mundus sum a*

<sup>1</sup> Cf. Josue, II, passim, et VI, 17.

<sup>2</sup> Psal. XL, 2.

<sup>3</sup> Cf. Matth. XXV, 21 et 23.

*sanguine omnium. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis.*

Secundo, pulvis excutitur, quia temporalia (quæ pulvis sunt exiguus) non recipiuntur ab his qui veritatis Prædicatores non recipiunt. Apocal. xviii, 4 et 5: *Exite de illa, populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis: quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cælum.* In signum hujus, Josue, vi, 17, dicitur de civitate quæ nuntios Dei non recepit: *Sit civitas hæc anathema, et omnia quæ in ea sunt, Domino: sola Rahab meretrix vivat, cum universis qui cum ea in domo sunt: abscondit enim nuntios quos direximus,* Sic, Numer. xvi, 15, non audientibus et non recipientibus verbum Domini dixit: *Ne respicias sacrificia eorum: tu scis quod ne asellum quidem umquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum.*

Tertio, excutitur pulvis spiritualiter, pulvis videlicet terrenæ conversationis, qui in peccatis venialibus (quæ *pulvis* dicuntur) adhæret Prædicatoribus veritatis ex contagione societatis, et sollicitudinis talium contumacium. Hic autem in eosdem excutitur, quando cura pro eisdem non suscipitur, et ad statum contemplationis et puritatem casso labore actionis Prædicator revertitur. Ideo enim dicit Dominus, Joan. xiii, 10: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Rediens enim ad se, postposito actionis labore, propter improbitatem verbum Dei non suscipientium excutit pulverem venialium, quando pro improbato talibus deliberat ulterius non inquinari, dicens illud Canticorum, v, 3: *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

Sic ergo pulvis in testimonium reprobatorum a pedibus Sanctorum excutitur.

Dicit autem: « *Supra illos,* » quia hoc est onus premens illos in iudicio.

Psal. xxxvii, 5: *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Unde, Matth. x, 15, dicit: *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die iudicii, quam illi civitati.*

« Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes et curantes ubique. »

Hic tangitur obedientialis collatæ potestatis exsecutio.

Tanguntur autem duo: obedientia discipulorum, et fama audientium eos. Statim enim mirabilis de Christo fama facta est inter Judæos qui Apostolos audierunt.

De primo autem tanguntur tria: egressus scilicet, circuitus, et fructus.

Egressus quidem cum dicit: « *Egressi autem,* » a se scilicet, a suis, et a scholis, et ab intimo contemplationis.

A se quidem se negligentes in quiete propria, propter ea quæ sunt proximorum. Sic egressus est Paulus, Act. xx, 23 et 24: *Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens quoniam vincula et tribulationes Jerosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorum quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi quod accepi a Domino Jesu, testificari evangelium gratiæ Dei.* Cantic. i, 7: *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hædos tuos.* Se ignorat qui propria negligit, ad hoc ut de se egrediatur, et hædos, hoc est, peccatores convertendo pascat. Cantic. vii, 11: *Egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Sicut Isaac egressus est de se ad meditandum in agro, et Rebeccam invenit<sup>1</sup>. Isaac, Prædicator missus, de suis commodis egressus in agrum ad verbum Dei seminandum, invenit credentium Ecclesiam

<sup>1</sup> Cf. Genes. xxiv, 63 et 64.

sibi spirituali matrimonio copulandam.

Egressi etiam sunt *a suis* familiaribus, familiis, et amicis. Genes. xii, 1 : *Egredere de terra tua, et de cognatione tua.* Psal. xlv, 11 : *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* Deuter. xxxiii, 9 : *Qui dixit patri suo, et matri suæ : Nescio vos : et fratribus suis : Ignoro vos : et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt.*

Egressi etiam sunt *a scholis* Domini, studia sapientiæ intermittentes. *Omnia enim tempus habent*, sicut dicitur, Eccl. iii, 5. Tempus est colligendi lapides, hoc est, solidas veritates in studio : et tempus spargendi eosdem, in doctrina et prædicatione aliis proponendi. Unde Juvenalis :

Semper ego auditor tantum, numquamne reponam ?

Eccli. xxix, 33 : *Transi, hospes, et orna mensam, et quæ in manu habes ciba cæteros.* Proverb. v, 16 : *Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide.*

De quiete etiam contemplationis veritatis egressi sunt ad laborem actionis. Non enim semper sedendum est cum Maria ad pedes Domini in contemplatione <sup>1</sup>, sed aliquando egrediendum ad considerationem domus in cura exteriori. Proverb. xxxi, 27 : *Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit.* In figura hujus Abraham patriarcha postquam in spiritu cum filio adoraverat in monte, et in igne Spiritus sancti arietem, hoc est, carnis impetum concremaverat, reversus est ad asinum et ad familiam, et curam commissorum <sup>2</sup>. Puer etiam Samuel non semper auscultavit Dominum in templo, sed etiam aliquando providit necessaria populo <sup>3</sup>.

Sic igitur egressi,

« Circuibant. »

Ecce circuitus.

Et tangit duo : modum, et loca.

Modum quia « *circuibant*, » hoc est, in circuitu ibant. Circuit autem qui in idem a quo incipit gressum et motum convertit, et tamen extrema omnia percurrit. In tali autem prædicationis legatione a Deo auctore missionis incipitur, et per omnes differentias hominum a Deo longe distantes discurritur, et in Deum reditur. Et hæc expositio a verbis Dionysii trahitur. Psal. xxvi, 6 : *Circuivi et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis : cantabo et psalmum dicam Domino.* Circuit, qui a Domino sicut dictum est, exit. Immolat autem, qui sacrificium de conversione peccatorum adducit in tabernaculum Ecclesiæ. Hostiam autem vociferationis exsolvit, qui voce plena devictis hostibus Deo laudes exsolvit : quod non facit nisi quando post fructum ad Deum redit, et sic circuit, cantans psalmum. Dicit Matthæus, iv, 23 : *Circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans evangelium regni.*

« Per castella. »

Locus est circuitus Apostolorum. Castella autem sunt munitiones. Quia in locis in quibus diabolus magis munitus est, magis prædicationi est insistendum. Ad Hebr. xi, 33 : *Sancti per fidem vicerunt regna.* Et, ibidem, v. 34 : *Fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.* Judicum, v, 8 : *Nova bella elegit Dominus, et portas hostium ipse subvertit.* Genes. xxxii, 2 : *Castra Dei sunt hæc.* Idecirco dicitur in Canticis, vi, 3 : *Terribilis ut castrorum acies ordinata.*

<sup>1</sup> Cf. Luc. x, 39.

<sup>2</sup> Cf. Genes. xxii, 19.

<sup>3</sup> Cf. I Reg. iii, 1 et seq.

« Evangelizantes. »

Ecce fructus sive finis. Est autem finis prædicatoris in ipso, et finis ejusdem in altero. Fructum in ipso semper consequitur, quando eorum quæ sui sunt officii nihil penitus omittit de contingentibus ad finem. Et hoc est evangelizare. I ad Corinth. I, 17 : *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare : non in sapientia verbi, ut non evacuatur crux Christi.* Isa. xli, 27 : *Primus ad Sion dicet : Ecce adsunt, et Jerusalem evangelistam dabo.*

Finis autem, et fructus in altero tangitur, cum dicitur :

« Et curantes ubique. »

Non poterat esse nisi divina virtus, quæ ubique curabat : quia virtus humana non sufficeret. De cura autem ista jam dictum est, quod est sanatio integra in anima semper, et frequenter in corpore. Marc. xvi, 17 et 18 : *In nomine meo dæmonia ejicient :... super ægros manus imponent, et bene habebunt.* Et ideo dicitur, Psal. lxxvii, 24 : *Lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso.* Lingua enim canum Dei latratum prædicationis emittens, vulnera lingit et sanat. Et ideo ex inimicis ad Deum convertit, et sic curat ubique. Matth. x, 7 et 8 : *Euntes prædicate, dicentes quia appropinquavit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, dæmones ejicite : gratis accepistis, gratis date.*

Iste ergo est finis et fructus in altero, quem non semper consequitur qui a Domino missus prædicat. Sed tamen non propter hoc laborem emittit, quia etiamsi nullum curet, quando prædicando de contingentibus nihil omittit, mercede digna non fraudatur. II ad Timoth. I, 12 : *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem, scilicet justus judex.* Unde, III Reg. xix, 20, cum Elias Eliseum in

prophetam unxisset, et ille non statim sequi voluisset, dixit Elias : *Quod meum erat feci tibi.* Ac si diceret : Finem optatum quoad me consecutus sum, tu de cætero vide quid agere debeas.

Quod autem dicit : « *Curantes ubique,* » notat quod curæ sacramentorum nullus morbus obsistit, nisi forte aliquis obicem Spiritui sancto posuerit. Quia sicut dicitur, Sapient. I, 4 et 5 : *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictam.*

« Audivit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, et hæsitabat, eo quod diceretur

A quibusdam : Quia Joannes surrexit a mortuis : a quibusdam vero : Quia Elias apparuit : ab aliis autem : Quia Propheta unus de antiquis surrexit. »

Hic tangitur de fama verbi prædicati. Tanguntur autem tria. Primo enim tangitur famæ solemnitas, quæ usque ad solemnes personas personuit. Secundo, tangitur famæ diversitas : et tertio, Christi, cujus fama prædicabatur, ad videndum desiderabilitas.

Circa primum tanguntur duo : famæ solemnitas, et audientium captio a fama illa. Intra se enim capiebantur, hæsitantes quæ esset persona tam grandis, de qua talis fama sonaret.

Adhuc in primo horum dicuntur tria : solemnitas famæ, generalitas in bonis laudibus famæ, et de quo tam laudabilis fama personuit.

Solemnitas notatur in hoc quod ad regum jam devenit palatia.

Et hoc est :

« Audivit autem Herodes. »

Hic est Herodes Antipas, filius Herodis Ascalonitæ, sub quo passus est Dominus, quem sprevit indutum veste alba,

et qui decollavit Joannem, imitatus paternam malitiam, qua pater pueros occidit, quærens Christum puerum.

« *Tetrarcha*, » Tetrarcha autem dicitur, quia mortuo Herode Ascalonita patre hujus, a Romanis divisum est regnum in quatuor tetrarchias, quarum duas habuit Archelaus, tertiam Philippus, et iste Herodes quartam. Et hæc omnia jam in ante habitis exposita sunt <sup>1</sup>.

Hæc autem famæ solemnitas (quæ apud omnes bonorum memoria digna fuit) odor fuit divinorum bonorum in Christo, qui diffusus est in mundum, aperta per prædicationem Apostolorum apotheca virtutum suarum, et comminutis et contritis aromatibus per explanationem Scripturarum. II ad Corinth. II, 15 : *Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt et in iis qui pereunt. Venenata enim ad odoris fragrantiam moriuntur, et munda confortantur.* Cantic. IV, 10 : *Odor vestimentorum<sup>2</sup> tuorum super omnia aromata.* Vestimentum autem contextum est ex lanis agni, sive virtutibus Christi. Psal. XLIV, 9 : *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis*, supple, spirant. Eccli. XLIX, 1 et 2 : *Memoria Josiæ in compositionem odoris facta est opus pigmentarii : in omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria.* Josias, in quo est incensum Domini vel in quo est sacrificium, interpretatur. Et significat Christum, qui incensum boni odoris fuit pro nobis in devotione orationis, et sacrificium pro nobis in oblatione passionis. Et hujus odor coram Deo in fama, et laude coram hominibus et mirabilis. Genes. VIII, 21 : *Odoratus est Dominus odorem suavitatis.* Et ideo per eum cunctis benedixit. Hoc autem ad ædificationem fecit Episcoporum, vices suas tenentium. I ad Timoth. III, 7 : *Oportet Episcopum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt.*

<sup>1</sup> Cf. Supra, III, 1 et seq.

<sup>2</sup> Vulgata habet, *unguentorum*.

<sup>3</sup> Cf. Joan. I, 47.

« Omnia quæ fiebant ab eo. »

Ecce famæ generalitas. Omnia enim erant in bona fama : et non sicut quidam qui maculosam habent famam, quæ sicut pellis leprosororum varietate respersa est. Sed ista universaliter erat pulchra et bona. Cantic. IV, 7 : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Ideo dicitur agnus immaculatus, Exod. XII, 5 : *Erit agnus absque macula, masculus, anniculus.* I Petr. I, 19 : *Pretioso sanguine redempti estis, quasi agni immaculati Christi.* Marc. VII, 37, redditur causa cum dicitur : *Bene omnia fecit.* Si enim bene omnia fecit, tunc fama bona erat de omnibus quæ fiebant. Sicut autem Christus omnia fecit bene : sic dicit Beda, quod diabolus omnia facit male.

« Et hæsitabat, »

Hærendo intra se captus, quænam esset tam digna persona, de qua ista referrentur tam universaliter laudalilia. Differenter autem hæsitabant Nathanael, et Herodes : Nathanael enim ex dictis Philippi probabilibus hæsitans, hoc est, hæerere incipiens, ductus est ad Jesum <sup>3</sup>. Et hæsitacionem promovit in adhæsiionem, et a Christo meruit laudem. Herodes autem paterni doli imitator, qui hæsitaverat in dictis Magorum <sup>4</sup>, sicut et iste hæsitavit in dictis Apostolorum, et hæsitacionem convertit in dolum vulpinum, quærens Christum, et Christi nomen extinguere : et ideo a Christo *vulpes* vocatus est <sup>5</sup>.

« Eo quod diceretur. »

Ecce famæ diversitas, quæ causa fuit hæsitacionis. Omnis autem diversitas ista famæ magna est et sollemnis : sed tamen

<sup>4</sup> Cf. Matth. II, 3.

<sup>5</sup> Cf. Luc. XIII, 32. *Ite et dicite vulpi illi, etc.*

penitus insufficiens magnitudini et laudibus Christi.

Est autem triplex diversitas ipsius, sicut patet in littera.

Et hoc est quod dicit :

« Eo quod diceretur a quibusdam : Quia Joannes surrexit a mortis. »

Et notantur in hoc duo, scilicet, quid rationis isti habuerint pro sua opinione, et per quid fidem habuerint resurrectionis mortuorum ?

Ad primum autem dicendum secundum Glossam, quod omnia quæ de natiuitate Joannis dicta sunt, supra hominem fuerunt : quæ autem in vita apparuerunt, stupenda et supra vires humanas : et quæ de auctoritate suæ missionis erant, penitus erant cœlestia. Et ideo tantæ opinionis erat, quod Christus putaretur. Et ideo nullum eo majorem reputantes, hoc Joanni attribuerunt : præcipue cum omnes fere imbuti essent doctrinis et baptismo Joannis.

Fides autem resurrectionis ejus a mortuis orta est : quia putabant quod sterili ab utero et emortuo corpore patris natum, impossibile esset morte detineri, sed occultatum esse ad tempus, a Deo, et iterum surrexisse. Hæc igitur causa fuit famæ istius. Insufficiens autem fuit, quia ipse Joannes dixit, Joan. I, 27 : *Cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti.* Joan. III, 28 : *Non sum ego Christus.* Joan. I, 8 : *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.*

« A quibusdam vero : Quia Elias. »

Secunda est diversitas, rationem suæ opinionis accipiens in duobus, ut dicunt Sancti : a prophetia videlicet, et a factis.

A prophetia, Malach. IV, 5 et 6 :

*Mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum : ne forte veniam, et percutiam terram anathemate.* Putabant igitur hanc prophetiam jam impletam.

In factis autem sciebant rationem a duobus : a magnitudine videlicet miraculorum, quia Elias mortuum suscitavit<sup>1</sup> : et a figura baptismi quam exhibuit Elias, quando Jordanem divisit<sup>2</sup>. Discipuli autem Christi baptizabant, et potestatem acceperunt mortuos suscitandi, sicut jam habitum est.

Isti autem de Elia dicunt quod « *apparuit,* » quia sciverunt Eliam non esse mortuum, *sed per turbinem ascendisse in cœlum*<sup>3</sup>.

« Ab aliis autem : Quia propheta unus de antiquis surrexit. »

Tertia est diversitas. Et dicunt Sancti, quod isti maxime putabant Eliseum surrexisse a mortuis, rationem suæ opinionis accipientes a tribus : ab uno quidem dicto legis, Deuter. XVIII, 15 : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus : ipsum audies.* Unde, Luc. VII, 16, dicebant : *Propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam.*

Secundum autem fuit a magnalibus quæ fecit Eliseus mortuos suscitando, panes multiplicando, leprosum mundando, et hujusmodi : quæ late de Christo prædicabantur.

Tertium autem fuit de divisione Jordanis in figura baptismi : quoniam sicut Elias ante, ita Eliseus post exhibuit. Et quia præcessit in virtute et spiritu Eliæ<sup>4</sup>, putabant sequi Christum in perfectione Elisei, qui duplicatum in se spiritum Eliæ populis exhibuit. Hunc autem surrexisse fatentur, quia mortuum esse scie-

<sup>1</sup> Cf. III Reg. XVII, 21 et 22.

<sup>2</sup> Cf. IV Reg. II, 8.

<sup>3</sup> IV Reg. II, 11.

<sup>4</sup> Cf. Luc. I, 17.

bant : sed impossibile putabant eum vinculis mortis detineri, qui postquam mortuus fuit et sepultus, alium a morte suscitavit.

9 « Et ait Herodes : Joannem ego decollavi. Quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum. »

Hic tangitur Christi ad videndum desiderabilitas, etiam ab iniquis.

Et tanguntur duo. Primum quidem popularis famæ reprobatio. Secundo autem, veritatis inquisitio et desiderium.

Reprobatio famæ popularis tangitur cum dicit : « *Joannem ego decollavi.* » Et quia nulla fides apud Herodem fuit resurrectionis, ideo Joannem non esse istum supposuit. Alia autem quæ de Elia et Eliseo dicebant, tamquam fabulosa subticuit.

Attende autem quod efficienter malum suum iste jactando protulit. Isa. III, 9 : *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* Jerem. III, 3 : *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluiti erubescere.* Facinus enim magnum fuit decollare Joannem, sacrilegas manus injicere Prophetæ, pro turpitudine adulterii occidere castitatis et justitiæ præconem : et tamen publice dicit : « *Joannem ego decollavi.* » Proverb. II, 14 : *Lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis.* Non enim jam contristatus est propter jusjurandum, sed lætatus propter homicidium. Psal. V, 7 : *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.*

« Quis est autem iste »

Tam magnus, « *de quo ego talia audio?* » Quærit philosophari, et esse bonus. Non est enim quærendum quis erat, sed cum Nathanaele accedendum et experiendum, ut sic sequeretur vestigia

ipsius. Psal. XXXIII, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini : et facies vestræ non confundentur.* Sed iste in sola ratione inquisitionis stare voluit, et non exercere opera, simile quid faciens istis, de quibus dicit Aristoteles in libro IV *Ethicorum* : « Ad rationem confugientes, quærent philosophari et esse boni. » Simile aliquid faciens infirmis, qui medicos quidem audiunt studiose, faciunt autem operandorum nihil. Et quemadmodum isti nunquam bene habebunt corpus sic curati, ita nec illi bene habebunt animam sic philosophantes. Quid enim valet bona audire, et non facere? Jacob. I, 23 et 24 : *Qui auditor est verbi et non factor, comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo : consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit.*

« Et quærebat videre eum, »

Non propter devotionem, sed propter curiositatem. Luc. XXIII, 8 : *Herodes, viso Jesu, gavisus est valde : erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* Curiosus autem semper se subtraxit Dominus, et exhibuit se humilibus et devotis.

Est autem notandum quam desiderabilis est justus, qui etiam ab iniquis videri desideratur. Cantic. V, 16 : *Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis.* III Reg. X, 24 : *Universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam ejus quam dederat Deus in corde ejus.* Joan. XII, 21 : *Domine, volumus Jesum videre.*

« Et reversi Apostoli, narraverunt illi quæcumque fecerunt. » 10

Hic tangitur revertentium Apostolorum ad Christum legationis relatio.

Et tanguntur duo. Primum est reversio. Secundum autem, relatio.



Redeundum enim est semper ad principium, quia aliter egredi apostatare est. Figura istius reditus est revolutio columbæ ad Noe <sup>1</sup>. Et relationis figura est reportatio rami virentis olivæ. Non redeuntes autem apostatæ, per corvum significantur, cadaveribus delectabilium hujus mundi detenti ne redirent. Et sicut egrediuntur actione, ita revertuntur amore contemplationis faciei Domini. Job, xxxviii, 35 : *Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus.* Fulgura sonum significant Prædicatorum, coruscationes miraculorum et bonorum exemplorum.

« Narraverunt illi quæcumque fecerunt. »

Hic tangitur relatio factorum, et fructus legationis injunctæ. Nuntiaverunt enim, ut audirent quid approbaret, vel reprobarret in factis eorum : et ut bona illi attribuerunt, cujus virtute facta sunt : mala autem ad arbitrium suum corrigerent. Genes. xxxvii, 14 : *Vade, et vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, et pecora : et renuntia mihi quid agatur.* Sicut autem apostatæ ad Christum non revertuntur, ita quærentes latibula in se vel in commissis, ea quæ inveniunt non renuntiant : quinimo legationes verbi Dei, et visitationem in lucrum suum deputant, et furtim sibi usurpant bona Domini sui, sicut infideles servi a Domino missi. Zachar. xi, 4 et 5 : *Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant occidebant, et non dolebant, et vendebant ea, dicentes : Benedictus Dominus ! divites facti sumus.* Ista directe est forma Legatorum nostri temporis, qui non veniunt nisi ut occidant corpus et animam, et auferant substantiam, et vendunt quidquid justitiæ et spiritualium, et revertentes dicunt : *Benedictus Dominus ! divites enim facti sumus.*

<sup>1</sup> Cf. Genes. viii, 6 et seq.

« Et assumptis illis, secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsai-dæ. »

Hic agitur de conformitate et instructione Apostolorum in principatu constitutorum, secundum vitæ formam sibi traditam, et secundum potestatem sibi concessam.

Et ideo dividitur hæc pars in partes duas : ita quod primo ponit confirmationem et instructionem ad vitæ formam quam tradidit pertinentem. Secundo autem dat instructionem debitam potestati quam dedit Apostolis.

De vita autem sunt duo, quorum unum est confirmatio formæ traditæ in hoc, quod non sollicitentur de temporalium provisione. Quia autem omnis forma vitæ ad exemplar Christi referenda est, sicut dicitur, I ad Corinth. xi, 1 : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* : ideo in secunda ponit instructionem, qualiter in omni forma vitæ semper Christus sequendus est.

In prima ergo ostendit nihil tollendum esse in via : per hoc quod potenti ex paucis vel nullis panibus pascere servitur, qui in provisione necessariorum numquam deserit sperantes in se. Unde etiam alibi <sup>2</sup> cum diceret, quod attendere deberent a fermento Phariseorum, et discipuli intelligerent errantes, quod reprehenderet eos quia panes secum non accepissent, redarguti sunt a Domino de sollicitudine per exemplum septem panum multiplicatorum in quatuor millia, et per exemplum quinque panum multiplicatorum in quinque millia. Psal. lxxvii, 19 et 20 : *Male locuti sunt de Deo : dixerunt : Numquid poterit Deus parare mensam in deserto ?... Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo ?* Luc. xi, 13 : *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris : quanto magis Pater vester de cæ-*

<sup>2</sup> Cf. Luc. xii, 1 et seq.

*lo dabit spiritum bonum petentibus se? Matth. xvi, 8 et seq. : Quid cogitatis intra vos, modicæ fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, et quot cophinos sumpsistis? Neque septem panum in quatuor millia hominum, et quot sportas sumpsistis?*

Sic igitur hæc hic inducitur historia.

Dividitur autem in partes duas : in quarum prima seorsum ducit Apostolos tamquam ex miraculo specialiter in forma vitæ confirmandos. In secunda autem ponit id per quod confirmatur.

Dicit igitur :

« Et assumptis illis, »

Hoc est, Apostolis, hoc est, ad se tractis. Quia sic necesse est quod ad exteriora missi, iterum assumantur a Domino : ne forte exterioribus illecti, obliviscantur veritatis et dulcedinis internæ. Cantic. i, 3 : *Memores uberum tuorum super vinum : recti diligunt te.* Et præcedit, ibidem : *Trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Ubera enim Domini sunt sapientia et bonitas, quorum unum fundit lac candoris in veritate, eo quod sapientia Dei dicitur *candor lucis æternæ, et speculum sine macula*<sup>1</sup>. Alterum autem fundit lac conceptæ dulcedinis in consolatione, quia per ipsum gustatur dulcedo spiritus ejus, de quo dicitur, Eccli. xxiv, 27 : *Spiritus meus super mel dulcis.* Et nisi Prædicatores in ministerium missi semper sint uberum istorum memores, non trahuntur ab exterioribus ad Dominum. Hæc enim ubera plus afficiunt memoriam expeditorum ea, quam vinum temporalis jucunditatis, quod aliquando experiuntur procurando salutem proximorum. Veritatis igitur et bonitatis uberibus lactatos assumit, dulcedine trahens, et dilectione amplexans, et stringens devotione : implens quod dixit Isaias, lxvi, 12 : *Ad ubera*

<sup>1</sup> Sapient. vii, 26.

*portabimini, et super genua blandientur vobis.*

Cum assumptis autem

« Secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ. »

Tria dicit. Secessit enim in se, seorsum a frequentia venientium et redeuntium, in locum quieti contemplationis aptum.

Seceditur enim, cum homo a suis exterioribus occupationibus sensuum recedit : quod faciens Dominus, nos secedere docuit : in cujus figura, Exod. iii, 3, Moyses minavit gregem a via communi ad interiora deserti, cum vellet videre visionem magnam. Isa. xlvi, 8 : *Redite, prævaricatores, ad cor.* Matth. vi, 6 : *Intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum.*

Seorsum autem cedit, quando turbas frequentantium dimittit. Sicut, Genes. xxii, 5, Abraham dimisit servos et asinum properaturus cum puero, hoc est, cum puro spiritu ad Dominum. Thren. iii, 28 : *Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit super se.* Sic Elias dimissa regali frequentia Achab, secessit in desertum, et sedit et dormivit sub umbra juniperi<sup>2</sup>, cujus lignum præ omnibus lignis diu continet ignem, et significat cor non deserens ignem charitatis.

« In locum autem desertum » venit, « qui est Bethsaidæ.

Et tria in hoc notantur. Locus enim dicit continentiam : desertum autem habitationis solitudinem : Bethsaida autem dicit civitatis illius vicinitatem et jurisdictionem. Oportet enim redeuntem ad Christum habere locum continentem ne defluat, desertum ne impediatur, et ad Bethsaidam pertinentem ut humilietur.

Locus autem continens ne defluat, lumen est incircumscriptionem et cæleste. Unde, ad Philip. iii, 20 : *Nostra conversatio in cælis est.* Exod. xxxiii, 21 et 22 : *Ecce (inquit) est locus apud me, et*

<sup>2</sup> Cf. III Reg. xix, 4 et seq.

*stabis supra petram. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petrae, et protegam dextera mea.* Locus iste est æterni luminis. Petra autem soliditas veritatis. Foramen est diligens inquisitio in veritatis apertione, ut ad interiora perveniatur. Nisi enim cœleste lumen et veritas æterna contineant contemplantem, statim defluit per rationem phantasticam, et in diversos defluit errores vanitatum.

Solitudo autem deserti, est solitudo a sæcularibus scientiis et rationibus: quia illæ nihil habitationis habent in divinis, Marc. VI, 31: *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.* Abdiæ, 7. 8: *Perdam sapientes de Idumæa, et prudentiam de monte Esau,* hoc est, carnalium et sæcularium scientiarum. Hæ enim subserviunt aliquando circa frequens ministerium in actione, sed non veniunt ad contemplationis divinæ secretum. I ad Corinth. I, 19: *Perdam sapientiam sapientium, et prudentium prudentium reprobo.* In secreto enim illius deserti Dei sapientiam loquimur in mysterio absconditam, quam nemo principum hujus sæculi cognovit, hoc est, Philosophorum, sicut dicit Glossa Augustini.

Hoc autem desertum est pertinens ad Bethsaidam, hoc est, domum pecorum: quia interim dum sumus in corpore non diu contemplamur nisi intellectu pecorino, qui formis corporum perficitur. Quia (sicut sæpe diximus) non sine continuo et tempore, diu divina contemplamur. I ad Corinth. XIII, 12: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

Litteraliter autem videtur contrarium esse, quod de ista refectione dicitur, Joan. VI, 1, quod *abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis,* et ibi manebat cum discipulis suis, quando istam perfecit refectionem.

<sup>1</sup> Cf. Enarrationes in Marcum, VI, 8 et seq. Tom. XXI hujusce novæ editionis.

Sed ad hoc dicendum, quod istud desertum vicinum quidem fuit Tiberiadi, sed tamen pertinet ad jurisdictionem Bethsaidæ. Et sic uterque verum dicit Evangelista. Et hoc tangit Glossa interlinearis dicens: « Desertum pertinens ad manus Bethsaidæ, hoc est, ad jurisdictionem ejus. »

Si autem quæritur, Quare Dominus statim venientibus Apostolis secessit? Diversas assignant Sancti causas. Verior illarum (ut puto) fuit, ut Apostolos ab exterioribus ad intima revocaret: sicut videtur sentire Marcus, IV, 8 et seq., in auctoritate superius inducta. Et secundum hoc littera hic a nobis est exposita<sup>1</sup>. Chrysostomus tamen videtur sentire quod non timore mortis ab Herode inferendæ secessit, quia dixit, Luc. XII, 4: *Dico vobis amicis meis: ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant*<sup>2</sup>. Sed timuit infelicitati Herodis, qui temere Joannem decollavit. Et nisi cessisset, in tantum infelicitatis barathrum decidisset, quod homicidium Salvatoris homicidio Prophetæ et plus quam prophetæ junxisset. Beda autem dicit quod cessit malitiæ Herodis, ut discipulos opportuno tempore cedere doceret, et verbum suum confirmaret, quod, Matth. X, 23, dixit: *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Opportunum enim est cum grex non quæritur sed pastor tantum, tyrannidi se tyrannorum subducere. Sic secessit Elias a facie Jezabel<sup>3</sup>.

« Quod cum cognovissent turbæ, secutæ sunt illum: et excepit eos. ■■

Hic incipit confortare Apostolos ex miraculo facto, quantum ad hoc quod nihil tollant in via.

Dividitur autem in partes tres: in quarum prima apponitur opportunitas

<sup>2</sup> Cf. Matth. X, 28.

<sup>3</sup> Cf. III Reg. XVII, 5.

miraculi ex præsentia turbarum, et dispositione loci, et qualitate temporis. In secunda, ponitur intenta discipulorum eruditio. Et in tertia, ponitur miraculi perfectio et commendatio.

In prima harum sunt tres paragraphi : in quorum primo devotio turbæ describitur, quæ in se ex congruo meruit fieri miraculum. In secundo, qualitas temporis ponitur, quæ exigit faciendum miraculum. In tertio, tangitur loci necessitas, quæ ad miraculum faciendum fecit oportunitatem.

In horum paragraphorum primo duo dicuntur : turbæ videlicet ad audiendum Dominum devotio, et Domini benignitatis magnitudo.

Devotio turbæ rursus accipitur ex duobus : ex diligentia cognitionis ejus ubi esset Dominus, et ex devotione executionis et consecutionis ejus.

De primo horum dixit :

« Quod cum cognovissent turbæ, »

Per diligentem inquisitionem. Psal. CIV, 4 : *Quærite Dominum, et confirmamini : quærite faciem ejus semper.* Isa. LV, 16 : *Quærite Dominum, dum inveniri potest.* Joan. I, 31 : *Rabbi, ubi habitas ?* Cantic. I, 6 : *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie,* hoc est, in contemplationis plena luce. Ibi enim *lucem inhabitat inaccessibilem* <sup>1</sup>.

« Secutæ sunt illum, »

Sua commoda derelinquentes, et horrorem et sterilitatem deserti non timentes, neque recogitantes. Et alius dicit Evangelista, scilicet Marc. VI, 33, quod pedestres sunt secuti, ut labore fatigationis ostenderent magnitudinem devotionis. Daniel. III, 41 et 42 : *Nunc sequimur te in toto corde : et timemus te, et quærimus faciem tuam : ne confun-*

*das nos, sed fac nobiscum juxta mansuetudinem tuam.* Job, XXIII, 11 : *Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi.* Ad Philip. III, 12 : *Sequor autem, si quomodo comprehendam in quo et comprehensus sum.*

« Et excepit eos. »

Benignitatis Christi magnitudo hic tangitur in tribus : in benigna exceptione, in veritatis eruditione, et in ægrorum salutari curatione.

De primo dicit : « *Et excepit eos.* » *Excipere* enim sonat quando affectus interior totus extra diffunditur in eum qui excipitur. Et ideo dicit : *Excepit*, et non, *recepit* vel *suscepit*. Et talem benignitatem oportuit exhiberi, quam docuit, Luc. XV, 20 et seq., ubi pater adhuc longe agente filio obviam festinavit, amplexibus recepit, et habitu decoris indui fecit. Istum etiam modum exceptioni specialiter remunerandum præfiguravit, ad Hebr. XI, 31 : *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.* Placet enim specialiter Deo talis modus exceptionis lassorum peregrinorum. Sicut igitur et se inveniri permisit a quærentibus, et sequi a sequentibus et obviis, vultu et manibus excepit venientes.

« Et loquebatur illis de regno Dei, et eos qui cura indigebant, sanabat.

12

Dies autem cœperat declinare. »

Hic tangitur eruditio veritatis quæ debetur simplicibus indoctis.

Tangit autem duo : modum eruditionis, et materiam.

Modum eruditionis cum dicit : « *Loquebatur illis,* » hoc est, possibilitati et capacitati eorum. Psal. LXXXIV, 9 : *Loquetur Dominus pacem in plebem suam.* Altissima enim sapientia Dei, profunda

<sup>1</sup> I ad Timoth. VI, 16.

Dei tacens loquitur rudibus ut capiat. Isa. XL, 2 : *Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam.* Isa. VIII, 1 : *Scribe in eo stylo hominis.* Habacuc, II, 2 : *Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit.* I ad Corinth. XIV, 19 : *In Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios instruam, quam decem millia verborum in lingua.*

« De regno Dei. »

Ecce locutionis materia. Quid autem sit regnum Dei, jam dictum est. I Petr. IV, 11 : *Si quis loquitur, quasi sermones Dei, non sicut qui fabulas loquatur.* II ad Timoth. IV, 3 et 4 : *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt : sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus : et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Christi autem et suorum omnis sermo de regno Dei est. Act. I, 3 : *Per dies quadraginta apprensens eis, et loquens de regno Dei.* Adhuc autem quando misit discipulos, præcepit ut prædicarent quia regnum Dei appropinquavit <sup>1</sup>. Et ideo nunc confirmans sermones Apostolorum, turbis quæ discipulos audierant, de regno Dei loquitur : ut ex uno fonte Apostolorum et Christi doctrina procedere cognoscatur. Sicut enim Christus de Patre dicit, Joan. VII, 16 et 17 : *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar.* Ita prædicator veritatis non suam debet afferre, sed ejus qui misit eum doctrinam. Et tunc semper loquitur de regno Dei.

Regnum enim Dei docet justitiam ad mores, docet beatitudinem ad merita remuneranda, docet veritatem sapientiæ Dei et fidei, docet fastigium honoris in præmium virtutis, docet decorem gloriæ in contemplatione speciei divinæ, docet

potestatem confirmatam in contritione nequitiae. De primo horum, Matth. VI, 33 : *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus.* De secundo, Matth. V, 3 : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* De tertio, Matth. XIII, 44 : *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, de quo effodiuntur abscondita sapientiæ, et sacramenta fidei.* De quarto, Sapient. V, 17 : *Ideo accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini : quoniam dextera sua teget eos, et brachio sancto suo defendet illos.* Et in Psalmo CXVII, 16, dicit quod *dextera Domini fecit virtutem.* De quinto dicitur in Psalmo CXLIV, 11 : *Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur.* De sexto, Matth. XIII, 41 : *Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala.* Nihil ergo utilius loqui poterat turbis, quam de regno Dei.

« Et eos qui cura indigebant, sanabat. »

Tangit hic salutarem curam ægrorum : quod est consolationis beneficium. Marc. autem, VI, 54, et seq., hoc plenius dicitur : *Cum egressi essent de navis, continuo cognoverunt eum : et percurrentes universam regionem illam, cæperunt in grabatis eos qui se male habebant circumferre, ubi audiebant eum esse. Et quocumque introibat, in vicis, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent : et quotquot tangebant eum, salvi fiebant.* Sic igitur curabat omnem languorem tam corporaliter quam spiritualiter.

Numera igitur Salvatoris beneficia. Invenitur a quærentibus, consequitur a sequentibus, excipit grate venientes, docet ignorantes, sanat ægrotantes. Non sic impii Prælati nostri, non sic, non inve-

<sup>1</sup> Cf. Matth. X, 7.

niuntur a pauperibus, nisi per pretia valvæ dissiliant ut pateat ingressus. Talis clausura virtutis est Assyriorum Holofernis, et non successorum Christi. Judith, xiv, 10 : *Nullus audebat cubiculum virtutis Assyriorum pulsando aut intrando aperire.* Isti sunt quos in via positos, nullus pauperum Christi consequitur. Sed potius ab eis strepitu magno pauper conculcatur : quia cum iniqui sint, tenent legem desperatis datam, Sapient. ii, 11 : *Quod infirmum est, inutile invenitur.* Isti sunt qui numquam bonum bene recipiunt, sed abominantur et strident dentibus in eos, et derisioni exponunt. Nullus in eis est sermo doctrinæ : quia vel nihil legis divinæ, vel parum sciunt : et ideo indigni sunt sacerdotio. Osee, iv, 6 : *Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi.* Non curant infirmos, sed sanos vulnerant, et interficiunt valentes. Isa. iii, 5 : *Irruet populus, vir ad virum, et unusquisque ad proximum suum.*

Sic igitur tactum est de opportunitate miraculi ex præsentia turbarum.

« Dies autem cœperat declinare. »

Ecce opportunitas causata ex qualitate temporis. Dies autem declinat, quando a nona hora sol declinat ad occasum. Tunc enim non derelinquendi, sed tenendi sunt hospites ad nos veniente. Luc. xxiv, 29 : *Coegerunt illum, dicentes : Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies.* Unde, Marc. vi, 35 et 36, dicitur, quod cum jam hora multa fieret, quod tunc discipuli dixerunt : *Desertus est locus hic, et jam hora præteriit : dimitte turbas.*

Est autem attendendum quam dulce fuit Christi eloquium, quod tamdiu turbas in deserto suspensas detinuit. Quantæ bonitatis et largitatis fuit, qui turbis debentibus sibi pro spiritualibus temporalia, cedens juri suo præparare necessaria disposuit. Quantæ fiduciæ fuit, qui de modico quod sui secum portaverant, tot

millibus sufficere cogitavit. De primo horum dicitur, Cantic. ii, 14 : *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora.* Psal. xlv, 3 : *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* De secundo unicus invenitur imitator Domini Apostolus Paulus, II ad Corinth. xii, 15 : *Ego, inquit, libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens, minus diligar, scilicet a vobis.* De tertio, II ad Corinth. ix, 8 : *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.*

« Et accedentes duodecim dixerunt illi : Dimitte turbas, ut euntes in castella villasque quæ circa sunt, divertant, et inveniant escas : quia hic in loco deserto sumus. »

Tangit opportunitatem miraculi ex sterilitate loci.

Tanguntur autem tria. Primum est commonitio Apostolorum secundum sensum humanum, qui majorem habuerunt ausum apud Christum. Secundum est, ab Apostolis interpellata dimissio propter necessitatem turbarum. Tertium est, allegata loci sterilitas propter quam necesse esset dimitti turbas.

De primo dicit : « *Et accedentes,* » ausu familiari ad Christum, « *duodecim.* » Psal. cxlviii, 14 : *Hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israel, populo appropinquanti sibi.* Apostoli enim secundæ sunt dignitatis post Christum. Significat autem hæc appropinquatio accessum devotionis Prælatorum pro populo sibi commisso. Sapient. xviii, 24 : *Properans homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum, orationem et per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, et finem imposuit necessitati.* Jerem. xviii, 20 : *Recordare*

*quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum.*

« Dixerunt illi, »

Non ignoranti, sed ab eo discere cupientes, quare turbam teneret, quæ secundum humanam rationem diu dimittenda fuerat.

« *Dimitte turbas,* » finiendo sermonem. Simile, Matth. xv, 23 : *Domine, dimitte eam quia clamat post nos.* Dicunt autem : *Dimitte,* quia dulcedine sermonis Domini quasi vinculis quibusdam tenebatur. Psal. cxlix, 8 : *Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis.* Eccli. vi, 25 et 26 : *Injice pedem tuum in compedes illius, et in torques illius collum tuum. Subjice humerum tuum, et porta illam, et ne acedieris vinculis ejus.* Ab his ergo vinculis solutis dimitte turbam.

Et allegant dimissionis necessitatem, dicentes,

« Ut euntes, »

Quia pedestres venerant, « *in castella,* » in quibus lautiora inveniunt ditiores, « *et villas,* » ubi grossiora inveniunt pauperiores, « *quæ circa sunt* » propinque, quia ad loca distantiora propter occasum diei ire non possunt, « *divertant.* »

Nota quod domum venire non poterant, sed ad diversoria hospitem oportuit declinare. Marc. viii, 3 : *Quidam enim ex eis de longe venerunt.* Isa. lx, 4 : *Filii tui de longe venient.*

« *Et inveniant escas,* » vel mendicando, vel emendo.

Adhuc enim carnales discipuli non intellexerunt quod dicitur, Deuter. viii, 3 : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.* Et illud Sapientiae, xvi, 26 : *Non natiuitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint, conservat.* Nec memores fuerant Moysi,

Exod. xxxiv, 28, qui quadraginta diebus et noctibus non comedit, pastus dulcedine sermonis Domini, et consortio suo. Psal. cxviii, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Sed humano sensu loquentes, non adverterunt quod fame laborare non potest, quem Deus verbo suo reficit et præsencia suæ faciei. Hæc enim est esca de qua dicitur, Sapient. xvi, 20 : *Angelorum esca nutritivi populum tuum : et paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.*

Allegant ergo loci sterilitatem, dicentes :

« Quia hic in loco deserto sumus. »

Non attendentes non esse Christum minoris potentiae nunc quam olim, quando multo majorem pavit in deserto quadraginta annis : sicut dicitur, Exod. xvi, 35 : *Patres nostri manducaverunt manna in deserto.* Desertum enim vertit in ubertatem, quando vult.

« Ait autem ad illos : Vos date illis manducare. At illi dixerunt : Non sunt nobis plus quam quinque panes, et duo pisces : nisi forte nos eamus, et emamus in omnem hanc turbam escas. »

Erant autem fere viri quinque milia. »

Hic incipit Apostolorum ex miraculo faciendo eruditio.

Tanguntur autem tria quæ ad Apostolorum pertinent eruditionem. Primum enim erudit eos de debito quod debent turbis Prælati. Secundo, non intelligentes Apostoli quid erat factururus, excusationem prætendunt. Tertio autem, docet eos de ministerio quod pertinet ad eos, apud eos qui reficiendi sunt a Christo.

13

14

De primo dicit :

« Vos date illis manducare. »

Quasi diceret : Hoc vobis impero et impono, quia vobis hoc est debitum quod pascatis vobis commissos. Joan. xxi, 15 et 17 : *Simon Joannis, diligis me plus his? pasce oves meas.* Joan. x, 11 : *Ego sum pastor bonus, qui pasco oves meas.* Ezechiel. xxxiv, 2 : *Nonne greges a pastoribus pascuntur? Vos igitur qui pastores estis, pascite eos, et date illis manducare panem eleemosynæ.*

De pane verbi dicitur, Eccli. xv, 3 : *Cibavit illum pane vitæ et intellectus.*

De pane sacramenti sive Eucharistiæ dicitur, Sapient. xvi, 20 : *Paratum panem de cælo præstitisti illis sive labore.* Psal. lxxvii, 25 : *Panem Angelorum manducavit homo.*

De pane eleemosynæ, qui est sumendus de redditibus Ecclesiæ, dicitur, Isa. xxiii, 18 : *Et erunt negotiationes ejus, scilicet Tyri, et mercedes ejus sanctificatæ Domino : non condentur neque reponentur, quia his qui habitaverint coram Domino erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem.* Tyrus interpretatur *angustia*. Mercedes ergo Tyri sunt bona Ecclesiarum, angustii Christi et sanctorum Martyrum ejus acquisita, quæ sanctificantur Domino : nec condenda sunt in thesauros, nec abscondenda in avarorum marsupiiis : quia his qui steterunt coram Domino (dicit Glossa ibidem, hoc est, veris pauperibus) debentur mercedes ejus, ut comedant ad saturitatem, et vestiantur.

Et horum bonorum ecclesiasticorum Prælati sunt custodes et erogatores. Et ideo ex illis pascere tenentur gregem Domini. Et ideo Dominus ter dixit Petro : *Pasce oves meas*<sup>1</sup>, quia pascere de-

bet verbo, pascere debet sacramento, et pascere debet temporali subsidio.

Hoc est igitur quod per figuram instruit Apostolos, dicens : « *Vos date illis manducare* » Et in Matthæo, xiv, 16, præmittit, dicens : *Non habent necesse ire, cum sint apud eos qui debent eos isto triplici pane procurare.* Et isti significantur per tres panes<sup>2</sup>, qui accommodandi sunt a nobis amico nostro Christo, quando is de via venit, amicus noster fatigatus, venit ad nos pascendus, et non habemus quod ponamus ante eum.

Videtur autem Lucas diversa dicere Joanne, vi, 5 et 6 : quia ibi dicitur quod solus Christus soli Philippo dixit : *Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum : ipse enim sciebat quid esset facturus.*

Et ad hoc dicendum, quod utrumque verum est. Primo enim dixerunt discipuli ut turbæ dimitterentur, et instructi sunt per Christum : sicut hic et in Marco et in Matthæo legitur. Sed quia Philippus propter simplicitatem suam speciali indiguit instructione, ideo post instructionem aliorum, specialiter ab eo quærit, ut specialiter instruat. Et ideo postquam dixerat : *Vos date illis manducare*, et ipsi se excusaverunt, sicut hic dicitur : tunc demum quæsivit a Philippo unde emendi essent panes, qui in tot millia sufficerent.

« At illi dixerunt. »

Excusatio est carnalium discipulorum.

« *Non sunt nobis plus quam quinque panes.* » Ponunt negativam ut intelligatur non esse plures : quod non fieret si affirmativa poneretur, quia minor numerus non excludit majorem. Et si diceretur : *Sunt nobis quinque panes, verificaretur, etiamsi centum panes haberentur.* Et tunc miraculum non esset adeo commendabile. Et ideo ponit negativam cum

<sup>1</sup> Joan. xxi, 15, 16 et 17.

<sup>2</sup> Cf. Luc. xi, 5.



exceptione plurium, quæ exceptio continet in se præcisionem. Additur autem, Joan. vi, 9, quod isti panes erant *hordeacei*, et erant in custodia Philippi, qui specialiter erat instruendus, quia simplicior et minor fuit inter Apostolos, ut dicit Chrysostomus.

Addunt autem : « *Et duo pisces*, » qui habebantur ad dulcorationem panis hordeacei.

Reverentiæ autem Domini satisfacientes, et voluntati ejus obedientes, quia dixit : *Vos date illis manducare*, exhibent obsequium, dicentes : « *Nisi forte*. » Adverbium notat libertatem Dominicæ voluntatis. Et quia sæpe figurative loquebatur, ideo nescientes quid intendat, dicunt : « *Nisi forte* » hoc intendas, quod « *nos eamus*, » quod et parati sumus facere, « *et emamus* », condigno pretio, « *escas*, » scilicet panem, « *in omnem hanc* » quatuor millium « *turbam*. » Et ex hoc patet quod secum portabatur pecunia : quia, sicut dicitur, Joan. vi, 7 : *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat*.

Attende autem, quod Apostoli imperfecti vicem agunt imperfectorum sacerdotum et Prædicatorum, qui excusantes pasturam quam tenentur exhibere turbæ, dicunt quod non sunt nobis plus quam quinque panes. Quinque autem panes sunt quinque modi exponendi. Sunt enim quinque leges homini propositæ. Una sicut exemplar, quæ est lex rectitudinis divinæ justitiæ in mente Dei, ad quam homo rectificatur. Alia in corde, quæ est lex naturalis justitiæ, scripta in corde hominis. Tertia scripta, quæ est lex mandatorum Dei. Quarta inventa per rationem, quæ est lex civilis et humana quam opinio hominum genuit. Quinta est lex charitatis, quæ finem et terminum nescit, quia ex affectu facit quidquid potest et expedit. Isti sunt quinque panes, quibus in hac vita vivitur. De his autem panibus dicitur, Genes. xl, 16 et 17 : *Et ego vidi somnium,*

*quod tria canistra farinæ haberem super caput meum : et in uno canistro quod erat excelsius, portare me omnes cibos qui fiunt arte pistoria*. Tria canistra sunt legum vasa : mens divina, mens hominis, et libri scripti. Mens enim divina est super caput hominis ad consulendum : quia (sicut dicit Augustinus) superior portio rationis consulendis legibus divinis inhærescit. Mens hominis est super caput hominis : quia superior pars ejus est. Liber autem scriptus est super caput hominis ad studendum. Una igitur continetur in canistro mentis divinæ, duæ in canistro mentis humanæ, naturalis scilicet, et lex charitatis. Duæ etiam in canistro librorum scriptorum : una divina, et una humana quam opinio hominum per rationem ex pari, pacto, et judicatio produxit, sicut dixit Tullius. Omnes enim isti panes satiant, et arte pistoria, hoc est, legum inventoria fiunt. Et sata, ex quibus fiunt istæ leges, sunt tria : par quod dicit æquum secundum rei naturam : et pactum quod dicit æquum secundum voluntatum convenientiam, quia pactum est quod convenit inter aliquos : et judicatum quod ad justitiam determinatum est a iudice secundum allegata. Hæc tria significantur, Genes. xviii, 6 : *Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes*.

Hi panes quinque esse dicuntur propter quinque justitias, quæ ipsis legibus rectificantur. Est enim justum ante Deum. Est justum quoad naturæ rectitudinem. Est item justum quoad effectus optimum debitum. Est justum quoad mandatum. Et est justum quoad civilitatis rectitudinem. De justo autem ante Deum dicitur, Luc. i, 6 : *Erant justi ambo ante Deum*. De justo, quoad naturæ rectitudinem dicitur, ad Roman. ii, 27 : *Judicabit id quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per litteram et circumcisionem prævaricator legis es?* De justo quoad charitatis affectum dicitur, ad Roman. viii, 2 :

*Lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis.* Ad Roman. xiii, 8 : *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* De justo legis divinæ, Eccli. xxiv, 33 : *Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum.* De justo legis humanæ, ad Roman. x, 3 : *Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Omne istud justum quintuplex, in eo panis est quod refecit et confortat sicut panis. Psal. ciii, 15 : *Panis cor hominis confirmat.* Genes. xviii, 5 : *Ponam buccellam panis, et confortate cor vestrum.*

Secunda expositio est allegorica, et tangitur in Glossis, quod quinque panes sunt quinque doctrinæ librorum Moysi, in quibus continetur dignitas patriarchalis quoad benedictionem seminis : quod est panis unus. Continetur exitus de Ægypto et mundo per immutationem conversationis in semine benedicto : quod est panis secundus. Continetur ritus et modus sacrificii, qualiter semetipsum homo offerat hostiam vivam, sanctam, Deo placentem : quod est panis tertius. Continetur numerus procedentium ad bella, qualiter virilis animus in bello luctetur contra vitia, et firmum robur accipiat : quod est panis quartus. Continetur legis iteratio, qualiter a vetustate veteri in novam legem gratiæ transeat : quod est panis quintus. Qui quinque panes Apostolis turbis ministrandi committuntur.

Tertia expositio est item allegorica, quæ est, quod quinque panes, quinque sunt genera gratiarum, animam spiritualiter reficientes. Una quidem gratia est contra peccatum, quæ est gratia sacramentalis, quasi dans esse spirituale filiis Dei. Secunda gratia est virtutis, confortans potentias animæ ad bonum operis. Tertia gratia est gratia doni sancti Spiritus, data (ut dicit Gregorius) in adjutorium potentiarum et virtutum : ut ubi

virtus non satis prævalet, donum faciat perfectionem. Quarta gratia est gratia fructus Spiritus per gustum divinum, tolerabilem faciens peregrinationem, et esurire faciens beatitudinem : et illa gratia enumeratur, ad Galat. v, 22 et 23, per duodecim fructus, qui significantur per duodecim panes propositionum<sup>4</sup>. Quinta gratia est gratia beatiitudinis, quæ enumeratur, Matth. v, 3-12, reficiens ad sublimitatem summæ felicitatis secundum perfectissimum statum intellectualis et divinæ virtutis in nobis.

Quarta expositio item allegorica est, quod quinque panes sunt quatuor doctrinæ Evangeliorum. Doctrina regalis dignitatis quam exsequitur Matthæus. Doctrina vivificativæ virtutis quæ restaurat deperdita et vivificat moritura, quam exsequitur Marcus. Sacrificii virtus et passionis, quam exsequitur Lucas. Doctrina ascensivæ virtutis et altivolæ secundum divinitatis contemplationem, quam exsequitur Joannes. Quinta autem gratia est expositiva harum quatuor, quam exsequitur Paulus, et alii Apostoli in doctrinis aliorum librorum Novi Testamenti. Istæ enim quinque doctrinæ panis vitæ sunt et intellectus.

Quinta expositio moralis est. Invenitur enim panis compunctionis in lacrymis, panis arctus, panis quotidianus, panis vitæ, et panis pinguis. Panis compunctionis in lacrymis, panis est pœnitentiæ, Psal. lxxix, 6 : *Cibabis nos pane lacrymarum.* Panis arctus est panis satisfactivæ justitiæ, Isa. xxx, 20, et III Reg. xxii, 27 : *Dabit vobis panem arctum et aquam brevem.* Panis quotidianus est viaticum Eucharistiæ, Matth. vi, 11 : *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Panis vitæ est panis gratiæ, Eccli. xv, 3 : *Cibabit illum pane vitæ, etc.* Isa. iv, 1 : *Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur.* Panis pinguis est panis devotionis et consolationis internæ, Genes.

<sup>4</sup> Cf. Levit. xxiv, 5.

XLIX, 20 : *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.* Omnes isti quinarii panum committuntur Apostolicis viris, turbis proponendi.

Omnibus autem his generibus panum conjuncti sunt dulcores geminorum piscium. Panibus enim legalibus pisces duo adjunguntur, legis duritiam dulcorantes : quorum unus est Spiritus, ad legem implendam gratiam conferens : alter autem est dulcedo charitatis, legis austeritatem non sentiens. Et hoc, Joan. XI, 13, significatum est, et Luc. XXIV, 42, ubi oblatus est piscis et favus mellis. Piscis dulcis, spiritus consolationis. Favus mellis, dulcedo devotæ charitatis. Spiritus omnia operatur<sup>1</sup>. Charitas omnia dulcorat. Genes. XXIX, 20 : *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.*

Pisces autem dulcorantes refectionem quinque librorum Moysi, sunt intellectus mysticus : unus, qui latet in aquis historiæ et promissionis legis. Alius, qui capitur in ripa litteralis observantiæ, qui significatur, Ezechiel. XLVII, 9, ubi dicitur : *Erunt pisces multi satis.*

Pisces autem dulcorantes quinque genera panum, quæ sunt quinque genera gratiarum, sunt duo quæ conjunguntur refectioni gratiæ : quorum unum est gustus internæ dulcedinis : secundum autem, testimonium conscientiæ in dulcedine mentis secundum gratiam agentis. Propter primum, virtus vocatur *fructus*. Ad Galat. V, 22 : *Fructus autem Spiritus est, etc.* Ibi Ambrosius in Glossa : « Hæ virtutes *fructus* dicuntur, quia « delectant possessores sua sincera et « sancta delectatione. » De secundo dicitur, II ad Corinth. I, 12 : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Isti sunt pisces de quibus dicitur in Psalmo VIII, 9 : *Pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Isti enim perambulant omnes semitas amaritudinis

humani cordis, et eam ad dulcedinem temperant et reducunt.

Quinque autem panum evangelicæ doctrinæ et Apostolicæ pisces, sunt duo sacramenta, in eis principaliter constructa : quæ sunt Passio, et Resurrectio Christi. Passio enim dulcedinem habet redemptionis : et Resurrectio dulcedinem habet æternæ beatitudinis. Primus significatur per piscem qui ascendit ad hamum Petri, qui habuit in ore staterem quem pro se solvit Petrus, et pro Christo<sup>2</sup>. Piscis significat Christi passionem. Stater autem significat Christi animam, qui pro Petro, hoc est, summo Pontifice solutus est : et pro Christo, hoc est, toto corpore ipsius mystico. Secundus autem piscis significatur per piscem Tobię<sup>3</sup>, cujus fel illuminavit Tobiam seniore, et compescuit a Sara dæmonem. Fel enim Christi resurgentis amaritudinem designat passionis, per quam intravit in gloriam resurrectionis, et per eandem inducit suos ad lumen æternum recipiendum. Hepar significat Christi charitatem, quæ a Sara sponsa Tobię, hoc est, tota Ecclesia, compescuit dæmonem.

Adhuc, Moraliter quinque panum pisces sunt duo, bonæ vitæ dulcedinem afferentes : quorum unus est spes certæ remunerationis, et secundus prægustatio quædam internæ refectionis. Spes enim ex certa expectatione delectat. Ad Roman. V, 2 : *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* I Petr. I, 3 : *Regeneravit nos in spem vivam.* Ad Hebr. VI, 19 : *Spem sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis.* De prægustatione internæ et æternæ felicitatis, Isa. LVIII, 14 : *Sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui.* Matth. XV, 27 : *Catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Isti sunt pisces de quibus dici-

<sup>1</sup> Cf. I ad Corinth. XII, 11 : *Omnia operatur unus atque idem Spiritus, etc.*

<sup>2</sup> Cf. Matth. XVII, 26.

<sup>3</sup> Cf. Tob. VI, 2 et seq.

tur, Matth. xii, 48 : *Quod elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.*

Isti ergo panes et isti pisces sufficientiunt ad refectionem evangelicam. Dicit tamen Glossa, quod duo pisces significabant duas personas, quæ Israelitico populo ad regendum populum ungebantur, scilicet reges, et sacerdotes. Habacuc, i, 14 : *Facies homines quasi pisces maris.*

Sequitur :

« Non sunt nobis plus quam quinque panes, et duo pisces. »

Notantur in hac responsione Apostolorum duo : insufficientia habitorum, et insufficientia commutationum.

Insufficientia habitorum dicit secundum mysterium simul et litteram quatuor : quorum primum est legis insufficientia secundum mysterium. Secundum autem, ejusdem sufficientia secundum spiritum subintellectum. Tertium est paupertatis sufficientia secundum victum sapientiæ studentium. Quartum, parsimoniam modestiam, propter concupiscentiam frænum.

De primo dicit Glossa : « Nondum erant Apostolis nisi quinque panes legis Mosaicæ et duo pisces, id est, illæ personæ quæ Israelitico populo inungebantur ad regendum populum, sacerdotes scilicet, et reges : in quibus nulla plenaria refectio poterat inveniri. Quamdiu enim legitur *Moses, velamen positum est super cor eorum*<sup>1</sup>. » Hoc significatum est, Numer. xi, 5, ubi propter insufficientem refectionem populus flagrabat desiderio ciborum Ægyptiacorum. Ad Hebr. vii, 19 : *Nihil ad perfectum adduxit lex.*

De secundo notatur, quod hoc Apostolis bene suffecisset, qui spiritum in lege intellexerunt. Littera enim cum spiritu gratiæ semper sufficit. Psal. lxxvii, 29 et 30 : *Manducaverunt et saturati*

*sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis : non sunt fraudati a desiderio suo.* Cum spiritu enim habet in se omne delectamentum, et omnis saporis suavitatem in viris perfectis qui spiritum in lege percipiunt. Et ideo illi significantur per Moysen, qui in sufficientia cibi permansit cum Domino in monte : sicut et Apostolis cum Domino cibus ille suffecisset, si turba non supervenisset. Eccli. xv, 3 : *Cibabit illum pane vitæ et intellectus.*

Notatur etiam parsimonia victus, et frænatio concupiscentiæ Apostolorum. Panes enim hordeacei fuerunt, et pisciculi in terra tam calida reservari non poterant, nisi essent salsi. Unde, Joan. vi, 9 : *Est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces.* Daniel. x, 3 : *Panem desiderabilem non comedi.* Vituperatur etiam dives epulo, Luc. xvi, 19, qui *epulabatur quoti die splendide.*

« Nisi forte nos eamus, et emamus in omnem hanc turbam escas. »

Notatur et hic sufficientia commutationis. Nisi enim omnibus emere potuissent, et ad hoc suffecissent, non dixissent : « *Nisi forte nos eamus, et emamus.* » Sed si hoc est verum, qualiter dicuntur fuisse pauperes et egeni ? Sed sciendum, quod cum Domino fuerunt multi, qui terrenis non renuntiaverant, qui semper quando voluit ministrabant ei de facultatibus suis : sicut supra, viii, 3, habitum est. Et propter illorum sufficientiam dixerunt, quod sufficiebant ad emendum : sicut habetur, Act. iv, 34 et 35 : *Quotquot possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat.* Sic Zachæus dimidium honorum suorum dedit pauperibus<sup>2</sup>. Sic Matthæus

<sup>1</sup> II ad Corinth. iii, 15.

<sup>2</sup> Cf. Luc. xix, 8.

fecit convivium magnum in domo<sup>1</sup>. Sic *Joseph, qui cognominatus est Barnabas... cum haberet agrum, vendidit eum, et attulit pretium*, sicut dicitur, Act. iv, 36 et 37. Sic multi cum Domino cum abundarent in temporalibus, communicabant illa discipulis, ut spiritualia discipulorum illis etiam communicarentur: sicut dicitur, I ad Corinth. ix, 11: *Si nos vobis, scilicet Gentibus, spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Gentes ergo quæ factæ sunt eorum participes, debent et in carnalibus ministrare eis. Sic multi pretia dabant Domino et Apostolis, ex quibus habebant oculos, in quibus ea quæ mittebantur portabant<sup>2</sup>.

Spiritualiter tamen sive mystice dicit Glossa, quod nondum intellexerunt Apostoli cibum populi credentis non esse venalem. Nec noverant adhuc nos esse redimendos, non pretio pecuniæ, sed *pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi*<sup>3</sup>.

De esca vero spirituali Apostolorum, qua pascere jussi sunt turbam, dicitur, Matth. x, 8: *Gratis accepistis, gratis date*. Luc. vi, 38: *Date, et dabitur vobis*. Isa. lv, 1: *Comedite, venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac*. Hæc etiam est esca, quæ in omnem turbam sufficit: sicut dicit Apostolus, II ad Corinth. viii, 15: *Qui multum, non abundavit: et qui modicum, non minoravit*. De hoc optimus dispensator dicit Joseph, Genes. l, 21: *Nolite timere, ego pascam vos et parvulos vestros*.

« Erant autem fere viri, etc. »

Istud est verbum Evangelistæ quod interseritur ad miraculi commendationem.

Et cum dicitur quod « *erant fere viri quinque millia,* » intelligitur secundum

Matthæum, xv, 38, exceptis parvulis et mulieribus. Consuetum autem est in talibus, quod plures sequuntur mulieres quam viri. Multi etiam parvuli sequuntur, præcipue cum multi essent inter eos qui sequebantur eum, ut sine sollicitudine haberent ab eo necessaria victus. Joan. vi, 26: *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus*.

Mystice autem dicit Glossa, quod per quinque millia significantur illi, qui in sæculari adhuc habitu existentes, quinque sensibus bene uti noverunt. Illi enim usus sensuum, ad perfectionem quadrati cubiti numeri virtutum referunt. Et ideo quinque panibus, Moysi instructionibus adhuc aluntur. Sed taliter exponere facile est, et habetur in Glossa. Nos autem litteræ insistimus. Et ideo dicit tantam multitudinem esse commemoratam, ad magnitudinem miraculi commendandam.

« Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per convivia quinquagenos.

Et ita fecerunt. Et discumbere fecerunt omnes. »

15

Hic incipit Apostolos instruere de ministerio Prælati debito.

Et tangit tria: quorum primum est, quod discumbere homines faciant per convivia. Secundum autem, discipulorum ministerium. Tertio, opus turbarum ad ministerium Apostolorum.

Dicit igitur tangendo tria: discubium, ordinem discumbentium, et numerum satiatorum.

De primo dicit: « *Facite,* » sicut ministri, « *homines,* » rationales, « *discumbere,* » commode sedere: ita quod incommoditas sessionis cum lassitudine

<sup>1</sup> Cf. Luc. v, 29.

<sup>2</sup> Cf. Joan. xii, 6.

<sup>3</sup> I Petr. i, 18 et 19.

non tollat eis dulcedinem refectionis. Discubitus enim sicut in ante habitis diximus, positio est corporis composita reclinacione et sessione.

« *Facite* » ergo vos discubitus, sicut boni ministri. I ad Corinth. iv, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Isa. LXI, 6 : *Ministri Dei nostri, dicetur vobis.* Discubitus autem in quibus discumbunt fideles, gradus sunt ordinis vitæ, in quibus ad Christum vocantur, et sacramentis reficiuntur : unus quidem cum sibi similibus in matrimonio, alius in clericatu, alius in dominio, alius in religione, et sic de aliis. I ad Corinth. vii, 20 : *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* De discubitibus istis dicitur in Psalmo XLVII, 14 : *Distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.*

Sic ergo facite

« Illos discumbere, »

Hoc est, homines rationales, ut quilibet secundum rationem sui ordinis sit in Dei refectione, ita quod pabula competentia ministrentur cuilibet. I ad Corinth. xv, 23 : *Unusquisque in suo ordine.* Quidam enim in hoc ordine Christo fuerunt propinquiores, et quidam remotiores : tamen omnes in lumine, et in cura, et in refectione ipsius. Sapient. vi, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est ei de omnibus.* Jacob. 1, 5 : *Dat omnibus affluenter, et non improperat.*

Discubitus autem iste, sicut dicitur, Matth. xiv, 19, stramento fœni quod multum erat in loco propter lassorum recreationem, est ordinatus. Fœnum autem mollitiem significat carnis. Isa. xl, 6 : *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri.* Docet autem et nos hic, quod tempore lassitudinis mollioribus licet uti stramentis. Sed non licet in deserto religionis vel pœnitentiæ resoluta quærere. Matth. xi, 8 : *Qui mol-*

*libus vestiuntur, in domibus regum sunt.*

« Per convivia, »

Hoc est, per societates convivantium, ut unusquisque sederet in ordine suæ societatis, nobilis cum nobili, et minor cum minore. Hic enim ordo sapientiæ placet divinæ. Genes. XLIII, 33 : *Sederunt coram eo, primogenitus juxta primogenita sua, et minimus juxta ætatem suam.* I ad Corinth. xiv, 40 : *Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis.*

« Quinquagenos. »

Hoc dicit secundum longitudinem numeri sedentium in una linea. Multæ enim lineæ comedentium discubuerunt in campo. Significat hic numerus remissionem : quia annus quinquagesimus remissionis fuit annus. Et numerus dierum quinquaginta a Pascha (fuit tempus oblationis primitiarum) ad Pentecosten, quando in igne accipiendus erat Spiritus sanctus. Act. ii, 1 et seq. : *Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes, scilicet discipuli, pariter in eodem loco : et factus est repente de cælo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, ... et repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Congregatio enim turbarum congregationem significat discipulorum. Repletio turbarum repletionem significat Apostolorum. Hæc est igitur causa, quod quinquageni in numero sunt ad invicem ordinati.

« Et ita fecerunt. »

Ecce obediens Domino ministerium Apostolorum. Exod. xxiv, 7 : *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes.*

« Et discumbere fecerunt omnes. »

Tangitur reficiendorum qualitas. Nullus enim excipitur a largiflua refectione ipsius, *qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum*<sup>1</sup>. Et iterum, Psal. cXLIV, 16 : *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.*

Attendendum autem, quod non reficitur nisi in aliquo gradu et ordine discumbens. Et sic etiam Prælati ignotos et inquietos gradum et ordinem suæ vitæ non demonstrantes sacramentali refectione reficere non debent. Matth. xv, 26 : *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.* Matth. vn, 6 : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

Omnibus autem in ordinibus Ecclesiæ discumbentibus Ecclesiæ sacramenta præbenda sunt, et nulli neganda. Nec sunt vendenda, sicut jam ante diximus, sed liberaliter et gratis conferenda. Proverb. xi, 26 : *Qui abscondit frumenta maledicetur in populis. Benedictio autem super caput vendentium, hoc est, distribuentium pro mercede æterna.* Non enim sacramenta sunt ministrorum, sed sunt Christi. Et impius est minister qui bona Christi subtrahit filiis Dei.

**16** « Acceptis autem quinque panibus, et duobus piscibus, respexit in cælum, et benedixit illis, et fregit, et distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas. »

Hic agitur de perfectione miraculi.

Et tangit tria. Primo enim tangit ea quæ perficiunt per modum causæ. Secundo, tangit ordinem ministerii. Tertio, ea quæ faciunt ad commendationem miraculi.

Quæ autem perficiunt miraculum per modum causæ, sunt quatuor : acceptio scilicet, respectus in cælum, benedictio, et fractio. Est autem acceptio materiæ ciborum. ad divinam virtutem (quæ in manibus suis erat) revocatio. Respectus autem in cælum, significat cælestis et divinæ virtutis (quæ est in Patre et Spiritu sancto) concordem cum sua virtute, et indivisam operationem. Benedictio significat boni divini in panem descendentis multiplicationem. Fractio significat istius boni ad capacitatem singulorum divisionem.

Per primum confutatur Manichæus dupliciter secundum duas expositiones. In hoc enim quod materiam veterum ciborum accepit, non novam creavit, ostendit quod visibilia corporalia ad esum corporis pertinentia ipse fecit, et quod non sunt facta a principe tenebrarum, et maledicta : sicut dicit Manichæus. Joan. i, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* I ad Timoth. iv, 1 et seq. : *Spiritus manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem : quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur : sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.* Ex hoc patet, quod si princeps tenebrarum ista visibilia fecisset, et ideo immunda essent, numquam ea Christus multiplicanda in manus accepisset, sed nova creasset.

Dicit etiam Manichæus, quod a malo Deo principe tenebrarum data sit lex Moysi. Si ergo secundum aliam expositionem, quinque panes sunt librorum Moysi refectiones, numquam Christus

<sup>1</sup> Psal. cXLVI, 9.

Moysi per doctrinam spiritualem intellectum multiplicasset, accipiendo eam ad seipsum, sed refutatam abjecisset, et novam doctrinam attulisset. Sic ergo accepit ad se panes et pisces : ut ea quæ creando fecit, ad se accipiendo divinæ conjungeret virtuti, et in contactu manuum divinarum, panes et pisces multiplicando augetet. Matth. xxvi, 26 : *Accipit Jesus panem*, etc. Et quos in corpus suum mutavit, eadem potentia multiplicavit. Accipit etiam, quando sicut bona a se creata accepta habuit, Genes. i, 31 : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat : et erant valde bona.*

Dicunt etiam hæretici immundum esse, quod per coitum generatur. Et si est hoc verum, tunc Christus non accepisset pisces, qui pro certo per coitum maris et fœminæ et generant et generantur. Sed hoc facit hæreticis errorem, quia ignari sunt et idiotæ, et præsumunt docere quod nesciunt. Multis enim modis coeunt animalia : quædam diu, sicut quæ exterius habent pendentes testiculos : quædam velociter, sicut quæ interius habent testiculos : quædam per conjunctionem velocissimam genitalium pororum, sicut pisces : quædam per reflexionem et implicationem corporum circa se invicem, sicut serpentes. Et alii multi modi sunt coeundi. Quibus omnibus Deus concubitus et permutationem sexuum et seminum indulsit, quando ea masculum et fœminam creavit, et multiplicari præcepit. Et ideo etiam ut hi confutentur, pisces cum panibus assumpsit : quamquam et in ipsis plantis, et in omnibus quæ generant, oporteat esse virtutes permixtas maris et fœminæ. Et nisi segetes ubique imprægnarent se et imprægnarentur, nullum granum ex ipsis generaretur. Nec manus Dei umquam talia contingeret, si hæc a principe tenebrarum creata essent. Manus enim Dei nihil tangunt quod immundum sit : quin etiam his quæ aliquam immunditiam per corruptionem sunt passa, conferunt tactu suo mundi-

tiam, ut leprosis et mortuis : sicut sæpe in ante habitis dictum est.

« Respexit in cœlum. »

Ut indivisam suam et Patris (qui in cœlo est) et Spiritus sancti ostenderet operationis virtutem. Joan. v, 17 : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Joan. i, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* Matth. xi, 25 : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ.* Sic in cœlum respexit suscitans Lazarum, Joan. xi, 41 et 42, dicens : *Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis.* Respexit etiam in cœlum, ut adstantes respicere in cœlum doceret ad Patrem cœlestem. Psal. xxiv, 15 : *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Psal. cxx, 1 : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.*

« Et benedixit illis. »

Qua benedictione verbali usus sit, vel quo signo, non legitur. Sed hoc certum esse constat, quod bonum cœleste panibus et piscibus indidit, quod eisdem dedit virtutem multiplicativam, quia sic omnis benedictio Domini intelligitur quod incrementa dat bonorum. Job, i, 10 : *Operibus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra.* Genes. i, 28 : *Benedixit illis Deus, et ait : Crescite et multiplicamini.* Sic ergo benedixit, quando virtutis suæ escis illis bonum indidit.

« Et fregit, »

Hoc est, ad capacitatem uniuscujusque divisit. Parvuli enim in Christo integrum cibum non capiunt, nisi dividatur, et proportionata viribus eorum apponantur. Et hoc est miraculum quod pauci advertunt, quod ex eodem genere cibi, et parvulis convenientia (qui tamen liqui-



dum desiderant cibum) et maturioribus competentia (qui solidum cibum requirunt) et infirmis (qui gratia curationum sequebantur, qui levem quærunt cibum ab infirmo stomacho vincibilem) exhibuit. Et quod in desiderio naturali unicuique saporem quem desideravit, præsentavit. Sapient. xvi, 21 : *Deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.*

Attende autem, quod sicut tunc, ita et nunc, suis quidem viribus semper Dominus escam omnem frangit : licet forte manus hominis ministret aliquando ad fracturam. Nullus enim ex una materia conditum in tot sapes, et in tot qualitates diversorum edentium, cibum convertere posset, nisi Deus. Sic facit in cibo corporali. Sic etiam in Eucharistia. Sic in verbo suo quotidie perficit fractionem.

Sed, heu ! hodie, quia deficiunt manus Apostolicæ operantes in fractione per ministerium, stat turba in deserto expetens escarum benedictionem et non accipit a Domino. Thren. iv, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Et, ibidem, ii, 12 : *Matribus suis dixerunt, hoc est, Prælati : Ubi est triticum et vinum?... cum exhalarant animas suas in sinu matrum suarum ?* hoc est, in subjectione Ecclesiarum, sive parochiarum. Dicunt enim nostri temporis Prælati contrarium ejus quod dicitur, Isa. iii, 7, pro parte, et conveniens pro parte. Dicunt enim : *Non sum medicus, scilicet animarum, sed tyrannus, oppressor, et interfector. Et in domo mea non est panis, scilicet verbi, et sacramenti, et virtutis.* Quia nec verbum est mihi in doctrina, nec operatio sacramentorum in cura, nec gratia virtutis in conversatione. Et tamen constituite me judicem populi hujus, ut qui ruit totus corruat, et numquam adjiciet ut resurgat<sup>1</sup>. Et hoc est quod conqueritur Dominus, Isa. lii, 5 : *Dominatores ejus*

*inique agunt, dicit Dominus, et jugiter toto die, nomen meum blasphematur, scilicet inter Gentes. Dominatores imperio dominantes, et non forma facti gregis ex animo, sunt majores in Ecclesia, constituti optimates capita populorum*<sup>2</sup>. Iniquissime agunt, quia nullum in Ecclesia nisi malum regimen assumunt. Et ideo nomen Christi factum est abominabile, et blasphematum.

« Et distribuit discipulis tuis. »

Hic tangit distributiones ministrorum. Non enim omnibus omnia commisit : nec uni sic omnia, quod non haberet aliquos in parte suæ sollicitudinis : non omnia per seipsum perfecit, cum tamen hoc facere potuisset. Sed unicuique in ordine vicis suæ ministeria ordinatim distribuit. Unde, III Reg. x, 5, Regina Austri mirata est ordines ministrantium in domo veri Salomonis. Daniel. x, 11 : *Stas in gradu tuo.* Sic enim ordinatum est regnum cæleste in Angelis : et sic ordo Ecclesiasticus de cælo descendit. Job, xxxviii, 33 : *Numquid nosti ordinem cæli, et pones rationem ejus in terra ?* Sic, Luc. i, 9, Zacharias in ordine vicis suæ sorte exiit, ut incensum poneret, quando revelatus est ei Angelus novæ gratiæ nuntiator.

« *Discipulis suis* » distribuit, quia ministerium in populum Dei accipere non debet, qui discipulus Christi non est. Ad Galat. ii, 8 : *Qui operatus est Petro in apostolatam, scilicet circumcissionis, operatus est et mihi inter Gentes.* Unde, Luc. xxii, 23, dixit discipulis : *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Psal. xlv, 17 : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos principes super omnem terram.*

« Ut ponerent ante turbas. »

Ecce finis ministerii. « *Ut ponerent,* »

<sup>1</sup> Cf. Isa. iii, 7 et 8, et Psal. xl, 9.

<sup>2</sup> Amos, vi, 1.

nihil aliud nisi quod a Domino acceperunt, « *ante turbas.* » I ad Corinth. xi, 23 : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis.* Fidelis autem servus est et minister, cui nihil adhæret in manibus quod a Domino accepit, quin fideliter et utiliter proponat turbis. Matth. xxiv, 45 : *Fidelis servus et prudens quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore.* Sed hodie accepta a Domino Apostolici nostri usurpant sibi, nihil utilium turbis proponentes. Pro certo quia fures sunt et furum socii, habentes Judæ apostolatium, Dominum vendentes pro pecunia, quam loculis suis ingerunt et turbæ non proponunt, dispensatione (quæ omnia dissipat) se excusare molientes, et jura vocantes statuta sua : quæ sic statuunt, ut sibi totum et nihil familiæ Christi proponatur.

17 « Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit illis fragmentorum cophini duodecim. »

Tangit miraculi commendationem a tribus : a multitudine manducantium, a saturitate cibos in veritate non phantastice sumentium, a superabundantia fragmentorum.

Dicit igitur : « *Manducaverunt omnes,* » hoc est, tota illa multitudo quinque millium virorum, exceptis parvulis et mulieribus. Dicit autem Augustinus, quod simili virtute multiplicat, sicut de paucis granis segetes creat, unde escas toti mundo largitur. Et ex hoc patet falsum dicere eos qui dicunt, quod hos panes ita multiplicaverit, quod nihil creando addiderit : sed in seipsis multiplicando in tantam quantitatem cibos istos produxerit. Et similiter dicunt de segeti-

<sup>1</sup> Vide D. Thomam, III P. Quæst. 44, art. 4 in sol. 4 arg. (Nota edit. Lugd.)

bus, quæ singulis annis generantur. Isti sunt qui opus naturæ in miraculum convertere nituntur, et philosophiam naturalem destruunt, et positiones quasdam vel potius fictiones asserunt, quibus sine omni ratione probationis credi volunt.

Ego autem sine melioris sententiæ præjudicio dico, quod in totam multitudinem esca ista multiplicata est per additionem materiæ elementorum in formam panis et piscium conversæ : bene credens quod Deus de omnipotentia facere quod vult potest <sup>1</sup>. Sed non credo eum hoc quod dicunt voluisse : quia nulla ostenditur ratione quare hoc voluerit. Et in creatura in qua operatus est, multo rationabilius, quod augeatur per additionem alicujus alterius, quam quod sine additione in seipsa multiplicetur.

« Et saturati sunt. »

Quod non esset si phantastica, ut hæretici dicunt, esset repletio : quia id quod phantasma est, non implet nec satiat. Psal. xxi, 27 : *Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum.* Isa. ix, 3 : *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe.*

« Et sublatum est quod superfuit illis. »

Ecce tertium a quo commendatur miraculum : quia plus est de superfluo quam fuerit de principali primo, quod fuit quasi semen multiplicatum. Divina enim virtus semper exuberat et excrecit.

« Fragmentorum cophini duodecim. »

Duodecim cophini significant reliquias duodecim Apostolorum, in nos redundantes. Quæ etiam significantur per duodecim panes propositionis <sup>2</sup>. Fragmenta

<sup>2</sup> Cf. Levit. xxiv, 5.

enim sermonum Dei per eos in nos derivata sunt, reservata in cophinis, hoc est, in codicibus duodecim Apostolorum, et in doctrinis in quibus Dominus præcepit. Matth. xiv, 20, ut colligerentur in memoria cordium, et in cophino codicum ut non perirent. Habacuc, II, 2 : *Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit.* Apocal. I, 11 : *Quod vides, scribe in libro, et mitte septem Ecclesiis quæ sunt in Asia.*

Significat etiam cophinus (qui est instrumentum per quod de viis fimus ejicitur) quod per doctrinas istas omnino ab Ecclesia corruptionis immunditia portetur. Psal. LXXX, 7 : *Divertit ab oneribus dorsum ejus : manus ejus in cophino servierunt.* Christus enim et Apostoli exemplis duodecim et doctrinis, et onera nostra portaverunt usque ad lassitudinis incurvationem, et cophinis doctrinæ duodenæ immunditias nostras purgaverunt : ut veniens Dominus noster ad corda fidelium, nihil inveniat quod oculis majestatis ejus offendat.

Ex hoc igitur miraculo ad formam vitæ præscriptam sunt confortati, ne solliciti sint aliquid secum in via tollere, securi quod procurator eorum Christus omnia de paucis augens abundanter ministrabit.

18 « Et factum est, cum solus esset orans, erant cum illo et discipuli. »

Hic jam confirmatis Apostolis secundum vitæ formam sibi traditam, de non sollicitos esse, de non tollendo aliquid in via, perficit totam hanc formam vitæ, ostendendo qualiter in hoc Christus sequendus est : sicut et Petrus dixit, Matth. XIX, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Ubi dicit Hieronymus, quod non sufficit omnia relinquere, hoc enim et Socrates fecit philosophus. Unde adjungit quod per-

fectum est, dicens : *Et secuti sumus te.*

Hic igitur agit qualiter Christus sequendus sit.

Ad hoc autem tria exiguntur. Quis videlicet sequendus sit, ne erretur in persona : in quo sequendus, quia in tollendo crucem : ad quid sequendus, quia ad gloriam resurrectionis quam ostendit in transfiguratione. Et de his tribus agit hic per ordinem. Et hæc etiam est causa quare hic eodem ordine inducuntur.

In prima harum partium duo facit. Varias enim et vanas et imperfectas hominum de sua persona quis sit, sententias et opiniones a cordibus Apostolorum excludit, et veram adstruit de sua persona sententiam. Et secundo, quid de se futurum sit, et qualiter se sequentes præcedit, ostendit.

Adhuc autem duo facit in prima harum partium. Primo, excludit quæ jam dicta sunt, scilicet, varia et imperfecta ab hominibus de se dicta : et secundo, elicit ad confessionem Apostolorum, vera et sufficientia fidei Christianæ.

In prima harum tres sunt paragraphi : in quorum primo dicit, qualiter ad istam narrationem deventum est. In secundo, ponitur de hoc, quæ de se sit apud homines opinio, interrogatio. In tertio autem, discipulorum ad interrogata responsio.

In primo tria facit. Notat enim primo continuationem, non temporis, sicut sæpe diximus, sed potius probationis, qua suam adstruit intentionem de forma vitæ confirmanda.

Et hoc est quod dicit :

« Et factum est, »

In opere temporali, sicut præfinivit in consilio suo ætærno Deus. Isa. xxy, 1, secundum translationem Septuaginta : « Consilium tuum antiquum verum fiat <sup>1</sup>. »

<sup>1</sup> Vulgata habet : *Fecisti mirabilia, cogitatio-*

*nes antiquas fideles. Amen !*

Secundo, dicit qualiter oravit pro his quos paverat,

« Cum solus esset orans. »

Homo enim cum orat solus esse debet, non tam in corpore, quam in secreto conscientiae. Matth. vi, 6 : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum.* Mirandum autem est de Domino quomodo indefesse semper fecit, et operatus est salutem nostram. Turbas enim advenientes benigne recipit, de regno Dei erudit, infirmis curationem impendit, egentes pascit, pauperibus ministrari per Apostolos præcipit, omnes consolatos dimittit, sine turbis totum se in oratione ad Patrem pro dimissis effundit. Ad Hebr. v, 7 : *In diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Jerem. xviii, 20 : *Recordare quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis.* II Machab. xv, 14 : *Hic est fratrum amator, et populi Israel : hic est qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate.* In his enim operibus, Apostolis et omnibus Prælati formam dedit : quamvis, heu ! non sint constituti qui eum audiunt in parte ista.

Tertium autem est, quod in secreto orationis

« Erant cum illo et discipuli, »

Non quidem omnino in loco orationis, sed in loco dimissionis turbarum. Unde et Matth. xvi, 13, dicit, quod quando istam interrogationem fecit, quod venit in partes Cæsareæ Philippi, qui locus circa eundem locum est, ubi ista contigerunt. Discipulos enim assumpsit, ut sicut formam ab ipso acceperant in proximorum ædificatione quam circa turbas exhibuit : ita formam acciperent in ora-

tionem, quam in secreto ad Patrem effudit. Luc. xviii, 1 : *Oportet semper orare, et non deficere.*

« Et interrogavit illos, dicens : Quem me dicunt esse turbæ ?

At illi responderunt, et dixerunt : Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero quia unus Propheta de prioribus surrexit. 19

Dixit autem illis : Vos autem quem me esse dicitis ? Respondens Simon Petrus, dixit : Christum Dei. 20

At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc, 21

Dicens : Quia oportet Filium hominis multa pati, et reprobari a senioribus, et principibus sacerdotum et Scribis, et occidi, et tertia die resurgere. » 22

Ecce interrogatio, quæ sit hominum de se opinio. Dat autem exemplum Prælati, quod aliquando etiam ab inferioribus requirant, quæ de eis sit fama. Fama enim multum requiritur in Prælati. Iad Timoth. iii, 7 : *Oportet Episcopum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli.*

« Quem me dicunt esse turbæ ? »

Duo dicuntur hic : interrogatio, et responsio.

Interrogatio « *Quem,* » in persona, « *me dicunt esse turbæ ?* » cum tot signa meæ deitatis viderint, tot beneficia a me receperint, tot testimonia Legis et Prophetarum audierint, tot doctrinis eruditi sint, tot exhortationibus ad credendum mihi sint invitati : tot testibus, Joanne, et vobis, et discipulis sint convicti. Per omnia enim hæc famæ bonæ de persona sua dedit causam. Sed qui per nullum

bonum meritum famam sibi fecit, frustra de fama bona facit quæstionem, sed suam ab omnibus potest audire infamiam. Psal. ix, 6 : *Non movebor a generatione in generationem sine malo.* Mala enim quæ perpetravit per infamiam, eum a generatione in generationem moveri super linguas hominum effecerunt. *Velociter enim currit sermo ejus* <sup>1</sup>.

« At illi responderunt, et dixerunt. »

Ecce discipulorum ad interrogata responsio.

Alii « *Joannem.* » Responsio ista fidelis quidem est in veritate, et insufficientis tamen in confessione. Fidelis quidem, quia nec plus nec minus habet quam erat in dicto turbarum. Et est contra eos, qui libenter audiunt verba mendacii, dummodo dicantur eis placentia. Isa. xxx, 10 : *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Proverb. xxix, 12 : *Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios.* Isti autem meram et simplicem dictorum a turbis referunt veritatem. Ad Ephes. iv, 25 : *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : quoniam sumus invicem membra.*

Dicunt ergo:

« Joannem Baptistam. »

Tres diversitates opinionum referunt : quas etiam supra explanavimus, et assignavimus rationes earum.

Alii ergo dixerunt eum esse « *Joannem Baptistam* : » propter vitæ excellentiam, et nativitatis privilegium, et baptismatis purificationem. Et fuit hæc magna fama, sed non sufficiens. Magis enim debuerunt credere Joanni

qui dixit, Joan. iii, 28 : *Quia non sum ego Christus,* sed Agnus Dei quem demonstravit Joannes, et Verbum Dei quod prædicavit vox, quæ fuit Joannes. Joan. i, 9 : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Cui testimonium perhibuit lucifer et lucerna Joannes. Lucifer, Job, xxxviii, 32. Lucerna, Joan. v, 35. Sed sponsus Ecclesiæ, cujus sponsam Ecclesiam dixit esse paranympus Joannes <sup>2</sup>. Verbum enim Dei Filium, eo Filium quo Verbum, et Agnum Dei, et lumen mentium, et sponsum Ecclesiæ credere Dei Filium, est credere Joanni Baptistæ.

« Alii autem Eliam. »

Propter suscitationem mortui <sup>3</sup>, et propter divisionem Jordanis <sup>4</sup>. Et hoc est insufficientis : quia Elias, non Dominus : sed in spiritu et virtute Eliæ, Domini præcurrit præco et servus <sup>5</sup>.

« Alii vero quia unus Propheta de prioribus surrexit. »

Aut Eliseus, aut ille de quo Moyses prædixit, Deuter. xviii, 15 : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies.* Et hæc etiam opinio fuit insufficientis : quia, Matth. xi, 12 et 13, dicitur : *A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Omnes enim Prophetæ et Lex usque ad Joannem prophetaverunt.* Et ideo nunc apparet Dominus prophetarum. Act. x, 43 : *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen ejus.* Ad Hebr. iii, 5 et 6 : *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant.*

<sup>1</sup> Psal. cXLVII, 15.

<sup>2</sup> Cf. Joan. iii, 29.

<sup>3</sup> Cf. III Reg. xvii, 22.

<sup>4</sup> Cf. IV Reg. ii, 8.

<sup>5</sup> Cf. Luc. i, 17.

*Christus vero tamquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos.* Sic ergo istæ opiniones Christo Filio Dei sunt insufficientes.

Unde sequitur :

« Dixit autem illis. »

Veram ab eis confessionem eliciendo. Quasi dicat : Homines humana videntes, et insufficientem de me habentes confessionem, et humana sentientes, non intelligentes ea quæ sunt sapientiæ divinæ, sic dicunt,

« *Vos autem,* » quibus datum est nosse mysterium regni Dei, qui in solido veritatis estis fundati, qui ad familiares revelationes præ cæteris admissi, « *quem,* » in persona, « *me esse dicitis,* » corde credendo, et ore confitendo? Ad Roman. x, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et ab isto loco traxit rationem examinatio Episcoporum de fide et confessione antequam ordinentur in Episcopos : quia Christus de confessione sua examinavit Apostolos. Non enim debet esse Episcopus, qui veram et sufficientem fidem, et confessionem non habet de Christo.

Post hanc autem examinationem sequitur responsio. Et hoc est quod sequitur :

« Respondens Simon Petrus, dixit. »

Qui princeps erat omnium, pro omnibus respondit : quia omnium cura et confirmatio ad eum pertinuit. Luc. xxii, 32 : *Tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.*

« Christum Dei. »

Matth. xvi, 16, additur : *Tu es Christus, Filius Dei vivi,* etc. Sed hæc omnia in isto dicto continentur. Christus

enim unctus est, in quo intelligitur unctio deitatis, et uncta humanitas, et ungens Pater, et unctio Spiritus. Isa. lxi, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me : ad annuntiandum mansuetis misit me.* Unde, Act. x, 38 : *Quem unxit Deus Spiritu sancto, et virtute.*

Ex constructione enim transitiva Christus ad aliam personam pertinet, et ad aliam Dei, quando dicitur : « *Christum Dei.* » Intelligitur enim Dei Patris. Unxit enim Deus eum in Regem, et Sacerdotem. In Regem quidem fidelium, Isa. xxxiii, 22 : *Dominus legifer noster, Dominus rex noster : ipse salvabit nos.* Psal. xlii, 7 et 8, et ad Hebr. 1, 8 et 9 : *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi : virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ participibus tuis.* De sacerdotio autem, Psal. cix, 4 : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech,* qui et rex et sacerdos fuit Dei summi<sup>1</sup>. Rex quidem in promulganda justitia et justitiæ legibus. Sacerdos autem in offerenda pro nobis suæ animæ hostia. Sic ergo Christus Dei, Filius Dei vivi est unctus in regem et sacerdotem.

Et hæc est confessio fidei Christianæ de qua dicitur, Matth. xvi, 18 : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hæc, inquam, est confessio, quam non decepta hominum opinio genuit, sed Pater de cælis Deus, qui suum Filium mundo ostendit, per seipsum revelavit. Unde, Matth, xvi, 17, dixit : *Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est.* Propter quam etiam Simon Petri nomen accepit, quod *agnoscens* interpretatur, vel *rupes*. Per revelationem enim istam agnovit : et propter soliditatem veritatis in hac confessione, rupes ut in ipso fundaretur Ecclesia,

<sup>1</sup> Cf. Ad Hebr. vii, 4, et Genes. xiv, 18.

vocatus est. In hac ergo confessione veritas personæ exprimitur ejus qui vere sequendus est sicut pastor et caput Ecclesiæ.

Unde etiam post elicitam confessionem, adjungit hujus veritatis occultationem usque ad sacramentorum Dei completionem. Et hoc est quod sequitur :

« At ille increpans, etc. »

Dicit autem duo : occultationem, et suam qui sequendus est præcessionem.

De occultatione quidem dicit : « *At ille increpans.* » Increpatio autem ista non fuit aliud quam sub interminatione fidelitatis interdicio, quia increpatione objurgationis non erant digni, præcipue cum magna laude extollatur Petrus, propter istam confessionem<sup>1</sup>. Nahum, 1, 4 : *Increpans mare, et exsiccans illud, et omnia flumina ad desertum deducens.* Mare dicitur hic ista infinitæ et æternæ veritatis confessio : quod exsiccavit, quando taceri et occultari præcepit. Flumina autem sunt doctrinæ hanc veritatem confitentium Apostolorum, quæ adduxit ad desertum, quando sileri præcepit hanc veritatem a turbis Judæorum. Lucæ, iv, 47 : *Increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.* « *Illos* » dicit, cum unus solus respondit : quia ille pro omnibus dixit veritatem, et omnes alii consenserunt.

Glossa autem multas causas reddit quare istud taceri præcepit : unam quidem, ut fallat principem mundi : secundam autem, ut declinet jactantiæ vitium, et doceat humilitatem : tertiam autem, ne adhuc rudes et imperfecti discipuli, majoris prædicationis mole premanur,

Si autem hoc fallit principem, non potest hoc intelligi, nisi quod princeps mundi fallatur in membris suis, quæ si scirent esse Christum Dei, *numquam Dominum gloriæ crucifixissent*<sup>2</sup>. Vel forte verius, quia si hæc veritas mem-

bris diaboli prædicaretur, statim in scandalum insurgerent et occiderent eos et Dominum, antequam scripta de Deo Christo sacramenta complerentur. Diabolus autem in se falli de hoc non poterat, qui etiam ista verba a Petro prolata, auditu spirituali percipere poterat. Nisi aliquis forte dicat, quod hoc Dominus ab ipso occultabat. Sed hoc nihil esse videtur : quia similiter dici posset, quod etiam prædicationem Apostolorum a diabolo Dominus potuit occultare. Unde primum, quod scilicet in membris facta est ista occultatio, rationabilius est dictum.

Secunda autem causa plana est.

Tertia autem sic est intelligenda, quod mole majoris prædicationis, hoc est, majorum sacramentorum quam portare poterat carnalis affectus eorum, tunc premerentur. Quia carnalis affectus eorum non sinebat eos tunc credere, quod ille qui Christus Dei fuit, dura et ignominiosa pati deberet. Unde, Matth. xvi, 22, dixit Petrus : *Absit a te, Domine : non erit tibi hoc.* Et ideo nisi carnali affectu extincto per spiritum, non poterant portare tale pondus prædicationis. II ad Corinth. v, 16 : *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.*

Talibus igitur de causis increpans eos,

« Præcepit ne cui dicerent hoc. »

Pati enim et exprobrari videre eum qui Filius Dei esse prædicatur, magis induceret infidelitatis scandalum quam fidei esset argumentum. Cum autem Resurrectionis apparebit testimonium, et victæ mortis et inferni argumentum, et Ascensionis in cælum apparebit stupendum miraculum, et Spiritus missus in omnibus his dabit testimonium : tunc tempus erit de Christo sublimia prædicare. Psal. xcii, 4 et 5 : *Mirabilis in al-*

<sup>1</sup> Cf. th.

<sup>2</sup> I ad Corinth. ii, 8.

*tis Dominus. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis : ipso resurgente, et ascendente, et de cœlo per Spiritum missum dante testimonium.*

Et hoc est quod sequitur :

« Dicens : Quia oportet Filium hominis. »

Tria autem dicit ad passionem et irrationem pertinentia, et unum quod est quartum consequens hæc, quod pertinet ad gloriam.

Primum inter tria pertinet in genere ad passionis mulctam. Et hoc est quod dicit : « *Quia oportet.* »

Tangit autem duo, scilicet secundum quam naturam patitur, et multitudinem passionum.

Primum tangit in hoc quod dicit : « *Quia oportet,* » hoc est, opportunum est ad finem redemptionis. Luc. xxiv, 26 : *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ?* Ista oportunitas est pro nobis assumpta : quia quamvis alius modus nostræ redemptionis fuerit possibilis, ut dicit Augustinus, tamen miseræ nostræ sanandæ nullus fuit convenientior.

« *Multa pati.* »

Ecce tangit multifariam Christi passionem. Multa enim genera passionum sustinuit : ligaturas, impulsionem, tractus, trusiones, sputa, colaphos, alapas, flagella, denudationes, puncturas spinatum, bajulationes crucis, clavos, extensiones, et lanceam, et omnia hujusmodi, ita ut, Thren. i, 12, clamet, et dicat : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus !* I Petr. i, 11 : *Spiritus sanctus prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias.*

« *Et reprobari, etc.* »

Hoc pertinet ad vituperium.

Reprobatur autem « *a senioribus,* » qui videntur habere sapientiam per experimentum ætatis. Daniel. xiii, 5 : *Egressa est iniquitas de Babylone a senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum.* Isa. lxxv, 20 : *Peccator centum annorum maledictus erit.*

« *Et principibus,* » qui videntur sibi creditam habere potestatem. « *Sacerdotum,* » in quibus est potestas spiritualis. Joan. xi, 47 : *Collegerunt Pontifices et Pharisei concilium, et dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit,* etc. Psal. ii, 2 : *Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus,* etc.

« *Et Scribis,* » qui videntur consilium et clavem habere scientiæ et doctrinæ. Matth. xxiii, 13 : *Væ vobis, Scribæ et Pharisei hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines ! Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.*

« *Et occidi* »

Tandem in morte. Daniel. ix, 26 : *Occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est.* Luc. xxii, 2 : *Quærebant Principes sacerdotum et Scribæ quomodo Jesum interficerent.* Ista sunt propter quæ non expediebat adhuc Jesum Christum Filium Dei esse, prædicare.

« *Et tertia die resurgere.* »

Hoc solum pertinet ad consolationem. Et quando hoc adimplebitur, tunc tempus erit et oportunitas, Jesum Filium Dei esse publice et ubique prædicare. Osee, vi, 3 : *Vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus.* Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum. Psal. xl, 11 : *Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me : et retribuam eis.* Mortuus est enim Dominus in feria sexta, et resurrexit in die Dominica,



quæ est tertia post diem mortis, quam sua resurrectione sibi in Dominicam re et nomine consecravit.

Ecce qualiter præcessit.

**23** « Dicebat autem ad omnes. »

Hic incipit ostendere qualiter, et in quibus sequendus sit.

Habet autem hæc pars duas particulas : in quarum prima dicit hoc quod dictum est. In secunda autem, ejus ad hoc quod dictum est, ponit rationes persuasivas ad sic sequendum.

In primo adhuc duo sunt. Ostenditur enim primo hujus doctrinæ generalitas : quoniam non est via salutis nisi ista. Secundo autem, ipsa forma sequendi describitur.

Generalitas ostenditur per hoc quod dicit :

« Dicebat autem ad omnes, »

Quia omnes vult salvos fieri. I ad Timoth. II, 4 : *Qui omnes vult homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Psal. xxxv, 7 et 8 : *Homines et jumenta salvabis, Domine : quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.* Sapient. VI, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.* Sicut enim Creator est omnium, ita Salvator est omnium, nisi stet per ipsos. Et sicut Dominus omnium est, ita Redemptor omnium est. Ad Roman. X, 12 : *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* Sapient. VI, 8 : *Non subtrahet personam cujusquam Deus, qui omnium Dominus est.* Ad Roman. III, 29 : *An Judæorum Deus tantum? Nonne et Gentium.* Psal. cxii, 3 : *A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.* Ideo enim operatus est salutem in medio terræ, ut omnibus quantum est de se, parata sit sa-

lus. Marc. XIII, 37 : *Quod vobis dico, omnibus dico : Vigilate.* Nulla ergo locutio est nisi infidelis et insipientis, quod quosdam præparaverit ad mortem. Omnes enim creavit ad salutem, et promovet quantum exposcunt ab ipso. Ezechiel. XVIII, 31 et 32 : *Quare moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, et vivite.*

« Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. »

Hic describit formam sequendi.

Dicit autem tria. Primo enim sequentem ponit in libertate electionis. Secundo, sequentem monet a se remove re impedimenta insecutionis et consecutionis. Tertio, dat formam nostri Ducis qui præcedit nos.

De primo dicit quinque : in quorum primo tangit sequentium raritatem : secundo, sequentium dignitatem : tertio, sequentium libertatem : quarto, sequendi rectum tramitem : quinto, formam consequendi præcedentem nos nostræ militiæ Ducem.

Primum horum notatur per conditionem :

« Si. »

Quasi dicat : Rarus est, si tamen aliquis est. Matth. VII, 14 : *Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam! et pauci sunt qui inveniunt eam.* Matth. XX, 16 : *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Thren. I, 4 : *Vix Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem.* Hoc significatum est, quod cum Christus ivit ad crucem, quod *discipuli ejus relicto eo fugerunt*<sup>1</sup>. Joan. VI, 6 : *Durus est hic sermo! et quis potest eum audire?* Et abierunt retrorsum, et non amplius ambulaverunt cum eo. Per crucem enim et sui abnegationem, difficile

<sup>1</sup> Matth. xxvi, 56.

est sequi Christum. Joan. xvi, 32: *Venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis.* Ideo conqueritur Christus, Eccli. LI, 10: *Respiciens eram ad adiutorium hominum, et non erat.* Isa. LXIII, 3: *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.* Paucissimi enim sunt qui tollant crucem: nulli autem qui sic tollant suam, sicut ipse pro nobis tulit eam.

« Quis. »

Difficultatem notat et dignitatem. Psal. XCIII, 16: *Quis consurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?* Christus enim in cruce adversus malignantes consurrexit, et vicit. Ibi extensus stetit, et de peccatis et peccatoribus triumphavit. Sed rarus est, qui secum consurgat et steterit. Non enim in tempore illo inventus est nisi unus latro. Et etiam ille ab initio negavit, sed postea resipuit: quia difficile est valde clavatum et extensum stare in cruce. Sed tamen dignissimus est, qui steterit. Isa. LXIII, 1: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Non tantum de Christo dictum est, sed etiam de crucifixis cum Christo: qui cum de fragilitate carnis similiter aliis venerint, tamen tinctis vestibus sanguine Crucifixi veniunt de Bosra (quæ *munita* interpretatur) victores omnium munitionum diaboli: ideo demonstrantur cum gloria Joanni in Apocal. VII, 13 et 14: *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venerunt?... Et dixit mihi: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.*

« Vult. »

Notat arbitrii libertatem. Sicut enim ipse oblatus est, quia voluit: ita non dignatur aliquem habere sequentem, nisi qui sponte vult et libera electione. Unde

Chrysostomus dicit, quod « sicut agono-  
« theta sive adotheta stans juxta stadii  
« bravium, non compellit aliquem nisi  
« volentem, sed coronat vincentem, et  
« dat bravium præcurrenti: ita Dominus  
« Jesus Christus exhibet bravium et co-  
« ronam vincenti, sed ad certamen non  
« compellit aliquem. » Judicum, v, 9: *Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino.* II Machab. VI, 30: *Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis, quia cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores: secundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior.* Hæc sunt verba Eleazari martyris. Isa. LVI, 4 et 5: *Qui elegerint quæ ego volui, et tenuerint fædus meum, dabo eis in domo mea et in muris meis locum, et nomen sempiternum melius a filiis et filiabus: nomen dabo eis, quod non peribit.* II Machab. VI, 19: *Gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad supplicium.* In omnibus ergo his oportet electione voluntatis sequi, et crucem portare.

« Post me. »

Tangit rectum sequendi tramitem. Non enim errat qui post Dominum vadit. Ille enim exivit a Patre et venit in mundum, per crucem iterum relinquit mundum, et directe vadit ad Patrem: et ideo non errat qui post eum graditur. Joan. VIII, 12: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Eundem est ergo post eum, sicut ovis post pastorem, sicut miles post ducem, sicut athleta post adothetam. In primo itinere post Pastorem immolatum imus ad victimam. In secundo, adspicimus in nostra pugna ad pugnantem ante nos Ducem. In tertio, contendimus ad coronantem nos adothetam sive agonothetam.

De primo, Jerem. XVII, 16: *Ego non sum turbatus, te pastorem sequens: et diem hominis non desideravi, tu scis.*

Joan. x, 3 et 4 : *Proprias oves vocat nominatum, ... et ante eas vadit : et oves illum sequuntur.* Hujus gratia dixit, Matth. x, 16 : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum, a quorum dentibus et ipse prior pastor devoratus est.*

De secundo dicitur, ad Hebr. xii, 2 : *Adspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet.* Judicum, ix, 48 : *Dixit dux exercitus ad socios : Quod me videritis facere, cito facite.* Igitur certatim ramos de arboribus præcedentes, sequebantur ducem. Dux enim noster in arboris ramis tollens crucem præcessit. Certatim igitur et nos ramos præcedentes, et cruces nostras parantes sequamur. Ad Hebr. xiii, 12 et 13 : *Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.* Remanere enim, duce præcedente, est ignominiosum. Post eum autem ire est gloriosum, et tutum. Gloriosum quidem, quia duci se configurat. Tutum autem, quia qui post eum vadit, in umbra crucis præcedentis habet refrigerium. De primo, Eccle. ii, 12 : *Quid est, inquam, homo, ut sequi possit regem Factorem suum ?* Eccli. xxiii, 38 : *Gloria magna est sequi Dominum : longitudo enim dierum assumetur ab eo.* De secundo dicitur, Thren. iv, 20 : *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris : cui diximus : In umbra tua vivemus in Gentibus.* Psal. xvi, 8 et 9 : *Sub umbra alarum tuarum protege me. A facie impiorum qui me afflixerunt, hoc est, sub alis, expassis in cruce manibus.* Sic igitur post eum, sicut post ducem.

Tertio, Itur etiam post eum sicut adthetam coronantem. II ad Timoth. ii, 5 : *Non coronatur nisi qui legitime certaverit.* Leges ordinantes pugnam, a Christi exemplis sunt sumendæ. I ad Corinth.

ix, 25 : *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Et sequitur, 26 et 27 : *Sic pugno, non quasi aerem verberans : sed castigo corpus meum, et in servitatem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Sic igitur, « *Qui vult post me* »

« *Venire.* »

Hic dat formam consequendi præcedentem nos militiæ Ducem. *Ipse est enim currus Israel, et auriga ejus*<sup>1</sup>. Non enim qui post alium vadit, de necessitate venit : sed venit post alium, qui totam viam usque ad eum quem sequitur perficit. *Venire* enim est ad terminum itineris ire. Unde qui venit, ducem consequitur. Et ideo quærentibus discipulis, Joan. i, 38 et 39, ubi maneret, dixit : *Venite, et videte.* *Venire* ergo est perseverare. Matth. x, 22 : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Jerem. li, 50 : *Qui fugistis gladium, venite, nolite stare : recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum.*

Veniendum enim usque ad Dominum Jesum, et non revertendum nisi prius perveniamus : nec ab eo est discedendum. De primo, Matth. xi, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* De secundo dicit Psalmus lxxix, 19 : *Non discedimus a te, vivificabis nos : et nomen tuum invocabimus.* Crux enim reficit fructu quem portat ligni vitæ, et crux vivificat vita quam portat : et ideo et fructum habet, et *vitæ lignum* dicitur. Proverb. iii, 18 : *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam : et qui tenuerit eam, beatus.*

Sic ergo veniat qui *vult post me venire*, dicit Dominus. Sic Petro et Andreæ (quorum uterque per crucem ad Christum venit) dixit, Matth. iv, 19 : *Venite post me.* Sic de se dixit, Joan. xii, 32 : *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham*

<sup>1</sup> IV Reg. ii, 12.

*ad meipsum.* Omnia enim sibi per crucem in cruce attraxit. Sic de omnibus communem sententiam dedit, Isa. LI, 10 : *Posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati.* Profundum enim maris est profundum Christi passionis, per quam transeunt liberati. Et ideo statim sequitur, ꝑ. 11 : *Et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur : et venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium et lætitiā tenebunt : fugiet dolor et gemitus.*

« Abneget semetipsum. »

Hic monet sequentem a se removeere insecutionis et consecutionis impedimenta.

Notantur autem circa hoc duo : modus removendi, et quid sit removendum.

Modus removendi est in hoc quod dicit : « *Abneget.* » Est autem verbum decompositum. Componitur autem a præpositione *ab*, et *nego* verbo, quod est compositum ex *non* et *ago*. Et sic *abneget*, verbum decompositum est ex præpositione, quæ notat remotionem, et adverbio negandi significationem habente. Et notat negationem ut exercitam, et verbo actionem denotante : ut intelligatur quod abnegando, removeamur ab his quæ abnegamus, nihil penitus agentes. De illis, ad Titum, II, 12. : *Abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo.* Iste ergo est modus abnegandi, ut negantes actiones eorum quæ abneganda sunt, etiam removeamur ab his. Hoc significatum est, Genes. XIX, 17, ubi Angelus compulit Lot exire de Sodomis, et præcepit ut non staret in omni circa regione, sed in monte se salvum faceret. Non enim sufficit talia infanda non agere, sed oportet etiam ab agentibus per discessum se elongare. Ad Roman. I, 32 : *Non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte : non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Dicit autem Glossa ibidem, quod « consentit qui tacet, cum arguere possit. »

Quæ autem abneganda sint, tangit cum dicit : *Abneget*

« Semetipsum. »

Quod item decompositum est : quia sunt ibi duo pronomina, et in medio syllabica adjectio. Et est sensus, quod abneget se quod est, et hoc cujus ipse per se causa est, et quod sibi per seipsum inest. Homo enim de se humus et terrenus est. Eccli. XVII, 1 : *Deus creavit de terra hominem.* Genes. II, 7 : *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ.* I ad Corinth. XV, 49 : *Portavimus imaginem terreni.* Quia autem terra est, pondere suo gravis est ad sequendum. Hanc autem terram abnegare oportet, et virtute cœlesti supergredi, ut totus homo, cœlestis in conversatione et intellectu efficiatur. Joan. III, 31 : *Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur. Qui de cælo venit, super omnes est.* I ad Corinth. XV, 47 et 48 : *Primus homo de terra, terrenus : secundus homo de cælo, cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni : et qualis cœlestis, tales et cœlestes.* Unde unus cœlestium dicit, ad Philip. III, 20 et 21 : *Nostra conversatio in cœlis est : unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Hoc ergo et in hoc abneget se.

*Semet* autem abneget in hoc, cujus ipse secundum seipsum causa est. Hoc enim non est nisi malum. Quod enim per nos sine Deo facimus, malum est. Unde, Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* Nihil autem est peccatum, quia annihilat : et pejus quam nihil fiunt homines, cum peccant. Unde, Ezechiel. XXVIII, 19 : *Nihil factus es, et non eris in perpetuum.* Joan. I, 3 : *Sine ipso factum est nihil.* Osee, XIII, 9 : *Perditio tua, scilicet ex te, Israel.* Quasi dicat : *Quidquid tu ex te agis, perditio est.* Et hoc

quod sine me discrete agis, abnegandum est, ut ex me agas omne quod agis, et dicas illud Isaïæ, xxvi, 12 : *Omnia opera nostra operatus es nobis*. Joan. xv, 4 : *Sicut palmæ non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis*. Quidquid enim profert palmes quod non est ex vite, non proficit ad fructum, sed ad ignem : ita quidquid profert homo cogitationum, et verborum, et operum quæ non sunt ex Deo, non proficit ad vitæ æternæ fructum, sed ad gehennæ incendium. Et ideo hæc abneganda sunt. Unde, ad Roman. xiii, 12 : *Abjiciamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis*.

« Abneget semetipsum, »

Etiam quando præter hæc quæ dicta sunt, abnegat quod in se habitat, hoc est, fomitem mali, extinguendo illum quantum potest. Ad Roman. vii, 18 : *Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*. Item, ibidem, v. 23 : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*.

Et hæc omnia oportet abnegare, terram pro cælo commutare : vitium (cujus causa sumus) pro virtute : fomitem, sive concupiscentiæ ignem, sive ad malum pronitatem, pro gratia Dei, ad bonum nos juvante : ut expediti simus a spiritu cælesti, confortati a virtute Dei, adjuti a gratia. Tunc enim sequi possumus Crucifixum. Per primum *dat nobis Deus potestatem filios Dei fieri*<sup>1</sup>. Per secundum mutat fortitudinem, Isa. xl, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient*. Per tertium ad omne opus bonum sufficimus, I ad Corinth.

xv, 10 : *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi*. Sic perditus et damnatus homo liberatur, Spiritu cælesti reddente imaginem Patris cælestis, virtute vitium quod fecit expellente, et Dei gratia in omnibus adjuvante. Ad Roman. vii, 24 et 25 : *Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* Et respondet : *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*.

Sic igitur *abneget semetipsum*, et a se sequendi Christum removeat impedimentum.

Sequitur :

« Et tollat crucem suam. »

Ecce forma ducis præcedentis. Et est ac si dicat : « *Tollat crucem suam*, » sicut ego tuli meam.

Unde in hoc tria notantur : crucis exaltatio, crucis cruciatus, et proportio passionum quæ quemlibet contingit.

Primum notatur in hoc quod dicit : « *Tollat*. » Crux enim est arbor alta, non deponenda, non in terra trahenda, sed extollenda, et sic in altitudine portanda. Extollit enim crucem, qui cum Paulo in cruce gloriatur, Ad Galat. vi, 14 : *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*. Daniel. iv, 7 et 8 : *Ecce arbor in medio terræ, et altitudo ejus nimia. Magna arbor, et fortis : et proceritas ejus contingens cælum*. Hæc recognoscit, qui crucem suam in ea glorians extollit.

Extollit autem qui quotidie quantum potest in ea Crucifixo appropinquat, ut dicat cum sponsa, Cantic. vii, 8 : *Dixi : Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus*. Fructum enim apprehendit qui dulcissimæ redemptionis saporem in ea jam prægustavit. Hæc enim arbor in medio terræ est, ut ab omnibus com-

<sup>1</sup> Joan. i, 12.

munitur scandatur. Altitudo ejus nimia : quia quantumcumque quis in altum in ea ascendat, usque ad Christi Passionem non perveniet. Arbor hæc magna latitudine : eo quod umbra protectionis et esca nutrimenti est in ea, et requies lassitudinis. Fortis virtute : quia et diabolus vicit, et domum ejus infernum fregit, et vasa in quibus confidebat distribuit, hoc est, corda quæ possederat diabolus. Et proceritas ejus contingens cælum : quia cælum ante clausum aperuit. Igitur arbor hæc si dejiciatur, cælum non contingit.

Dejicitur autem quando deponitur, et cruciatus Christi in terrena lucra et commoda commutatur : sicut quidam de quibus dicitur, ad Galat. iii, 3 : *Cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini*. Qui signati sunt per Asa, regem Juda, de quo, III Reg. xv, 8 et seq., multa bona et optima prædicantur, quod idola destruxit avaritiæ et pomparum sæculi, quod lucos succidit deliciarum luxuriæ, quod in bellis vicit tentationem diaboli. Sequitur, quod in senectute doluit pedes, et nec tunc requisivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est, et mortuus est in unguentis meretriciis. Pedes enim dolere, est in extremo vitæ a cruce mollescere. Tunc Dominum non requirere, est cum proposito Dei timorem et amorem, devotionem, et cultum Dei, et laudes ejus consuetas abjicere. In medicorum arte confidere, est fomenta libidinis carnalis cum sollicitudine sibi præparare. Mori autem in meretriciis unguentis, est in illecebrosis concupiscentiæ delectationibus vitam finire.

Trahit autem in terra crucem, qui eam quidem manu tenet, sed non ascendit nec tollit, sed de loco in locum humilem crucem ducit. Et isti sunt hypocritæ, qui crucem quidem manu, hoc est, exteriori opere videntur tenere : sed de terra in terram trahunt, quando pro temporali commodo vel lucro faciunt. Et non ascendunt : quia in occulto nihil de Passione Christi sentiunt, de quibus dicitur, ad Philip. iii, 18 et 19 : *Multi*

*enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi : quorum finis interitus, quorum Deus venter est : et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt, Isti enim crucem vilem ducunt, qui per sordes crucem trahunt et non tollunt in altum.*

Sic igitur tollitur crux.

« Crucem, »

Hoc est, cruciatum. Cruciatum autem ille est triplex : unus quidem in tristitia absentiae delectabilium pro Christo : secundus autem in assumptione contristabilium, sicut vigiliarum, jejuniorum, et hujusmodi, et eleemosynarum : tertius autem, in sustinentia passionum, si inferantur pro Christo. Primus cruciatus cruciat, et domat concupiscentiam : secundus gravat petulantem naturam : tertius autem pro Christo expendit animam.

De primo dicitur, ad Galat. v, 24 : *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis*. Ad Galat. ii, 19 : *Ego per legem legi mortuus suum, ut Deo vivam : Christo confixus sum cruci*. Per legem enim (quæ concupiscentiam fecit et *lex membrorum* vocatur) mortuus sum, abstinendo a delectabilibus hujus legis. Et Christo, hoc est, ad honorem Christi confixus sum cruci, concruciatum ei.

De secundo cruciatu dicitur, ad Galat. vi, 17 : *De cætero nemo mihi molestus sit : ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto*. Crucio enim me cruciatu suo : quia denudo me eleemosynis, extendo me devotione, exalto contemplatione, amarico jejuniis et ciborum et potuum asperitate, flagello disciplinarum acceptione, morior charitatis amore, confodior clavis, verborum ejus in animam meam penetratione. Eccle. xii, 11 : *Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi*. Lanceor

compassionis pauperum Christi perforatione.

De tertio cruciatu dicitur, I Petr. iv, 13 : *Communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exsultantes.*

Primus cruciatus fit per voluntariam concupiscentiæ cohibitionem, secundus per devotam pœnitentiæ assumptionem, tertius per patienter portatam immissam a Domino tribulationem.

De primo dicitur, Eccli. xviii, 30 et 31 : *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.*

De secundo dicitur, Levit. xxiii, 29 : *Anima quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis.*

De tertio dicitur, Jacob. i, 2 et 3 : *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis : scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur.* I Petr. i, 7 : *Ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem, in revelatione Jesu Christi.*

Ista est ergo crux quæ tollitur.

Dicit autem :

« Suam. »

Est autem crux uniuscujusque proportionabilis viribus et statui suo, Christi cruciatus assumptus. Ad plura enim tenetur fortis quam debilis, ad plura sanus quam infirmus, ad plura prælatus quam subditus. Unde Apostolus, ad Coloss. i, 24, dicit : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Semper enim ita proportionandum est, ut viribus sit onus portabile, et statui competens, et quod honoretur Christus. Ad Philip. i, 20 : *Sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.* Et, ibidem, v. 21 : *Mihi vivere Christus est, et*

*mori lucrum.* Ad Galat. vi, 5 : *Unusquisque onus suum portabit.*

Sic ergo tollat crucem suam quilibet.

« Quotidie. »

Ut semper novus sit in ea, nec deficiat a crucis salutari mortificatione. Hoc significatum est, Numer. xxv, 4 : *Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis : ut avertatur furor meus ab Israel.* Principes enim suspenduntur, quando principes vitiorum, scilicet, concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ crucifiguntur. Contra solem autem suspenduntur, quando quotidie ad ortum novi caloris et fulgoris hujus mundi crucifixio hæc teritur. Et sic furor Domini ab Israel, viro præ oculis habente Deum, avertitur. II ad Corinth. iv, 10 : *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus vestris.* Job, vii, 13 : *Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea.* I ad Corinth. xv, 31 : *Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu, etc.* II ad Corinth. iv, 11 : *Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum : ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali.* Ideo dicit, ad Philip. iii, 10 et 11 : *Configuratus morti ejus, si quo modo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis.*

« Et sequatur me »

Crucifixum, sicut est forma meæ crucifixionis : ut in ipso moriatur animalis vita, quæ in me mortua est : et destruat corpus peccati, quod ego destruxi : et construat nova vita, quam ego in cruce construxi. Ad Roman. vi, 5 : *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.* Talis crucifixio optime significata est, II Reg. xxi, 6, ubi dixerunt Gaabonitæ ad David : *Dentur nobis septem*

*vir de filiis Saul, ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul.* Gabaonitæ *proclives iniquitati* interpretantur, qui crucifixione magna indigent. Saul autem *abutens* interpretatur, qui ratione ad concupiscentias abutitur. Septem autem filii sui, septem sunt capitalia vitia crucifigenda ad honorem Domini. Qui enim sic crucifigit se, ut animalitati et vitiis moriatur, in crucifixione Dominum sequitur, qui et regnum peccati in cruce sua destruxit, et vitæ animalis mortuus fuit. Unde, Joan. xxi, 19, significans Petri crucifixionem dixit: *Sequere me*, hoc est, ad modum meæ crucifixionis oportet te crucifigi.

Sunt autem qui hoc non faciunt, sed potius suspensi sequuntur Absalom in quercu suspensum inter cælum et terram<sup>1</sup>. Alii autem sequuntur pistorem Pharaonis in cruce suspensum cujus carnes aves lacerabant<sup>2</sup>. Alii sequuntur Aman, qui in domo sua in excelsa trabe suspensus est<sup>3</sup>. Alii sequuntur Achitophel, qui suspendit seipsum ordinata domo sua<sup>4</sup>. Alii sequuntur Judam proditorem, *qui suspensus crepuit medius: et diffusa sunt omnia viscera ejus*<sup>5</sup>. Alii sequuntur Simonem Cyrenæum qui crucem portavit in angaria<sup>6</sup>. Alii sequuntur latronem in sinistra parte crucifixum cum Domino<sup>7</sup>. Alii sequuntur latronem in dextra parte pendentem<sup>8</sup>.

Ambitiosi enim crucem patiuntur in angustia obtinendæ altitudinis: sicut dicit Bernardus: « O ambitio ambientium « crux, quomodo omnes crucians omnibus « places? » Et hi semper pendent inter cælum et terram, cælum contingere nitentes et non valentes. Terræ autem quietem humilem spernentes, cum Absalom ambitioso in quercu (quæ porcorum fructum facit) pendentes et strangulati.

Vane gloriosi etiam crucem patiuntur,

affligentes se in vanis quærendo gloriam: et horum carnes aves, id est, vanorum hominum verba lacerant, et lacerationi exponunt, et pendent cum pistore Pharaonis.

Invidi autem etiam crucem habent, in qua de prosperitate cruciantur bonorum, et in domo cordis sui afflicti, pendent strangulati cum Aman, qui *iniquus* interpretatur.

Proditores autem et fraudulentum de quibus dicitur, Isa. xxxii, 7: *Fraudulenti vasa pessima: ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites.* Illi (inquam) tales in cruce pendent angustiae suæ proditoris et fraudis, et sequuntur Achitophel proditorem David fraudulentum.

Avari autem intima sua projicientes, et animas suas venales habentes, sicut dicitur, Eccli. x, 10, Christum vendentes pro pecunia, cruciatum magnum pro lucris terrenis sustinentes, crucifixi sequuntur Judam suspensum: isti enim inciderunt in tentationem, et in laqueum diaboli qui strangulat eos, sicut dicitur, I ad Timoth. vi, 9.

Hypocritæ autem crucis signum et cruciatum extra prætendentes, et falsi Religiosi crucem portant in angaria, et sequuntur Simonem Cyrenæum.

Qui autem pro criminibus suis sustinent tormenta, et hoc Deo blasphemando imponunt, crucem quidem portant, et portantur ab ea: sed sequuntur latronem sinistrum. I Petr. iv, 15: *Nemo vestrum patiat ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.*

Qui autem patiuntur quidem pro malis quæ commiserunt, sed pœnitentes, et sibi culpam dantes, in dextera Dei patiuntur cum latrone dextro: et accipiunt spem promissionis ejus, quod secum erunt in paradiso.

<sup>1</sup> Cf. II Reg. xviii, 9.

<sup>2</sup> Cf. Genes. xl, 19.

<sup>3</sup> Cf. Esther, vii, 10.

<sup>4</sup> Cf. II Reg. xvii, 23.

<sup>5</sup> Act. i, 18.

<sup>6</sup> Cf. Matth. xxvii,

<sup>7</sup> Cf. Luc. xxiii, 33.

<sup>8</sup> Ibidem.



Verissime autem Crucifixi sunt imitatores, qui solo Crucifixi amore se crucifigunt, vel ab aliis crucifiguntur, dicente Petro, in I canonica, iv, 1: *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini*. Et iterum, I Petr. II, 21: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus*. Hic enim patienter ferens, non remurmurat per iram et vindictam, non comminatur per justitiam, peccati regnum destruit. Hic est de quo dicitur, ad Coloss. III, 3 et 4: *Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria*. Ad Galat. II, 19 et 20: *Christo confixus sum cruci: vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus*.

Hoc est igitur quod dicit formam nobis dando, in qua sequamur eum: quam formam Martyres præ cæteris tenuerunt. Imitati sunt tamen etiam Confessores, seipsos crucifigendo.

**24** « Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam: nam qui perdidit animam suam propter me, salvam faciet illam.

**25** Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat?

**26** Nam qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum. »

Ejus quod dixit tangit hic rationes persuasivas.

Tangit autem hic rationes tres: unam quidem per consequentiam perditionis ad salutem animæ: aliam autem econtra per consequentiam salutis ad perditionem: tertiam autem per comparationem

lucris temporalis cujuscumque ad animæ perditionem.

Prima ratio est hæc. Quicumque voluerit animam salvare, sequitur quod perdet illam: quia ad salutem animæ sequitur perditio ejusdem.

Sciendum autem, quod anima dicitur hic ab actu animandi. Unde anima sumitur hic prout animat corpus. Et secundum hoc anima intendit corpori, et corporis delectationibus, et corporeis utilitatibus: a quibus etiam dicitur animalis vita. Quibus intendere, et salvare tales delectationes sine contristantibus, et tales salvare utilitates sine damnis, est perdere secundum causam meritoriam eandem animam: quia tunc erit cum contristantibus eam æternaliter in inferno, et in damnis æternorum gaudiorum. Et hoc est quod dicitur, Joan. XII, 25: *Qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*. Eccli. XVIII, 31: *Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis*. Ab hujusmodi anima dicitur homo animalis et brutalis: quia anima quando immergitur corpori, et intendit per appetitum in quinque corporis sensus, animalis et brutalis efficitur. I ad Corinth. II, 14: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur*.

« Qui enim voluerit, »

Voluntate irrationabili, « animam suam, » hoc est, animale motum animæ, « salvam facere, » hoc est, in delectabilibus suis salvare: ille « perdet illam, » quia cum illa salute perdit et mortua est anima æternaliter. I ad Timoth. V, 6: *Quæ in deliciis est, vivens mortua est*. Unde, Luc. XII, 19 et 20, dicitur ei qui dixit: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce comede, bibe, epulare... Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ*

*autem parasti, cujus erunt?* Et sic per hoc quod putavit salvare animam, perdidit eam.

Eadem enim animalis vita, quæ delectata est et salvata, Luc. xvi, 19 et seq., in divite epulone, qui epulabatur splendide, perditam est in inferno: quia lingua ejus cruciabatur in flamma gehennæ.

Alia tamen hujus expositio est: quia salus animæ in bonis delectantibus corpus, pronitatem inducit in anima ad concupiscentias carnis: et quo aliquis plus delectatur in animalitate, eo plus ad concupiscendum pronus efficitur: et quo plus ad talia pronus efficitur, eo plus ab appetitu verorum bonorum et honestorum elongatur: quia pronitas concupiscentiarum adimit bonum naturale, quod in veris et in honestis et divinis bonis naturaliter delectatur. Et vocatur bonum naturale animæ quod inest secundum ipsam, et non in quantum est in corpore. Et sic dicit Augustinus, quod delectatio in commutabili bono mala est, in quantum adimit naturale bonum animæ. Et sic quo aliquis salvat animam in animali delectatione, eo adimit bonum naturale. Et sic etiam hic perdit animam secundum naturale bonum ejus. Sic intelligitur illud Lucæ, xv, 13, quod filius prodigus perdidit substantiam suam, boni scilicet naturalis, vivendo luxuriose cum meretricibus. Sic illud Job, vii, 20: *Posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihi metipsi gravis.* Ex eo enim quod contrarii sumus Deo in bono naturali, nobis graves efficitur.

« Nam qui perdiderit, »

Per contrarium, « *animam suam,* » a salvantibus eam secundum animalem motum et delectationem, « *propter me,* » hunc finem ponendo, quod subtrahit sibi delectantia propter me, « *salvam faciet illam,* » et in vitam æternam, et in bono naturali in hac vita.

Dicit autem: « *Propter me,* » quia quidam philosophi, Stoici vocati, quo-

rum princeps fuit Socrates, et magnus imitator fuit Crates philosophus, multum abstinerunt a delectabilibus corporis, propter honestatem virtutis, et salvam fecerunt animam secundum salutem boni naturalis. Sed quia propter Deum non fecerunt, ideo in vitam æternam animam non salvaverunt. Christus enim est ostium vitæ æternæ: et qui non intrat per Christum, non salvatur, Joan. x, 9: *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur: et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.* Per salutem ergo animæ, homo adepto bono naturali perdit animam, et mutatur in bestiam, Psal. xlviii, 13: *Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus,* etc. Per perditionem vero animæ, redit a bestialitate ad salutem animæ veræ: sicut dicitur, Daniel. iv, 33: *In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, et ad honorem regni mei, decoremque perveni.*

Hoc ergo est quod dixit: « *Qui voluerit animam suam, etc.* »

« Quid enim proficit? etc. »

Tertia ratio est a comparatione utilitatis. Et est sensus: Quia perditam substantiam propter quam diligitur quidquid appetitur in mundo, totum aliud inutile efficitur.

Et hoc est quod dicit: « *Quid,* » hoc est, ad quid « *proficit homo,* » qui rationalem, immortalem, et ad bona honesta et æterna ordinatam habet animam, « *si universum mundum,* » quoad mundanas delectationes et utilitates, « *lucretur,* » in concupiscentiis omnibus vivens, « *se autem ipsum,* » secundum quod est ipse in imagine Dei consideratus, quia sic est homo secundum quod homo: dicit enim Philosophus, quod « *homo suus intellectus est:* » « *perdat,* » in bono naturali, vel ad æternam vitam, « *et detrimentum sui faciat?* » quia quanto in brutalibus et mundanis delectatur, tanto magis in bono naturali diminuitur, et a

vero bono elongatur. Et tunc etiam illud quod male dilexit, in tormentum convertitur. Sic enim dicitur, Sapient. xiv, 11: *Creaturæ in odium factæ sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium.* Ista est tinea de homine nata, et devorans hominem, Isa. xiv, 11: *Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes.* Hoc est densum luctum quod hominem ut gluten tenet, ne procedat ad bona naturalia, Habacuc, ii, 6: *Væ ei qui multiplicat non sua? Usquequo et aggravat contra se densum lutum?*

Subjungit autem ulteriorem probationem, quod detrimentum sui faciat, qui lucrandis intendit, dicens:

« Nam qui me erubuerit. »

Duo tangit: erubescientiam Dei, et erubescientiam sermonum Dei. Loquitur de his, qui animam salvant præservando eam a tormentis: et ut salvent eam, negant confessionem veritatis fidei et justitiæ: de quibus dicit, Matth. v, 28: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere... sed potius timeate eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*<sup>1</sup>.

Qui ergo sic volens salvare animam, præservans eam a tristitia mortis, quæsitus ad pœnam, « me erubuerit, » hoc est, me propter erubescientiam negaverit, « et » erubuerit « meos sermones, » hoc est, negaverit veros esse sermones meos, qui sanctificant et salvant animas. Joan. xvii, 17: *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.* Auctorem igitur veritatis et veritatem propter salutem temporalem animæ negare, est Christum et sermones suos erubescere. Et hoc est naturæ hominis, ut homo est, contrarium: quia (sicut dicit Damascenus) verecundia est timor,

vel fuga de turpi actu. Confiteri autem Christum auctorem veritatis, et veritatem, honestum est et non turpe: et ideo talis erubescencia proprie habet pœnam debitam.

De his autem qui in turpibus non erubescunt, dicitur, Jerem. vi, 15: *Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quin potius confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt.* De erubescentibus autem vere in turpibus actis sive perpetratis, dicitur, Jerem. xxxi, 19: *Confusus sum, et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* De Deo autem et sermone ejus nullus debet erubescere, Isa. i, 7: *Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus.*

Qui ergo erubuerit Deum et sermones veritatis ejus, « hunc Filius hominis, » in iudicio communi, « erubescet, » hoc est, ad modum erubescens habebit se ad eum, in eo quod avertet faciem suam ab eo, ac si non noscat eum, et vituperium habeat de notitia ejus. Matth. vii, 23: *Et tunc confitebor illis: Quia numquam novi vos.* Psal. xv, 4: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

« Cum venerit » iudicare particulariter post mortem cujuslibet, vel universaliter in iudicio communi, « in majestate sua. » Luc. xxi, 27: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.* Apocal. i, 7: *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Daniel. vii, 13 et 14: *Et ecce cum nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit. Et in conspectu ejus obtulerunt eum: et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum: et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi serviunt.*

Et hoc est quod sequitur: « Et Patris: » quia, Joan. v, 27 et 28, dicitur, quod

<sup>1</sup> Cf. Luc. xii, 4 et 5: *Dico autem vobis amicis meis: ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant.*

*Ostendam vobis quem timeatis: timeate eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.*

*Pater dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc.* In forma enim humana in qua indicatus est, iudicaturus est vivos et mortuos. Et hoc patet a maiestate Patris. Joan. v, 22 : *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Non enim iudicat Pater in forma et maiestate Dei, sed omne iudicium dedit Filio perficere in forma servi. Et tunc implebitur quod dicitur, Isa. LII, 13 : *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde.*

« *Et sanctorum Angelorum,* » qui sicut ministri iudicabunt, et per ministerium in iudicio apparebunt. Matth. XIII, 41 : *Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala,* etc. Item, ibidem, γ. 42 : *Exibunt Angeli, et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, et stridor dentium.*

Hoc est ergo quod dicit.

27

« Dico autem vobis vere : Sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei. »

Hic incipit pars illa in qua docet ad quid sequendus est Christus : quoniam sicut sequendus est per formam Passionis, ita sequendus est ad gloriam Resurrectionis, quam præmonstrat in charitate transfigurationis.

Et hæc pars dividitur in duas partes ; in quarum prima promittit ostensionem illius gloriæ non omnibus, sed quibusdam. In secunda autem exhibet sicut promisit.

In prima harum tria facit : per modum consolationis discipulos alloquitur, assertionem veritatis præmittit, et promissionem subjungit.

Dicit ergo primo consolatorie :

« Dico autem vobis. »

Acquisitive exponendum est : quia hoc nobis ad omnem consolationem est

dictum. Hoc enim dictum est vere amicis, de quibus dicit, Joan. xv, 15 : *Vos dixi amicos : quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Vobis ergo amicis. Vobis qui in tribulatione posituri estis animas, Luc. XXII, 28 : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Vobis (inquam) pusillis quibus hæc revelanda sunt, Matth. XI, 25 : *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.*

Vobis igitur dico :

« Vere, »

Assertionem ponendo. Ad Hebr. VI, 17 et 18 : *Pollicitationis volens Deus ostendere hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit iuramentum : ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeas.* Ad Titum, I, 2 : *Promisit, qui non mentitur, Deus.*

« Sunt aliqui. »

Petrus, Joannes, et Jacobus, ad omnia testes idonei, et omni exceptione majores. Isa. VIII, 2 et 3 : *Adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, et Zachariam, filium Barachiæ : et accessi ad prophetissam.*

« *Aliqui* » autem, nota specialis familiaritatis est istorum Apostolorum, qui præ cæteris ad secreta Dei admittuntur, et per quos aliis secreta Dei panduntur. Et signum fuit illos in veritate Dei magis fuisse illuminatos, et in charitate Dei magis fuisse accensos, et in gratia magis fuisse confirmatos. Et ideo ad omnia Dei secreta præ cæteris eliguntur : sicut Moyses, et Aaron, et Josue in Veteri Testamento : Moyses plus erat illuminatus : Aaron autem facundus, in his quæ populi fuerunt magis erat acceptus : Josue autem ad singulare ministerium legislatoris electus. Vel, Moyses in man-

datis, Aaron in sacrificiis, Josue in præliis sub Domino pro populo fecerunt.

Isti ergo sunt signanter « *aliqui* » vocati, « *hic*, » mecum et vobiscum, « *stantes* » et assistentes. Bene *stantes* qui rectitudine sunt erecti. Psal. v, 5 : *Mane adstabo tibi et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Ezechiel. ii, 1 : *Fili hominis, sta super pedes tuos.* Psal. cxxi, 2 : *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem.*

« Qui non gustabunt mortem, »

Hoc est, mortem non experientur temporalem. Gustus enim quidam tactus est, ut dicit Philosophus. Tactu autem amaritudinis separationis corporis et animæ mors sentitur. Vel dicatur, quod mors temporalis non est, nisi quidam transitorius gustus mortis. Mors autem æterna tactus mortis est perpetuus. Sapient. iii, 1 et seq. : *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori... : illi autem sunt in pace.* Sic ergo etiam mortem temporalem non gustabunt.

« Donec videant, »

Corporalibus oculis. Luc. x, 23 : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Proverb. xx, 12 : *Aurem audientem, et oculum videntem, Dominus fecit utrumque.*

« Regnum Dei, »

Hoc est, decorem et charitatem beatitudinis regni Dei in transfiguratione, in qua regni Dei claritas præmonstratur. Dicunt tamen quidam *regnum Dei* hic dilatationem Ecclesiæ significare, quam longo post Resurrectionem tempore, videns Joannes mortalibus conspexit oculis. Sed primum est melius secundum litteram. Sapient. x, 10 : *Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei.* Exod. xxxiii, 19 : *Ego*

*ostendam omne bonum tibi.* Et supra, x. 17 : *Invenisti enim gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine.*

« Factum est autem post hæc verba fere dies octo, et assumpsit Petrum, et Jacobum, et Joannem, et ascendit in montem ut oraret. »

Tangit hic dictæ promissionis exhibitionem.

Et dicit tria : quando scilicet, et coram quibus, et qualiter transfiguratio facta est, et in ipsa regni Dei decor ostensus est.

De primo autem dicit : « *Factum est autem,* » per Dei præfinitionem secundum quam omnia perfecit Christus, « *post hæc verba,* » dictæ promissionis et confessionis Petri, « *fere dies octo.* »

Contrarium videntur dicere Matth. xvii, 1, et Marc. ix, 1, qui dicunt post dies sex accidisse.

Ad hoc respondet Augustinus, quod Matthæus et Marcus non numerant primum promissionis diem et ultimum in quo facta est transfiguratio, sed intermedios tantum sex. Lucas autem connumeratis primo et ultimo dicit : *Post dies octo.*

« *Fere* » autem dicit, quia dies ultima usque ad revolutionem ejusdem horæ, in qua primo die promissionem fecit, nondum completa fuit, licet esset jam inchoata.

Quærit autem Chrysostomus : « Quare tantum distulit exhibere promissionem ? » Et respondet, quod hoc fecit ad desiderium discipulorum accendendum. Suspiratur enim in rem dilatam quæ promissa est. Proverb. xiii, 12 : *Spes quæ differitur, affligit animam : lignum vitæ desiderium veniens.*

Aliam causam assignant quidam : quia interim corda discipulorum ad videndam claritatis suæ speciem præparavit. Josue, iii, 5 : *Sanctificamini,* scilicet in crasti-

num, hoc est, in futurum. *Cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.*

Alia et tertia causa esse potuit : quia adhuc turbas dimittere apte non potuit, ut familiariter familiaribus suam ostenderet claritatem. Et ideo dixit, Marc. iv, 11 : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, illis autem qui foris sunt in parabolis omnia fiunt.* Unde, Exod. xix, 23, præcipitur ne turbæ montem ascendant, nec bestię pascantur econtra montem in quo Dominus in majestate voluit revelari.

Mystice autem quarta causa ponitur : quia dies octo sunt octo mentis illustrationes, quæ nisi prius perficiantur, non videbitur Dominus transfiguratus : quarum prima est fidei. Secunda, intellectus doni. Tertia, sapientiæ doni. Quarta, beatitudinis quæ dicitur munditia cordis. Quinta est fructus spiritus qui in epistola ad Galat. v, 23, vocatur *fides*. Et dicit ibi Glossa, quod « fides est invisibilium certitudo. » Sexta, illustrationis spiritus. Septima, visionis intellectus. Et octava, exstasis sive raptus.

*Fides* quidem est lumen veritatis per speculum in ænigmate. I ad Corinth. xiii, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate.*

*Intellectum* autem dat Deus, ut dicit Gregorius, cum de auditis in doctrina et scriptura mentem illuminat. II ad Timoth. ii, 7 : *Intellige quæ dico : dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.*

*Sapientia* autem donum, est illustratio mentis acquisita per saporem divinorum altissimorum, qua homo patiendo in se divina, discit magis quam per auditum et visum accipiat : sicut dicit Psalmus xxxiii, 9 : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus.* Et, I Petr. ii, 3 : *Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus.* Sic dicit Dionysius beatum Hierotheum divina didicisse. Jerem. xxxi, 34 : *Non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens : Co-*

*gnosce Dominum : omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum.* Et loquitur de Apostolis. Sapient vii, 27 : *Spiritus sapientiæ per nationes in animas sanctus se transfert, amicos Dei et prophetas constituit.*

*Munditia* autem cordis est de qua dicitur, Matth. v, 8 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Mundum enim cor splendorem accipit divinum, et efficitur speculum sine macula, et imago in qua repræsentatur Deus. Et ideo Deus conspicitur in eo sicut lux in suo luminari quod implet. Et ideo de Apostolis dixit Christus, Matth. v, 14 : *Vos estis lux mundi.* Et iterum, ꝑ. 15 : *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub medio.*

*Fides* autem quæ est certitudo invisibilium, sicut dicit Apostolus, ad Galatas, v, 23, est certum fidei experimentum, per inspirationem superni luminis acceptum. Et quia hoc, gustus quidam et reflectio est intellectus per veritatis experimentum, ideo *gustus* vocatur et *fructus*. Dicit enim Augustinus in libro de *Doctrina Christiana*, quod « fruimur cognitis, in quibus voluntas delectata con- quiescit. » Et hæc est magna illustratio æterni luminis, de qua dicit Apostolus, II ad Corinth. iv, 6 : *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Jesu Christi.*

*Spiritus sancti illuminatio* est quando lumine suo format nos spiritus, ad divinæ imaginis configurationem : ut illustrati, ferre possimus pœnitentiam ipsius : sicut Moyses resplenduit ex consortio sermonis Domini in monte <sup>1</sup>. Et de hac loquitur Apostolus, II ad Corinth. iii, 18 : *Nos omnes revelata facie gloriam Domini specularantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.*

*Visio per intellectum* est per lumen quod vocatur *theophania*. Theophania

<sup>1</sup> Cf. Exod. xxxiii, 9.

autem est lumen a Deo descendens in intellectum, in cuius actu, hoc est, complemento agente, videntur ea quæ Deus vult revelare: sicut colorata videntur sub actu et per actum lucis. II ad Corinth. IV, 6: *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Jesu Christi.* Psal. XXXV, 10: *In lumine tuo videbimus lumen.*

*Raptus* autem est, quando excedentes omne quod creatum est, in nullo a corpore retenti, videmus eum sicuti est, et sicut in cœlesti hierarchia vident eum beati. Et hoc est rapti cum Paulo ad tertium cœlum<sup>1</sup>. Sed hoc contingit raptim, et non diu permanet. Quia, sicut dicit Augustinus, iterum resorbetur mens solitis, et retrahitur mole corporis. Ista sunt arma lucis, quibus in die honeste post lucem Christum ambulamus<sup>2</sup>.

Post hos ergo dies factum est quod hic dicitur:

« Et assumpsit. »

Tangit hic coram quibus facta est ista transfiguratio.

Dicit autem quinque: assumptionem, assumptorum nominationem, nominatorum sociatam sibi ascensionem, ascendentium elevationis verticem, in vertice autem montis orationem.

Assumptio autem tractus est ad sumentem. Sumens autem nos Deus est: quia virtus superior assumit inferiorem et attrahit eam. Psal. LXXXVII, 19: *Domini est assumptio nostra, et sancti Israel regis nostri.*

Perficitur autem tractus iste tribus: charitate, veritate, et hæsiōne. Caritas trahit in affectu, veritas in intellectu, et hæsiō in spiritu. Primum caliditate, secundum illuminatione, tertium spiritus puritate. Eccle. IV, 12: *Funiculus triplex difficile rumpitur.* De tractu caritatis,

Jerem. XXXI, 3: *In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te.* De attractu veritatis, Psal. XLII, 3: *Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.* De hæsiōne spiritus, I ad Corinth. VI, 17: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Deuter. IV, 4: *Vos qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi.* Psal. LXII, 9: *Adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.*

Hoc igitur modo assumpsit, plus intus stringens quam extra vocans

« Petrum, et Jacobum, et Joannem. »

Dicit autem Glossa interlinearis quod tres assumpsit, ut in tribus idoneis testibus totus mundus crederet. Deuter. XIX, 15: *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.*

Assumpsit *Petrum*, ut dicit Glossa, qui claves regni cœlorum accepit, Matth. XVI, 19: *Tibi dabo claves regni cœlorum.*

Assumpsit *Jacobum*, Glossa interlinearis, « qui primus inter Apostolos solium sacerdotale accepit. » Sed ille fuit Jacobus minor qui vocabatur Jacobus Alphæi, qui primus fuit Episcopus Jerosolymitanus. Et hoc non concordat: quia, Matth. XVII, 1 et 2, sic dicitur: *Assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem, fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos.* Jacobus autem frater Joannis, filius est Zebedæi, qui dicitur *Jacobus major*, et ille solium sacerdotale nunquam accepit. Ad hoc dicendum, quod revera Jacobum majorem assumpsit qui fuit filius Zebedæi. Et quod dicit Ambrosius in Glossa interlineari, exponendum est de solio cœlesti, quia primus inter Apostolos martyrio coronatus est, sacerdos et hostia in solio cœli inthroniza-

<sup>1</sup> Cf. II ad Corinth. XII, 2.

<sup>2</sup> Ad Roman. XIII, 12 et 13.

tus. Passi sunt quidem ante eum quidam Sancti, sicut Stephanus : sed ipse primus inter Apostolos passus, Act. xii, 2 : *Occidit Herodes Jacobum, fratrem Joannis, gladio.*

*Joannem* accepit, sicut dicit Interlinearis, cui mater in cruce committitur, Joan. xix, 26 et 27 : *Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Specialis ergo dilectionis ad istos, ista quæ dicta sunt, signa sunt.

Posset tamen dici quod per istos tres intelliguntur tres status salvandorum in Ecclesia. Per Petrum quidem Prælati, per Jacobum activi, in lucta sæculi et tentationibus colluctantes, per Joannem autem contemplativi, in pectore Domini in cœna deliciarum spiritus recubentes. Qui etiam, Ezechiel. xiv, 20, significantur per Noe, Daniel, et Job, qui liberabunt animas suas. Per Noe qui rexit arcam, Prælati. Per Job dolentem, activi, circa frequens ministerium occupati et turbati. Per Daniel visionibus Dei vacantem, significantur contemplativi.

Hos igitur assumpsit ut omni statui Ecclesiæ futuræ Resurrectionis decus, jam in figura præmonstraretur. Psal. lxxix, 2 et 3 : *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, et Manasse.* Christus enim in majestate sedet super omnem plenitudinem scientiæ. Psal. cxxxiii, 6 : *Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam.* Apparet autem in figura quadam claritatis coram Ephraim, hoc est fructificantibus in actione : Benjamin filio dexteræ, prælati in regimine : et Manasse, hoc est, religiose contemplantibus in exteriorum oblivione.

Tres igitur, et hos tres illis assumpsit de causis.

« Et ascendit. »

Jam enim *elevata est magnificentia sua super cœlos*<sup>1</sup>, cum species sua etiam species cœlestes excessit. *Ascensionem* enim jam in corde suo disposuit, in hac valle lacrymarum<sup>2</sup>, quando discipulis quam altus esset in majestate demonstravit. Ante enim admirabile fuit nomen suum in universa terra per ostensionem sapientiæ in verbo, et per visam potentiam in signis. Modo autem secundum dictum Sapientiæ, vii, 29 et 30 : *Speciosior efficitur sole, et super omnem dispositionem stellarum, luci comparatus, invenitur prior. Illi enim succedit nox, sapientiam autem non vincit malitia.* Bene ergo ascendit, qui sic coram discipulorum oculis exaltatus ascendit, qui oculos et corda discipulorum ad hæc conspicienda ascendere facit. Baruch, iv, 36 : *Circumspice, ... et vide jucunditatem a Deo tibi venientem.*

« In montem. »

Montem, inquam, Thabor, qui *veniens lumen* interpretatur. Psal. lxxxviii, 13 et 14 : *Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt : tuum brachium cum potentia.* Brachium in quo est virtus Patris, est Filius, quod in potentia majestatis illuxit : et cum illo exsultat Hermon, qui mons modicus est, et *anathema* interpretatur, humani intellectus significans modicam elevationem quæ anathematizata hactenus, hoc est, separata fuerat a lumine, ad quod nunc ad contuendum ascendere jubetur. Iste est mons elevationis spiritus, in quo Dominus transfiguratus videtur, ut primitus elevetur in lumine, et consequenter in virtute. In lumine quidem sensibilis visionis cœlum transcendendo : secundo, imaginariæ visionis cacumen transvolando : tertio, intellectualis visionis cacumen attingendo. Sic enim cum Paulo rapitur in tertium cœlum, si sensibilia etiam divina relinquit, si imagines in

<sup>1</sup> Psal. viii, 2.

<sup>2</sup> Psal. lxxxiii, 6.



quibus figurative aliquid significatur transcendit: si ad ea quæ solo intellectu, purissima mentis acie vix attinguntur, oculum mentis convertit. Psal. LXVII, 17: *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem.* Ezechiel. XL, 2: *In visionibus Dei adduxit me in terram Israel, et dimisit me super montem excelsum nimis.*

Elevatio virtutis est per tres gradus. Primus est omnes passiones animæ sensibilis virtute cardinali ordinare, temperantia præfigente modum, fortitudine vincente difficile, justitia in omnibus eis statuente rectum, et prudentia docente in eis ad eligibile rectum rationem. Secundus est in omnibus humanis, metas mentis secundum sapientiæ ordinem numquam excedere. Tertius autem omnia hæc ad puritatem intellectualium substantiarum referre. Per primum efficitur homo virtuosus, per secundum actuum suorum dominus, per tertium efficitur divinus. De hoc monte dicitur, Jerem. XXXI, 23: *Benedicat tibi Dominus pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* Psal. LXVII, 16 et 17: *Mons Dei, mons pinguis, mons conglutus, mons pinguis: ut quid suspicamini montes coagulatos?* Mons Dei per apparitionem, mons pinguis per devotionem. Ut quid enim, o homines ignari divinorum, suspicamini, conferentes ad eum montes coagulatos, hoc est, celsitudines humanas, quæ coagulatae sunt gelicidio superbiæ, vel fastus humani: et ideo stolidi, et nihil veræ altitudinis habentes?

« Ut oraret. »

Nihil enim transfigurat nisi oratio: quia « oratio, ut dicit Augustinus, est « pius mentis affectus in Deum directus. » Et ideo mentis affectus in divino igne accenditur. Damascenus enim dicit, quod « oratio est accensus intellectus in Deum. » Et ideo intellectus in divino lumine illustratur. Accensus au-

tem et illuminatus jam ad transfigurationem est præparatus. Et ideo, Luc. XVIII, 1, dicitur: *Quoniam oportet semper orare, et non deficere.* Orare autem desiderii mentis accensione, et intellectus illuminatione. Joan. IV, 23 et 24: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate,* hoc est, spiritus fervore, et veritatis illuminatione. *Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* I ad Corinth. XIV, 15: *Orabo spiritu, orabo et mente: psallam spiritu, psallam et mente.*

Sic igitur et tunc et coram istis facta est transfiguratio.

« Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera, et vestitus ejus, albus et refulgens. »

Hic ponit transfigurationis modum et formam.

Et tangit tria: modum scilicet, et formam transfigurationis, et attestationem transfigurati.

Modus autem et forma describitur in ipso Domino Jesu, et describitur in vestitu ejus.

Dicit igitur: « *Et facta est,* » non quidem per transmutationem substantiæ, vel circumpositionem qualitatis, vel figuræ alienæ, quia fingere non convenit veritati: sed potius per effulsionem claritatis internæ mortalis habitus tunc non clausit quomodo ante. Et sic nihil assumpsit alienum, nihil amisit sibi et nobis proprium.

« Species ejus, »

Hoc est, speciositas ejus, « altera, » non alia. Et in hoc solo altera, quia mortalis species exterior non clausit fulgorem deitatis interioris: nec fulgor interior consumpsit mortalem speciem exterioris, sed obtexit ad horam. Et in

hoc solo *species vultus ejus facta est altera*. Quia cum ante in colore vultus humani esset *speciosus forma præ filii hominum*<sup>1</sup>, nunc resplendens super solem in vultu divino humanato, speciosus factus est præ vultibus Angelorum : ostendens quam mirabilis est humanitatis nostræ futura glorificatio, quæ in suo vultu præmonstrata omnium Angelorum excessit claritatem. Hanc videns in spiritu Psalmista ait, Psal. XLIV, 5 : *Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna*. Hoc figuratum est, Exod. XXXIII, 9, ubi in monte ex consortio Domini resplenduit facies Moysi : ita ut dicat Apostolus, II ad Corinth. III, 7, quod *non poterant intendere filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus*, nisi velaretur. Sed veritas excedit umbram : quia incomparabiliter plus illuxit facies nostri Salvatoris ex consortio unitæ sibi deitatis, quam facies Moysi ex consortio divini sermonis. Unde, Matth. XVII, 2, dicitur, quod *resplenduit facies ejus sicut sol*. Et impletum est Isaïæ, LXII, 1, vaticinium : *Egrediatur ut splendor Justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur*. Sicut enim pellis lucernæ retinendo omnia propria, emittit ex se splendorem luminis, et non tegit ipsum : et videtur candens in lumine in se clauso, et non in colore proprio, quem tamen vere habet : ita resplenduit unita carnis deitas in colore mortalis corporis. Et color corporis in candore splendoris videbatur, et non amittebatur. Est enim Dei Filius etiam in humana carne *splendor gloriæ Patris, et figura substantiæ ejus*, sicut habetur, ad Hebr. I, 3. Sapient. VII, 26 : *Speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius*. Et, ibidem dicitur, quod *est candor lucis æternæ*. Unde non mirum si vel semel candor ille immensus emicuit et refulsit, ut fides regni Dei in nobis confirmaretur :

« Et vestitus ejus, albus et refulgens. »

Marc. IX, 2, dicitur sic : *Vestimenta ejus facta sunt splendentia et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere*. Et hoc ad litteram quidem ita fuit, quod ex majestate luminis in corpore sic resplenduit vestis quam induerat, quod tota incanduit immixto sibi lumine corporis, quod ad illum candorem nullo genere artis deduci potuisset. Psal. CIII, 2 : *Amictus lumine sicut vestimento*. Et hoc est quod Pater dixit de Filio, Job, XL, 5 : *Circumda tibi decorem, et in sublime erigere, et esto gloriosus, et speciosis induere vestibus*.

Mystice tamen, Vestimentum hoc significat ornatum corporum resurgentium, adhærentium Christo. Isa. XLIX, 18 : *Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi sponsa*, supple, circumdat sibi vestimentum. Albedo autem significat in eis innocentiam mundissimæ castitatis. Refulgentia significat reflexionem super eos, et in eos superni luminis, per quod gloriosa corpora *fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*<sup>2</sup>. Sapient. III, 7 : *Fulgebunt justi, et tamquam scintillæ in arundineto discurrent*.

Moraliter vero, Quod Christus operatus est in suo corpore, operatur quotidie in viri sancti mente, in qua dum fulgorem suæ claritatis immittit, faciem mentis alteram facit : et incipit refulgere sicut sol in lumine divino. Psal. LXXXVIII, 16 et 17 : *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur*. Et dum luminosis virtutibus vestit conversationem, quid aliud quam vestes eorum albas et candidas cælo similes facit? Apocal. XII, 1 : *Mulier, scilicet Ecclesia, monstratur amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite*

<sup>1</sup> Psal. XLIV, 3.

<sup>2</sup> Matth. XIII, 43.

*ejus corona stellarum duodecim.* Sic, Genes. xxxvii, 3, Jacob filio suo dilectissimo tunicam facit polymitam, coloribus suis splendores stellarum superantem.

Sic igitur transfiguratus est Dominus.

Nec moveat aliquem istud nomen *transfigurationis*, quasi Dominus alteram figuram acceperit : quia hoc nequaquam est sentiendum. Sed nomine figuræ dicitur *transfiguratio* propter figuras radiorum ab ipso in magnifica gloria refulgentium : illi enim in oculis intuentium varias figuras depinxerunt, sicut faciunt radii cujuslibet corporis luminosi. Unde, Eccli. xliii, 4 : *Radios igneos exsufflans suos.* Per modum enim linearum radii exeunt, et incidentes oculis intuentium, varias figuras depingunt. Et ideo *transfiguratio* vocatur a Matthæo et Marco.

30 « Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses et Elias,

31 Visi in majestate : et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem. »

Hic agitur de attestatione transfigurati Domini.

Dividitur autem hæc pars in duas partes : in quarum prima ponit attestationem legis et prophetiæ : in secunda vero attestationem Patris, et Spiritus sancti. Prima est attestatio facta sacramentis gratiæ completis per Christum hominem. Secunda est attestatio magnificæ gloriæ revelatæ per hominem Deum.

Prima dividitur in partes duas : in quarum prima ponit attestationem legis et prophetiæ. In secunda discipulorum et nostræ mortalitatis ostendit infirmitatem ad revelatam gloriam.

In prima harum tria facit. Dat enim testimonium per nomen. Ostendit idoneitatem testium. Et testium tantorum describit depositionem.

Dicit igitur :

« Et ecce. »

Demonstrabile pro reverentia. « *Duo,* » propter testimonium legis et prophetiæ « *viri,* » pro strenuitate et animi virore. Et sic tria significantur : reverentia, virtus, et veritas legis et Prophetarum.

De singulari reverentia ipsorum qui cum Jesu fuerunt, dicitur, Zachar. iii, 8 : *Audi, Jesu, sacerdos magne, tu et amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt,* hoc est, pro reverentia sua magna portendentes. Et sic sunt ad honorem demonstrabiles.

Strenuitate autem mentis et virore *viri* dicuntur. Viri enim singularis virtutis fuerunt, de quorum uno, Numer. xii, 3, dicitur : *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* De altero autem, Eccli. xlviii, 4 et 5 : *Quis potest similiter sic gloriari tibi, qui sustulisti mortuum ab inferis?* Et sic uterque singulariter vir fuit.

« *Duo,* » ut dictum est, propter legem et prophetiam. Habacuc, iii, 2, secundum translationem Septuaginta : « In medio duum animalium cognosceris. » Lex enim data est per Dei vocem auribus populi intonantem, prophetia vero per divinam inspirationem. Et sic utrumque testimonium immobilis est veritatis.

Isti ergo duo viri « *loquebantur* » cum Legislatore et Domino Prophetarum. Loquebantur autem ad ipsum, quia veritatem sibi revelatam retulerunt, et pro synagoga (ut dicit Origenes) intercesserunt.

« Erant autem Moyses et Elias. »

Ecce a nominibus describit idoneitatem horum testium, et dicit duo : nomina eorum, et gloriam. Ex nominibus enim erant famosi. Ex gloria autem in qua apparuerunt sibi a Deo facta, erant idonei et majores exceptione.

Dicit ergo : « *Erant autem Moyses,* » unus de quo dicitur, Numer. XII, 6 et seq. : *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est : ore enim ad os loquar ei, et palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt.* Sic igitur testimonium Moysi idoneum est et fidelissimum, Unde, Joan. V, 45 et seq., convincens Judæos de infidelitate, dicit : *Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis ?*

« *Et Elias.* » Qui fuit Prophetarum eximius, Jordanem dividens, in cælum elevatus, et in paradiso reservatus<sup>1</sup>. Eccli. XLVIII, 1 : *Surrexit Elias propheta, quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.* IV Reg. II, 12 : *Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus.* Hic pro affectu bis *pater* dictus est : pro subvectione infirmorum, *currus* : pro regimine revelationis, cælestis dictus est *auriga* : pro zelo, *ignis* : pro spiritu eloquii sui, verba ejus ardebant ut *facula*. Bis autem *pater*, pro affectu formante eos in lumine prophetiæ, et pro affectu formante in charitate.

Hi ergo ipso nomine sunt majores omni exceptione.

« *Visi in majestate* » magnificæ gloriæ : ne putarentur apud Deum gloriosi non esse. Isa. LX, 21 : *Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.* Psal. XLVI, 10 : *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Et ideo sicut principes cum rege fulgent in honore, ita et isti revelantur in majestate Regis nostri.

Est autem advertendum, quod Moyses mortuus ex mortuis venit, et Elias vivus ex vivis : ut ostenderetur quod dicitur, Sapient. XVI, 13 : *Tu es, Domi-*

*ne, qui vitæ et mortis habes potestatem.* Ad Roman. XIV, 9 : *In hoc Christus mortuus est et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur.* Unus autem de inferno venit de limbo patrum, et alter de paradiso : ut ostendatur quia et inferiorum est redemptor, et ad paradysum reductor. Zachar. IX, 11 : *Tu in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* De tertio, Cantic. IV, 13 : *Emissiones tuæ paradysus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Omnia enim hæc quæ sunt divini fructus ad paradysum reducit Christus. Sic ergo per Moysen signum dedit de profundo inferni : per Eliam autem receptum in cælum dedit signum in excelsis supra. Isa. VII, 11 : *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Quia autem et tres Apostoli ibi fuerunt, venientes de mundo, ostendit id quod dicitur, ad Philip. II, 10 et 11 : *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.*

Quæritur autem, Qualiter visus sit ibi Moyses : cum dicat auctoritas quod ante Christi descensum nullus liberatus sit de limbo ? Sed ad hoc dicendum, quod licet apparuerit in mundo, tamen a pœna limbi non adhuc fuit redemptus. Et quod dicitur, quod nullus liberatus sit a limbo, intelligitur de pœna limbi. Quia et Samuel apparuit, et a limbo quoad locum exivit<sup>2</sup>.

Sed adhuc objicitur : Quia si Christum in gloria Dei Patris adspexit, tunc a pœna limbi liber fuit : quia pœna limbi non est nisi carentia visionis. Sed ad hoc dicendum, quod majestas Christi visa fuit et fulgor deitatis suæ per causam, et non per essentiam. Essentialiter enim fulgor ille fuit claritas corporalis. Et sic Moyses Deum immediate in monte non vidit.

Adhuc quæritur, Qualiter ibi Moyses

<sup>1</sup> Cf. IV Reg. II, 11.

<sup>2</sup> Cf. I Reg. XXVIII, 15.

apparuit? Utrum in corpore proprio, vel assumpto? Vel in propria persona vel Angelorum ministerio, qui in persona ejus visionem hanc exhibent? Ad hoc sine præjudicio dicendum videtur, quod Moyses in persona propria ibi videbatur: quia aliter suum parum valeret testimonium. Et non erat ibi in corpore proprio, sed potius in corpore sibi ab Angelis aptato et assumpto ad intentionem apparitionis sensibilis: sicut in ante habitis diximus. Corpus enim proprium putridum erat: et non est credibile quod resurrexerat tunc ad istam visionem peragendam.

De Elia autem constanter dicendum est, quod ibi in corpore et anima fuerit de paradiso illuc translatus: et peracto testificationis ministerio, iterum in paradisum revector.

Moraliter autem docemur et nos: quia in montem meditationis et spiritualis transfigurationis ascendentes, revolvere debemus infernalibus ad timendum, cœlestia ad appetendum, ea quæ mundi sunt ad conterendum et deserendum. Unde de infernalibus dicitur, Psal. LIV, 16: *Descendant in infernum viventes*. Vivens enim in infernum descendit, qui meditando ea quæ in inferno sunt, timore concutitur, et satagit ne in infernum post mortem descendat. Genes. xxxvii, 35: *Descendam ad filium meum lugens in infernum*. In paradisum autem et in cœlum similiter est ascendendum. Psal. cvi, 26: *Ascendant usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat*, hoc est, in sollicitudinibus salutis. De his autem quæ in mundo sunt, meditatur ad contemnendum qui dicit: *Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram*<sup>1</sup>? Sic enim ad montem meditationis est ascendendum.

Redeamus autem ad litteram, et videamus quid isti testes deponant.

« Et dicebant, »

Concorditer, « *excessum ejus*, » charitatis, humilitatis, passionis ejus.

De charitatis excessu, Joan. xx, 13: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Cantic. viii, 6: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*.

De excessu humilitatis, ad Philip. ii, 7: *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens*. Et post, x. 8: *Humiliavit semetipsum, factus obediens, scilicet Patri, usque ad mortem, mortem autem crucis*. Act. viii, 33: *In humilitate judicium ejus sublatum est*.

De excessu passionis dicitur, Thren. i, 12: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus*. Thren. iii, 19: *Recordare paupertatis et transgressionis meæ, abyssynthii et fellis*.

« Quem completurus erat in Jerusalem, »

Hoc est, usque ad complementum omnium quæ scripta sunt perducturus. Luc. xxiv, 44: *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me*. Luc. xviii, 31: *Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis*<sup>2</sup>. Joan. xix, 30, dixit: *Consummatum est*.

Vel, « *Completurus*, » hoc est, ad complementum perfectionis deducturus. Joan. xiii, 1: *Cum dilexisset suos qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos*. Psal. cxviii, 96: *Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis*. Unde, Mich. vi, 3 et 4, et Isa. v, 4: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei?*

« *Jerusalem* » autem ad hoc eligitur, quia in medio est habitabilis terræ. Psal. lxxiii, 12: *Operatus est salutem in me-*

<sup>1</sup> Psal. lxxii, 25.

<sup>2</sup> Cf. Matth. xx, 18 et 19.

*dio terræ.* Hoc autem qualiter sit, jam in ante habitis expositum est.

**32** « Petrus vero, et qui cum illo erant, gravati erant somno. Et evigilantes viderunt majestatem ejus, et duos viros qui stabant cum illo. »

Tangit hic qualiter infirmitas humana se habet ad visam beatitudinem, ad quam nata est et ordinata humanitas.

Tangit autem tria, scilicet, qualiter excessu beatitudinis infirmitas gravatur : secundum, secundum quid beatitudo ab infirmitate percipitur : et tertio, qualiter delectatione beatitudinis humana infirmitas illicitur.

De primo dicit :

« *Petrus vero,* » vertex Apostolorum et princeps, qui sibi fortis videbatur, « *et qui cum illo erant,* » Jacobus et Joannes specialiter inter alios privilegiati, sicut ante diximus, « *gravati erant somno,* » hoc est, ligatione sensuum.

Est autem duplex gravitas capitis somnum perficiens. Una quidem naturalis, quando a loco digestionis fumes elevatur ad cerebrum, et a frigiditate cerebri ingrossatus et infrigidatus, reflectitur ad organum sensus communis, et in ipso alia sensuum organa gravantur frigiditate, et immobilitantur et ligantur : ita quod vis sensibilis avertitur ab eis. Et sic discipuli somno non gravabantur. Alia autem est, quando superioris visionis quæ est supermundana, sic anima capitur et rapitur ad superius, quod inferiora derelinquit sensuum organa, et ideo clauduntur ac si dormiant. Et hoc modo discipuli gravati erant somno, tamquam in exstasi existentes. Daniel. x, 16 : *Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium.* Sic, Genes. ii, 21 : *Immisit Dominus Deus soporem in*

*Adam, cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus.* Unde dicit ibi Glossa, quod in illo sopore interfuit cœlesti curiæ, et cognovit qualiter de Christi latere fabricanda esset Ecclesia, et Christo conjungenda. Unde Glossa : « Somno gravantur, quia splendore incomprehensibilis deitatis premitur sensus humani corporis. » Job, xxxiii, 15 et 16 : *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina.* Sic, Numer. xxiv, 3 et 4, dicitur : *Dixit homo, cujus obturatus est oculus : dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus.* Cantic. v, 2 : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Sic gravatus somno Joannes super pectus Domini recubuit<sup>1</sup>. Sic in somnis Jacob vidit scalam cujus summitas cœlos tangebat<sup>2</sup> : quia sic somnare est divina oracula percipere, et veras et mysticas visiones oculo mentis illustrato videre.

« Et evigilantes, »

Hic tangit secundum quid beatitudo gloriæ Dei ab humana mente percipitur.

Dicit ergo : « *Et evigilantes,* » intus magis quam extra. Hæc autem vigilia non est redundantia lucis superioris ad organa sensus. Vigilia enim dupliciter fit sicut et somnus. Est enim vigilia expansio caloris et spiritus ab interioribus ad organa sensuum. Vel melius, solutio sensuum per expansionem caloris naturalis et spiritus in organa. Hoc autem contingit dupliciter. Aliquando contingit digestionem jam facta, quando jam cessat fumus ad cerebrum ascendens. Et ideo etiam cessat reflexio ingrossati fumi a cerebro ad sensuum organa : et tunc subtilis calor et purus spiritus ad organa sensuum habent influxum, et sic solvuntur.

<sup>1</sup> Cf. Joan. xxi, 20.

<sup>2</sup> Cf. Genes. xxviii, 12.

tur ad sentiendum. Et hæc est naturalis solutio sensuum, et vigilia. Aliquando autem contingit quando aliquid magnum acceptum attonitam facit mentem hominis, et hoc per redundantiam paulatim defluit ad sensus : sicut quando visio intellectualis convertitur ad imagines mysticas, et imagines mysticæ formantur in oculis et auribus corporali visione. Et sic factum est in discipulis. Tunc enim quando revehitur forma sensibilis, revehitur etiam calor et spiritus sensibilis, et solvunt sensus ad vigiliam. Sic solutus est ad vigiliam Eliphaz, qui, Job, iv, 13 et seq., sic dicit : *In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt. Et cum spiritus me præsentate transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, et vocem quasi auræ lenis audivi.* Quasi dicat : Prius in magnitudine visionis imaginariæ anima aversa a sensibus, in frigidatum est cor meum, inhorruerunt pili : quod non contingit nisi frigiditate poros pilorum comprimente. Sed cum spiritus qui visiones præsentabat, transiret ad organa sensuum, tunc vigilans vidi visione corporea, quod quidam per imaginem stetit ante oculos, et aure lenita (per calorem et spiritum auditivum) quæ prius obturata erat, audivi vocem ipsius mecum sensibilibiter loquentis. Et per omnem eundem modum accidit hic discipulis.

Et hoc est quod dicit : « *Et evigilantes,* » sensu redeunte ab interius opprimente visione.

« Viderunt, »

Corporalibus oculis, « *majestatem,* » hoc est, lumen ingens quod significabat majestatem ejus. II Petr. 1, 16 : *Non enim doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi*

*virtutem et præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis.* Et, I Joan. 1, 3 : *Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis.*

« *Et duos viros,* » Moysen et Eliam, « *qui stabant cum illo.* » Dicit autem hic Glossa quædam : « Sciendum non corpora vel animas Eliæ et Moysi apparuisse, sed ex aliqua subjecta creatura illa corpora fuisse formata. » Potest etiam credi Angelico ministerio illud factum esse, ut Angeli eorum personas assumerent. Hæc autem Glossa ex opinionibus antiquorum sumpta est. Et mihi videtur verius quod superius diximus : quia hoc magis consonat verbis Evangelii.

Mystice autem notat hic quædam Glossa, quod post somnum mortis melius videbitur in illa æterna et suprema vigilia gloria resurrectionis. Et tunc etiam cognoscetur qualiter duo viri Moyses et Elias sunt cum Domino : quia melius intelligent quomodo *iota unum aut unus apex non præteribit a lege*<sup>1</sup> : et quomodo Dominus legem et prophetias non solverit, sed adimplevit.

« Et factum est, cum discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum : Præceptor, bonum est nos hic esse : et faciamus tria tabernacula, unum tibi, et unum Moysi, et unum Eliæ, nesciens quid diceret. »

33

Hic tangitur qualiter humana mens ex visa delectatione beatitudinis æternæ illicitur ad manendum in ea.

Tangit autem tria : quia videlicet illicitur et trahitur, et illectionis expressionem, et ignorantiam sive sui status oblivionem.

Dicit igitur : « *Et factum est, cum discederent,* » scilicet Moyses et Elias, « *ab illo,* » hoc est, a Jesu. Ante enim Petrus occupatus magnitudine visionis et totus

<sup>1</sup> Matth. v, 18.

absorptus, nihil de recessione temporali cogitavit. Videns autem jam paulatim visionem se subducere, dolens tunc incipit sollicitari de permanendo : sentiens in se quod non parvo affectu in Psalmo LXXXIII, 11, dictum est : *Melior est dies una in atriis tuis, super millia.*

Et ideo illis quorum societatem toto corde desideravit, se subducentibus, « ait Petrus ad Jesum, » quem scivit auctorem hujus majestatis.

« Præceptor. »

Exprimit qualiter illectus sit, et dicit professionem majestatis in Christo, affectum dulcedinis ex parte, et desiderium et modum permanentiæ.

De primo dicit : « Præceptor, » hoc est, quem credimus et experti sumus præceptorem gratiæ et gloriæ, vitæ et mortis, miseriæ et beatitudinis. Esther, XIII, 9 : *In ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati.*

« Bonum est nos hic esse, »

Hoc est, in dulcedine hujus beatitudinis permanere. Et dixit hoc affectus dulcedine beatitudinis, et in ea exutus omnibus vitæ mortalis oblectamentis : unde Glossa : « Qui ad montana conscenderat, non vult ad terram descendere, sed semper in sublimi perseverare. » Ad Philip. 1, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius.* II ad Corinth. v, 8 : *Audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentem esse ad Dominum.*

« Faciamus hic tria tabernacula. »

Modum et desiderium tangit permanenti.

Tria autem dicit, propter Legem, et Pro-

phetiam, et Evangelium : ignorans adhuc quod horum non tria sunt tabernacula, sed unum tricameratum, propter tria quæ dicta sunt, et propter habitationem præeuntium et concomitantium et subsequentium, et propter fidem Trinitatis. Apocal. XXI, 3 : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Isa. IV, 6 : *Tabernaculum erit in umbraculo diei ab æstu, et in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia.* Hoc autem tabernaculum est absconditum lucidissimæ faciei Dei. Psal. XXX, 21 : *Abcondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum, proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum.*

Hanc ergo lucem conspexerat Petrus, et vidit se protegi a turbine turbarum : et ideo manere desiderabat : et ut impiger operarius exhibet obsequium sui operis, cum dicit : « Faciamus. » Errat ergo cum dicit « tria » faciendâ, cum Christus unire venerat. Joan. X, 16 : *Fiet unum ovile, et unus pastor.* Sed tamen error non est præsumptionis, sed pietatis : cum totam intentionem refert ad permanendum in beatitudine : et ideo non arguitur. Præmisit etiam conformitatem voluntatis suæ ad voluntatem divinam. Et hoc tangit Matthæus, XVII, 4, dicens eum dixisse : *Si vis, faciamus,* etc. Quod Chrysostomus ideo dicit eum dixisse, quia ante redargutus fuerat cum diceret : *Absit a te, Domine : non erit tibi hoc*<sup>4</sup>. Et ideo ne iterum redarguatur, præmittit : *Si vis, faciamus.*

Hæc autem tabernacula distribuit, dicens :

« Unum tibi. »

Noluit enim Petrus, ut dicit Beatus Bernardus, seorsum habitare : et ideo nullum sibi et discipulis singulariter dicit ædificandum, cupiens habitare cum

<sup>4</sup> Matth. XVI, 22.



Christo et sociis, eo quod sint de familia Christi. Moysi autem qui familiam habuerat synagogam, vult ædificari tabernaculum : quia familia Moysi videbatur a familia novæ gratiæ divisa. Similiter vult ædificari tabernaculum Eliæ, qui in hoc divisus a Moyse, quod futurus erat medius inter gratiam et legem, sicut dicitur, Malach. iv, 5 et 6. Et sic secundum tres familias putabat distribuenda esse tria tabernacula, nesciens intellectum Isaïæ dicentis, xxxiii, 20 : *Oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequam transferri poterit : nec auferentur clavi ejus in sempiternum.* Nullum ergo faciendum nisi Domino, cujus familia sunt omnes electi. Isa. lx, 21 : *Populus tuus omnes justii, in perpetuum hæreditabunt terram.*

« Moysi unum. »

Absit : quia sicut dicitur, Ezechiel. 1, 16, Rota est in rota : vetus in novo, et non separatum ab eo. Osee, 1, 11 : *Ponent sibi met caput unum, et ascendent de terra : quia magnus dies Jezrahel.*

« Et Eliæ unum. »

Quod iterum stare non potest : quia licet ut mediator convertat corda patrum in filios, et corda filiorum ad patres eorum, tamen non convertit eos ad se, sed ad Christum. Et ideo non erit nisi tabernaculum Christi.

Hæretici autem secundum dictum Petri volunt ædificare diversa tabernacula suorum conventiculorum : sed hæc corruent et peribunt. Psal. xv, 4 : *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

Errorem autem Petri corrigit Evangelista dicens :

« Nesciens quid diceret. »

Absorptus enim deliciis, in mentis excessu dixit : non considerans non esse manendum in monte, sed ad redemptionem properandum : non quærendam esse habitationem divisam, sed divisos in cruce Christi et fide esse uniendos. Ad Ephes. ii, 15 : *Ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem.* Sic angularis lapis unit utrumque parietem. Sic, I ad Corinth. xv, 28 : *Fiet Deus omnia in omnibus.* Sic, Cantic. vi, 8 : *Una est columba, scilicet Ecclesia.* Prædictis tamen rationibus divisa habitacula facere voluit Petrus, « nesciens quid diceret. »

Dicit autem Glossa quædam, quod transfigurationis hujus tres habemus testes de terra, Apostolos : tres de cælo, Moysen, et Eliam, et vocem Patris. Et secundum hoc tres de cælo dicuntur : non quod habitaverint in cælo, sed quia cælesti virtute sunt allati. Et sic veritas constat : quia unum sunt isti testes in depositione testimonii.

« Hæc autem illo loquente, facta est nubes, et obumbravit eos : et timuerunt. »

34

Hic incipit ostendere testimonium divinum Patris, et Spiritus sancti de transfigurato Domino.

Tangit autem duo : testimonium ipsum, et disciplinam silentii qua se cohibuerunt a prædicatione visionis istius.

In prima harum partium quatuor dicuntur. Unum quidem signum præsentiae sancti Spiritus. Alterum autem, experimentum debilissimi hujus miseriæ status, qui hoc ferre non potuit nisi per protectionem obumbrationis. Tertium, testimonium vocis. Quartum autem, ne error sit cui feratur testimonium, solitudo Filii, qui ante cum aliis magnis viris apparuerat.

Dicit ergo continuando historiam :

« *Hæc autem,* » in exstasi mentis, « *illo,* » Petro, « *loquente.* » II ad Corinth. v, 13 : *Sive mente excedimus, Deo : sive sobrii sumus, vobis.* Psal. LXVII, 28 : *Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu.* Benjamin qui interpretatur *filius dexteræ* significat Petrum æterni gaudii prægustantem dulcedinem, et in ea voces inordinatas emittentem affectus ebrii. Cantic. 1, 3 : *Introduxit me rex in cellaria sua.*

« *Facta est nubes.* »

Addit Matthæus, *lucida* : quia de luce ætheris formata, non de opacis elementis assumpta. Hæc autem nubes non fuit aliud nisi reflexio multiplicati luminis super ipsos : sicut per modum nubis multiplicantur radii in pariete, quando sol incidit super speculum, vel super crystallum, aut alium lapidem purum et pretiosum. Isa. XIX, 1 : *Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum.* In tali enim nube Dominus venit, et assumptus est. Act. 1, 9 : *Nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Psal. XVII, 12 : *In circuitu ejus tabernaculum ejus.* Quia tale lumen ad modum tabernaculi circumfunditur et dilatatur. Et si aliquando dicitur *caligo*, non dicitur hoc quia in se sit caliginosum, sed quia reverberat oculos sua claritate, et sic obvolvuntur caligine in seipsis. Et sic dicitur, Exod. XIX, 9 : *Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te.*

« *Et obumbravit eos.* »

Confortavit ut aliquatenus ferre possent claritatem. Luc. I, 35 : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Obumbravit enim dupliciter : temperamentum præstando, et se in ipsis formando ad modum eis possibilem.

<sup>1</sup> Cf. Exod. XIX, 9.

Et ideo claritate ejus nimia circumvoluti,

« *Et timuerunt.* »

Tanta enim est infirmitas humana, quod hoc ipsum ferre non potuerit propter quod facta subsistit, ut dicit Gregorius. Matth. XXVIII, 4, simile : *Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui.*

Hæc autem nubes signum fuit pœnitentiæ Spiritus sancti, qui (sicut in baptismo) diffundebatur in charismatibus supra Christum, sed ibi ad sanctificationis operationem : et ideo venit in columba. Hic autem ad majestatis demonstrationem : et ideo venit in nube.

« *Intrantibus illis in nubem.*

Et vox facta est de nube, dicens : **35** Hic est Filius meus dilectus : ipsum audite.

Et dum fieret vox, inventus est Jesus **36** solus. Et ipsi tacuerunt, et nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quæ viderant. »

Tangit testimonium Patris.

Tangit autem tria : consonantiam Patris cum Spiritu sancto, demonstrationem Filii, et præceptum obediendi.

Consonantia Patris cum Spiritu notatur in hoc, quod non sonat Pater nisi in nube. Oportet enim quod obumbretur nube Spiritus, qui audire debet vocem Patris : quia Spiritus vehit in cor vocem Patris, et docet eam. Joan. XVI, 13 : *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,.... et quæ ventura sunt annuntiabit vobis.* Ideo etiam de nube sonuit ad legislationem <sup>1</sup>. Nec aliqua vox sonat secundum naturam nisi in spiritu. Et ideo vox facta est in eis, « *intrantibus illis in nubem.* »

Cum enim dicit : « *Intrantibus illis,* » non intelligitur de introitu pedum, quia jacebant cadentes : sed de introitu cordium, quando significatum nobis percipere in cordibus inceperunt. Psal. ciii, 3 : *Ponis nubem ascensum tuum.* Non enim ascendit super corda hominum, nec eos ascendere facit nisi in nube ista.

Et hoc est quod dicit :

« Et vox facta est de nube, »

Hoc est, de claritatis illius nubis diffusionem quæ diffusionem Spiritus significabat in corde. Ad Roman. v, 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.*

« *Dicens.* » Ecce Filii demonstratio in eadem nube : « *Hic,* » corporaliter in majestate demonstratus, « *est Filius,* » naturalis, « *meus,* » de substantia mea genitus. Joan. 1, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.*

Dicit autem : « *Dilectus,* » in Spiritu sancto connexus mihi, et ejusdem Spiritus sive dilectionis mecum est unum principium : quia a me fluit in eum, et ab eo in me reciproca dilectione, et a nobis in mundum. Sapient. 1, 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia, hoc est, cælum, scientiam habet vocis.* Ad Coloss. 1, 13 : *Transtulit nos in regnum Filii dilectionis suæ,* hoc est, Filii sui dilecti : sicut dicit ibidem Glossa Augustini. Quæ dilectio a Filio sicut a Patre procedit.

« Ipsum audite. »

Ecce obediendi præceptum. Audiendus est enim in omnibus quæ dixerit, et obediendum est ei. Exod. xxiv, 7 : *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes.* Psal. xciv, 8 : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

<sup>1</sup> Psal. xliiv, 3.

<sup>2</sup> Cant. iv, 11.

Cum desiderio enim est audiendus, cum obedientia exaudiendus. Cum desiderio audiendus : quia *diffusa est gratia in labiis ejus* <sup>1</sup> : *mel et lac sub lingua ejus* <sup>2</sup>. Et ideo dicit sponsa, Cantic. viii, 13 : *Fac me audire vocem tuam.* Et, Cantic. ii, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis.* Cum obedientia autem exaudiendus : quia ad id quod utile est, erudit et præcipit. Ad Hebr. xii, 9 et 10 : *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, et reverebamur eos : non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus ? Et illi quidem in tempore paucorum dierum secundum voluntatem suam erudiebant nos, hic autem ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus.* Est etiam cum timore audiendus : sicut dicitur, ad Hebr. iv, 3, quia quibusdam non audientibus eum in ira sua juravit, dicens, Psal. xciv, 11 : *Si introibunt in requiem meam.* Ipsum ergo audite libenti charitate, reverenti obedientia, cum timore suæ auctoritatis quam habet ad judicandum.

« Et dum fieret vox. »

Istud inducitur, ut sciant Apostoli cui perhibetur testimonium. Quod si sonante voce adhuc in majestate viderentur Moyses et Elias, forsitan discipuli visionis magnitudine attoniti, putarent alicui aliorum testimonium perhiberi. Quod ne putetur, « *Dum fieret vox* » Patris testificans solum Dominum esse majestatis, « *inventus est Jesus solus.* » Sicut enim in baptismo solus dicitur voce Patris auctor sanctificationis, et in passione solus hæres claritatis <sup>3</sup>, hic solus dicitur esse Dominus majestatis : ideo solus est inventus in loco sonantis vocis. Digne enim solus dignus est majestate, qui solus et unicus hæres est paternæ gloriæ. Daniel. iv, 31 : *Potestas ejus, potestas sempiterna, et regnum ejus in generationem*

<sup>3</sup> Cf. Joan. xii, 28.

et generationem. Ibidem, VII, 14: *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferretur, et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Luc. I, 32 et 33: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui: et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* Isa. IX, 7: *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis.* Huic ergo soli testimonium datur, et soli majestas attribuitur, et soli nomen deitatis. Ad Philip. II, 9: *Donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Moysi ergo et Eliæ ut servis, datur testimonium laudis: Christo vero ut Filio, sicut dicitur, ad Hebr. III, 5 et 6. Et non solum præ illis, sed etiam præ Angelis habet testimonium. Ad Hebr. I, 4 et 5: *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium.*

Sic igitur ostenditur quod nulli datur testimonium majestatis nisi Filio. Et ideo aliis subductis, « *inventus est Jesus solus,* » sonante voce Patris.

« Et ipsi tacuerunt, etc. »

Hic ponitur instructio disciplinæ consequens visionem ex parte Apostolorum.

Et tanguntur duo: occultatio videlicet visionis, et tempus occultationis. In Matthæo autem, XVII, 9, legitur, quod Jesus præcepit eis ut nemini dicerent, *donec Filius hominis a mortuis resurgat.*

Sic ergo ad præceptum Domini tacuerunt tribus de causis. Ut jactantiam vitare doceret, et laudes fugere. Eccli. XI, 2: *Non laudes hominem in specie sua.* Et, ibidem, §. 30: *Ante mortem ne laudes hominem quemquam.* Psal. CI, 9: *Qui laudabant me, adversum me jurabant.*

Secunda causa est, ut doceat maxime in revelationibus secretorum tenendam esse humilitatem. Unde Paulus, II ad Corinth. XI, 5 et seq., tacuit per *quatuordecim* annos. Et nec tunc dixisset, nisi

quod pseudoapostoli qui populum specietalium falsarum revelationum subvertebant, compulissent. Eccli. III, 20: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Gregorius: « Deprædari desiderat qui « thesaurum publice portat in via. » Matth. XIII, 44: *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit.*

Tertia causa est, quia non erat tempus opportunum ad hæc prædicanda. Si enim majestas visa prædicaretur et postea pateret infirmitas in morte, et confusio manifestaretur in cruce, excitaretur scandalum, et nulla ædificatio sequeretur. Sed cum surrexerit a mortuis, tunc victoria mortis fides erit majestatis, et tunc opportunis prædicabitur. Eccli. XX, 22: *Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit illam in tempore suo.*

Et hoc est quod sequitur:

« Et nemini dixerunt in illis diebus, »

Ante Passionem, « *quidquam,* » nec de apparentibus cum Christo, nec de majestate Christi, « *ex his quæ viderant,* » (sicut dictum est) corporalibus oculis in magna gloria. Daniel. XII, 4: *Claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum.*

« Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrunt illis turba multa. »

Hic incipit pars illa quæ est de confirmatione traditæ potestatis, in qua duo sunt consideranda: modus videlicet utendi potestate, et modus sequendi Christum eorum qui in potestate sunt ponendi. Et hæc duo ordine eodem quo hic dicta sunt, determinat.

Usus autem potestatis, aut est in eo qui constituitur in potestate ecclesiastica, aut in eo super quem potestas accipitur. Si autem consideratur in eo super quem

potestas accipitur, sciendum quod ex parte illa semper potest impediri potestas ecclesiastica ne consequatur effectum. Et quoad hoc inducitur historia de lunatico, quem Apostoli curare non potuerunt.

Si autem attenditur potestas in eo qui in potestate constituitur, consideratur adhuc tripliciter, quoad tria quæ sunt in eo qui habet super alios potestatem: quorum primum, quia potestas constituit in gradu dignitatis et altitudinis: et sic abuti potestate est inflari potestate, et bene uti potestate est humilem se recognoscere. Et quoad hoc ordinatur potestas in historia quæ secundo inducitur.

Secundum (quod est in eo cui potestas committitur) est vita idonea in hoc quod in vita utatur potestate secundum formam qua Christus præcessit. Et posset credere aliquis, quod non sequens Christum in vita, non haberet potestatem ecclesiasticam, quod non est verum: et quoad hoc ordinatur potestas in historia tertio loco inducta.

Tertium est usus potestatis contra malos et rebelles, contra quos non semper oportet cum indignatione et furore procedere: et quoad hoc ordinatur potestas in historia quarto loco inducta.

Primo ergo ostenditur, quod quantumcumque idoneus sit Prælati Ecclesiæ, potestas ejus aliquando in sacramentis effectum non consequitur, si obicem ponat ille in quem utitur potestate sacramentali.

Dividitur autem hæc historia in tres partes: in quarum prima miraculum expostulatur: in secunda, perficitur: in tertia, commendatur.

In prima harum tres sunt paragraphi: turbarum videlicet intercessio, miseriam dæmoniaca allegatio, et discipulorum de impotentia curationis accusatio.

In primo horum tria dicuntur: quando videlicet, et ubi, et qualiter occurrit turba pro misero intercedens.

De primo dicit:

« Factum est autem, »

Secundum Dei dispositionem, ad cujus dispositionem Christus omnia fecit. Joan. 14, 34: *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, scilicet Patris, ut perficiam opus ejus.* Luc. 11, 49: *In his quæ Patris mei sunt oportet me esse.*

« In sequenti die. »

Lux una in demonstranda luce suæ speciei, contemplantibus in monte. Lux alia in demonstranda virtute, activis in valle. Hæ enim dies duæ, sunt activorum et contemplativorum quasi duæ illuminationes. In prima illuminat mirabiliter a montibus æternis: in secunda clamat: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*<sup>2</sup>.

Et hoc est: « *In sequenti die,* » quia prima est lux contemplationis in fulgore verbi. Sequens autem dies actionis in virtute operationis verbi, quia actio informatur ex contemplatione.

« Descendentibus illis de monte. »

Ecce locus ubi factum est in descensu montis Thabor. Si enim ascendat Dominus, nos illuminat: et si descendat, nos curat. Et sic undique nostram operatur salutem. Psal. 133, 8: *Ascendunt montes, et descendunt campi in locum quem fundasti eis.* Dum enim ascendit, nos ascendere facit: et cum descendit, nobis et nostræ infirmitati condescendit: nec tantum altis et sapientibus debitor est in monte, sed et infimis et inferioribus in valle. Ad Roman. 1, 14 et 15: *Sapientibus et insipientibus debitor sum. Ita, quod in me, promptum est et vobis, qui Romæ estis, evangelizare.*

Et hoc est quod sequitur:

<sup>2</sup> Joan. VIII, 12.

« Occurrit illis turba multa, »

Gratulabunda, ita quod lætitia cordis expressa in vultu internam patefecit devotionem. Amos, iv, 12: *Præparare in occursum Dei tui Israel.* Joan. xii, 18: *Propterea et obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum.* Et hæc etiam devotio multum intercessit pro infirmo.

**38** « Et ecce vir de turba exclamavit, dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi. »

Hic ponitur miraculi expostulatio.

Dicuntur autem hic tria. Unum est postulantis instantia. Secundum, maligni spiritus allegata malitia. Tertium est infirmi periculosa et acerba miseria.

In primo horum quatuor dicuntur, quorum primum est clamoris intensio: secundum, in eo ad quem clamat potestatis professio: tertium, respectus in filium supplex obsecratio: quartum, magnæ et naturalis et indivisæ dilectionis allegatio.

Dicit: « *Et ecce,* » qui seipsum clamando demonstrabilem fecit, « *vir,* » in hoc commendabilis quod puerilia transcenderat. I ad Corinth. xii, 11: *Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.*

« *De turba,* » quæ sibi devotione sua meruit exauditionem: fuit enim de societate et numero devotorum. Communio enim Sanctorum multa meretur. Unde, supra, vii, 12, turba multa civitatis erat cum vidua cujus filium Dominus suscitavit.

« Exclamavit dicens. »

Tangit clamoris intensionem: quia « *exclamavit,* » hoc est, ex intimo affectu et toto corde clamavit. Psal. cxviii,

145: *Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine.* Daniel. xiii, 35: *Erat cor ejus, scilicet Susannæ, fiduciam habens in Domino.*

Et ideo clamavit:

« Magister. »

Ecce majestatis professio. Nominat autem eum a perfectione sapientiæ propter doctrinam quæ ostendebatur in ipso, plusquam Dominum, quod occultum erat propter nimiam ipsius humilitatem. Joan. xiii, 13: *Vos vocatis me Magister, et Domine: et bene dicitis, sum etenim.* Matth. xxii, 16: *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces: et non est tibi cura de aliquo.* Joan. iii, 2: *Rabbi, scimus quia a Deo venisti Magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*

« Obsecro te, etc. »

Ecce ut respiciat in filium supplex deprecatio.

« *Obsecro,* » hoc est, ob sacramenta potestatis et doctrinæ tuæ conjurans peto: « *Respice,* » oculo misericordiæ, « *in filium meum.* » Sapient. iv, 13: *Gratia Dei et misericordia est in Sanctos ejus, et respectus in electos illius.* Thren. i, 9: *Vide, Domine, afflictionem meam.* Visus enim afflictionis cor misericordis movet ad miseracionis effectum. Psal. xxiv, 16: *Respice in me, et miserebere mei.*

« *Quia unicus est mihi.* » Magnæ et naturalis et indivisæ dilectionis est allegatio. Et ideo necesse fuit quod cor patris affligeretur in filio. II Reg. i, 26: *Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.* Jerem. vi, 26: *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.*

39

« Et ecce spiritus apprehendit eum. »

Hic ponitur spiritus maligni allegata malitia.

Ponuntur autem hic tria. Primum est affligens intrinsecus spiritus. Secundum est violentiæ quam intulit modus. Tertium est afflictionis affectus.

De primo dicit :

« Et ecce spiritus. »

Quasi dicat : Evidens est quod est spiritalis et non corporalis nequitia. Ad Ephes. vi, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus.* Dicitur autem, Matth. xvii, 14, quod lunaticus erat. Quia, sicut dicit Glossa, tempore novæ lunæ affligebat, ut lunam odibilem hominibus faceret, cujus lumen homines affligeret, et ad insaniam deduceret : et per consequens homines Creatorem blasphemarent, qui tam nocivas fecisset creaturas. Sapient. xiv, 11 : *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, ... et in muscipulam pedibus insipientium.*

Vel potest dici melius, quod licet spiritus immundus hujus afflictionis fuerit principium, tamen in affligendo habuit humidum corporis, et maxime capitis humidum pro vexationis instrumento. Et quia in novilunio corruptum in capite augmentabatur humidum, ideo in novilunio plus torquebatur dæmoniacus : et ideo *lunaticus* dicebatur. Luna enim hanc virtutem habet in suo lumine, quod movet humidum, et corrumpit humidum quod putrefactioni est paratum. Et ideo periculosa fiunt apostemata animalium, quæ de nocte lumini lunæ exponuntur. Qui autem accusant lunam propter hoc, possunt etiam accusare solem : quia sub lumine solis febricitans magis æstuat quam si sibi non exponeretur. Et similiter facit ignis comburens Beatum

Laurentium, qui bonus fuit. Creaturæ enim sua expleant officia. Et quod aliquando nocent, hoc est per accidens : quia exponuntur eis quædam in quæ agunt secundum suas qualitates. Et si aliquando non agunt in talia, hoc fit per miraculum divinum : tamen secundum ordinem institutionis suum primum, actiones suas custodiunt. Sapient. xix, 17 : *In se elementa dum convertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, et omnia suum sonum custodiunt.* Ideo semper quidem universo prosunt : sed si alicui nocent, hoc est per accidens.

Spiritus autem est præsidens et affligens intus, et ideo periculosior erat afflictio : quia causa et principium ipsius per artem cognosci non poterat. Spiritus enim hic malus accipitur, quem dæmonem vocamus. Matth. xv, 22 : *Filia mea male a dæmonio vexatur.*

« Apprehendit eum. »

Ecce afflictionis modus per apprehensionem. Apprehensio autem est captio trahens ad capientem. Et dat intelligere, quod spiritus malus cepit vias sensus et motus ejus in ipsis nervis sensationis, et motivis, et spiritibus, qui vehere debebant virtutes sensitivas et motivas ad regimen ordinatum corporis : et tractas ad se convertit ad inordinatum corporis nocumentum. Matth. xvii, 14 : *Male patitur : nam sæpe cadit in ignem, et crebro in aquam.* Apprehensio enim sonat violentam naturalium ad voluntatem dæmonis attractionem. Marc. ix, 16 et 17 : *Attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum : qui ubicumque eum apprehenderit, etc.* Dicit autem Marcus, ix, 24, quod erat mutus et surdus : quia dæmon vias motus ad linguam, et vias sensus ad aures, corrupto replevit humore : ita quod lingua et aures ad sensum et motum moveri non poterant. Et forte similiter fecit in viis aliorum sensuum.

Et hoc innuitur ex sequentibus :

« Et subito clamat, et elidit, et dissipat eum cum spuma, et vix discedit dilanians eum. »

Tanguntur hic multiplices hujus miseriæ effectus.

Tanguntur autem septem, scilicet, subita et indeliberata invasio ut se præmunire non posset, clamor internum prodens dolorem, allisio ex casu quasi epileptici ad terram, dissipatio in juncturarum dislocatione, spuma in fædi humoris emissionem, vix discessus in continua sine interpolatione afflictione, dilaniatio in membrorum dilaceratione.

De primo horum dicit :

« Et subito clamat, etc. »

Dionysius dicit, quod *subito* est quod fit præter spem, hoc est, ante deliberationem : et fit in momento, contra quod nullus se potest præmunire. Hoc enim hac astutia facit dæmon, ut afflicto non possit subveniri. Psal. xxix, 6, secundum veritatem hebraicam : « Ad momentum ira ejus. » Ubi habemus nos : *Quoniam ira in indignatione ejus*. Isa. xxx, 13 et 14 : *Subito dum non speratur, veniet contritio ejus, et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida.*

« *Clamat,* » angustiam cordis interiorum indicans. Isa. lxv, 14 : *Vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.*

« *Et elidit,* » scilicet eum, hoc est, in casum præcipitat, et cadentem allidit et collidit. Job, xxx, 22 : *Elevasti me, et quasi super ventum ponens elisisti me valide.*

« *Et dissipat eum.* » Job, xxx, 13 : *Dissipaverunt itinera mea, insidiati sunt mihi, et prævaluerunt, et non fuit qui ferret auxilium.*

« *Cum spuma.* » Marc. ix, 17 : *Allidit illum, et spumat, et stridet dentibus, et arescit.*

« *Et vix discedit,* » sine interpolatione affligens. Job, xxx, 17 : *Qui me comedunt, non dormiunt.*

« *Dilanians* » eum membrorum disceptione et dilaceratione. Nahum, ii, 10 : *Dissipata est, et scissa, et dilacerata : et cor tabescens, et dissolutio geniculorum, et defectio in cunctis renibus : et facies omnium sicut nigredo ollæ.*

Ista septem, septem possunt attribui capitalibus vitiis, sed non eodem ordine quo enumerata sunt.

*Elisio* enim attribuitur *superbiæ* : quia illa præcipitat et allidit. Psal. cxlv, 8 : *Dominus erigit elisos*. Glossa : « *Elisos per superbiam, erigit per humilitatem.* »

*Subito* autem invadit per *invidiam* : quia statim visa prosperitate alicujus bonorum, torquetur per invidiam. Job, v, 2 : *Parvulum occidit invidia* : quia nisi parvulus in se esset, ad bonum alterius non occideretur.

*Clamor* autem attribuitur *iracundiæ*. Ad Ephes. iv, 31 : *Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia.*

Vitium autem quod animæ vigorem dissipat, est *acedia*, quæ per miseriam dissipationis interiorum etiam vocem acuit, ac si sit vox infirmi per totum dissipati : propter quod etiam *acedia* vocatur. Psal. xxxiv, 16 : *Dissipati sunt, nec compuncti, tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione : frenduerunt super me dentibus suis*. Omnibus enim his modis acediosi se habent ad Deum, et ad spiritualia.

*Spuma* autem attribuitur libidini *luxuriæ* : propter quod et Venus de spuma maris Cypri nata esse a Poetis fingitur : et omne semen libidinis cum spuma esse prohibetur. Hieronymus : « *Venero mero æstuans facile despumat in luxuriam.* » Sapient. v, 15 : *Spes impii tamquam lanugo quæ a vento tollitur, et tamquam spuma gracilis quæ a procella dispergitur* : quia ad litteram libido luxuriæ cito dissipatur.

Quod dicit, quod « *vix discedit* » sine



interpolatione affligens, est *avaritia*, quæ numquam quiescit, numquam satiatur. Proverb. xxx, 16 : *Terra non satiatur aqua. Ignis vero numquam dicit : Sufficit.* Hoc est terrena concupiscentia cum æstibus et facibus avaritiæ numquam sufficientia.

« *Dilanians* » autem et discerpens membra, est *gula* : quæ postquam interiora membra oppressa sunt, et usque ad dilanationem extensa, adhuc ingerere non cessat. Isa. xxviii, 8 : *Omnes mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus.*

Sic igitur miserabiliter affligitur quem diabolus possederit. Sic, Luc. viii, 2, beneficio Domini de Magdalena septem dæmonia exierant.

40

« Et rogavi discipulos tuos ut ejicerent illum, et non potuerunt. »

Ecce discipulorum de impotentia curandi accusatio.

Dicit autem duo : suam in curatione filii adhibitam diligentiam, et discipulorum in curando filio impotentiam.

In primo horum dicit tria : suam quam ad discipulos habuit fidem et reverentiam, et innuit magnam in discipulis nisi curet imperfectionem et verecundiam, et petitionis suæ exprimit convenientiam.

Dicit igitur : « *Et rogavi,* » reverentiam exhibens et fidem : quia aliter non supplicassem. Non enim ab ipsis rogassem filio meo salutem, nisi credidissem te eis dedisse curandi potestatem : et ideo cum fide et supplicatione rogavi, et non cum temeritate, attendens quod dicitur, Jacob. i, 6 : *Postulet in fide nihil hæsitans.* Te enim in illis veneratus sum, sicut dixisti, Luc. x, 16 : *Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit.*

Ideo rogavi « *discipulos,* » de quibus dixisti, Joan. xiv, 12 : *Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet.* Et, Marc. 17 :

*In nomine meo dæmonia ejicient.* Et ideo ne impotentia discipulorum tibi imputetur, exaudi me.

« Ut ejicerent illum. »

Quæ fuit pia et honesta et conveniens dictis ejus petitio. Tu enim venisti ut dissolvas opera diaboli : et ideo petens ut ejiciatur diabolus, secundum teipsum peto. Deuter. xxxiii, 27 : *Dominus ejiciet a facie tua inimicum, dicetque : Conterere.* Ad Roman. xvi, 20 : *Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.*

Et non potuerunt. »

Non dicit, Non voluerunt : sed, *Non potuerunt.* Cujus quinque causæ esse perhibentur a Sanctis.

Una est secundum Chrysostomum qui dicit, quod hoc fuit ideo, quia columnæ discipulorum ibi non fuerunt. Ad Galat. ii, 9 : *Cephas et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi et Barnabæ societatis.* Hoc tamen non videtur, quia, Matth. xvii, 18, indifferenter omnes quæsiverunt, dicentes : *Quare nos nos non potuimus ejicere illum ?* Nisi forte *columnas* vocet, in robore columnarum existentes : quia columnæ non fuerunt, nisi postquam in die Pentecostes Spiritum sanctum ad robur acceperunt. Luc. xxiv, 49 : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Et hoc verum est, quod postea multa potuerunt, quæ ante non poterant.

Alia causa est, modicitas fidei Apostolorum. Unde Dominus, Matth. xvii, 19, post miraculum illud dicit eis : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illuc : et transibit : et nihil impossibile erit vobis.*

Tertia causa, parvitas fidei postulantis, qui licet habuerit fidem, non habuit sufficientem. Et hujus signum est, quod exprobrando hic dicit Dominus : *O ge-*

*neratio incredula et perversa, quousque ero vobiscum* <sup>1</sup>.

Quarta causa est indignitas infirmi, qui locum in se, culpa sua, dedit diabolo. Contra quod dicit Apostolus, ad Ephes. IV, 27 : *Nolite locum dare diabolo.*

Quinta causa est : quia licet Dominus posset curare sine usu clavis Ecclesiasticæ, tamen Apostoli et alii ministri Ecclesiæ hoc non poterant. Et quia Apostoli non recte utebantur clave, ideo istum dæmoniacum sanare non potuerunt : debebant enim opera satisfactionis adhibuisse. Et ideo, Matth. XVII, 20, dicitur eis, quod hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione et jejunio. Et dicit ibi Hieronymus in Glossa, quod « non « sanat oculum, quod sanat calca- « neum. » Et ideo indebite utens clave, non absolvit, sed in errorem inducit.

**41** « Respondens autem Jesus, dixit : O generatio infidelis, et perversa, usquequo ero apud vos, et patiar vos? Adhuc huc filium tuum.

**42** Et cum accederet, elisit illum dæmonium, et dissipavit.

**43** Et increpavit Jesus spiritum im-mundum, et sanavit puerum, et red-didit illum patri ejus. »

Hic agitur de miraculi perfectione.

Habet autem quatuor paragraphos, in quorum primo ponitur infidelitatis incre-patio, et exprobatio : in secundo, præcepta a Domino filii oblatio : in tertio, dæ-monis coram Domino infestatio : et in quarto, dæmonis ejectio, et pueri sana-tio.

Dicit ergo, non impatientia et tædio victus, sed objurgans infidelitatem :

« O generatio ! »

Unde, ad Roman. IX, 22 : *Sustinuit in*

*multa patientia vasa iræ, apta in interi-tum.*

Quod autem dicit : « O generatio, » ideo dicit, quia vexabatur ut Moyses in-credulitate eorum. Psal. CV, 32 et 33 : *Vexatus est Moyses propter eos : quia exacerbaverunt spiritum ejus.* Osee, X, 10 : *Corripientur propter duas iniquita-tes suas.*

Dicit autem : generatio « infidelis, » propter defectum fidei. Psal. LXXVII, 8 : *Generatio quæ non direxit cor suum : et non est creditus cum Deo spiritus ejus.*

« Et perversa, » propter morum per-versitatem. Deuter. XXXII, 5 et 6 : *Gene-ratio prava atque perversa? hæccine red-dis Domino, popule stulte et insipiens?*

« Usquequo ero apud vos? »

Ad correptionem vestram, et non re-cipitis disciplinam. Psal. XCIV, 10 et 11 : *Quadraginta annis offensus fui genera-tioni illi, et dixi : Semper hi errant cor-de. Et isti non cognoverunt vias meas.*

« Et patiar vos, » hoc est, æquanimi-ter duritiam vestram sustinebo. Isa. XLII, 14 : *Tacui semper, silui, patiens fui.* Ibidem, Isa. LVII, 11 : *Non cogitasti in corde tuo? quia ego tacens et quasi non videns, et mei oblita es.*

« Adduc huc filium tuum. »

Ecce præcepta a Domino sibi facta oblatio. Matth. IV, 24 : *Obtulerunt ei omnes male habentes.* Hæc autem obla-tio non ideo facta est, quod Dominus non posset ita curare absentem sicut præsentem : sed ut turba videns eum ve-xari in præsentia Domini, magis credat quod Christus non in Beelzebub, sed in contraria virtute ejicit dæmonia.

<sup>1</sup> Matth. XVII, 16.

« Et cum accederet. »

Ecce vexatio dæmonis in præsentia Salvatoris.

« *Elisit illum,* » in terram ad modum epileptici, « *et dissipavit eum,* » ut magis pateret miraculum. Apocal. xii, 12 : *Descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.* Et propter hanc impatientiam dæmonis et incredulitatem eorum, qui tot signa ab eo fieri viderunt, qui tot eruditionibus fuerunt eruditi, qui tot testimoniis Joannis et aliorum fuerunt edocti de ipso, qui tot beneficiis præventi, dixit : « *O generatio infidelis,* etc. »

Ideo etiam non simpliciter imperavit Dæmoni, sed

« *Increpavit Jesus spiritum immundum.* »

Verba autem comminationis, et increpationis ponit, Marc. ix, 24, dicens : *Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, et amplius ne introeas in eum.* Dicit etiam Marcus, ix, 20, (per quod confirmantur omnia quæ dicta sunt) quod quæsivit : *Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? Et dixit pater : Ab infantia.* Et hoc totum manifestari voluit ad miraculi commendationem, et ad ostendendam contrarietatem sui ad dæmonem : ut postea confunderentur dicturi, quod in Beelzebub dæmonia ejiceret : et ut virtus sua vincens dæmones ostenderetur, et per consequens regnum quod prædicavit, regnum Dei esse crederetur. Luc. xi, 20 : *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.*

« Et sanavit puerum. »

Secundum est in quo est miraculi perfectio, et restitutio integræ sanitatis.

Non enim sufficit malum tollere, nisi bonum sanitatis integrum revocetur. Act. iii, 16 : *Nomen Jesu, et fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.* Joan. v, 14 : *Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

« Et reddidit illum patri ejus. »

Tertium est de benignitate Domini : quia eum quem curaverat et a tyrannide diaboli eripuerat, sibi in servum potuit retinere : sed innata sibi benignitate, paterno amori compatiens, imitatus facta Prophetarum, « *reddidit illum patri suo.* » Sic Elias puerum quem suscitaverat, matri reddidit <sup>1</sup>. Sic Eliseus puerum quem vivere fecerat matri reddidit. Maxime quia et Pater credidit, clamans et dicens (cum dæmonium discerneret filium, et Jesus diceret : *Si potes credere, omnia possible sunt credenti*) : *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* <sup>3</sup>. In argumentum ergo confortandæ fidei patris, filium dedit patri : ex cujus vita sanitate continuo in fide confirmaretur.

« Stupebant autem omnes in magnitudine Dei : omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos : Ponite vos in cordibus vestris sermones istos : Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum. »

At illi ignorabant verbum istud, et erat velatum ante eos ut non sentirent illud : et timebant eum interrogare de hoc verbo. »

Hic ponuntur ea quæ faciunt ad miraculi commendationem. Et sunt duo :

<sup>1</sup> Cf. III Reg. xvii, 23.

<sup>2</sup> Cf. IV Reg. iv, 36.

<sup>3</sup> Marc. ix, 21 et 23.

stupor communis, et memoria specialis in cordibus discipulorum.

In stupore communi dicitur, quod « *stupebant omnes* » de turba. Jerem. v, 30 : *Stupor et mirabilia facta sunt in terra*. Est autem stupor systoles cordis propter admirationis altitudinem.

« *In magnitudine Dei*, » quæ apparuit in virtutibus divinis in talibus manifestis prodigiis. Act. vi, 8 : *Faciebat prodigia et signa magna in populo*. Act. x, 38 : *Pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo*.

« Omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat. »

Secundum est, in quo specialiter tangit instructionem Apostolorum.

Et tangit duo : quod videlicet factum memoriæ commendetur, et causam quare debet memoriæ commendari.

De primo dicit : « *Omnibusque mirantibus*, » in communi, quorum quidam ex curiositate videbant mirabilia : quidam autem ex invidia videntes tabescebant : et ideo non ædificabantur. Et hac de causa etiam non curat quod factum tam memorabile in memoria eorum commendetur.

Et ideo istis mirantibus nihil dicit illis : sed « *in omnibus quæ faciebat* » mirabilibus, « *dixit ad discipulos suos*. » *Memoriam enim fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus*, sicut dicit Psalmista, Psal. cx, 4. Dixit ergo ad eos de quibus dicit, Psal. cXLIV, 7 : *Memoriam abundantiae suavitatis tuæ eructabunt, et justitia tua exsultabunt*.

« Ponite vos, »

Specialiter quibus jam virtus magnificentiae meæ in corpore mortali innotuit : « *vos* », inquam, *qui permansistis mecum in tentationibus meis*<sup>1</sup>. « *Vos*, » in-

quam, qui prædicaturi estis virtutem passionis meæ, et eritis testes operum meorum. Psal. cXLIV, 4 : *Generatio et generatio laudabit opera tua : et potentiam tuam pronuntiabunt*.

« *In cordibus vestris*, » hoc est, in armario memoriæ, et ædificamini ad fidei confirmationem : quia vos estis de quibus dicit Psalmista, Psal. cXLIV, 5 : *Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, et mirabilia tua narrabunt*.

Et subjungit causam :

« *Filius enim hominis*. »

Tangit hoc secundum quod subjicitur Passioni. Hoc enim habet a filio hominis, et non a Filio Dei secundum quod Filius Dei. Ergo « *Filius hominis futurum est*, » in ordinatione divina. Ad Roman. viii, 32 : *Etiam proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum*.

« *Ut tradatur* » a Deo Patre, a Juda, et a seipso, « *in manus*, » hoc est, potestatem, « *hominum*, » et exponant eum tormentis, et morti, et confusione. Et ibi apparebit infirmitas, in qua necesse est fidei vestræ, quod memores sitis virtutis deitatis in signis. Eccli. xi, 27 : *In die malorum ne immemor sis bonorum*. Thren. iii, 20 : *Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea*. Psal. cxxxvi, 6 : *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui*.

« At illi ignorabant verbum istud. »

Hoc est consequens ad præcedentia. Tantum enim abhorrebant separationem a Christo, quod voluntas fecit eis incredibilia quæcumque dicebantur de Passione ipsius. Unde Glossa : « Hæc ignorantia non tam de tarditate, quam de amore nascitur : quia adhuc carnales et mysterii crucis ignari, quem Deum credide-

<sup>1</sup> Luc. xxii, 28.

runt, morituum credere nequeunt. Sed sicut per figuras loquentem audire solebant, sic etiam quod de sua traditione loquebatur, figuraliter, aliud significare putabant. »

Et hoc est : « *At illi ignorabant verbum istud.* » Matth. xv, 16 : *Adhuc et vos sine intellectu estis ?*

« *Et erat velatum ante eos,* » non velamine verbi, quia verbum in simplici intelligentia veritatis dictum fuit : sed velamine cordis carnaliter Christum diligentis : et ideo nihil de Passione sua recipere valentis. II ad Corinth. iii, 15 et 16 : *Velamen positum est super cor eorum. Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.*

« *Ut non sentirent illud,* » quantumcumque expresse diceretur : quia non adhuc nisi carnaliter noverunt. Ad Philip. ii, 5 : *Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu.* Dicitur autem quod non senserunt, quia per affectum profundatum non experiebantur.

« *Et* » propter reverentiam, « *timebant eum interrogare de hoc verbo,* » quia aliquando exprobraverat dure quod sine intellectu essent. Præcipue autem timebant modo, quando exclamaverat : *O generatio infidelis et perversa, usquequo ero apud vos* <sup>1</sup>, signa faciens, erudiens verbo, informans exemplo, curans beneficio, portans subsidio, alliciens temporali subsidio? Timebant enim, quod ipsi maxime talia quotidie recipientes inter alios plus arguerentur : cum tamen putarent ipsum figurative fuisse locutum. Et ideo interrogare non audebant de illo Passionis suæ tempore.

**46** « Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset. »

Hic incipit determinatio potestatis ecclesiasticæ secundum gradum, in quo ponitur is qui accipit potestatem. Sic

<sup>1</sup> Luc. ix, 41.

enim abuti potestate, est inflari potestate : et bene uti potestate, est humilem se exhibere ad obsequium et utilitatem subditorum.

Tanguntur autem hic duo, scilicet, principium perversitatis ex ambitione, et remedium ambitionis ex humilitatis simplicitate.

De primo autem dicit quatuor : tentationem, tentationis acceptationem, acceptatæ tentationis collationem, et collatæ in corde tentationis ambitionem. Tentationem autem dicit :

« Intravit, »

Significans quod diabolus eam non immisit : sed occasione verborum et factorum Christi intravit. Dederat enim claves regni cælorum Petro : et ex hoc major inter alios videbatur. Adduxerat tres in montem, et ad alia familiaria eodem tres admisit : et ex hoc iterum illi tres majores esse videbantur. Duodecim autem æqualis nominis et æqualis dignitatis elegerat <sup>2</sup> : et ex hoc videbantur æquales. Et ex his dubiis, intravit in corda eorum ista disputatio de majoritate prælationis. Contra quod dicit, Tob. iv, 14 : *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas : in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Psal. xxxv, 12 et 13 : *Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatorum non moveat me. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem.*

Hæc igitur tentatio sic intravit potius, quam a diabolo immitteretur. Aliquando enim intrat in corruptam et imperfectam mentem tentatio : aliquando autem a diabolo immittitur : et aliquando a diabolo monstratur, ut ad cor ostensa subintret : aliquando etiam a bono aliquo perverse accepto, ad cor intrat per seipsam.

A diabolo immittitur non sic quod a diabolo creetur, et sic creata imponatur.

<sup>2</sup> Cf. Matth. x, 1 et seq. ; Luc. vi, 13 et seq.

Sed quia facta in sensibilibus, a diabolo ad cor dirigitur, et incenditur. Psal. LXXVII, 49 : *Immissiones per angelos malos*. Joan. XIII, 2 : *Cum diabolus misisset jam in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ*.

A diabolo monstratur, Matth. IV, 8 et 9 : *Assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde : et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum, et dixit ei : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*<sup>1</sup>.

Per se autem a bono occasionata subintrat : sicut dicitur, Sapient. XIV, 11 : *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, ... et in muscipulam pedibus insipientium*. Et ideo dicit Job, XXXI, 1 : *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine : cum tamen virgo quoddam de bonis Dei existat*.

Aliquando etiam tentatio tangit intrando : aliquando etiam mentem abducit. De tactu quidem dicitur, Sapient. XVIII, 20 : *Tetigit autem tunc et justos tentatio mortis, et commotio in eremo facta est multitudinis, sed non diu permansit ira tua*. De abductione autem mentis a regimine gratiæ et rationis dicitur, I ad Thessal. III, 5 : *Ego amplius non sustinens, nisi ad cognoscendam fidem vestram : ne forte tentaverit vos is qui tentat, et inanis fiat labor noster*.

Intravit ergo in cor Apostolorum hæc tentatio ad mentis tactum, et non ad mentis subversionem. Et hoc est quod dicit : « *Intravit autem.* »

Sequitur :

« *In eos.* »

Et per hoc notatur tentationis illius quædam ignorata acceptatio : non enim hoc malum esse sciebant. Et ideo usque ad discussionem et interrogationem hanc tentationem acceptaverunt : quia aliter in eos non intrasset, si eandem usque ad tactum mentis non acceptassent. Sic

enim tentatio intrat in hominem, et non homo intrat per consensum in tentationem. Matth. VI, 13 : *Ne nos inducas in tentationem*. Matth. XXVI, 41 : *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem*. Unde si tentatio intrat in nos, consolatio est : hoc enim humanum est, I ad Corinth. X, 13 : *Tentatio vos non apprehendat nisi humana*. Si autem nos intramus in tentationem, periculum est : quia tunc abducti sequimur tentationem. Proverb. VII, 21 et 22 : *Irretivit eum multis sermonibus, et blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens, et ignorans quod ad vincula stultus trahatur*.

« *Cogitatio.* »

Ecce tentationis acceptæ collatio. Cogitatio enim dicitur quasi coagitatio. Cogitatio igitur fit in collatione concepti, quando per coagitationem ponderatur ab anima quid, vel quantum, vel quale sit quod ab anima conceptum est : et usque ad hoc tentati sunt de prælatione. Eccli. XXII, 1 : *Domine, pater et dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in consilio eorum, nec sinas me cadere in illis*. Ulterius non sunt tentati Apostoli. Qui enim ulterius in tentatione procedunt, illiciuntur delectatione : et delectatio trahit ad consensum : consensus autem quærit qualiter perficiatur in opere : et opus quærit consuetudinem, consuetudo defensionem, et defensio contemptum. Et sic dicitur, Jacob. I, 14 et 15 : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum : peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem*. Sed nec ad delectationem, nec ad consensum, nec ad opus tentati sunt Apostoli.

Quæ autem fuerit hujus cogitationis materia subjungit :

<sup>1</sup> Cf. Luc. IV, 5 et seq.

« uis eorum major esset? »

Cujus quædam causæ jam habitæ sunt, quas inducit Glossa. Et quædam etiam causa esse potuit, quia Petrum sibi in solutione didrachmatis coæquavit<sup>1</sup>, quamvis ibidem Christus omnes Apostolos tamquam filios summi regis liberos esse probaverit. Dicimus tamen quæstionem istam et ante tributi solutionem, et post tributi solutionem esse factam<sup>2</sup>.

« *Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset,* » vel videretur. Hæc autem cogitatio de prælatione, non de ambitione temporalis dignitatis orta est : quia nihil de illa viderant in Domino, vel audierant : sed potius viderant eum fugisse, quando a turbis quærebatur ut raperetur ad regnum<sup>3</sup>. Joan. xviii, 36 : *Regnum meum non est de hoc mundo.* Sed potius de majoritate in regno cælorum et gratia et potestate contendebant : unde, Matth. xviii, 1, ubi eadem historia perfectius ponitur, dicitur, quod *accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Quis, putas, major est in regno cælorum?* Sed nec de illa disputandum est : sed potius de humilitate cogitandum, quam exemplo suo docet Dominus, quæ nostræ miseræ sanandæ competens est antidotum, quæ etiam veram apud Deum efficit majoritatem et gloriam. De primo, Matth. xi, 29 : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* De secundo, Jacob. iv, 6, et I Petr. v, 5 : *Humilibus dat gratiam.* De tertio, Luc. xiv, 10 : *Recumbe in novissimo loco : ut cum venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superius.* Job, xxii, 29 : *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Nec videbatur malum de hoc cogitare.

47 « At Jesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, et stavit illi secus se. »

<sup>1</sup> Cf. Matth. xxii, 26.

<sup>2</sup> Cf. Luc. xxii, 24, et hic.

Hic incipit hujus tentationis remedium.

Et continet tria : exempli ostensionem, exempli informationem, et informationis rationem.

De primo dicit duo : morbi cognitionem, et medicinæ sapientissimam præparationem per exempli ostensionem.

Dicit ergo : « *At,* » scilicet econtra, quia contraria est medicina morbo, « *Jesus,* » Salvator radicis omnium morborum. Eccli. x, 12 : *Brevem languorem præcidit medicus.* Morbus enim statim in principio præcidendus est antequam invalescat.

Principiis obsta, sero medicina paratur,  
Cum mala per longas invaluere moras.

Genes. iii, 15 : *Ipsa conteret caput tuum.*

« *Videns cogitationes cordis illorum,* » hoc est, causas et concomitantias cogitationum. I Reg. xvi, 7 : *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Causæ autem cogitationum fuerunt quas diximus.

Concomitantia autem et sequelæ frequenter sunt delectationes potestatis, et ambitio honoris. Quamvis enim *qui episcopatum desiderat, bonum opus desideret*<sup>4</sup>, quod bonum opus de substantia est prælationis : tamen in gradu prælationis frequenter subrepat delectatio potestatis : et in reverentia subjectionis a subditis Prælato exhibita, tentat elatio et ambitio dignitatis. Et hoc est quod dicitur, Eccli. xi, 5 : *Multi tyranni sederunt in throno, et insuspiciabilis portavit diadema.* Quia licet in bono opere, sicut dicitur, Isa. xxxii, 8 : *Princeps ea quæ digna sunt principe cogitabit :* ideo ut dicitur, ibidem, x, 5 : *Non vocabitur ultra qui insipiens est, princeps, neque fraudulentus appellabitur major :* major tamen (propter potestatis delectationem et ambitio-

<sup>3</sup> Cf. Joan. vi, 15.

<sup>4</sup> I ad Timoth. iii, 1.

nem gloriæ) dignitatis opere bono (quod prælationi substantiale est) neglecto : indignus qui tyrannus (hoc est, oppressor) est, sedet in throno Episcopali se intrudens, timore Dei postposito : et insuspicabilis, de quo numquam aliqua suspicio promotionis esse deberet, portat diadema, dignis et bonis exclusis propter astutias vulpinas ambitiosorum, et pretia divitum, et impressiones potentum.

Has igitur causas, et concomitantias, et sequelas cogitationum istarum videns benignissimus et sapientissimus Jesus,

« Apprehendit puerum, et statuit eum secus se. »

Et per exemplum pueri morbo occurrat. Et est error iste Apostolorum salutaris Ecclesiæ, si Prælati nostri temporis advertere dignarentur. Quis enim crederet umquam aliquid mali latere in cogitatu majoritatis in regno cælorum, nisi hoc Dominus per seipsum ostendere dignaretur?

Occurrens autem huic morbo, dicit quatuor valde notabilia : modum scilicet, exemplum, exempli firmamentum, et confirmati exempli prototypum.

Modum dicit :

« Apprehendit. »

Apprehensio autem sonat acceptionem cum impetu factam : quia cum impetu huic morbo ambitionis occurrendum docuit. Dicit enim Dominus, Genes. 1, 26, humanæ naturæ dignitatem ostendens : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram : et præsit piscibus maris, et volatilibus cæli, et bestiis, universæque terræ.* Quasi dicat : In hoc sit imago potestatis et dignitatis nostræ in eo, ut sicut nos tres personæ præsumus omnibus, et tamen inter nos æqua-

les sumus, ita ipse homo præsit irrati-  
nabilibus, sed in genere suo servet æqualitatem. Et ideo dicit Gregorius, quod « contra naturam superbire, est hominem hominibus velle præesse. » Et hoc est a divina distare imagine. Eccli. x, 22 : *Non est creata hominibus superbia, neque iracundia nationi mulierum.* Tumorem ergo elationis reprimendo (in quo occasionem sumpsit omnis perditio et naturalis subversio) cum impetu apprehendit Jesus puerum.

Isto modo locutionis usus est Evangelista Matthæus, xiv, 31, cum Petrus esset in periculo, dicens : *Extendens manum apprehendit Petrum, et ait illi : Modicæ fidei, quare dubitasti?* Isto etiam modo locutionis usus est Raphael Angelus ad Tobiam cum jam esset a pisce devorandus, dicens : *Apprehende branchiam ejus, et trahe eum ad te* <sup>1</sup>. Hoc igitur modo non utens tardis rerum moliminibus (quæ nescit Spiritus sancti gratia) Jesus, Salvator et adiutor in opportunitatibus in tribulatione, apprehendit

« Puerum. »

Ecce exemplum per omnia ea quæ sunt propria pueri. Hæc autem sunt simplicitas, humilitas, innocentia, castitas mentis et corporis, remissionis facilitas, societatis suæ æqualitas, sociorum charitas, eorum quæ habet largitas, omnibus alludens benignitas, et ea quam apud omnes intuentes habet libens gratia, teneritudinis suæ pulchritudo : et quia nihil turpe commisit, de nullo habere coram aliquo verecundiam. Quibus Aristoteles addit in I *Physicorum*, quod omnes viros vocant patres, et omnes fœminas matres. His addit Apostolus a servo non differre, etiamsi sit dominus omnium <sup>2</sup>.

Hæc quatuordecim sunt puero attri-

<sup>1</sup> Tob. vi, 4.

<sup>2</sup> Ad Galat. iv, 1 : *Quanto tempore hæres par-*

*vulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium.*



buta : quia etiam pueritia usque ad quartumdecimum annum extenditur.

Et de simplicitate quidem dicitur, I ad Corinth. XIII, 11 : *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus.* I ad Corinth. XIV, 20 : *Malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote.* I Petr. II, 2 : *Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.* Deus enim diligit simplicitatem in Præfato, et odit dolum. II Paralip. XXIX, 17 : *Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas.*

De humilitate dicitur, I Reg. XV, 17 : *Cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.* Isa. IX, 6 : *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis.* Eccli. III, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.*

De innocentia dicitur in Psalmo XXIV, 21 : *Innocentes et recti adhæserunt mihi.* Innocentia autem puerilis est nulli nocere, et nocumenta illata non conqueri, vel expetere. Homo enim inferens nocumenta, non Præfatus, sed tyrannus vocatur. Reservans autem illata nocumenta (ut cum venerint ad cumulum, tandem conterat inferentem) vocatur dolosus et fraudulentus. Puer autem et nihil infert nocumentorum, et illata non reservat ad vindictam. Et hæc innocentia vocatur mititas et mansuetudinis lenitas. Numer. XII, 3 : *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* Matth. XI, 29 : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Beatus Bernardus bonus Abbas (in pueri innocentia subjectos dirigens) in fine vitæ dixit quibusdam sibi magis familiaribus : « Numquam plus sensui meo, quam alterius credidi, læsus a lædente vindictam non expetii, nulli umquam scandalum feci : « si quando incidit, prout potui, sedare « studui. »

De castitate mentis et corporis advertendum, quod puerorum ante septennium est motus libidinis non sentire.

Tob. III, 16 : *Numquam concupivi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia.* Hoc signatum est, Daniel. III, 94, ubi dicitur, quod in trium puerorum sarabalis odor ignis non est inventus. Sarabala enim loca protegent libidinum, et significant mentis et corporis castitatem. Odorem autem ignis non esse in eis, est nullum sentire motum libidinis in periculum castitatis.

De remissionis facilitate dicitur, ad Coloss. III, 13 : *Supportantes invicem, et donantes vobismetipsis si quis adversus aliquem habet querelam : sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos.* Ad Roman. XII, 19 : *Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim : Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.*

De societatis æqualitate, Malach. II, 10 : *Numquid non pater unus omnium nostrum ? numquid non Deus unus creavit nos ? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum ?* Matth. XXIII, 8 : *Omnnes vos fratres estis.*

De sociorum mutua inter pueros charitate, dicitur, ad Hebr. XIII, 1 : *Charitas fraternitatis maneat in vobis.* Joan. XIII, 35 : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

De hoc quod eorum quæ habet largus est, dicitur, Tob. IV, 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Jacob. I, 3 : *Dat omnibus affluenter, et non improperat.*

De omnibus alludente puerili benignitate, dicitur, ad Coloss. III, 12 : *Induite vos sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera-misericordiæ, benignitatem, humilitatem.* Ad Titum, III, 4 : *Benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei.* Ad Ephes. IV, 32 : *Estote invicem benigni, misericordes.*

De eo autem quod puer apud omnes se intuentes habet quamdam libentem et placentem gratiam, dicitur, ad Ro-

man. v, 7 : *Pro bono forsitan quis audeat mori*. Et ibi dicit Glossa, quod justus a bono differt : quia justus est opera habens justitiæ : bonus autem innocentia puerili bonus est : et ille tam gratus est, quod pro ea forsitan citius aliquis moreretur, quam pro justo. Esther, xv, 17 : *Valde mirabilis es, domine, et facies tua plena est gratiarum*. Psal. XLIV, 3 : *Diffusa est gratia in labiis tuis*. Sic Beata Virgo *plena gratia* dicebatur<sup>1</sup>, quia oculis omnium erat gratiosa.

Teneritudinis autem puerilis pulchritudo pendet in Prælati ex pulchritudine virtutis. Esther... *erat formosa valde, et incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur*. Judith etiam *Dominus contulit splendorem, quoniam omnis ista compositio, non ex libidine, sed ex virtute pendebat*<sup>2</sup>. Hoc enim maxime Prælati convenit, sicut dicit Psalmista, Psal. XLIV, 5 : *Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna*.

Est etiam pueri de nullo habere verecundiam, quia nihil turpe commisit. Et in hoc primum innocentiae statum pueri repræsentant. Genes. ii, 25 : *Erat autem uterque nudus. Adam scilicet, et uxor ejus : et non erubescabant*. Isa. i, 7 : *Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus*. Psal. xiv, 2 : *Deus meus, in te confido, non erubescam*. Frustra enim alios corripit, qui in se habet quod verecundetur.

Vocat etiam puer a principio omnes viros patres, eo quod ad omnes paternum habet affectum. II Machab. xiv, 37 : *Razias, qui pro affectu pater Judæorum appellabatur*. Ad Hebr. xii, 9 : *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, et verebamur eos*.

Ultima proprietas, quod cum sit Dominus omnium, non differt a servo : ita et Prælati coram Deo a sibi subditis

differre non debet. Ad Galat. iv, 1 : *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium*. Augustinus : « Honore coram vobis « Prælati sit vobis, timore coram Deo « substratus sit pedibus vestris. »

Sic ergo *apprehendit Jesus puerum*, id est, Apostolorum et Prælatorum exemplum.

Dicitur quod hic puer fuit Beatus Martialis Lemovicensium Apostolus, et primus Episcopus.

Sequitur :

« Et statuit illum, »

Hoc est, firmiter collocavit, ut in æternum ab exempli ratione non moveretur : ut ad ipsum se mensurans omnis ambitiosus confunderetur. Matth. xviii, 2 et 3 : *Advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, et dixit : Amen dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*.

Est autem attendendum, quod tria exempla correctionis Dominus ambitiosus adhibuit : virgam Aaron quantum ad introitum et vitæ rectitudinem ; Luciferum quantum ad pœnam transgredientium : puerum autem quantum ad humilitatem non alta sapientium, in gradu dignitatis constitutorum.

De virga dicitur, Numer. xvii, 10 : *Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israel*. Per flores enim et frondes et fructum virgæ, Aaron in statum magnitudinis vocatus est. Ad Hebr. v, 4 : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron*. Vocatus ergo, rectus sit justitiæ et judicii rectitudine, florens sit virtutis et conversationis pulchritudine, frondens eloquii venustate, fructificans meritorum accumulatione : et dignus

<sup>1</sup> Luc. i, 28.

<sup>2</sup> Esther, ii, 15.

<sup>3</sup> Judith, x, 4.

erit ut ad statum magnum vocetur, et invitus trahatur.

Lucifer autem datur per exemplum pœnæ ambitiosorum. Ezechiel. xxviii, 16 : *Ejeci te de monte Dei, ... de medio lapidum ignitorum.* Et, ibidem, v. 17 : *In terram projecit te : ante faciem regum dedi te,* etc. Isa. xiv, 12 : *Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris ? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes ?* Lapidés igniti vertices sunt fulgorum Angelicorum, de quibus in tenebras interiores et exteriores Lucifer projectus est : et ante faciem regum, hoc est, ambitiosorum, regnare super alios cupientium, et in sede Dei sedere volentium, in exemplum est positus, ut homo terrenus cogitet quantis tenebris involvendus sit propter peccatum ambitionis : si Lucifer qui mane oriebatur præ cæteris clarior, globos suæ lucis amittens, in tantum barathrum tenebrarum projectus est. Unde discipulis gloriantibus de potestate dixit Christus, Luc. x, 18 : *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.*

Puer in medio statutus, propter potestatis usum super subjectos : ut non tyrannice, sed in mansuetudine : non ad vindictam injuriæ, sed in lenitate : non in fastu gloriæ, sed in humilitate gubernet subjectos. De primo horum dicitur, Esther, xiii, 2 : *Volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed clementia et lenitate gubernare subjectos.* De secundo, Levit. xix, 18 : *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Ad Galat. vi, 1 : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris.* De tertio, Proverb. xxix, 23 : *Superbum sequitur humilitas ; humilem spiritu suscipiet gloria.*

« Secus se. »

Ecce relatio exempli ad prototypum humilitatis, qui est Christus omnium humilium humilior, et primus typus, hoc est, figura prima humilitatis.

« *Secus se* » ergo statuere parvulum, hoc est, parvuli humilitatem quantum fieri potest sibi conformare. Qui non tantum se humiliavit, sed etiam cum in forma Dei esset (qui omni præest visibili et invisibili creaturæ) et non rapinam, sed per justitiam naturalem se Deo æqualem arbitratur, tamen non tantum se humiliavit, sed etiam exinanivit<sup>1</sup>. Pudeat ergo hominem, non solum Deo et Angelis inferiorem, sed etiam in humanis honestatibus nullum, sed etiam bestiis per immundos actus inferiorem, alta sapere, et non humilibus consentire. Ad Roman. xii, 16 : *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* I Petr. v, 6 : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* Humilis Christus clamat, Joan. x, 9 : *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur.* Stans autem in alto superbus, quomodo sine impactione intrabit per ostium tantæ humilitatis?

« Et ait illis : Quicumque suscepit puerum istum in nomine meo, me recipit : et quicumque me receperit, recipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic major est. »

48

Hic incipit informatio Apostolorum secundum exemplum ostensum.

Est autem triplex informatio, quarum una est consequens ad alteram. Una est informatio pueri. Secunda, informatio sui. Tertia, informatio Patris mittentis formam Christi in mundum.

Dicit igitur : « *Quicumque.* » Quia sine personarum acceptione sunt dona Dei. Act. x, 34 : *In veritate comperi quia*

<sup>1</sup> Cf Ad Philip. ii, 6.

*non est personarum acceptor Deus. Jacob. II, 11 : Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ.*

« *Susceperit puerum istum,* » secundum formæ puerilis inductionem, ut mente puerum secundum proprietates superius inductas induat. Ad Ephes. IV, 24 : *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Novus autem homo est puer : quia dicit Philosophus, quod novum est suo principio propinquum. Et sic est puer juxta suum principium in omni bona proprietate. Ad Roman. XIII, 14 : *Induimini Dominum Jesum Christum.* Sic ergo suscipitur puer, quando suscipitur forma puerilis. Psal. VIII, 3 : *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem.* Genes. XLIII, 9 : *Ego suscipio puerum : de manu mea require illum.* Sic suscipiendo puerum, fit homo conversus, et efficitur sicut parvulus : sicut dicitur, Matth. XVIII, 3.

Et quia forma hæc ad prototypum retorquenda est, ideo subjungit :

« In nomine meo. »

Nomen a notamine dicitur. Et est sensus : Quicumque recipit puerum in nomine meo, in quo habet notamen sive notam meam, hoc est, similitudinem meam : ille, inquam, « *me recipit,* » hoc est, me induit. Ad Roman. XV, 7 : *Suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei.* Hoc est quod dicitur, I Reg. II, 18 et 19 : *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus ephod lineo. Et tunicam parvam faciebat ei mater sua.* Samuel enim interpretatur *postulatus a Deo,* in omni proprietate pueri, accinctus ephod, veste significante candorem illibatæ castitatis : cui cum hoc mater Ecclesia et gratia, diversis virtutibus contextam fecit tunicam, humilitate puerili parvam. Matth. XVIII, 4 : *Quicumque humiliaverit se sicut*

*parvulus iste, hic est magnus in regno cælorum.* Iste est Sadoch, qui *justus* interpretatur : qui, sicut dicitur, I Paralip. XII, 28, puer egregiæ indolis, venit in auxilium David.

« *Quicumque ergo susceperit puerum istum in nomine meo, dicit Dominus, me recipit.* »

Et sic duas habet informationes, unam pueri, et alteram Christi. Quia autem unus est totius fons boni, ad quem etiam Christus refert ea quæ habet, eo quod omnia ab ipso habet : ideo ulterius de tertia informatione subjungit :

« Et quicumque me receperit, »

Eo modo quo dictum est, mente me induendo, « *recipit eum,* » scilicet Patrem « *qui me misit.* » Joan. XIV, 23 : *Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

Est autem objectio. Quia dicitur, quod humilitas virtutem exemplarem non habet in Deo, quamvis habeat in Christo homine : quia humilitas, ut dicit Augustinus, sensus est propriæ vacuitatis, et talis sensus in Deum cadere non potest : non ergo videtur esse verum, quod induat aliquis Patrem in humilitate puerili.

Ad hoc autem est dicendum, quod sicut fides quoad formam specificat (quæ est cognitio per speculum et ænigma) non habet aliquid in Deo, sed in suo genere (quod est cognitio veritatis divinæ) habet in Deo exemplar : ita humilitas prout sensus humi (quæ vacua est) non habet aliquid in Deo : sed hæc est virtus humana. Prout autem est sensus sui, quod homo sentiat hoc quod est : per hoc habet aliquid in Deo, et in angelica natura. Et sic proportionabiliter induit humilis Deum, quando seipsum cognoscit et sentit. Et sic recipitur Pater quando homo sentit seipsum. Genes. XVII, 27 : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis,* qui quidem fuit humilis in sensu suiipsius. Eccli. X, 9 : *Quid superbit, terra et cinis?* Pater igitur in forma hu-

militatis mittens Filium, induitur, quando humilis Christus induitur. Ad Philip. II, 5 : *Hoc sentite in vobis, quod in Christo Jesu*. Sic Beata Virgo prius humilitate induit Christum, quam ipsum carne induerit, Luc. I, 48 : *Respexit humilitatem ancillæ suæ*. Et iterum, 52 : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles*.

« Nam qui minor est, etc. »

Hæc est ratio informationis inductæ : et tota pendet ex humilitatis quantitate. Quasi diceret : Vos qui disputatis de majoritate in regno cælorum, contendite quis vestrum sit humilior : nam « qui minor est » in oculis suis, et habitu humilitatis, « hic major est » in regno cælorum, hoc est, in ecclesiastica et divina dignitate. Et secundum hoc, qui fastu superbiæ inflatus est, etiamsi sedeat in throno Christi, nullus est in regno cælorum. Luc. XXII, 23 et 26 : *Reges Gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic : sed qui major est in vobis, fiat sicut minor : et qui præcessor, sicut ministrator*.

Hæc enim regula Christi est ad gratiæ receptionem, ad Christi imitationem, ad ordinis ecclesiastici promotionem, ad honoris æterni adeptionem, ad Sanctorum comparationem. Gratiam enim non recipit nisi humilis. Et majoris gratiæ receptibilis est, qui humilior est. Jacob. IV, 6 : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* : et ei quæ humillima fuit, gratiæ plenitudinem infudit, sicut Beatæ Virgini : sicut profundiores conchæ plures recipiunt aquas. Unde Ptolomæus Philosophus : « Qui inter sapientes est humilior, inter sapientes est sapientior : sicut profundiores lacunæ, plures recipiunt aquas. » In hoc etiam est Christi imitatio, Ad Philip. II, 5 et seq. : *Hoc sentite in*

*vobis, quod et in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*. Hoc etiam dignum facit ad promotionem ordinis ecclesiastici, I Reg. XV, 17 : *Cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es*. II Reg. VI, 21 et 22 : *Ante Dominum qui me elegit potius quam patrem tuum et quam domum ejus, scilicet Saul superbi, ... et ludam, et vilior fiam plus quam factus sum*. Hoc promovet ad honorem æternum, Luc. XIV, 10 : *Recumbe in novissimo loco : ut cum venerit qui te invitavit dicat tibi : Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus*. Hoc facit etiam Sanctorum comparationem, Matth. XI, 11 : *Qui minor est in regno cælorum, major est eo, scilicet Joanne Baptistæ, quo major non surrexit inter natos mulierum*. De ista autem materia multa notata sunt, Matth. XVII, 1 et seq., et Marc. IX, 36 : et potest ea respicere qui voluerit <sup>1</sup>.

« Respondens autem Joannes, dixit : Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, et prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum.

49

Et ait ad illum Jesus : Nolite prohibere : qui enim non est adversum vos, pro vobis est. »

50

Hic ordinat potestatem ecclesiasticam, quantum ad eos qui in vita mala constituuntur in ecclesiastica potestate : de quibus credebatur, quod potestatem ecclesiasticam non haberent, propter vitæ malæ meritum : quod est error. Et ad excludendum illum errorem, inducitur hic ista historia.

Dicit autem hic duo. Ponit enim hic

<sup>1</sup> Cf. Enarrationes in Matthæum, XVIII, 1 et seq. Tom. XX hujusce novæ editionis. Cf.

etiam enarrationes in Marcum, IX, 36. Tom. XXI.

Apostolicum errorem ex simplicitate causatum, et ex dicto præcedente : et constanter ponit contra errorem veram et catholicam instructionem.

In primo horum dicit tria : relationem facti secundum veritatem quod istius instructionis est occasio, prohibitionem Apostolicam, et causam prohibitionis.

De primo tangit Evangelistam referentem, et secundo relationem,

De primo dicit :

« Respondens autem Joannes. »

Et est mirabilis modus loquendi, quod ille respondeat qui de nullo est interrogatus. Sed sciendum, quod cum Christus diceret humilem (qui Christum induit in pueri humilitate et simplicitate) solum magnum locum in Ecclesia inter ministros Christi tenere, putabat illum a ministerio esse arcendum, qui sic in pueri humilitate non induit Christum. Et ad hoc respondit.

Et hoc est : « *Respondens autem Joannes,* » ausu majoris familiaritatis, quia a Domino in montem fuerat ad visionis celestis revelationem assumptus. Petrus autem tacuit, quia descendens de monte acriter fuit redargutus. Matth. xvi, 23 : *Vade post me, Satana, scandalum es mihi : quia non sapis ea quæ Dei sunt.* Unde etiam, Joan. xiii, 34, non est ausus interrogare Dominum : Quis est qui tradet te ? sed innuit Joanni ut interrogaret.

Joannes ergo præsumens de sibi sæpius ostensa benignitate,

« Dixit : Præceptor. »

Antequam faciat facti revelationem, profitetur majestatem. Quasi dicat : Præceptor es : et ideo ad te cuncta referimus, ut a te illuminationes doctrinæ accipiamus. Psal. cxxii, 2 et 3 : *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Sed tuum est præcipere et

ordinare, nostrum autem obedire et obtemperare. I Reg. iii, 9 : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.*

« Vidimus quemdam. »

Ecce narratio fidelis sine detractionis accusatione, simplex boni quod potest, commemorativa. Fidelis, quia de visa quæ non fallit : contra eos, qui debiliter audita statim referunt superioribus. Sic dicit Dominus, Genes. xviii, 21 : *Descendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint.* Sic cum Dominus vellet plagare Ægyptios, propter peccata quæ commiserunt in filios Israel, dixit, Exod. iii, 7 : *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus audiivi propter duritiam eorum qui præsumunt operibus.*

Sic ergo dicit : « *Vidimus quemdam,* » non nomine dignum, quia Christum non sequebatur. Matth. v, 12 : *Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Sic Christus sine nomine loquens dixit, Luc. xviii, 9 : *Dixit Jesus ad quosdam qui in se confidebant tamquam justi, et aspernabantur cæteros.* Dat autem formam, quod quando referimus aliquid in detrimentum aliorum, bonum est ad nomina non descendere.

« In nomine tuo. »

Ecce simplex veritas, quæ commemorationem facit boni quod potest. Dicit autem : « *In nomine tuo,* » in quo virtutem accipiunt sacramenta, et claves Ecclesiæ. Marc. xvi, 17 et 18 : *In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent.* Joan. xvi, 23 : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Et hoc est quod dicit : « *In nomine tuo,* » quia invocatio nominis Christi facit effectum in sacramentis, et non minister. Hæc enim invocatio, forma est Ecclesiæ : quam qui tenet in sacramentis et clavibus, sive sit malus, sive bonus,

sive fidelis et orthodoxus, sive hæreticus et schismaticus, consequitur effectum expulsionis dæmonum : dummodo is qui suscipit sacramentum, obicem non ponat. Si enim ille ponit obicem, tunc sacramentum consequitur in nomine invocato, et non rem sacramenti : quam tamen rem sacramenti habebit, fictione recedente. Jerem. xiv, 9 : *Tu in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos.* Ezechiel. xxxvi, 22 : *Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum.*

« Ejicientem dæmonia, »

Sicut etiam Christus dixit Judæis : *Si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt<sup>1</sup>?* Et secundum quamdam Glossam, filios Judæorum vocavit quosdam non sequentes Christum, qui in nomine Christi dæmones ejece- runt.

« Et prohibuimus eum. »

Ecce error Apostolicus. Non enim erant a bono opere, quod in forma Ecclesiæ fecerunt, prohibendi : sed potius de mala vita fuerunt corrigendi, in qua Christum cum Apostolis sequebantur. Ad Philip. 1, 18 et 19 : *Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuntietur : et in hoc gaudeo, sed et gaudebo. Scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem.* Luc. xix, 40 : *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Ideo in Psalmo xviii, 3, non solum dicitur : *Dies diei eructat verbum,* sed etiam, quod *nox nocti indicat scientiam.*

Si autem objicitur quod dicitur, Eccli. xv, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Et quod dicitur in Psalmo xlix, 16 : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras, etc.* Dicendum, quod

in veritate non est speciosa laus in ore peccatoris, sed tamen est utilis et sonora. Et non est dignus quod annuntiet, quod ad suam annuntiat damnationem : sed tamen effectum habent sacramenta ministrata per ipsum, si in forma Ecclesiæ ministrentur. Et hoc est quod dicit Apostolus, I ad Corinth. xiii, 1 : *Si charitatem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens,* quod non percutit nisi seipsum et consumit, et tamen utiliter sonat omnibus aliis.

« Quia non sequitur nobiscum. »

Ecce causa prohibitionis.

Dicit autem quod « *non sequitur nobiscum,* » sed sequitur quidem te in forma ejectionis dæmonum, sed *non sequitur nobiscum* in conformitate morum. Sequuntur quidam formam sacramentorum, quam Christus tradidit, sed non tenent formam vitæ quam Christus discipulis imitandam exhibuit : et ideo cum discipulis non sequuntur. Habent enim tales sanam doctrinam, et sanam sacramentorum administrationem : sed non habent bonam vitam, et sunt mercenarii vocati<sup>2</sup>. Matth. vii, 22 et 23 : *Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis : Quia nunquam novi vos : discedite a me, qui operamini iniquitatem :* quia licet bene confiteamini, dicentes : *Domine, Domine,* tamen per malam vitam operarii estis iniquitatis.

« Et ait ad illum Jesus, »

Hoc est, ad Joannem, formam instructionis per eum ad omnes alios referens. Marc. xiii, 37 : *Quod vobis dico, omnibus dico.* Dicit autem duo : instructionem, et instructionis rationem.

<sup>1</sup> Matth. xii, 27. Cf. Luc. xi, 19.

<sup>2</sup> Cf. Joan. x, 12.

Instructionem dicit :

« Nolite prohibere. »

Proverb. III, 27 : *Noli prohibere benefacere eum qui potest : si vales, et ipse benefac.* Hoc significatum est, Numer. XI, 27 et seq., ubi nuntiatum est Moysi, quod Eldad et Medad prophetant in castris, qui non fuerunt egressi coram Domino cum Moyse. Et dixit Josue, minister Moysi, et electus a pluribus : sicut et Joannes dixit hic : *Domine mi Moyses, prohibe eos. At ille : Quid, inquit, æmularis pro me ? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum ?* Eldad atrium interpretatur, et significat eos qui atrium suum custodientes cum Christo, de carnis cura non exeunt : et tamen prophetiæ, hoc est, doctrinæ rectæ donum accipiunt. Medad autem *mensura* interpretatur, et significat eos qui doctrinæ verbum sub mensura avaritiæ et suæ utilitatis ponunt. Quos verus tolerat Moyses propter doctrinæ utilitatem : quia non minister malus, sed bonus Dominus in sacramentis operatur : et ideo non officit Ecclesiæ. Si enim exigeretur minister bonus et sanctus, sicut dicunt Manichæi hæretici, intolerabilis generaretur error inter fideles. Quia cum nemo sciat utrum amore vel odio in hac vita dignus sit, sicut dicitur, Eccle. IX, 1, nemo sciret utrum sacramenta aliquid perficerent in suscipientibus : et sic omni hora sacramenta iterare oporteret. Neque umquam posset sciri quod dicit Isaias, I, 16 : *Lavamini, mundi estote* : quia nesciret utrum aliquam in sacramentis reciperet munditiam.

« Qui enim non est adversum vos, pro vobis est. »

Ratio est instructionis. Et hoc generaliter verum : quia qui in forma doctrinæ et sacramentorum non est adversum discipulos Christi,

« *Pro vobis est,* » quia confert Spiritus sancti gratiam, et generat filios Dei et Ecclesiæ : sicut et discipuli. Et hoc significatum est, Genes. XXX, 1-26, ubi Jacob de semine suo filios benedictionis genuit, tam per vulvas ancillarum, quam per vulvas liberarum. Ancillæ siquidem significant ministros Ecclesiæ malæ vitæ, et bonæ existentes doctrinæ : quæ dum salvant semen liberum patriarchæ, hoc est, formam fidei in docendo, et sacramentorum administrationem, generant filios benedictionis æternæ, quamvis sint servi peccati. Joan. I, 12 et 13 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, neque ex aliquo quod hominis est, sed ex Deo nati sunt.*

« Factum est autem, dum completerentur dies assumptionis ejus, et ipse faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem. »

Hic ordinat potestatem ecclesiasticam, in quantum potestas est contra malos et rebelles : contra quos in spiritu lenitatis et patientiæ oportet procedere, non in zelo vindictæ vel spiritu furoris.

Dividitur autem hæc historia in quatuor particulas : in quarum prima ostenditur, quod constanter se Dominus habuit ad præscitam Passionem, festinans præordinatum Passioni. Secundo, quam sapienter præmittit nuntios, ut pararetur ei in via. Tertio, qualiter ab ingratis beneficiis ejus, non est receptus, et qua de causa. Quarto autem, qualiter discipuli potestate contra illos dure uti volentes, a Domino sunt instructi.

In prima harum partium dicit tria. Primo enim, sicut consuevit, divinam innuit præordinationem : secundo, sacramentorum completionem : tertio, Passionis suæ constans propositum, et devotionem.



De primo dicit :

« Factum est autem, »

Supple, in opere, sicut ordinatum fuit in Patris præfinitione. Joan. xviii, 11: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Matth. xxvi, 54: *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?*

« Dum complerentur, »

Hoc est, per omnia sacramenta in Lege et Prophetis præfigurata, ad complementum deducerentur. Luc. xviii, 31: *Consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.* Ad Galat. iv, 4 et 5: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege: ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* Sicut enim misit in mundum, ita sub lege misit, ut legis sacramenta compleret. Et deinde misit ad Passionem ut redimeret eos, et gratiæ libertate donaret: quia sub jugo legis pressi, per legem redimi non poterant.

« *Dies*, » hoc est, illuminationes ad omnium tenebrarum expulsionem. Joan. i, 5: *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Esther, viii, 16: *Judæis nova lux oriri visa est.* Psal. cxxxviii, 12: *Nox sicut dies illuminabitur.* Mich. vii, 8: *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.*

« *Assumptionis ejus.* » Assumptio enim hic significat id quod de nostro assumpsit, et causa assumptionis. Causa enim assumptionis fuit sacramentum redemptionis cum omnibus ad hoc pertinentibus et præordinatis a Deo. Unde, Psal. xxi, 1, etiam intulatur pro assumptione matutina: *Deus, Deus meus, respice in me:* quia agit de Passione. Hanc enim passibilitatem et Passionem Dominus de nostro assumpsit. Psal. xvii, 17 et 18: *Misit de summo et accepit me, et assumpsit me de aquis multis.*

*Eripuit me de inimicis meis fortissimis.* Dicitur autem *assumptio*: quia per passionem a Patre in cælum assumptus est. Joan. xiii, 1: *Sciens quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.*

« *Dies* » ergo, hoc est, splendores gratiæ, « *assumptionis*, » hic pro nobis assumptæ passionis completi sunt, quia venit Pascha, quando in cruce pro nobis oblatu est Dominus.

« Et ipse, »

Scilicet Dominus,

« *Faciem suam firmavit.* »

Glossa Interlinearis: « *Obstinata et imperterrita mente, locum quo pati decreverat petit.* » Obstinatio autem in malo poni consuevit, sed hic ponitur pro constantia. Unde constanti et imperterrita mente semetipsum crucifixoribus præsentavit.

« *Faciem suam*, » in cujus immutatione deprehenditur audacia, quando non pallescit nec trepidat. Ezechiel. iii, 8 et 9: *Ecce dedi faciem tuam valentiorum faciebus eorum, et frontem tuam duriorum frontibus eorum: ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam.* Isa. li, 12: *Quis tu, ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis qui quasi fœnum ita arescet?* I Machab. ii, 62 et 63: *A verbis viri peccatoris ne timueritis, cujus gloria stercus et vermis est: hodie extollitur, et cras non invenietur: quia conversus est in terram suam.* Sic etiam fecit quod docuit, Matth. x, 28: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Sic ergo imperterrite se loco Passionis repræsentans, faciem suam dicitur obfirmasse.

Et hoc est quod sequitur :

« *Ut iret in Jerusalem,* »

Ad locum Passionis. Matth. xviii, 21 et 22, et Luc. xviii, 31: *Ecce ascendi-*

*mus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.* Vadens enim Jerusalem, non ivit tunc nisi ut vetus pascha consummaret, et novum initiaret sua passione. Sicut etiam agnus paschalis primo ad locum immolationis ferebatur<sup>1</sup>, et postea occidebatur, et immolabatur. Et ideo, Joan. xviii, 8, obijciens se crucifixoribus, dixit: *Ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Psal. xxxix, 8 et 9: *Dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus.*

Sic ergo, et hac de causa ivit in Jerusalem. Luc. xii, 50: *Baptismo habeo baptizari: et quomodo coarctor usquedum perficiatur?* Sic enim in charitate, et in zelo redemptionis urgebatur, ut firmata facie festinaret pati pro nobis. Psal. lxxviii, 10: *Zelus domus tuæ comedit me.*

52

« Et misit nuntios ante conspectum suum: et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi. »

Agitur hic de discretione euntis, quia præmisit nuntios ut reciperetur: ne si personaliter abjiceretur, vilificaretur in oculis eorum qui credituri erant in eum. Præmisit etiam nuntios, ut teneret formam doctrinæ quam tradidit, Matth. x, 11: *In quamcumque civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit: et ibi manete, donec exeat.* Discipuli igitur præmissi quærebant, quis dignus esset in civitate, ut tantum reciperet hospitem: et non invenerunt.

Vel forte verius est: quia etiam dixerat discipulis, quod ad prædicandum non intrarent in civitates Samaritanorum, forte misit ut emerent, et propriis manibus pararent. Et quia, sicut dicitur,

Joan. iv, 9: *Non contumuntur Judæi Samaritanis,* etiam non invenerunt apud quem cibos emptos præpararent. Et quamvis hoc totum præsciret Dominus, tamen præmisit: ut ex eventu non receptionis, instruendi acciperet opportunitatem.

Et hoc est quod dicit: « *Et misit nuntios,* » Joannem et Jacobum, « *ut pararent illi.* » Misit autem « *ante conspectum suum,* » ut corda etiam excitarent ad occurrendum in devotione et gratitudine conspectui suo. Luc. x, 1: *Misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus.*

« Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem. »

53

Ecce ingratitude. Propter contentionem enim et æmulationem, quia Samaritani contenderunt, quod in monte Samer esset adorandum, ubi patres adoraverunt: Judæi autem, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet, non receperunt aliquem qui pergebat in Jerusalem adorare.

Et hoc est quod sequitur:

« Quia facies ejus erat euntis in Jerusalem. »

Facies exterior. Prætendebat enim in habitu et gestu peregrinum euntem in Jerusalem ad adorandum. Luc. xxiv, 18: *Tu solus peregrinus es in Jerusalem.* Joan. iv, 20: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Jerosolymis est locus ubi adorare oportet.* Est autem factum Samaritanorum adhuc simile operibus hominum sæcularium, qui derident et abjiciunt omnes in Jerusalem cælestem euntes. Job, xxx, 1: *Derident me juniores tempore, quorum non dignabar patres po-*

<sup>1</sup> Cf. Exod. xii, 6

*nera cum canibus gregis mei.* Hi sunt qui abjiciunt eum, et non recipiunt Salvatorem. I ad Corinth. iv, 13 : *Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Genes. XLIII, 32 : *Illicitum est Ægyptiis comedere cum Hebræis, et profanum putant hujusmodi convivium.* Genes. XLVI, 34 : *Detestantur Ægyptii omnes pastores ovium, hoc est, custodes animarum, vel virtutum, quæ per oves significantur.* Eccli. xiii, 21 : *Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo.*

**54** « Cum vidissent autem discipuli ejus Jacobus et Joannes, dixerunt : Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cælo, et consumat illos? »

Hic ponitur instructio discipulorum in executione potestatis.

Tanguntur autem duo : zelus indignationis discipulorum, et instructio zelum cohibens et ordinans.

Tanguntur autem tria, scilicet, zeli excitatio, zelantium nominatio, et zeli sub voluntate Domini ordinatio.

De primo dicit : *Cum vidissent autem discipuli ejus.* » Visus enim malitiæ eorum, et ingratiitudinis, et invidiæ, excitavit zelum. Zelus enim est virtus, ut dicit Beda, quæ quælibet mala videns, corrigit si potest : si non potest, tolerat et gemit. Acceperunt autem exemplum zelandi a Phinees, Numer. xxv, 11 : *Phinees, filius Eleazari, filii Aaron sacerdotis, avertit iram meam a filiis Israel : quia zelo meo commotus est contra eos.* I Machab. ii, 54 : *Phinees pater noster, dum zelando zelum Dei, accepit testamentum sacerdotii æterni.* Hac ergo de causa accensus est in zelo furor eorum.

« Jacobus et Joannes, »

Qui filii tonitruum dicuntur : et ideo

per ignem coruscare voluerunt et comminationibus intonare. Jacobus autem *luctator*, perfectionem sonat in activa, Joannes autem, *in quo est gratia*, perfectionem in contemplativa vita. Ista enim duo debent esse præparantia Domino Jesu. Luc. x, 38 et 39 : *Mulier quædam, Martha nomine, excepit Jesum in domum suam. Et huic erat soror nomine Maria.*

« Dixerunt. »

Ecce zeli sub voluntate Domini cohibito.

Tanguntur autem tria : professio auctoritatis in Domino, conformatio voluntatis cum Domino, ultio iniquitatis pro Domino.

De primo dicit :

« Domine. »

Esther, xiii, 11 : *Dominus omnium es.*

« Domine » ergo dicunt, cujus legem præterire illicitum est, et cujus omne dictum legis habet vigorem. Isa. xxxiii, 22 : *Dominus legifer noster.*

« Vis. »

Ecce conformatio voluntatis cum Domino. Luc. xxii, 42 : *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Matth. xxvi, 39 : *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Item, idem, vi, 10 : *Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra.*

« Dicimus, etc. »

Ultionis zelus pro Domino assumptus. III Reg. xix, 14 : *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum.*

« Ut ignis descendat de cælo, » ad

modum Eliæ<sup>1</sup>. Dixerunt autem hoc, quia potestatem quam acceperant, jam experti fuerant in operatione signorum. Et putabant maxime pro Domino hanc potestatem esse exercendam : sicut Elias fecit ab igne Dei consumi adversarios, dicens : *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, et devoret te, et quinquaginta tuos.*

Acceperant autem isti nomen a Domino, quo *Boanerges*, hoc est, *fili tonitru* dicebantur. Et ideo præ aliis sicut tonitrua reputabant se debere coruscare per ignem in Christi ultionem. Psal. xcvi, 3 : *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Ad Hebr. x, 27 : *Terribilis autem est quædam expectatio iudicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.* Deuter. xxxii, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima : devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet.*

Omnia igitur hæc induxerunt Apostolos, quod voluerunt ulcisci per ignem. Et præcipue quia dixerat Dominus : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur*<sup>2</sup>. Hoc enim forsitan de igne materiali discipuli adhuc carnales intellexerunt.

55 « Et conversus increpavit illos, dicens : Nescitis cujus spiritus estis. »

Hic tangitur discipulorum instructio, qualiter in spiritu lenitatis et mansuetudinis oporteret exercere potestatem ecclesiasticam et censuram, et non in furore vel livore vindictæ.

Dicit autem tria : increpationem vindictæ, instructionem ignorantiae, et dissimulationem dispensatoriam culpæ.

De increpatione dicit duo. Ex gestu enim corporis ostendit interiorem voluntatem mentis, cum dicitur : « *Et conver-*

*sus*, » hoc est, conversione corporis dure respexit discipulos sequentes : ut ostenderet se nolle vindictam quam intendebant infligere peccatoribus. Ezechiel. xviii, 23 : *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* Sapient. i, 13 et 16 : *Deus mortem non fecit, .. impii autem manibus et verbis accersierunt illam.* Probavit autem Christus per hoc se esse filium Jacob, qui de filiis ultionem quærentibus dixit, Genes. xlix, 6 et 7 : *In consilium eorum non veniat anima mea : .. maledictus furor eorum, quia pertinax : et indignatio eorum, quia dura.* Probavit etiam se esse filium David, qui filiis Sarviæ quærentibus ultionem facere pro eo, dixit, II Reg. xix, 22 : *Cur efficimini mihi hodie in satan? Ergone hodie interficietur vir in Israel?*

« Increpavit illos. »

Secundum est, in quo ponitur increpatione verborum. Psal. lxxvii, 31 : *Increpa feras arundinis*, hoc est, feroces et vacuos. Job, v, 17 : *Increpationem Domini ne reprobes.* Ad Hebr. xii, 7 : *Quis filius quem non corripit pater?*

« *Dicens*, » hoc est, insipientiam eorum arguens : « *Nescitis*, » hoc est, non attenditis, « *cujus spiritus estis*, » hoc est, in cujus spiritu signati estis in discipulatum meum? ille enim est spiritus charitatis, et benignitatis, et sufferrentiæ malorum. Charitatis quidem, quæ etiam pro inimicis animam ponit. Ad Roman. v, 8 et 9 : *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Benignitatis autem quæ bonum pro malo etiam malis impendit, ut ad pœnitentiam adducat. Ad Roman. ii, 4 : *An divitiis bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te addu-*

<sup>1</sup> Cf. IV Reg. i, '0.

<sup>2</sup> Luc. xii, 49.

cit? Sufferentiæ autem, quia sæpe sufferentia mali plus valet ad correctionem, quam vindicta. Unde etiam Samaritani postea per mulierem et Dominum confusi, pœnitentiam egerunt<sup>1</sup>: et qui modo recipere noluerunt ad se mittentem, tunc per se exeuntes de civitate, ad se vocaverunt absentem. Unde Glossa: « Non semper in eos qui peccant, est vindicandum: quia nonnumquam amplius prodest clementia ad patientiam, lapso ad correctionem. Denique sic Samaritani citius crediderunt, a quibus hoc loco ignis arcetur. »

Vel, « *Nescitis cujus spiritus estis,* » hoc est, quod non habetis in potestate spiritum? quia spiritus sonat iram, quod in ira, naribus ampliatis, sufflatur spiritus. Isa. II, 22: *Quiescite ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est.* Et hunc sensum adjuvat Glossa interlinearis dicens: « Perfecta virtus non habet studium ultionis: nec ulla iracundia, ubi charitatis est plenitudo. » Jacob, I, 4: *Patientia opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.*

**56** « Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Et abierunt in aliud castellum. »

Tangit causam, simul et exemplum.

Dicit autem: « *Filius hominis,* » quia in humanitate nostram salutem est operatus, « *non venit,* » in mundum, « *animas hominum,* » hoc est, animales vitas hominum, « *perdere,* » quibus perditis, etiam anima perderetur in gehennam, « *sed salvare.* » Ideo enim et Jesus, hoc est, Salvator, appellatur. Joan. III, 17: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Joan. XVII, 12: *Quos dedisti mihi custodiri: et ne-*

*mo ex eis perit, nisi filius perditionis.* Aliquando tamen in spiritualibus factis, Apostolis talem vindictam exercendi potestatem dedit: sicut Petro in Ananiam et Saphiram, uxorem ejus<sup>2</sup>: quia mors talium obstinatorum, viventibus utilem metum incussit. Et tunc zelo ædificationis et justitiæ exercetur in tales: sicut et Dominus ait, Exod. XXI, 18: *Maleficos non patieris vivere.*

Isti autem Samaritani magis ex ignorantia, quam ex malitia peccaverunt. Putabant enim eos non recipi debere, qui in Jerusalem adorabant: eo quod Patriarchæ spiritu Dei præditi in monte adoraverant, et sua auctoritate locum orationi consecraverant.

« Et abierunt in aliud castellum. »

Ecce dissimulatio culpæ ingratiitudinis ad tempus.

« *Abierunt* » ergo, dissimulantes patienter, « *in aliud castellum,* » ubi sunt recepti juxta doctrinam Domini: *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*<sup>1</sup>. Dicitur tamen, Joan. XI, 54, quod exspectabant si quis eos invitaret: et non invenientes, tunc demum ibant ad castellum aliud. De his tamen super Marcum plura dicta sunt.

« Factum est autem, ambulantes illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te quocumque ieris. »

Hic incipit pars illa, in qua agitur de sequela potestatem Christi accipientium.

Introducuntur autem hic tria, quorum primum ostendit sequentium simplicitatem: secundum autem, sequentium et operis finem: tertium autem, sequentium expeditionem. Et secundum hæc tria, tres introducuntur hic historiæ.

In prima harum historiæ dicit

<sup>1</sup> Cf. Joan. IV, 40.

<sup>2</sup> Cf. Act. V, 1 et seq.

<sup>3</sup> Matth. X, 23.

tria : quando, et ubi factum est : dolum accedentis, et duplicitatem : determinatæ responsionem eruditionis de simplicitate præcedentis.

De primo dicit : « *Factum est autem,* » secundum Dei dispositionem, « *ambulantibus illis in via,* » non immediate post præmissa, sed diu ante : sicut patet, Matth. viii, 1, ubi eadem historia inducitur, post descensum de monte. Quia, sicut jamdudum diximus, historiæ ab Evangelistis non introducuntur secundum ordinem temporis, sed potius secundum quod faciunt ad suorum propositorum declarationem.

« *Dixit quidam ad illum.* » Matth. viii, 19, dicitur, quod fuit unus de Scribis qui præsumptionem habuit scientiæ.

« *Sequar te.* »

Duo tangit in dicto, et unum innuit in intentione dicendi.

In dicto speciem prætendit pietatis, et fastum promittit præsumptionis.

Speciem pietatis prætendit cum dicit : « *Sequar te.* » Hoc enim pietatis est, et religionis. Matth. vii, 15 : *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* II ad Corinth. xi, 14 et 15 : *Ipse Satanas transfiguratur se in angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ, quorum finis erit secundum opera ipsorum.* Isti sunt hypocritæ signifiati per Gabaonitas<sup>1</sup>, qui vestibis vilibus et utribus scissis atque consutis deceperunt filios Israel.

Addit autem hoc, quod est fastuosæ præsumptionis, cum dicit :

« *Quocumque ieris.* »

Qui nec per unam viam perfectionis ducem sequi posset. Isa. xvi, 6 : *Audivimus superbiam Moab : superbus est valde : superbia ejus, et arrogantia ejus,*

*et indignatio ejus plus quam fortitudo ejus.* Propter hoc irrisorie de talibus dicitur, Job, xi, 7 : *Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies?* Perfectissima cum Deo sponsa trahi ut sequatur desiderat : et iste vento plenus, sequi promittit Deum quocumque ierit. Psal. xviii, 6 et 7 : *Exsultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cælo egressio ejus.* Et quis sequi posset sic præcurrentem? Eccle. ii, 12 : *Quid est homo, ut sequi possit regem Factorem suum?*

Tertium autem quod innuitur in dicto suo, est intentio dolosa. Intentione enim lucrandi sequi voluit, ut potestatem acceptam ad miracula facienda ad lucrum converteret, sicut Simon, Act. viii, 19, qui oblato pretio dixit Apostolis : *Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.* Psal. xxxv, 5 : *Iniquitatem meditatus est in cubili suo : adstilit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit,* etc. Eccle. i, 40 : *Accessisti maligne ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo et fallacia.*

« *Dixit illi Jesus : Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* »

Hic ponitur doli confutatio per Domini responsionem. Et quia dolosus fuit et præsumptuosus : propter hoc utrumque per similitudinem in eo arguit, ostendens se in neutro eorum præcedere : et ideo tales se sequi non posse.

Et hoc est quod dicit contra dolum :

« *Vulpes foveas habent.* »

Vulpes, ut dicit Isidorus, dicitur quasi volvipes, quia pedes facile in quoslibet

<sup>1</sup> Cf. Josue, ix, 4.

volvūt anfractus. Est etiam animal astutum, callidum, dolosum, insidiativum, venativum, in latebrosis cavernis anfractuosis habitativum. Et talis fuit iste in astutia accedens et calliditate, in calliditate concupiscentiæ et avaritiæ Dominum quærens, in dolo tentans, in insidiis observans, per lucrorum appetitum sequens, in latebrosis anfractibus se abscondere putans.

De primo, Genes. III, 1 : *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Cantic. II, 15 : *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.*

De secundo, Osee, VII, 6 : *Applicuerunt quasi clibanum cor suum, cum insidiaretur eis.*

De dolo, Jerem. IX, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.* Ideo Dominus, Luc. XIII, 32, Herodem vocat vulpem dicens : *Dicite vulpi illi : Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor.* Callidæ autem vulpes sunt Samsonis, quæ igneæ sunt : comburunt segetes, quia attrahunt quidquid est fructiferum, aut lucrosam.

De insidiis dicit Psalmus X sec. Hebræos, 8 : *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.*

De venatione, Psal. X sec. Hebræos, 9 : *Insidiatur ut rapiat pauperem : rapere pauperem dum attrahit eum.* Thren. V, 18 : *Propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo.*

Habitat autem in cavernis : quia sequens lucrorum appetitum, in absconditis ambulat : nec possunt deprehendi viæ ejus. Psal. LXII, 10 et 11 : *Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.* Isa. XXIX, 15 : *Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, et dicunt : Quis videt nos ?*

Sic ergo vulpes, hoc est, volvipedes in omnem dolum, sunt in hypocrisi loquen-

tes mendacium, *habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*<sup>1</sup>.

Isti « *habent foveas,* » hoc est, decipulas, in quas alii incidant, et sæpe cadunt in eas. Psal. LVI, 7 : *Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam.* Jerem. XVIII, 20 : *Foderunt foveam animæ meæ.* Per istam ergo similitudinem percussa est astutia dolosa istius.

Sequitur :

« *Et volucres cœli nidos.* »

Volucres alta petentes, sunt præsumentes et superbi : sicut iste qui ad magna Dei dona cogitavit ascendere, et magna de se præsumpsit. Apocal. XVIII, 2 : *Facta est Babylon custodia omnis volucris immundæ.* Dæmones enim alta petentes tales custodiunt. Istæ volucres in altis habent nidos. Abdiæ, 7. 6 : *Si exaltatus fueris ut aquila, et inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Ambitiosus enim semper in altissimo nidificat, in corde suo dicens illud Isaiæ, XIV, 23 : *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.*

Ostendit autem in se nihil talium esse dicens.

« *Filius autem hominis, etc.* »

Minorâ de se prædicans propter humilitatem, dicit se Filium hominis qui est Dei Filius. Ad Roman. XII, 16 : *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes : formam servi prætendens qui est Dominus omnium.*

« *Non habet.* » Simplicem prætendit paupertatem. Quasi diceret : Nihil ego ipse potestate mea lucratus sum, quia non habet Filius hominis in humanis

« *Ubi caput reclinet,* » quæ tamen minima quies inter necessarias quietes. Ideo natus in præsepio, caput in mutuo

<sup>1</sup> II ad Timoth. III, 5.

quievit diversorio : juvenis prædicans, non propria quievit domo : crucifixus moriens, ad caput nullo sustentatus est receptaculo : ut in omnibus verum sit quod dicitur, Joan. 1, 11 : *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Jerem. xiv, 8 : *Quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum.* Psal. lxxxvii, 16 : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea : exaltatus autem, scilicet in cruce, humiliatus sum, turpatione ignominiosæ crucis, et conturbatus, mulcta pœnalitatis. Natum enim sui non receperunt. Prædicans, quasi viator colonus cordium, instabilis de loco ad locum declinavit, ad diversa deserti, et habitationis hominum loca. Moriens autem, in cruce elevatus, et oblatus, etiam capitis caruit receptaculo : et ideo inclinato capite tradidit spiritum<sup>1</sup>. Quia nihil fuit quod nutans caput mortui retineret.*

Sic præcessit veritas : per quas vias, dolus vel hypocrisis mendax sequi non desiderat.

**59** « Ait autem ad alterum : Sequere me. Ille autem dixit : Domine, permittite mihi primum ire, et sepelire patrem meum. »

Hic agitur de sinceritate intentionis sequentium, et de fine operis eorum.

Tanguntur autem hic tria. Primum est invitatio devoti ad sequendum. Secundum, dilatio sequelæ, ad pietatis officium explendum. Tertium est instructio simplicis, quod non melius bonum propter minus bonum intermittendum.

Attendendum autem, quod iste discipulus quem hic Dominus invitat ad sequendum, a quibusdam dicitur fuisse Philippus Apostolus : qui licet, Joan. 1, 43 et seq., venerit ad Dominum, et etiam alios induxerit, tamen postea ad propria

rediens, et cognitionem Domini assecutus sit, et nunc in toto ad relinquendum propria sit vocatus : hoc tamen non est authenticum. Quicumque autem fuerit, constat quod devotus et sincerus fuit, motus ex sermone Domini in monte, et sanctificatus. Et ideo desiderium suum ad sequendum per verbum Domini est præventum.

Et ideo dicit :

« Ait autem ad alterum. »

Videns eum devotum, et ideo vocando præveniens desiderium ejus. Psal. xx, 4 : *Domine, prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Job, xiv, 15 : *Vocabis me, et ego respondebo tibi : operi manuum tuarum porriges dexteram.* Desiderio enim cupiebat trahi. Cantic, i, 3 : *Trahe me : post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Vidit enim unctiones sanitatis eum in omnibus perficere infirmis : et ideo toto corde sequi desiderans, et humilis, se ad sequendum indignum tantum Dominum reputans, expectabat desideratam vocantis invitationem.

« Sequere me, »

Relictis omnibus : quia tuis rebus familiaribus oneratus, sequi me non posset.

« Sequere » quidem toto corde : non aliquam cordis tui de cætero portionem familiaribus rebus impendens. Daniel. iii, 41 : *Nunc sequimur te in toto corde, et timemus te, et quærimus faciem tuam.*

« Sequere me, » inquam, vitam : ne occupatus cum mortuis impediaris et moriaris. Osee, vi, 3 : *Vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque, ut cognoscamus Dominum.*

« Sequere » adhuc, nullo retardatus, ut præcedentem comprehendas. Ad Phi-

<sup>1</sup> Joan. xix, 30.



lip. III, 12 : *Sequor, si quomodo comprehendam in quo et comprehensus sum.*

« *Sequere* » igitur « *me* » signanter, et non alium : non æstum avaritiæ : sicut dicitur, Osee, XII, 1 : *Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum : tota die mendacium et vastitatem multiplicat.* Sic enim sequi voluit ille, quem vulpi et volucris cœli comparavi.

Sed tu, « *me* » ad superna vocantem « *sequere.* » Ad Philip. III, 13 et 14 : *Quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.*

« Ille autem dixit, »

Differens obedientiam insecutionis per occupationem officii pietatis.

In hac autem dilatione dicit tria : professionem fidei ejus qui sequendus est : petitionem indulgentiæ carnalis affectus, qui ab ipso Creatore inditus est : et allegationem officii pietatis, quod a Patriarchis est observatum, a Sanctis institutum, et ab Angelis commendatum.

De primo dicit :

« Domine. »

Profitetur enim dictum, cujus jussioni credit obediendum esse. Act. V, 29 : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Psal. CXV, 16 : *O Domine, quia ego servus tuus.*

« Permite mihi, »

Hoc est, indulge naturæ quam fecisti. Exod. XX, 12 : *Honora patrem tuum et matrem tuam.* Impium videtur si non exhibet officium paterno funeri, super quo etiam sacerdos contaminandus<sup>1</sup>.

Et ideo indulge

<sup>1</sup> Cf. Levit. XX, 9.

« Primum ire. »

Non enim renuo obedientiam, sed ordine charitatis differo, quæ primo ordinat ad proximos, et postea ad alios. Cantic. II, 4 : *Ordinavit me in charitatem.* Gregorius : « Per obedientiam numquam præcipitur malum fieri : sed nonnumquam per obedientiam bonum quod fieri posset, præcipitur intermitti. »

« Sepelire patrem meum. »

Hoc a Patriarcha Joseph est observatum, Genes. L, 5 : *Ascendam, et sepeliam patrem meum, ac revertar.* A Sanctis est hoc institutum, Tob. IV, 3 : *Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli.* Hoc est ab Angelis commendatum, Tob. XII, 12, dixit Raphael Angelus Tobiæ : *Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.*

« Dixitque ei Jesus : Sine ut mortui sepeliant mortuos suos. »

60

Ecce simplicitatis instructio.

Dicit autem duo, quorum primum est discretionis. Secundum autem, privilegiatæ dignitatis.

Id quod est discretionis, innuit tria : quorum unum est, ut quod est vanitatis, dimittatur : etiamsi conjunctum sit pietatis officio. Secundum autem, quod discretio habenda est in officiis pietatis. Tertium, quod id quod minus est, committatur vicariis : et id quod majus est, fiat per nosipsos.

Primum innuit in hoc quod dicit :

« Sine, »

Hoc est, permittite. Et non permittitur nisi malum. Quasi dicat : Solemnitas sepulturæ quam vanitas hominum sibi ad solatium, non mortuis ad suffragium invenit, sinenda est aliis, et non a te, qui ad æterna festinas exercenda. Quid enim profuit diviti purpurato solemnibus tumba, et multa deflens turba, quando *sepultus est in inferno* in anima<sup>1</sup>? hoc tamen propter tristitiæ temperamentum sinendum est. Genes. xxiii, 6 : *Princeps Dei es apud nos, in electis sepulcris nostris sepeli mortuum tuum.*

« Ut mortui sepeliant mortuos suos. »

In hoc notatur discretio habenda in officii pietatis.

Et notantur tria discernenda, scilicet, sepulturæ necessitas, sepelientium indignitas, et sepulti inidoneitas.

Nulla enim instans necessitas sepeliendi nobis incumbit, ubi multi alii sunt se ultro offerentes ad sepulturæ officium : sed esset necessarium per nos fieri, si alii sepelientes non invenirentur : sicut, Tob. ii, 3 et 4, dicitur, quod sepelivit jugulatos in platea jacentes.

Secundum est indignitas sepelientium, quam notat cum dicit :

« *Ut mortui.* » Et notatur quod isti fuerunt infideles in peccatis mortui. Job, xxxvi, 14 : : *Morietur in tempestate anima eorum, et vita eorum inter effeminatos.* I ad Timoth. v, 6 : *Quæ in deliciis est, vivens mortua est.* Et cum talibus participare, viro justo est incongruum : quia quamvis aliquando pietati dent operam, tamen in modo habent vanitatem, et in fine magis attendunt sæculi pompam quam pietatem divinam.

Tertium est mortui inidoneitas : et hanc notat, cum dicit :

« *Mortuos suos.* » Non enim diceretur

esse mortuus eorum, hoc est, mortuorum, nisi esset omnino a Sanctorum morte separatus. Sancti enim, mortui dicuntur Dei. Isa. xxvi, 19 : *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent.* Apocal. xiv, 13 : *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Iste autem *suus* mortuorum mortuus dicitur : quia filio credente, pater in infidelitate et peccatis remansit, et sic vita functus est. Psal. cxlv, 4 : *Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam : in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* I Machab. ii, 62 et 63 : *Gloria viri peccatoris stercus et vermis est : hodie extollitur, et cras non invenietur : quia conversus est in terram suam.* Tales autem indigni sunt sepultura, et maxime ut viri sancti occupentur exsequiis eorum. Isa. xiv, 19 et 20 : *Quasi cadaver putridum, non habebis cum Sanctis consortium in sepultura.* Et patet ex hoc peccare eos, qui intra sancta loca sepeliunt peccatores, et multum occupantur funeribus eorum. Et ex his tertio colligitur, quando non urget necessitas, hoc esse propter meliora dimittendum. Levit. xv, 31 : *Docebitis filios Israel ut caveant immunditiam, et non moriantur in sordibus suis.* Non enim communicandum est talibus.

« Tu autem vade, et annuntia regnum Dei. »

Ecce quid in intentione et operis executione principaliter est habendum. Sic Paulus prædicavit, et propter prædicare, baptizare intermisit. I ad Corinth. i, 14, 16 et 17 : *Neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Caium... Baptizavi autem et Stephanæ domum. Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.*

Et hoc est quod dicit : « *Vade,* » proficiendo ad vicos, villas, castella, civitates. Marc. xvi, 15 : *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Luc. x, 3 : *Ecce ego mitto vos.*

<sup>1</sup> Luc. xvi, 22.

« *Et annuntia,* » hoc est, ad capacitatem auditorum nuntia. Isa. xii, 5: *Annuntiate hoc in universa terra.*

« *Regnum Dei,* » hoc est distributio justitiæ divinæ pro qualitate meritorum. Matth. xi, 12: *Regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Matth. iii, 2: *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum.*

**61** « Et ait alter: Sequar te, Domine. »

Hic agitur de sequentium expeditione.

Dicuntur autem hic tria. Primo enim tangitur istius ad sequendum libera et spontanea oblatio. Secundo autem, quæ sita ad sequendum utilis, ut sibi videbatur, dilatio. Tertio autem ponitur differentis sequelam instructio.

De primo dicit: « *Et ait alter,* » alteritate animi a primo vulpino separatus: quia iste bonus, ille autem malus fuit. Numer. xiv, 6 et seq., Caleb, qui plenus est alio spiritu. A secundo autem alter: quia ille pietate officii instantis, iste autem utilitate rei familiaris distulit.

« Sequar te, Domine, »

Spontanee me offerens ad te Dominum meum sequendum. I Reg. xii, 14: *Si timueritis Dominum, et servieritis ei, et audieritis vocem ejus, et non exasperaveritis os Domini, eritis et vos, et rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum.* Timor enim facit recedere a peccato, ne eatur per devium. Audire autem vocem, illuminat viam ad sequendum: quia *lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis*<sup>1</sup>. Servire autem illi, facit de familia sequente. Non exasperare autem sermones, conservat ne avertamur a sequela: et tunc perfecte sequimur.

<sup>1</sup> Psal. cxviii, 105.

« Sed permittite mihi primum renuntiare his quæ domi sunt. »

Ecce dilatio.

Et tangit duo, quorum primum est humanæ infirmitatis: secundum autem est utilitas rei familiaris.

Primum notatur in hoc quod dicit: « *Permitte me primum ire,* » hoc est, indulge quod infirmitati humanæ debetur. Hæc enim non potest carere solatiis. Et hoc est quod dicitur, Genes. xix, 20: *Est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea: numquid non modica est, et vivet anima mea?* Hæc enim civitas est rei familiaris utilitas, in qua salvatur vita animalis. Et hanc iste sibi petit indulgeri.

« *Et renuntiare,* » hoc est, ordinare cum relictione, « *his quæ domi sunt,* » quæ ad vitæ hujus ordinata sunt necessitatem.

Hic enim et sequi Dominum voluit, et tamen ordinare de provisione futuræ necessitatis: ut ex ordinatione illa futuræ necessitati per suos provideret: attendens hoc quod dicit Apostolus, I ad Timoth. v, 8: *Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Voluit ergo domui suæ disponere, et sibi. Isa. xxxviii, 1: *Dispone domui tuæ.* Proverb. xxxi, 27: *Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit.* Hæc enim ordinata charitas esse videbatur.

« Ait ad illum Jesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. »

**62**

Ecce instructio. Psal. cxviii, 66: *Bonitatem, et disciplinam, et scientiam docet me, Domine.*

« *Nemo mittens manum suam ad aratrum.* » Attende quod Dominus per metaphoram arantis viam docet perfectionis.

Iste enim et temporalium voluit habere solatium, et tamen sequi Dominum in via perfectionis, et verbi Dei prædicationis : putans eamdem viam perfectis et imperfectis esse propositam. Quamvis enim infirmis hoc sufficiat, tamen perfectis viris, et præcipue in primitiva Ecclesia hoc non fuit concessum, ut simul saperent ea quæ sursum sunt, et ea quæ super terram. Aratrum igitur in quo sunt duæ stivæ, vel una : duæ quidem propter duo præcepta dilectionis Dei, et proximi. In quo etiam est lignum longitudinale, quod est signum rectitudinis justitiæ mandatorum : et in quo est vomer verbi Dei, et ferrum de subtus cavans terram divini timoris, datur in manu ejus qui res familiares postposuit, et utilitatibus propriis renuntiavit. Sic, III Reg. xix, 19 et 20 : *Eliseus in duodecim jugis boum arantibus*, propter duodecimum Apostolorum numerum, *unus erat*, parentum pietate affectus, cum dicitur : *Osculer, oro patrem meum et matrem meam*.

Dicit ergo quod sic « *mittens manum*, » sollicitudinis susceptæ, « *ad aratrum* » arationis, et processiones cordium : ut inferat divinæ gratiæ semen, ad merendum fidei et bonorum operum fructum :

et cum uxore Lot<sup>1</sup>, « *respicens retro*, » ad rei familiaris solatium et sollicitudinem, non « *aptus est regno Dei*, » hoc est, regimini et operi regni Dei, hoc est, Ecclesiæ : quia, sicut supra diximus, regnum Dei ex multis conficitur, et ideo multis comparatur. II ad Timoth. ii, 4 : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit*. I ad Corinth. ix, 25 : *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*. Et ideo inter omnes Apostolos, unus solus curam rei familiaris nimis diligens, dum ultra modum propriam utilitatem procurare voluit, Dominum tradidit et vendidit : et seipsum tandem laqueo suspendit<sup>2</sup>. I ad Timoth. vi, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli*. Ideo dicit Apostolus, ad Philip. iii, 7 : *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Veruntamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam*, etc.

Hoc igitur est, quod intendit in parabola.

<sup>1</sup> Cf. Genes. xix, 26.

<sup>2</sup> Cf. Matth. xxvii, 5.



# INDEX

## *Capitum in Evangelium secundum Lucam.*

(I - IX)

	PROŒMIUM S. LUCÆ.	1
	In proœmium S. Lucæ enarratio.	2
CAPUT	I. <i>Zachariæ sacerdoti annuntiat Gabriel Joannis conceptum ex Elisabeth sterili, qui Angelo non credens mutus efficitur : idemque Gabriel Mariæ annuntiat conceptum Jesu filii Dei de Spiritu Sancto : ad Mariæ salutationem Joannes exultat in utero, et Elisabeth prophetat, ipsaque Maria canticum gratiarum actionis Domino decantat : in nati Joannis circumcisione Zacharias pater, recepta loquela, canticum gratiarum actionis edit.</i>	6
In caput	I Lucæ enarratio.	9
CAPUT	II. <i>Ex Augusti decreto Joseph cum Maria ascendit in Bethlehem, ubi illa peperit Salvatorem, cujus nativitate ab Angelo audita, pastores festini veniunt illum visuri : puer circumciscus vocatur Jesus : quem post dies purificationis in Jerusalem delatum ut Domino sisteretur, Simeon senex benedicit, ac de matris in passione doloribus prophetat, Annaque prophetissa vetula Domino confitetur : Jesus duodecim annorum plenus sapientia et gratia, perditus a parentibus, in medio doctorum invenitur, descenditque Nazareth factus illis subditus.</i>	184
In caput	II Lucæ enarratio.	186

CAPUT	III. <i>Joannes mittitur a Domino impleturus sua prædicatione Isaiæ vaticinium: et turbis, publicanis ac militibus dat consilium, dicens quid singulos facere oporteat, testaturque Christi excellentiam et baptismi ipsius, super quem ab ipso baptizatum descendit columba, ac vox Patris auditur: textiturque ejus genealogia a Joseph usque ad Adam ascendens.</i>	259
In caput	III Lucæ enarratio.	261
CAPUT	IV. <i>Jesus post jejunium quadraginta dierum, ac devictas satanæ tentationes, in synagoga Nazareth legit factam de se Isaiæ prophetiam: dicitque prophetam non esse acceptum in patria propria, quapropter volunt eum de monte præcipitare: ejicit in Capharnaum dæmonium, sanatque socrum Simonis, et plures alios a variis languoribus, ac dæmonia ejicit.</i>	305
In caput	IV Lucæ enarratio.	307
CAPUT	V. <i>Ubi de navicula Petri docuisset, ille laxato ipsius jussu reti conclusit copiosam piscium multitudinem: curatum leprosum mittit ad sacerdotes: paralytico, remissis primum peccatis, jubet ut lectum suum tollat: discumbens cum Levi, quem ex telonio vocaverat, causam dat murmurantibus Pharisæis, quare cum peccatoribus conversetur, et cur ipsius discipuli non jejunent.</i>	352
In caput	V Lucæ enarratio.	354
CAPUT	VI. <i>Discipulos spicas sabbato vellentes excusat, alioque sabbato manum curat aridam: electos duodecim nominat Apostolos, et cum illis ac multitudine copiosa stans in loco campestri docet beatitudines aliaque consilia ac præcepta evangelica: de festuca in oculo fratris, et arbore bona ac mala ex fructu dignoscenda: audiens Christi verba cui comparetur si ea opere compleat, et si non compleat.</i>	393
In caput	VI Lucæ enarratio.	395
CAPUT	VII. <i>Admiratus centurionis fidem absens sanat illius servum: juxta portam civitatis Naim filium unicum viduæ resuscitat: coram discipulis Joannis Baptistæ per eos interrogantis an esset qui venturus erat, multa edit signa: illisque abeuntibus Joannem plurimum extollit: Judæis nec Joannis nec Christi vita placuit, quos pueris invicem in foro acclamantibus assimilat: a muliere peccatrice pedes inunctus, respondet Simoni ob hoc murmuranti, proposita ad hoc parabola duorum debitorum, et remissis mulieri peccatis.</i>	460
In caput	VII Lucæ enarratio.	462
CAPUT	VIII. <i>Parabolam de seminante proponit, ac discipulis interpretatur: nihil occultum quod non manifestetur: quos dicat suam esse matrem, suosque fratres: in mari a somno excitatus, ventum increpat: dæmoniacum ferocissimum a dæmonum legione libe-</i>	

*rat, permittens dæmonibus ut in porcos introeant : tacta fimbria vestimenti ejus mulier a fluxu sanguinis curatur, et filia Jairi archisynagogi verbo ipsius resuscitatur.*

In caput VIII Lucæ enarratio.

517

520

CAPUT IX. *Discipulos ad prædicandum mittens, servanda tradit eis præcepta : Herodes audita Christi fama cupit eum videre : ex quinque panibus et duobus piscibus satiat Jesus quinque virorum milia : Petrus illum confitetur Christum Dei : suam prædicit passionem, et de propria cruce tollenda : transfigurato junguntur Moyses et Elias in majestate : ad preces patris dæmonium a filio ejicit : contentio oritur inter Apostolos de primatu : filii Zebedæi volunt igne cœlesti consumi Samaritanos nolentes Jesum suscipere : volentem sequi non suscipit, alterum autem vocat, nec permittit ut primum sepeliat patrem.*

In caput IX Lucæ enarratio.

597

600







# INDEX

*Analyticus et historicus in Evangelium secundum Lucam.*

---

## PROLOGUS.

Præfatio ad Theophilum. I, 4.

## PARS PRIMA.

### **Narrationes Selectæ de Infantia Jesu.**

#### § I. — PRÆPARATUR CHRISTI NATIVITAS.

Præcursor promittitur et concipitur. I, 5-25.  
Mariæ annuntiatio et Verbi incarnatio. I, 26-38.  
Maria visitat Elisabeth. I, 39-45.  
Canticum *Magnificat*. I, 46-56.  
Joannis nativitas, circumcisio et vita in deserto. I, 57-80.  
Canticum *Benedictus*. I, 68-80.

#### § II. — NATALE DOMINI.

Jesus nascitur in Bethleem. II, 4-7.  
Adoratur a pastoribus. II, 8-20.  
Canticum *Gloria in excelsis*. II, 14-20.  
Jesus circumciditur. II, 24.

#### § III. — CHRISTI INFANTIA ET VITA ABSCONDITA.

Mariæ purificatio, præsentato Jesu. II, 22-28.  
Canticum *Nunc dimittis*. II, 29-39.

Jesus in medio doctorum.	II, 40-50.
Vitæ absconditæ compendium.	II, 51-52.

PARS SECUNDA.

**Christi Inauguratio ejusque Ministerium in Galilæa.**

SECTIO I. — *Præparatur et inauguratur Christi munus publicum.*

<i>Præcursor Christo viam parat.</i>	
1° Joannis apparitio.	III, 1-6.
2° Ejus prædicatio.	III, 7-18.
Mittitur in carcerem.	III, 19 et 20.
Baptismus Christi.	III, 21 et 22.
Genealogia Jesu.	III, 23-38.
Christus tentatur a diabolo.	IV, 1-13.

SECTIO II. — *Jesu munere suo fungitur in Galilæa.*

§ I. — ANTE COLLEGII APOSTOLICI COADUNATIONEM.

Jesus regreditur in Galilæam.	IV, 14 et 15.
In synagoga Nazareth docet et spernitur.	IV, 16-30.
Manet in Capharnaum ubi sanat dæmoniacum.	IV, 31-37.
Sanat socrum Petri.	IV, 38 et 39.
Sanat et alios multos.	IV, 40 et 41.
Abit in desertum et circuit Galilæam.	IV, 42-44.
Primos selegit discipulos, facta piscatione mirabili.	V, 1-11.
Leprosus mundatur.	V, 12-16.
Curatio paralytici.	V, 17-26.
Vocatio Levi et quæstio de jejunis.	V, 27-39.
Discipuli spicas vellunt.	VI, 1-5.
Manus arida restituta.	VI, 6-11.

§ II. — POST APOSTOLORUM ELECTIONEM.

Duodecim eliguntur.	VI, 12-16.
<i>Christi sermo in monte.</i>	
1° Introductio historica.	VI, 17-19.
2° De vera beatitudine.	VI, 20-26.
3° De vera charitate.	VI, 27-38.
4° Veræ sapientiæ regulæ.	VI, 39-49.

Jesus sanat servum Centurionis.	VII, 1-10.
Suscitat filium viduæ.	VII, 11-17.
Præcursoris legatio.	VII, 18-23.
Ejusdem encomium.	VII, 24-35.
Jesus ungitur a peccatrice.	VII, 36-50.
Peragrat Galilæam cum discipulis.	VIII, 1-3.
Parabola seminantis.	VIII, 4-18.
Quinam sint Christi cognati?	VIII, 19-21.
Tempestas sedata.	VIII, 22-25.
Legio dæmonum porcos invadens.	VIII, 26-39.
Hæmorrhœissæ sanatio, filiæ Jairi suscitatio.	VIII, 40-56.
Missio Apostolorum.	IX, 1-6.
Herodis opinio de Jesu.	IX, 7-9.
Prima multiplicatio panum.	IX, 10-17.
Confessio Petri, et passionis prædictio.	IX, 18-27.
Christus transfiguratur.	IX, 28-36.
Lunatici sanatio.	IX, 37-43.
Iterum passio prædicatur.	IX, 44 et 45.
Monita de humilitate et tolerantia.	IX, 46-50.

## PARS TERTIA.

**Narratur Ultimum Jesu Iter in Jerusalem.**SECTIO I. — *Itineris initia.*

Christus ejicitur a Samaritanis.	IX, 51-56.
De veri discipuli dotibus.	IX, 57-62.
Missio septuaginta duorum Discipulorum.	X, 1-24.
Parabola de misericorde Samaritano.	X, 25-37.
Martha et Maria.	X, 38-42.
Jesus suos orare docet.	XI, 1-4.
Parabola de amico importuno.	XI, 5-13.
Pharisæorum blasphemia, signum de cælo	XI, 14-36.
Jesus increpat Pharisæos et Scribas.	XI, 37-54.
<i>Varia monita Domini.</i>	
1° De fermento Pharisæorum.	XII, 1-3.
2° De fortitudine.	XII, 4-12.
3° Contra avaritiam, proposita parabola hominis divitis.	XII, 13-21.
4° Contra mundanas curas.	XII, 22-34.
5° De vigilantia.	XII, 35-53.
6° De signis temporum.	XII, 54-59.
Necessitas pœnitentiæ.	XIII, 1-5.
Parabola ficulneæ.	XIII, 6-9.
Mulier sanata ab infirmitatis spiritu.	XIII, 10-17.
Parabolæ grani sinapis et fermenti.	XIII, 18-21.

SECTIO II. — *Aliæ narrationes itineris.*

De angusta porta.	XIII, 22-30.
Herodis insidiæ.	XIII, 31-35.
<i>Jesus in domo principis Phariseorum.</i>	
1° Hydropicum sanat.	XIV, 1-6.
2° Agit de humilitate.	XIV, 7-11.
3° Mutuam charitatem docet.	XIV, 12-14.
4° Parabola de cœna magna.	XIV, 15-24.
Quales esse debeant Christi sectatores?	XIV, 25-35.
<i>Tres parabolæ de misericordia Dei.</i>	
1° Ovis perdita.	XV, 3-7.
2° Amissa drachma.	XV, 8-10.
3° Filius prodigus.	XV, 11-32.
<i>Parabolæ de usu divitiarum.</i>	
1° Villicus iniquitatis.	XVI, 1-13.
2° Murmurant Pharisei.	XVI, 14-18.
3° Dives et Lazarus.	XVI, 19-31.
Quatuor monita Christi ad discipulos.	XVII, 1-10.

SECTIO III. — *Finis itineris.*

Decem leprosi mundantur.	XVII, 11-19.
De adventu regni Dei.	XVII, 20-37.
Parabola judicis et viduæ.	XVIII, 1-8.
Parabola pharisæi et publicani.	XVIII, 9-14.
Benedictio puerorum.	XVIII, 15-17.
Juvenis dives; pericula divitiarum.	XVIII, 18-30.
Passio tertia vice prædicatur.	XVIII, 31-34.
Sanatio cæci Jerichontini.	XVIII, 35-43.
Jesus apud Zachæum.	XIX, 1-10.
Parabola de mnarum usu.	XIX, 11-28.

## PARS QUARTA.

**Christus Patiens et Triumphans.**SECTIO. — I. *Passio præparatur.*

Triumphalis ingressus in Jerusalem.	XIX, 29-44.
Vendentes ejiciuntur.	XIX, 45 et 46.
Jesu ministerium in templo.	XIX, 47 et 48.
<i>Christus confundit adversarios suos.</i>	
1° Origo potestatis Jesu.	XX, 1-8.
2° Parabola de vinitoribus.	XX, 9-19.
3° Tributum Cæsari solvendum.	XX, 20-26.

4° Sadducæi et resurrectio.	XX, 27-40.
5° David et Christus.	XX, 41-44.
6° A Scribis attendendum.	XX, 45-47.
Viduæ munusculum.	XXI, 1-4.
<i>Sermo de eversione Jerusalem et fine mundi.</i>	
1° Occasio.	XXI, 5-8.
2° Pars prophetica sermonis.	XXI, 8-33.
3° Pars moralis.	XXI, 34-36.
Ultimi dies Jesu compendiose descripti.	XXI, 37 et 38.

SECTIO II. — *Christi passio, mors et sepultura.*

Horrenda Judæ pactio.	XXII, 1-6.
Cœna paschalis.	XXII, 7-14.
Cœna eucharistica.	XXII, 15-20.
Proditor denuntiatur.	XXII, 21-23.
Contentio inter Apostolos.	XXII, 24-30.
Prædicatur lapsus Petri.	XXII, 31-34.
Allocutio de gladio.	XXII, 35-38.
Agonia Jesu in horto.	XXII, 39-46.
Capitur a Judæis.	XXII, 47-53.
Petri negatio.	XXII, 54-62.
Jesu illuditur a ministris.	XXII, 63-65.
A Synedrio damnatur ad mortem.	XXII, 66-71.
Ducitur ad tribunal Pilati.	XXIII, 1-7.
Illuditur ab Herode.	[XXIII, 8-12.
Jesu iterum coram Pilato.	XXIII, 13-25.
Via crucis.	XXIII, 26-32.
Crucifixio.	XXIII, 33 et 34.
Derisiones, bonus latro.	XXIII, 35-43.
Mors Jesu.	XXIII, 44-49.
Ejus sepultura.	XXIII, 50-56.

SECTIO III. — *Domini resurrectio et ascensio.*

Mulieres et Petrus ad sepulcrum.	XXIV, 1-12.
Jesu duobus discipulis apparet.	XXIV, 13-35.
Apparet in cœnaculo.	XXIV, 36-43.
Ejus instructiones ultimæ.	XXIV, 44-49.
Ascensio gloriosa.	XXIV, 50-53.



# INDEX RERUM

*Et verborum notabilium quæ in Commentariis in primam partem Lucæ continentur.*

(I - IX)

---

**N.-B. — Numerus romanus indicat caput, numerus vero arabicus versiculum capituli. V. gr. : ABNEGARE seipsum quid sit, pie et docte explicatur. IX, 23. Expositio vocis ABNEGARE invenitur in commentariis super caput nonum Lucæ, ad versiculum 23.**

---

Ab ACTIONE ad contemplationem redeundum docetur similitudine somni. VI, 4.

## A

ACCUBITUS Christi quid significet ? VII, 37.

ABNEGARE seipsum quid sit, pie et docte explicatur. IX, 23.

ADOPERTUS quidam sæpe citatur falso nomine S. Ambrosii. V, 32.

ABRAHAM cur dicatur *pater noster*? I, 55.  
Cur ejus honorifica mentio in *Magnificat*?  
Ibidem.

ADOPTARE non potest, qui non habet filium, vel impotens est ad habendum. I, 32.

Cur ad eum dicatur jurasse Deus? I, 73.  
ABRAHAM filii, qui? I, 55.

ADOPTIVI filii Dei per quid fiamus? Ibid.  
Non essent filii ADOPTIVI nisi et unus esset filius naturalis. Ibid.

ACTIONEM præcedit contemplatio. IX, 37.

- ADMIRATIO non fuit proprie in Christo. VII, 9.
- ADULATIONEM cavet Christus. VII, 24.
- ADULTERIUM permissum apud Athenienses causa boni publici, sed male. I, 75.
- ADVENTUS Christi duplex : et quomodo differant? IV, 49
- ADVENTUM Christi primum præcedit unum secundum duo : quod significat Ecclesia utens ad Evangelium uno cereo in diebus profestis, et duobus in diebus festis. I, 76.
- ADVOCATI sæpe peccant per calumniam, et pejores frequentius sunt ii qui sunt Ecclesiastici, quam qui sunt sæculares. III, 14.
- ÆDIFICATIO prudens quæ, naturaliter et mystice, et quænam imprudens? VI, 48 et 49.
- AGRICOLÆ spirituales hujus temporis quales? VIII, 5.
- AGRICOLA ad agrum veniat necesse est, quia ager non veniet ad agricolam. Ibid.
- ALABASTRUM physice et moraliter quid, VII, 37.
- ALABASTRUM cur tulerit peccatrix ad Christum? Ibid.
- ALTA, altiora, et altissima Dei quæ sint? I, 32.
- ALTISSIMUS simpliciter dicitur Deus. I, 76.
- ALTISSIMUS proprie est Filius Dei, quod enarratur insigni paraphrasi. I, 32.
- ALTUM in quod ducendum est rete, est quadruplex. V, 4.
- AMBITIO potestatis Ecclesiasticæ quomodo tentaverit Apostolos? Unde orta? IX, 46.
- Quomodo repressa? IX, 47.
- AMBITIONIS materia Prælatūra: ambitio in ipso ortu curanda. Ibid.
- Tentatio hæc Apostolorum nobis utilis. Ibidem.
- AMBITIOSIS tria exempla correctionis dedit Deus, prout tria eo in vitio sunt notanda. Ibidem.
- AMBITIOSI potius ambiunt potestatem quam gloriam et divitias, qua de causa diabolus in secunda tentatione Christo proposuit regnum. IV, 3.
- AMBROSIVS Adopertus minus probatæ auctoritatis est is, sub cujus nomine sæpe falso citatur S. Ambrosius. V, 32.
- AMICITIA triplex, et conditiones singularum. VI, 32.
- ANCILLÆ laudes quæ? et, Quomodo eas Maria expleverit? I, 38.
- ANGELUS est in loco definitive. I, 11.
- ANGELI peccatum fuit inordinatus appetitus unionis hypostaticæ, et eam homini invidit. I, 34.
- ANGELI qualia corpora assumant? Quomodo appareant? I, 11.
- Hominibus sunt proximi. Ibid.
- Tres proprii eorum actus, illuminare,



- purgare, perficere, et hæc quid? II, 15.
- Cur cum claritate appareant? Ibid.
- Cur post illuminationem datam vel factam recedant ab hominibus? Ibid.
- ANGELOS stare et prope homines stare quid significet? II, 9.
- In ANGELIS Christi Nativitatem annuntiantibus quinque consideranda. Ibid.
- ANIMAM suam volens salvare quomodo perdat eam? et pro quo hic accipiat *anima*, duplex explicatio. IX, 24.
- Quomodo perdens eam salvet eam? Ibidem.
- Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, scilicet doloris, dicens Simeon, an Mariæ an Christi animam dicere voluerit? II, 35.
- ANIMA credentis intelligitur mystice quam transit verbum Dei. Ibid.
- ANNA, id est, *gratia*: Annæ quinque celebres in Scripturis, et quæ cuique propria, significant quinque gratiæ effectus in anima. II, 36.
- ANNA septem annis vixit in matrimonio, octoginta quatuor, id est, duodecies septem vidua, ut duodecies tantum viveret in luctu quantum in deliciis. II, 37.
- Commendatur a quinque. II, 36.
- De tribu Aser, id est, *Beati*, fuit, quæ dedit testimonium beatificanti omnes beatos. Ibidem.
- Quomodo non discesserit a templo? II, 37.
- ANNAS et Caiphas mutarunt ordinem institutum a David. I, 9.
- Exclusis viginti quatuor aliis, sacerdotium emerant ab Imperatore, unde proprie vacabat, congrueque sub id tempus natus est Christus. III, 2.
- ANNI tres et menses sex, quibus clausum est cælum tempore Eliæ designant tres status mundi ante Christum, et sex revolutiones lunares, et imperfectas illuminationes, quæ in lege fuerunt. IV, 25.
- ANNO trigesimo cur Christus prædicare incœperit? III, 23.
- Quasi annorum triginta incipiens erat Jesus*.  
Ly *incipiens* non appellat super annorum,, sed super functionem prædicationis. Ibid.
- ANNUNTIARE, evangelizare, prædicare, docere, quid sint, et quomodo differant? IV, 18.
- Ad ANNUNTIANDUM mansuetis, ut habet Isaias, cur citaverit Christus: *Evangelizare pauperibus*, etc? Ibid.
- API Christus comparatur, et cur? IV, 16.
- APOSTOLUS id est, legatus a Christo. VI, 13.
- APOSTOLI ter ad tria sunt vocati, et tertiatione reliquerunt omnia. V, 11.
- APOSTOLOS electurus Christus prius oravit: eorum electio novem habet circumstantias considerandas. VI, 12 et 13.
- APOSTOLORUM duodenarius numerus pluribus congruentiis et mysteriis comprobatur. Ibidem.
- Idem significat duodecim potissimas eorum qualitates, secundum quas per varios duodenarios mystice sunt præfigurati. Nota. IX, 1.
- Ad APOSTOLATUM quæ requirantur? Ibid.
- APOSTOLATUS finis et scopus duplex, et quis? IX, 2.
- APOSTOLORUM regula in functione Apostolica servanda: cur eos nudos et non sollicitos de subsidio rerum temporalium miserit Christus? IX, 3.

- Supple, Cum irent inter Judæos, nam ituris ad Gentes alia præcepta dedit. IX, 3. ARBORIS bonæ proprietates novem. VI, 43. ARBORES quomodo nutriantur? Ibid.
- APOSTOLI prædicaturi interdum pecuniam una ferebant. IX, 13. AREA, quid? et areæ ventilatio quadruplex. III, 17.
- APOSTOLORUM et successorum eorumdem plena informatio. VI, 20 et seq. Eorum in victu frugalitas. VI, 1, et IX, 13. ARIANI et Judæi pejores dæmone. VIII, 28.
- Quomodo pauperes, qui volebant emere cibum pro quinque millibus hominum? cur id a Christo non permissum? Ibidem. ARIDAM manum habens septem habebat miseria: ariditas hæc unde proveniebat? VI, 61.
- Cur non jejunaverint alio tempore quam inter Ascensionem et Pentecosten, et iterum post Pentecosten? V, 35. Ad restitutionem sui in integrum requirit ea manus quatuor. VI, 10.
- APPARITIONES Angelorum bonorum et malorum quomodo discernendæ? I, 13. ARREPTITIUS, quis? VIII, 29.
- ARATRUM mystice quid significet? IX, 62. Ad ARATRUM manum mittere et retro respicere, quid? Ibid. ARUNDO physice et moraliter quid? VII, 24.
- ARCHELAI ob tyrannidem a regno amoto et Lugdunum misso, Præsides sunt instituti, quorum quintus fuit Pilatus. III, 1. ASCENDENDUM est homini quadrupliciter, et quo? II, 4.
- ARCHISYNAGOGI servi monentes dominum suum, ne vexaret Christum, utpote quia jam filia ejus erat mortua, cur a Christo non reprehendantur? VIII, 49. ASCENSUS in montem Thabor dupliciter fit: uterque modus tres habet gradus. IX, 28.
- ARBOR est Synagoga, radices Lex et Sacerdotium. III, 9. ASER, filius Jacob octavus, pertinet ad beatitudinem, nam beatitudines sunt octo. II, 36.
- ARBOR item, omnis homo. Ibid. ASSUMPTIO vocatur Passio Christi ob duo. IX, 51.
- Item, gentiles. Ibid. AUDITA leviter non facile superiori denuntianda. IX, 49.
- ARBOR bona et mala, quid? VI, 43. AUDITUS quomodo fiat? I, 13.
- Illa quomodo non possit malos fructus facere, nec hæc bonos? Ibid.

AUDITUM facilem reddunt quatuor, et quæ?

I, 58.

AUDITORES Christi in triplici differentia.

VIII, 10.

AUDIENDUS Christus cum desiderio, obedientia, et timore.

IX, 35.

AUDITUS aliquis fidem præcedit, alius sequitur.

VI, 47.

AUDITORES suos Christus quam benigne receperit, nota tria.

IX, 11.

AUDITORUM ad Christum confluentium intentio quintuplex.

V, 1.

AUGUSTUS cur curaverit describi orbem?

II, 1.

Cur omnes ad propria jusserit proficisci?

Ibidem.

Cur id jubenti tam prompte obediverit mundus?

II, 3.

Ejus circa milites justitia.

II, 1.

Solos pauperes excusavit a danda contributione in militum subsidium.

Ibid.

Ejus tempore tres soles in Oriente exorti in unum coierunt, in ejus morte apparuit cometes circa medium cœli divisus in tres: templum pacis ex parte corruit, et ex parte perstitit: fons olei erupit manans in Tiberim.

Ibid.

In Augusto considerata sex, ob quæ ejus tempore congruum fuit nasci Christum.

Ibidem.

AURIS triplex in Scriptura celebris, et quænam?

VIII, 8.

AVARI et hypocritæ vulpibus comparati.

IX, 58.

AVE, id est, a væ, cur Angelus dixerit, et quomodo Virgo libera ab his omnibus maledictionibus?

I, 28.

B

BAPTISMUS Joannis non contulit gratiam: erat enim introductio ad baptismum Christi. Cur dicatur *Joannis*? Exigebat adjungi sibi opera pœnitentiæ.

III, 3.

BAPTIZARI Christus cur voluerit a Joanne, rationes tres.

III, 21-

Ad BAPTISMUM Christi quæ requiratur dispositio? Ejus effectus est apertio cœli, et descensus Spiritus sancti in baptizatum, qui in eo operatur septem, et hæc quæ?

III, 16 et 22.

Quomodo apertum sit cœlum BAPTIZATO Christo?

III, 21.

BAPTISMUS Christi, cur semper dicatur *Christi*, a quocumque conferatur?

III, 3.

BAPTISMI forma: baptismum sanctificantes Pater et Filius et Spiritus sanctus.

III, 21.

Præceptum BAPTIZANDI datum intelligitur cum verbum factum fuit super Joannem.

III, 2.

BEATA dicitur Maria antonomastice: beatitudinis definitiones quatuor, quæ omnes Mariæ proprie convenire ostenduntur.

I, 48.

Quæ sint generationes, quæ eam BEATAM dicunt? Vide GENERATIONES.

BEATITUDO proprie quid?

I, 45.

BEATITUDO secundum Aristotelem quid?

VI, 20.

Varii ejus gradus mensuræ et modio comparantur, in qua comparatione notanda septem, et quæ?

VI, 38.

- Quatuor BEATITUDINUM a Luca positarum sufficientia declaratur similitudine motus naturalis. VI, 20.
- Cur Lucas quatuor tantum recenseat, Matthæus octo? VI, 23.
- In BEATITUDINE aliquid datur ultra condignum. VI, 38.
- BEATITUDINEM meremur omnibus operibus et circumstantiis bonis. Ibid.
- BELLI inter hominem et Deum, inter hominem et Angelum, inter hominem et hominem, inter spiritum et carnem, quæ causa? II, 14.
- BENEDICTA *tu in mulieribus*, dicit Angelus in persona Ecclesiæ triumphantis, Elisabeth in persona Ecclesiæ militantis. I, 42.
- Ly *tu* discretionem et significantiam exprimit. I, 28.
- Ly *in mulieribus*, id est, inter mulieres, ut medium participans de utroque extremo: et medium et extrema hæc quæ? Ibidem.
- BENEDICERE est gratias agere, quasi dicere bona accepta in Deum referendo. I, 68.
- BENEDICTIO tria affert bona ex Scriptura Sacra. I, 28.
- BENEDICTIO peccatorum, qua peccatoribus benedicunt, maledicunt, quia non laudant nisi sui similes, nisi vituperanda, quia non placent illis nisi mala: væ dicitur taliter benedicientibus, quia dicunt bonum malum, et malum bonum, quia benedictionis non habent sacramentum, quia eorum benedictiones irridet Deus: væ, quia non benedicunt nisi his qui sibi benefaciunt, quia mercede vili benedictio ista emitur, quia benedictio illa in villis hominis voluntate et potestate est sita. VI, 26.
- Ut BENEFACERE possit omnibus Christus, occasiones sollicitat, et ubique se ingerit. VII, 36.
- BENEFICIA quinque a Deo homini præstita commemorat Zacharias in Cantico. I, 68.
- BENIGNITAS Christi resuscitatos a se et sanatos, illoque titulo jure in mancipium vindicabiles, parentibus restituit. IX, 43.
- BENIGNITAS Dei qualis et quanta? VI, 35.
- BERNARDI dictum in fine vitæ. IX, 47.
- BETHLEHEM duplex. II, 4.
- Prius dicta Ephrata, primo sterilis, deinde fertilis. Ibid.
- Num civitas? Cur eo ascenderit Joseph, et non Jerusalem? Ibid.
- Interpretatur *domus panis*: qualis panis? II, 15.
- Sex ejus privilegia. II, 4.
- Commendatur a sex. Ibid.
- In BETHSAIDÆ desertum cur Christus recessisse dicatur, cum a Joanne dicatur recessisse trans mare Tiberiadis? IX, 10.
- BLASPHEMIA, quid? V, 21.
- BONA est et ad bonum per se tendit omnis creatura, malum omne ei est per accidens. IX, 39.
- BONA opera minora ob majora præstat omittere. IX, 60.
- BONORUM temporalium subsidium licite accipiunt Prædicatores ab iis quibus prædicant. VIII, 2.

- Id tamen apud gentiles minus congruum est. VIII, 3.
- Ut hæc recipiant, prius impendenda beneficia spiritualia. VIII, 2.
- BONUM triplex est, honestum, utile, delectabile, quid singula et ad quid conducant? I, 53.
- Duplicem hæc habent saporem, dulcem et pinguem. Ibid.
- BRACHIUM Dei est Filius. I, 51.
- BRACHII hujus quinque effectus. Ibid.
- BRACHII pars superior vocatur *adjutorium*. Ibidem.
- BRACHIUM hoc nos format in Dei forma, expugnat adversarios, liberat suos, liberatos protegit, protectos congregat et portat, portatos gubernat et regit, et quos rexit amplexatur. Ibid.
- C
- CÆCUS quis dicitur duobus modis? VI, 39.
- CAINAM quomodo interseratur generationi Christi a Luca, qui in Veteri Testamento fuit omissus? III, 37.
- CANTICUM Mariæ, cur cantetur in Vesperis, Zachariæ in Laudibus, Simeonis in Completorio, Hymnus *Gloria in excelsis* in Missa? II, 32.
- CANTICUM cantare post receptum aliquod insigne beneficium mos Veteris Testamenti. I, 46.
- CANTUS deservit ad tria. VII, 32.
- CAPHARNAUM : etymologia nominis et laus. IV, 31.
- Cur a Christo specialiter ad res suas delecta? VII, 4.
- CAPILLI muliebres præsertim capitis molliores. VII, 38.
- CAPITIS Magdalenæ ad Christum inclinatio duo significat, et quæ? VIII, 38.
- CAPITALIA vitia septem repræsentantur per septem nomina diaboli. VIII, 2.
- Item, Per septem effectus quos operabatur dæmon in obsesso lunatico. IX, 39.
- CHARITAS est thesaurus bonus. VI, 45.
- Cum minima CHARITAS deleat omnia peccata mortalia, cur dicatur, Luc. VII, 47: *Cui minus dimittitur, minus diligit*. VII, 47.
- CHARITATIS, humilitatis et obedientiæ apicem attigit Christus. II, 24.
- CARNALEM cognationem non sprevit Christus, sed eam postposuit prædicationi. VIII, 21.
- CARO dicitur homo : cur? III, 6.
- CARO hominis per quatuor oppugnat, et quatuor nos perficientia impugnat. I, 71.
- CASTITAS sacerdotum Veteris Testamenti, qualis? I, 8.
- CASUS et ruina quomodo differant? VI, 49.

- CAUDA in sacrificio offerri, Levit. III, 9, cur præcipiatur? I, 73.
- CENTENARIUS est numerus quadratus et perfectus. VII, 2.
- CENTENARIUS fructus terræ bonæ, quis? Nota singularem doctrinam mysticam. VIII, 8.
- CENTURIO petens servi sanitatem, an per seipsum Christum accesserit? VII, 6.
- Ejus humilitas in quo elucescat? VII, 3.
- Gentilium vocationem designat. Ibid.
- Fides ejus. VII, 7.
- Quomodo vere omnibus a Christo præferatur? Ibid.
- CERVICAL Christi in navi a Marco assertum quomodo non contradicat illi Matthæus, VIII, 20 : *Filius hominis non habet ubi caput reclinet?* VIII, 23.
- Docet nos in laboribus et fatigationibus, commoditatibus humanis uti posse. Ibidem.
- CHRISTUS annuntiatur primo matri, et Joannes patri: cur? I, 28.
- CHRISTUS cur conceptus de fœmina virgine desponsata? I, 27.
- Et cur conceptus in mense Martio, qui est sextus a conceptione Joannis. I, 26.
- Conceptio Jesus sancta demonstratur. I, 35.
- CHRISTUS, id est, *unctus*: ratio nominis. II, 11.
- CHRISTUS unctus a Patre in Regem et Sacerdotem. IX, 20.
- CHRISTUS nominatur *Filius Dei* ab Angelo. I, 35.
- In hoc nomine comprehenduntur octo nomina in Isaia, IX, 6, posita, quorum significatio effective in eo completur. I, 35.
- In eodem nomine comprehenduntur quinque a nobis desiderata et sperata, officium Mediatoris, Reconciliatoris, Redemptoris, Pretium et Sacrificium. Ibidem.
- Quo tempore natus, cur sub Augusto, quomodo in plenitudine temporis, cur exeunte edicto? in ejus nativitate templum pacis corrui ex parte, et ex parte perstitit. II, 1.
- Portavit eum Maria in utero a Nazareth in Bethlehem, in ulnis Bethlehem, in ulnis a Bethlehem in Jerusalem, Joseph in dorso in Ægyptum, et ab Ægypto in Nazareth, et quid hæc mystice significant? II, 22.
- Ejus divinitas demonstratur. I, 17.
- Ejus dominium in Angelos et corporalem creaturam. VII, 8.
- Cur jusserit Apostolos tacere, quod esset verus Deus, rationes plures. IX, 21.
- Est *unigenitus* contra Helvidium. I, 7.
- Quanta erga salutem nostram ejus charitas. IX, 18.
- Regnum ejus consistit in legislatione. I, 32.
- Cur dicatur: *Regnabit in æternum*? Cur, I ad Corinth. xv, 24, omnis principatus, potestas, et virtus dicantur evacuanda in die judicii? I, 33.
- Fert legem tribus modis, in corde, in aure, et docendo quomodo lex impleatur. I, 32.
- Beneficentiam ejus quinque declarant. IX, 11.
- Benignitas ejus in auditoribus suis notatur triplex. Ibidem.
- Cur statim ac redierunt Apostoli a prædicatione, recesserit in desertum? IX, 10.
- Excessus ejus triplex. IX, 31.
- Vulgi opiniones et testimonia de eo vera, sed non sufficientia. IX, 18.
- Venimus ad eum, sicut ad lumen, ad

- exemplum, ad remuneratorem. VI, 47. CÆLUM quadruplex. IV, 25.  
 Eadem prædicavit quæ Apostoli, et cur?  
 IX, 11.
- CIRCUMCISIO, quid? II, 21.  
 Et quid significet? Ibid.
- CIRCUMCISIONES in Scriptura celebres octo,  
 septem bonæ, octava mala: septem bonæ  
 significant septem quæ debent esse in  
 populo Dei et Ecclesia, et inveniuntur in  
 contemplativis et in activis. Ibid.  
 Fiebat octava die propter octavam re-  
 surrectionis, vel quia ablatio concupi-  
 scentiae et delectationis superfluae per  
 eam significata sit per octo media, id  
 est, octo dies mysticos. Nota. I, 59.  
 Tertio, Quia octo in anima circumciden-  
 da, tria in potestate rationali, duo in  
 irascibili, tria in concupiscibili. II, 21.  
 Cur fiebat in infantia? Ibid.  
 Cur voluerit Christus CIRCUMCIDI, rationes  
 sex. Ibid.
- CIRCUMDARE hominem stupor quando dici-  
 tur? V, 9.
- CIVITAS, id est, civium unitas, quæ in qua-  
 tuor consistit. I, 26.  
 CIVITATES mysticæ duæ, cor et corpus: ha-  
 rum portæ, quæ? VII, 12.
- VOX CLAMANTIS: quis clamans, et quis cla-  
 mor? III, 4.
- CLAVE male utens non absolvit, sed in erro-  
 rem inducit. IX, 40.
- CÆLUM quomodo apertum sit baptizato Chri-  
 sto? III, 12.
- COGITATIO, quid? I, 29.  
 Quænam COGITAVERIT Maria, et qualiter ab  
 Angelo salutata? Ibid.
- COGNATIO spiritualis quotuplex? I, 36.
- COLUMBÆ proprietates decem applicatæ Spi-  
 ritui sancto. III, 22.  
 COLUMBA quæ apparuit in baptismo Christi,  
 fuit verum animal. Ibid.
- COMMODITATIBUS uti in laboribus et fatigatio-  
 nibus exemplo suo Christus licitum esse  
 docuit. VIII, 23.  
 COMMODITATES corporales et provisiones tem-  
 porales quamvis licitæ imperfectis, non ta-  
 men perfectis. III, 17.
- COMPLEXIO bona in quo consistat, naturaliter  
 et mystice? IV, 14.
- CONCLUSA et *sterilis* quomodo differant?  
 I, 36.
- CONCORDIA in communitate viventibus com-  
 mendatur. V, 4.
- CONFESSIO Christi et fidei est necessaria ad  
 salutem. IX, 26.
- CONGRATULATIO, quid? I, 58.  
 CONGRATULARI statim audito vel viso bono  
 proximi angelicum. II, 13.

- CONGREGATIO tritici in horreum, quid et quod-  
tuplex ? III, 17.
- CONSCIENTIA Christi est liber vitæ, de quo,  
Daniel. VII, 10. Conscientia sanctorum  
sunt libri aperti. II, 1.  
Ex his libris iudicabuntur mortui. Ibid.
- CONSILIUM, quomodo in Deo ? I, 35.
- CONSILIA Christi rectam faciunt semitam.  
III, 5.
- CONTEMPLATIVA et practica scientia quomodo  
distinguantur ? VII, 1.
- CONTEMPLATIVA vita ob necessitatem proximi  
interdum omittenda, estque id majoris  
perfectionis. I, 39.
- A CONTEMPLATIONE ad prædicationem proce-  
dendum. IV, 14.
- CONTEMPLATIO actionem præcedit. IX,  
37.
- Ab actione redeundum ad CONTEMPLATIONEM,  
docetur exemplo somni. V, 16.
- In CONTEMPLATIVIS sæpe discipulus est supra  
magistrum, raro in prædicis. I, 16.
- CONVERSIO ad Deum in quo consistat ?  
I, 16.
- Ad CONVIVIA publicanorum et peccatorum  
accedere quando licitum, quando illicitum ?  
V, 29.
- COPHINUS, quid ? et, Quid duodecim cophino-  
rum reliquiæ, quæ quinque millium refe-  
ctioni supermanserant, significant ?  
IX, 17.
- COPULAM omnem damnantes a Christo con-  
futantur. IX, 16.
- CORRECTIO peccatoris præcepta, justa, hone-  
sta, pia. III, 19.
- CORRIGENS Prælatum in peccato, peccat.  
IV, 42.
- Ad CORRIGIAM calceamentorum Christi sol-  
vendam cur Joannes se indignum dixerit ?  
Triplex loci explicatio. III, 16.
- CREDERE definitur ab Augustino. I, 45.
- CRUCIS encomia. IX, 23.
- CRUCEM tollere consistit in tribus. Ibid.
- CRUX propria unicuique portanda est triplex.  
Ibidem.
- CRUX unicuique propria, proportionata et  
quotidiana. Ibid.
- CRUCEM per terram trahere, quid ? Ibid.
- CRUCIFIXI imitatores qui proprie ? Ibid.
- CRUCES mundi portant quidam, crucifixos et  
suspensos malos multi imitantur, et hi  
qui ? Ibid.
- D
- DÆMONIS duplex est potestas, nocendi et ten-  
tandi : utraque ex parte Dei justa est.  
I, 74.
- DÆMONIS duplex est manus, una tenens, alia  
impellens. Ibid.
- DÆMONIS arma, quæ ? IV, 1.



- Quot modis noceat homini ? IX, 1.
- DÆMONIS epitheta quot et quæ ? IV, 1.
- Cum DÆMONE interdicta omnis prorsus communicatio. IV, 2.
- DÆMON tentat sex modis ex doctrina Gregorii. Item, interius et exterius. IV, 3.
- Hæsit dubius in Christo num esset Deus, et quomodo conatus fuerit id explorare ? IV, 2.
- Quomodo duxerit Christum in montem, et in pinnaculum templi ? IV, 5 et 9.
- Cogitur in tentationibus suis aliquo modo se prodere. IV, 3.
- Ad DÆMONIS pedes procidere, id est, pronum cadere, est casus gravissimus. IV, 7.
- DÆMON maxime et semper ambit latriam. Ibidem.
- Adoratur duobus modis ab hominibus. Ibidem.
- DÆMON et *dæmonium* quomodo differant ? IV, 33.
- Est immundus formaliter et effective : effective immundat corpus animam, organa et operationes hominis. Ibidem.
- Non plus potest nocere quam a Deo permissum : miscet falsis interdum vera, ut decipiat efficacius. IV, 34.
- Non scivit Christum esse Deum, licet vehementer fuerit opinatus, quod Scriptura intelligit, cum dicit eum scivisse. Ibidem, et V, 41.
- DÆMON hominem a se possessum nudans, et in sepulcra abripiens, duo significat vitia, quibus hominem corruperat, et quæ ? VIII, 27.
- Possidet hominem in interioribus ob enormia peccata. VIII, 30.
- Quomodo adoraverit Christum, et quomodo coactus fuerit fateri Filium Dei ? VIII, 28.
- Quomodo torquebatur a Christo ? VIII, 29.
- Cur petierit ingredi in porcos, et cur id permissum ? VIII, 32.
- DÆMONUM potestati plus aliis expositi sunt divites et potentes. VIII, 27.
- DÆMON in lunatico, quem obsederat, septem operabatur effectus, qui repræsentant septem vitia capitalia. IX, 39.
- Cur observet lunam, videlicet quia mediis humoribus, quibus luna dominatur, efficacius corpus vexare potest. Ibidem.
- A DÆMONE obsessum lunaticum cur discipuli curare non potuerint ? IX, 40.
- Lunaticum hunc cur ad se adduci Christus, qui ubique est præsens petiverit ? IX, 41.
- DÆMONIS septem nominibus declarantur septem vitia capitalia. VIII, 2.
- DÆMONES comparantur volucris, et quomodo comedant verbum Dei ? VIII, 5.
- DÆMONIACUS catenis et vinculis custoditus, et ruptis vinculis in deserta a dæmone actus, significat eos, quorum peccata sunt contra gratiam, rationem et naturam, et ex his agitur demente concupiscentia in desideriis delectabilium, furore in nocumento proximi, et protervia in veritatis contradictione. VIII, 29.
- DÆMONIACI a quo legio exierat, perfecta sanatio colligitur ex sex. VIII, 35.
- Cur cum peteret sequi Christum, ad suos sit remissus ? VIII, 38 et 39.
- DÆMONIACUS quidam cur possessus ab uno, alius a legione ? VIII, 27.
- DAVID habuit quatuor virtutes, ob quas Christus dicitur ejus filius et successor in regno. I, 32.
- Cur unctus fuerit cornu, et Saul lenticula olei ? I, 69.
- Cur præ cæteris nominetur in Annuntiatione Christi, rationes sex. I, 27 et seq.
- Cur ejus mentio fiat in Nativitate Christi ? II, 4.

- DEFECTUS gratiæ contrarios Christus non as-  
sumpsit. II, 40.
- DENARIUS Augusti, ejus imaginem habebat,  
et valebat decem nummos usuales parvos.  
II, 1.  
Mystice significat obedientiam Decalogi,  
et imaginem Dei, ad quam factus est  
homo. Ibid.
- DENARIUM hunc exhibens descriptus est, et a  
Deo regendus et gubernandus suscipitur.  
Ibidem.
- DENARIUS quid naturaliter et mystice ?  
Denarii centum et quinquaginta, quos de-  
bitores fœneratori debebant, mystice  
quid? VII, 41.
- DESCENDISSE cur dicatur Christus cum paren-  
tibus in Nazareth ? II, 51.
- IN DESCRIPTIONE mundi cur Christus nasci-  
tur ? II, 1.
- DESCRIBIT Deus suos in æternitate quinque  
modis. Ibid.
- DESCRIPTIO facta a Cyrino quomodo *prima* ?  
II, 2.
- DESERE teipsum, tuos, scholas, contempla-  
tionem, cum ad officium prædicationis  
exis. IX, 6.
- DESERTI bona et encomia. I, 80.  
Ejusdem fructus et commoda. III, 2.  
In deserto minus valet diabolus. IV, 2.  
IN DESERTO appellat non super *clamantis*,  
sed super *parare viam*. III, 4.  
Cur redeuntibus Apostolis a prædicatione,  
Christus statim recesserit in DESERTUM ?  
IX, 10.
- DEUS per incarnationem tria ostendit, erga  
nos charitatem, compassionem, et delicias  
suas esse cum miseris. I, 26.
- DEUS dicitur Dominus respectu creaturæ ra-  
tionalis, unde ante illam creatam non erat  
dominus. I, 68.
- DEI actus duplices, quidam nobis commu-  
nicabiles, quidam incommunicabiles :  
prioris facit Deus ut det nobis exemplum,  
posteriores, ut nos trahat in sui admira-  
tionem. I, 73.
- Dat nobis se in medicamentum, cibum, re-  
fugium, pretium, et in præmium. Ibid.
- DEO servire dignum, justum, æquum et sa-  
lutare probatur. I, 74.
- DIES, mystice quid ? II, 22 et IX, 28,  
37 et 51.
- DIES Domini et dies humana, quæ ? VI, 37.
- DIES septimanæ singuli cur ita nominati ?  
VI, 1.
- Post DIES octo Lucas, post sex Matthæus et  
Marcus a promissione dicunt exhibitam  
transfigurationem, conciliantur. IX, 28.
- DIE Dominica resurrexit Dominus. IX, 22.
- Ad DIGNITATES Ecclesiasticas quando et quo-  
modo ascendendum ? II, 4.
- DIGNITATES adepti et nihil de Christo curan-  
tes, eum e supercilio montis dejiciunt.  
IV, 29.
- DILIGERE inimicos an sit contra naturam  
disputatur, a Christo præcipitur, præcepti  
sensus explicatur. VI, 27.  
*Ego diligentes me diligo*, quis sensus ? Di-  
lectio Dei prior erga nos. VI, 32.
- DILECTIONIS inimicorum quis modus ? plura  
exempla. VI, 35.
- DILECTIO inimicorum suadet a duobus, a  
magnitudine præmii et a Dei assimilatione.  
Ibidem.

- DILECTIONIS impedimenta quatuor. VI, 27.
- Cui autem minus DIMITTITUR, minus diligit :*  
intellige quoad pœnam. VII, 47.
- DIMITTERE *inanes* in quo consistat ? I, 53.
- DISCIPULUM Christi constituunt et explent  
quatuor. VI, 13.
- DISCIPULUS est supra magistrum sæpe in con-  
templativis, raro in practicis. VI, 40.
- DISCIPULORUM Christi notæ quatuor, et quæ ?  
VIII, 9.
- In DISCIPULIS Christum in navicula excitanti-  
bus quænam probanda, quænam a Christo  
reprehensa ? VIII, 24.
- DISCUMBERE ad mensam, quid ? VII, 36.
- DISCUMBERE fecit Christus quinque millia in  
deserto, quinquagenos per convivia, in-  
dicans status et gradus varios in Ecclesia,  
singulisque proportionate a Prælatiis pro-  
videndum : quinquagenarius est numerus  
Jubilei. IX, 14.
- DISPENSATIO, quid, et in qua materia verse-  
tur ? Requirit causam legitimam. VI, 4  
et 5.
- Per DISPENSATIONEM comedit David panes  
propositionis. Ibid.
- DIVERSORIUM in quo Christus natus, quid ?  
II, 7.
- DIVITES sæculi sunt in duplici differentia.  
I, 53.
- DIVITES cur dicatur Deus *dimittere* et non fa-  
cere *inanes* ? Ibid.
- DIVITES hujus sæculi nihil habent in futuro.  
Ibidem.
- DIVITIARUM hujus sæculi tria mala. I, 53.
- Contra DIVITES tria sunt judicia Dei. Ibid.
- DIVITES reprehensibiles, quinam ? VI, 24.
- Talibus DIVITIBUS væ æternæ damnationis  
ob tria : væ triplex, laboris, timoris, do-  
loris : væ propter divitiarum incertitudi-  
nem, anxietatem, brevem consolationem  
hic et desolationem perpetuam in futuro :  
væ propter perversitatem contra naturam,  
propter procuratum impedimentum omnis  
boni, propter remanens in æternum inna-  
turale desiderium. Ibid.
- DIVITUM consolatio hic falsa et vana.  
Ibidem.
- DOCERE, prædicare, evangelizare, annuntiare,  
quid sint et quomodo distinguantur ?  
IV, 18.
- In doctoribus quatuor necessaria, et quæ ?  
IV, 17.
- DOCTORIS officium non est assumendum ante  
examen, nec antequam a superiore de-  
mandetur. Ibid.
- DOCTOR debet offerre librum Deo, et ab eo  
porrectum recipere. IV, 20.
- DOCTRINA sana non est extra Ecclesiam.  
V, 3.
- DOMINUS, quid sit, et in quo consistat domi-  
nium ? I, 16.
- DOMINUS *tecum*, quinque consideranda.  
I, 28.
- DOMINUS cur dixerit Angelus et non Deus ?  
Ibidem.
- DOMINUS tria dicit, quæ Deus in Incarnatione  
præstitit. Ibid.
- DOMINUS nobiscum existens quinque facit.  
Ibidem.
- DOMINUS cum Maria quomodo fuerit præ  
aliis ? Ibid.
- Cum DOMINO Maria quomodo fuerit ?  
Ibidem.
- Cum quis cum alio esse dicitur, ablativus

- designat principalitatem : et quæ principalitas designetur in Maria, cum DOMINUS dicitur esse cum illa. I, 28.
- DOMINUM vocamus Deum tribus modis, et quis ad salutem necessarius ? VI, 46.
- DOMUS Christi triplex. VI, 48.
- In DOMIBUS fidelium prædicatio olim fiebat, unde plures sunt conversæ in Ecclesias. V, 3.
- In DOMUM venire rogans Christum Jairus, cur non reprehendatur ut centurio, rationes quatuor. VIII, 41.
- DONATIO, quid ? VIII, 38.
- DORMIRE cur Christus dixerit puellam jam mortuam ? VIII, 52.
- DORMITIO Christi in navi vera : et cur, et quid significet ? VIII, 23.
- Item, Quid ejus resurrectio a somno ? VIII, 24.
- DUODECIMO ætatis anno cur Christus voluerit innotescere ? II, 42.
- DUODECIMI anni quænam sint notabilia ? VIII, 43.
- DUODENARIJ numeri Apostolorum congruentia probatur. VI, 43.
- fundata est unum a beneficiis Incarnationis. I, 69.
- Declaratur per cornu et ejus proprietates quatuor. Ibid.
- Cornu hoc dicitur esse unum ob monarchiam, et plura ob particulares potestates plurium Ecclesiarum. Ibid.
- ECCLESIASTICAM potestatem Lucas aggreditur describere. IV, 31.
- ECCLESIASTICA potestas est in creaturam spirituales et corporales, quod Christus duobus docuit miraculis. Ibid.
- Quæ est super corpus, relucet in sacramento extremæ unctionis, impositione manuum, etc. V, 38.
- ECCLESIA una : in quo hæc unitas consistat ? V, 3.
- Extra ECCLESIAM non est sana doctrina. Ibid.
- ECCLESIA quomodo civitas ? I, 26.
- ECCLESIAM per se solum noluit regere Christus. IX, 16.
- ECCLESIASTICI ordinis hierarchiam et totum corpus describit Lucas, et ideo mystice *vitulus*. IV, 14.
- ECCLESIASTICI ordinis tria sunt fundamenta, veritas, potestas, operatio. Ibid.
- ECCLESIASTICI debent superflua dare pauperibus. IX, 16.
- ECCLESIASTICÆ dignitates non sunt dandæ pueris. III, 23.
- ELECTIO ad dignitates et officia Ecclesiastica, ut sit omnibus suis numeris absoluta, novem habere debet. VI, 13.

## E

- EBIONITARUM hæresis, quæ ? VIII, 19.
- ECCLESIASTICA potestas a Christo in Ecclesia
- ELEEMOSYNA sicut habet tria in se, ita tres habet effectus. III, 11.
- Comparatur semini. VIII, 41.
- ELEEMOSYNÆ corporalis modi tres. VII, 36.
- ELEEMOSYNAM facientes sunt pedes Christi. VII, 44.
- In ELEEMOSYNIS dandis non nimium inquiren-

- dum de conditionibus petentis, docetur apophtegmate S. Joannis Eleemosynarii. VI, 30.
- ELIAM esse cur aliqui suspicati fuerint de Christo? IX, 8.
- ELIAS et Moyses et tres Apostoli cur testes fuerint transfigurationis, an ibi vere fuerint et in proprio corpore? IX, 30 et seq. Per hæc docemur ascendere in montem meditationis, revolvere infernalibus ad timendum, cœlestia ad appetendum, mundana ad despiciendum. Ibid.
- ELIÆ cur distinctum tabernaculum Petrus in monte fieri voluerit, etsi non recte? IX, 33.
- ELISABETH cur quinque mensibus a conceptu se absconderit? I, 24.
- Angelus annuntians Christum, cur allegaverit ELISABETH concepisse, rationes octo. I, 36.
- ELISABETH quam misericordiam receperit a Deo, et in quo ejus magnificentia consistat? I, 58.
- Fugit in desertum cum Joanne, aperuit se lapis montis, et abscondit utrumque, et protexit a persequentibus. I, 80.
- ENTIUM quædam sunt in natura, quædam apud Deum, quædam in Deo abscondita, et quid singula. I, 37.
- EPISCOPI in mitra habent duo cornua ob duo testamenta, et duas potestates clavium. I, 69.
- EPISCOPORUM propria functio est et maxime obligans prædicatio. IV, 43.
- Idem probatur quatuor rationibus. VIII, 1.
- EPISCOPIS commendatur frugalitas exemplo Apostolorum. VI, 1.
- EPISCOPATUS res per se bona, sed occasio ambitionis. IX, 48.
- EPISCOPORUM potestatem quomodo futiliter impugnent hæretici? IX, 1.
- EPISCOPI de fide primum examinantur: unde id originem traxerit? IX, 20.
- EQUITASSE numquam legitur Christus. VII, 6.
- ESSÆI vel Essenæi, qui? III, 7.
- ESURIES alia naturalis, alia mystica, et hæc alia gratiæ, alia Eucharistiæ, alia sapientiæ, et alia consolationis Spiritus sancti. I, 53.
- ESURIES mundi triplex, et quæ? Ibid.
- ESURIENTES mundani numquam replentur. Ibidem.
- Quænam Deus ESURIAT? Ibid.
- ESURIES, quæ est beatitudo apud Lucam, est esuries rerum cœlestium, cujus tres sunt proprietates. VI, 21.
- Ejus præmium, et saturitas quæ? Ibid.
- EVANGELISTÆ cur aliqua scribant quidam, quæ alii omittunt? II, 22.
- EXCESSUS Christi triplex. IX, 31.
- EXCLAMATIO provenit ex duplici causa. I, 42.
- EXCOMMUNICATIO recte in Ecclesia adhibetur. I, 22.

- EXEMPLIS plus docemur quam verbis. I, 22.
- EXITUS populorum ad Joannem monet nos  
exire ab amore sui et suorum. III, 7.
- EXORCISTARUM ordinem Christus facto appro-  
bavit. IV, 35.
- EXSEQUIÆ Judæorum sumptuosæ. VIII, 52  
et IX, 60.
- F
- FABER est Deus. IV, 22.
- FABER qualis Joseph fuerit? Ibid.
- FABRI filium per contemptum nominant  
Christum Scribæ et Pharisæi. Ibid.
- FACIENTES et non facientes verbum Domini,  
quibus comparantur? VI, 48 et 49.
- FAMA Christi optima, universalis, integra,  
solemnis. IX, 7.
- De FAMA apud subditos suos interdum Præ-  
latus inquirat, et cur? IX, 18.
- FAMES magna cur post annum tertium?  
Fames magna, mystice quæ? IV, 25.
- FEBRIS naturaliter et mystice, quid?  
IV, 38.
- FŒCUNDITATEM acceperunt mulieres, magnos  
viros generantes Dei dono. I, 7.
- FESTIS diebus frequentanda sunt templa.  
II, 16.
- Ad FESTOS dies celebrandos quatuor mo-  
vent: festa violantur tribus modis.  
II, 43.
- FIDES est fundamentum ædificii spiritualis.  
VI, 48.
- FIDEI verbum propinquum rationi, adeoque  
susceptu facile. II, 3.
- FIDEM negans damnat animam suam.  
IX, 26.
- FIDE formata, viva et devota tangitur Deus.  
VIII, 45.
- FIDES tua salvam te fecit, intelligitur de fide  
viva, et quos effectus habuerit hæc re-  
sponsio Christi? VIII, 48.
- FIDES aliena quomodo prosit mihi? V, 20.
- FIDES Beatæ Virginis extollitur. I, 45.
- FILIUS Dei necessario est ab æterno. I, 32.
- Primogenitus est et unigenitus. Ibid.
- Cur potius incarnatus quam Pater et Spiritus  
sanctus? I, 54.
- Incarnatus suscepit nos in naturam, gratiam,  
defensionem, gubernationem, id est, bea-  
titudinem, et quæ propria sunt singula-  
rum assumptionum commoda? Ibid.
- Cur dicatur *puer*? Ibid.
- Brachium*? I, 51.
- FILIUS naturæ pignus, matris solatium, de-  
claratur. VII, 12.
- FILIUS viduæ resuscitatus, matri redditur, id  
est, peccator conversus restituendus et  
reconciliandus est Ecclesiæ. VII, 15.
- FIMBRIAM vestimenti cur tetigerit hæmorrhoi-  
sa? VIII, 44.

- FIMBRIA Christi quam virtutem habuerit ? VIII, 46.      simum, quem tradit Matthæus, cur Lucas omittat ? VIII, 8.
- FLENDI causæ quinque. VII, 21.      FRUCTUS centenarius, quem producit semen cadens in terram bonam, est, quem terræ nostræ vigor multiplicatus per denarium præceptorum producit : egregia doctrina varios tradit denarios, id est, hominis perfectiones tam secundum partem apprehensivam, quam secundum partem appetitivam. Ibid.
- FLEVIT vidua mortum filium ob tres causas. VII, 13.
- FLUMINA mystica varia. VI, 48.
- FLUMINA quatuor de Paradiso exeuntia sunt sudores sanguinei, sanguis profluens quinque vulneribus, aqua de latere et lacrymæ Christi. I, 73.      G
- FORTITUDINIS et patientiæ materia quotuplex ? VI, 22.      In GALILÆA cur Deus incarnatus ? I, 26. GALILÆÆ, Genezareth et Tiberiadis mare, idem. V, 4.
- FORUM dicitur tripliciter. VII, 32.      GABRIEL cur immediate a Deo missus ? I, 26. Cur præ aliis missus ? Ibid. Cum eo missi plures Angeli. Ibid. Deus eum prævenit. I, 28. Cur dixerit, *Ne timeas*, et non, *Ne turberis* ? I, 30.
- FRUCTUS, quid ? I, 42.      Cur dicatur de eo, *Ait*, et non, *Respondet* ? Ibidem.
- FRUCTUS ventris B. Mariæ qualitates quæ ? Ibidem.
- FRUCTUS cur dicantur actus pœnitentiæ ? III, 8.
- FRUCTUS nullos, id est, sacramenta nulla faciunt gentiles et hypocriæ : fructus malos, id est, sacramenta valida sed infructuosa hæretici. III, 9.
- FRUCTUS prædicatoris duplex : quidam in se qui semper ei manet salvus, quando intentio est recta, etsi alter in auditoribus non succedat. IX, 6.
- FRUCTUS desiderabilitas oritur ex quatuor. VI, 44.
- FRUCTUM trigesimum, sexagesimum, nonage-
- GAUDIUM, quid ? I, 14 et II, 10.
- GAUDIUM magnum in Nativitate Christi ob tres causas. Ibid.
- GAUDIUM item universalius quam in natiuitate Joannis. Ibid.
- GENEALOGIAM Christi texit Lucas ascendendo, Matthæus descendendo : Lucas post baptismum, Matthæus in initio Evangelii : Lucas recenset generationes sep-

- tuaginta septem, Matthæus quadraginta vel quadraginta duo. III, 23 et seq.
- Lucas verbo *Qui fuit*, Matthæus, *Genuit*: Lucas per Nathan ascendit ad David, Matthæus a David descendit per Salomonem: Matthæus solos recenset filios naturales, Lucas etiam adoptivos et legales: ratio differentiæ. Ibid.
- GENERATIONES septuaginta septem mystice egregia doctrina exponuntur: primo in septem denarios distribuuntur: in singulis denariis nomina mystice explicans, per sex primos denarios statum et gratias pœnitentium, qui adoptantur in Dei filios, declarat, per septimum statum perfectorum: et per sex personas ultimas, per quinque medias declarat quinque, in quibus in omni statu agitur et revolvitur omnium vita: et per primam et ultimam principium, et ultimum finem omnium. Ibidem.
- GENERATIONES Mariam beatam dicentes sunt vel generationes cœlestium, terrestrium: vel virorum, mulierum, conjugatorum: vel viventium, morientium et mortuorum: vel generationes quatuor de tribu Levi, in quarum quarta populus est liberatus de Ægypto, mystice explicate. I, 48.
- GENTIUM vocatio specialiter prædicta a Simone in Cantico. II, 32.
- GENTIUM vocationem significat Centurio petens sanitatem servi sui. VII, 3.
- GENTILIBUS per miracula benefecit Deus, neglectis Judæis. IV, 25 et seq.
- GENTILES sunt lapides, et ob quid? III, 8.
- Tria GENERA hominum specialiter cum devotione venerunt ad Joannem, simplices de turba, publicani et milites. III, 10 et seq.
- GERASENI, qui? VIII, 25.
- GLORIA, quid? II, 14.
- GLORIA integre Deo danda. Ibid.
- Hymnus, GLORIA *in excelsis*, completus a B. Hilario: a solis Episcopis eum inchoari instituit Telesphorus, aliis sacerdotibus idem concessit Symmachus. Ibid.
- GRABATUM, quid? V, 18.
- GRANI bonitas consistit in tribus quæ applicantur verbo Dei. VIII, 5.
- GRATIÆ effectus in anima quinque significati per quinque personas in Scriptura celebres, Annæ, id est, gratiæ nomen habentes. II, 36.
- GRATIÆ justificantis effectus ample et late describuntur, tam quoad remotionem mali quam quoad promotionem boni. III, 23 et seq.
- Sine GRATIA intus operante nihil prosunt verba externa Prædicatoris et ministrorum Ecclesiæ. V, 4.
- GRATIÆ plenitudo est duplex: alia virtutum, alia dignitatis: gratia virtutum consistit in tribus Theologicis, quatuor Cardinalibus, adjunctis donis, beatitudinibus et fructibus, quæ complent numerum duodecimum significata per duodecim lapides pretiosos in vestitu sacerdotis, et per plateas civitatis Jerusalem. I, 28.
- GRATIA dignitatis consistit in duodecim repræsentatis per duodecim lapides Josue. Ibidem.
- GRATIAM quamnam Maria invenerit, et cur invenisse dicatur? I, 30.
- GRATIÆ plenitudo, quid et quotuplex? utramque habuit B. V. Maria. I, 28.



- GRAVIDIS mulieribus motus est periculosior in principio conceptionis, et in fine post quintum vel sextum mensem. I, 39.
- GULOSIS, id est, saturatis dicitur vae triplex, confusionis, excæcationis, æternæ damnationis: propter delicias, quibus affluunt, propter duritiem erga pauperes, propter mensales blasphemias: vae, quia viles in suis omnibus: vae, quia legi recalcitrant, contra Deum se armant, futurorum nihil considerant: vae, quia esurient omne bonum intellectus et affectus, id est, panem Dei cœlestem. VI, 25.
- H
- HÆMORRHOÏSSA cur sanatur ante resurrectionem filiæ Archisynagogi? VIII, 49.
- HÆRETICI vani in sermone, falsi in re, mendaces in scriptis. I, 4.
- HÆRESIS comparatur lepræ. IV, 27.
- HÆRETICI libri, etsi vera quædam contineant, justissima tamen ratione prohibentur. IV, 35.
- HÆRETICI non sunt ministri Christi, qui velut ejus instrumentum sanare possint. VIII, 44.
- HÆRETICI et mali ministri valide conferunt sacramenta. IX, 49.
- HERODES tres fuerunt, et quinam? I, 5.
- HERODES Ascalonita Judææ et Idumææ rex regnavit triginta septem annis, habuit uxores quatuor. III, 1.
- HERODE patre mortuo, filii coram Imperatore litigarunt, qui sibi regnum vindicavit et filiis tetrarchias distribuit. III, 1.
- HERODIS jactantia. IX, 9.
- HERODIAS, filia Aretæ regis, ejus scelus egregie amplificatur. III, 19.
- B. HIERONYMI dictum de mulierum societate. VIII, 2.
- HOMO microcosmus. VIII, 22.
- HOMINIS cum arbore comparatio. VI, 43.
- HORREUM in quod Christus congregabat triticum, quodnam? III, 17.
- HOSPITALITATIS quatuor modi. VII, 36.
- HUMILITAS, quid? I, 48.
- HUMILITATI cur potius attribuaturn Incarnatio quam castitati? Ibid.
- HUMILITATIS præmium triplex, proportionatum tribus quæ in humilitate inveniuntur. I, 52.
- HUMILITAS prima conditio, quam in Prælatibus exigit Christus. IX, 46 et seq.
- Commendatur a tribus. Ibid.
- HUMILIS Christum induit, item Deum Patrem: una additur, quomodo in Deo sit humilitas? Suadet a quinque. IX, 48.
- HUMILITATIS charitatis et obedientiæ summum attigit Christus. II, 21.
- Suadet specialiter eximio argumento. IX, 47.
- HYPOCRITA, quis? VI, 42.
- HYPOCRITÆ et avari vulpibus comparantur. IX, 58.

- INCENSUM incenditur, dirigitur, ponitur, elevatur. I, 10.
- I
- INCREPATIO, qua Christus Apostolos increpavit post editam fidei confessionem, quid fuerit? IX, 21.
- IGNIS inferni cur inexstinguibilis? III, 17.
- IGNORANTIAM Christus non assumpsit. II, 40.
- ILLUMINANDUS primum est homo intus, ut postea pedes dirigantur extra. I, 79.
- IMAGINEM suam restaurare semper conatur Deus. IV, 33.
- IMMUNDAT dæmon animam, corpus, vim motivam, organa et operationes hominis. IV, 33.
- IMPLETUM tempus pariendi Elisabeth, non quoad periodum spatii naturalis, sed quoad impletionem sacramentorum. I, 57.
- IMPLETIONIS verbum in Scriptura in bonam partem sumitur. Ibid.
- INCARNATIO est unum ex altissimis Dei, et quomodo? I, 35.
- INCARNATIONIS mysterium in assumente et assumpto et in unione nullam commistionem vel divisionem patitur. I, 78.
- Fit in eo contractus quidam inter Deum et naturam humanam, et ideo Lucas omnes ejus circumstantias instar periti tabellionis exacte describit. II, 1.
- INFAMIA sæpe hominem revocat ad seipsum. IV, 35.
- INFIRMOS sanavit Christus solo verbo et stans, et cur? IV, 39.
- INGRATI bis mali. VI, 35.
- INIMICI *hominis* duplices: homo, et dæmon. I, 71.
- INIMICI item hominis: caro et mundus. Dæmones proprie odientes sunt hominis. Ibidem.
- INIMICOS diligere an sit contra naturam, disputatur: a Christo præcipitur, præcepti sensus explicatur. VI, 27.
- Suadetur præmii magnitudine et Dei assimilatione. VI, 35.
- Ad INIMICOS recte ordinat Christus hominem secundum cor, os et opus. VI, 27.
- INJURIARUM tolerantia et patientia respectu quorum et quando præcepta? quando vero Prælato hæ deferendæ? VI, 28 et 29.
- INJURIARUM remissio fit quatuor modis, quorum alter altero perfectior, et hi qui? VI, 37.
- Singulis proportionate datur præmium. VI, 38.
- INJURIARUM remissionis omnino liberalis fructus quinque, et hi qui? Ibid.

- Sine judicio INJURIAM remittere est Deo simile, qui sine judicio remittit : nec huic contrariatur illud Pauli, II ad Corinth. v, 10 : *Omnes stabimus ante tribunal*, etc. VI, 37.
- INNOCENTIA in quo consistat ? V, 2.
- INTENTIO recta, quæ ? I, 75.
- INTENTIO recta in bonis et in indifferentibus nomen operi imponit : in malis non excusat malitiam. Ibid.
- INTENTIO si sit recta, operans suo non carebit fructu, etsi nullum fructum opus in aliis consequatur. IX, 6.
- In IRA existens cor numquam profert fructum dulcissimæ charitatis. VI, 45.
- ISAIÆ interpretationem cur præ cæteris delegit Christus cum incepit docere ? IV, 17.
- INVIDIA livida discipulorum Joannis contra Christum. VII, 19.
- INVIDIA communiter est inter concives. IV, 24.
- J
- JACOB quatuor habuit uxores, duas liberas et duas ancillas, etc. I, 32.
- Significat id statum Activorum et Contemplativorum. I, 32.
- In domo JACOB regnaturus dicitur Christus ob decem rationes quas late deducit. I, 32.
- In domo JACOB cur potius dicatur regnaturus Christus quam in domo Abraham, Isaac vel David ? Ibid.
- JACOBUM, Joannem et Petrum cur Christus assumpserit in montem Thabor ? Quis fuerit hic Jacobus ? IX, 28.
- JAIRUS rogans Christum ut veniret in domum cur non reprehendatur ut Centurio ? VIII, 41 et 42.
- In JAIRI filia quatuor consideranda, quæ misericordiam Christi movere poterant. Ibidem.
- JANITORUM ordinem Christus facto approbat. IV, 20.
- JEJUNIUM triplex, satisfactivum, afflictivum, et lætificativum, et exempla singulorum : nullum ex his Apostolis competebat. V, 33.
- JEJUNARUNT Apostoli inter Ascensionem et Pentecosten, et iterum post Pentecosten, quare ? V, 35.
- Ecclesia non JEJUNAT inter Pascha et Pentecosten ex constitutione Gelasii Papæ. Ibidem.
- In JEJUNIO Pentecostes in Missa Vigiliæ canitur *Alleluia*, in aliorum autem jejuniorum diebus *Tractus*. Ibid.
- JEJUNAVIT Christus quadraginta diebus, cur, et quomodo ? IV, 2.
- JEJUNII quadragesimalis Christianis præcepti rationes plures. Ibid.
- JERUSALEM est civitas Juda, in qua Maria salutavit Elisabeth. I, 39.
- JEROSOLYMAM ter in anno, præsertim in Paschate tendere debebant Judæi. II, 41.

- Viri ibant seorsim, et mulieres seorsim. II, 44.
- Cur ibidem Christum perditum invenerint parentes? II, 46.
- Sub JERUSALEM, quia metropolis, comprehenditur tota Judæa. I, 26.
- JESU nomen tres prætulerunt in figura, duo externo sono et voce, tertius re. I, 31.
- A Deo Patre datum, Patriarchis præsignatum, a Prophetis promissum, ab Angelo vocatum, a Matre Virgine impositum, a Joseph promulgatum, ab omnibus Sanctis desideratum, ore omnium fidelium vulgatum, et a Beatis in æternum glorificatum. Ibid.
- JOANNIS Baptistæ nomina sex, officia septem, privilegia quatuor in conceptione et natiuitate, præeminentiae septem, aureolæ tres. I, 13.
- Ejus magnitudo in quo consistat? I, 15.
- Peccavit venialiter. Ibid.
- Convertit Judæos, non Gentiles. I, 16.
- Quomodo et in quo præcursor Christi? I, 17.
- Quomodo Elias? Ibid.
- Nullum fecit signum, et quare? Ibid.
- JOANNIS et Eliæ comparatio. Ibid.
- Ejus officium consistit in tribus, et hæc quæ? Ibid.
- Quæ fuerint præclara et mirabilia in ejus conceptione? I, 36.
- Qualis et unde exsultatio ejus in utero? I, 41.
- Conceptio ejus divinitus annuntiata quinque habuit in decursu privilegia. I, 57.
- JOANNIS nomen cur displicuerit familiæ? I, 59 et seq.
- JOANNEM patris nomen et officium possidere cur Deus noluerit? Ibid.
- JOANNIS nomen commendatur encomiis et privilegiorum ejus declaratione. I, 13.
- JOANNI patris nomen imponere volentes, representant zelatores æmulantes veterem Legem: item æmulatores veterum consuetudinum, qui nova meliora abominantur. I, 61.
- Cur id nomen nemo prius gesserit in familia? Ibid.
- JOANNE nato et nominato, Zacharias sanus fit corpore, et mente propheta. I, 64.
- De JOANNE quærentibus: *Quis, putas, puer iste erit?* quatuor personarum nomine, Angeli, Zachariæ, Joannis et Christi, respondet B. Albertus. I, 66.
- JOANNIS officium, donum, et finis. I, 76.
- Quomodo perfecte propheta? Ibid.
- Confortatus a Spiritu tripliciter. I, 80.
- Anno decimo intravit desertum, ibi habitavit annis viginti, trigesimo incepit prædicare. Ibid.
- Ejus cibus in deserto.
- Ejusdem mysteria et facta, quibus Christum præcurrit, mysteriis et factis Christi semper conjungit Evangelista. III, 1.
- Fuit ei locus assignatus, videlicet Jordanis, in quo baptizaret. III, 3.
- Cur Messiam esse suspicabantur Judæi, cum ex his quæ in eo videbant, tum ex omnibus quæ jam in eo erant completa? III, 15.
- Cognovit ipse divinitus cogitationes hominum. Ibid.
- Cum Apostoli fecerunt miracula, cur non et similiter JOANNES? I, 16.
- JOANNIS discipuli interdum Judæorum socii, et ob hoc reprehensibiles. V, 33.
- Quando et quomodo ei objectum quod dæmonium haberet? VII, 33.
- Quo sensu minor ipse omnibus in regno cælorum. VII, 28.
- JOANNES mittens discipulos ad Christum, ut peterent an ipse esset Messias, non dubitavit: cur ergo discipulos misit? respondetur tripliciter. VII, 19.
- Missi discipuli, dictis suis adhibent auctori-

- tatem, fidelitatem, et non excedunt fines mandati. VII, 20.
- Ad JOANNEM in carcere facilem accessum habebant discipuli, et cur? VII, 18.
- JOANNEM esse cur aliqui de Christo suspicati sint? IX, 8.
- Vitæ JOANNIS epitome : testimonium Christi de eo quomodo intelligendum? VII, 28.
- JOANNES Evangelista cur narrat de Christo plura, quædam quæ contigerunt ante vincula Joannis, quædam post : alii autem Evangelistæ pauca narrent de iis quæ ante Joannis præcursionem sunt facta. III, 19.
- Specialiter fuit dilectus a Christo ob mansuetudinem. II, 25.
- Is in Jesu interrogando fuit confidentior reliquis. IX, 49.
- JOANNES et Jacobus mystice idem quod Magdalena et Martha, id est, Vita contemplativa et activa. IX, 54.
- Cur ii præ cætaris vindictam Samaritanorum postulaverint? Ibid.
- JOANNIS Eleemosynarii dictum notabile, cum rogaretur cur daret eleemosynam petentibus quibusdam pulchre vestitis. VI, 30.
- JOANNA uxor Chusæ : applicatio mystica. VI, 30.
- JORDANIS est electus propter tria, et quæ, ut in eo Joannes baptizaret? VIII, 3.
- JOSEPH eminentes quatuor. III, 3.
- JOSEPH repræsentat cætum Doctorum et Maria Ecclesiam. II, 16.
- Eum filium Jacob cur dixerit Matthæus et Lucas filium Heli : variæ sententiæ. III, 23.
- JOSEPH faber lignarius. IV, 22.
- JUDÆA cur prima descripta sit a Cyrino? II, 2.
- In JUDÆA cur natus Christus? II, 4.
- JUDÆI et Ariani pejores dæmone. VIII, 28.
- JUDICIUM duplex, rationis et jurisdictionis : illud est vel de seipso, vel de proximo, et hoc vel de operante, vel de operibus : quando sit rectum, quando pravum : judicium jurisdictionis est pravum dupliciter ex parte judicis, item aliquando ex parte actoris vel rei. VI, 37.
- JUDICIARIA potestas data Christo. III, 17.
- Duplex ejus effectus. Ibid.
- JUDICII præambulum secundum Hieronymum. *Erunt prava in directa*, etc. Judicii dies, est dies iræ. III, 5.
- Ad JUDICIUM effugiendum oportet fugere consortia venenatorum et venena. Ibid.
- JURAMENTUM interdum licitum est. I, 73.
- Duo sunt de substantia JURAMENTI, et quæ? Juramenti frequentia cur hominibus prohibita : juramenti comites tres : jurare non potest Deus, nisi per seipsum. Ibidem.
- JUSTIFICATIO fit duobus modis, active et passive. I, 6.
- Consistit in quatuor. VII, 47.
- Quinque in ea reperiuntur, quæ significantur per quinque testes præsentis et in resurrectione filiæ Archisynagogi. VIII, 51.
- JUSTIFICATIONIS anatomia integra egregie declaratur per septuaginta septem generationes Christi a Luca descriptas : et singu-

- la nomina mystice interpretando declar -  
tas. III, 23 et seq.
- JUSTIFICANTIS gratiæ effectus ample enarra-  
tur. Ibid.
- JUSTITIA generalis et specialis, quid ? et hæc  
duplex, commutativa et distributiva.  
I, 6.
- JUSTITIA distributiva quomodo a Deo serve-  
tur ? I, 32.
- K
- In KALENDARIO, in Vigilia Nativitatis Domini  
et Annuntiationis cum pronuntiatur fe-  
stum, cur religiosi flectant genua ? I, 78.
- L
- LACRYMARUM conditiones quatuor, et quæ ?  
VII, 38.
- LAPIDES duodecim jacebant in ripa Jordanis,  
quos Christus demonstravit cum dixit :  
*Potens est Deus de lapidibus istis*, etc.  
III, 8.
- LAPIDIBUS comparantur Gentiles. Ibid.
- LAPIDES in panes a Christo mutari petitos  
quidam prave intelligunt duritiem Legis  
et cordis. V, 3.
- LATRIA soli Deo competit. IV, 7.
- LAVANDA piscatoribus, id est, prædicatori-  
bus retia, id est, sermones a tribus, et  
hæc quæ ? V, 2.
- LECTORUM ordinem facto Christus approba-  
vit. IV, 16.
- LEGATI Apostolici quinam reprehensibiles ?  
IX, 2.
- LEGATI nostri temporis describuntur.  
IX, 10.
- LEGIO, quid physice et mystice ? VIII, 30.  
Dæmoniaci, a quo LEGIO exierat, perfecta  
sanatio colligitur ex sex. VIII, 35.  
Cur is, cum peteret Christum sequi, ad suos  
a Christo sit remissus ? VIII, 38 et 39.
- LEPRA, quid et quotuplex ? leonina pessima.  
V, 12.  
Significat hæresim. IV, 27.
- LEPROSUM cur tetigerit Christus, quem tan-  
gere noluit Eliseus ? V, 13.
- LEPROSI sanatio quam fuerit miraculosa ?  
Ibidem.
- LEPROSO cur præceperit Christus hæc duo :  
primo ut taceret, secundo ut ad sacerdotes  
iret ? V, 14.
- LEPROSUS an in civitate, vel circa montem  
mundatus ? conciliantur Lucas et Mattæus.  
V, 12.
- LEPROSI ad Christum oratio tria continet.  
Cur dixerit : *Si vis* ? Ibid.
- LEX Moysi a malo Deo secundum Mani-  
chæos, refutatur a Christo. IX, 16.
- A LEGE veteri Judæos avocare fuit summe  
difficile ob quatuor, et quæ ? V, 34.
- Ab eadem non subito sed pedetentim ad no-  
vam induendus erat populus, quod pro-

- batur duplici similitudine. V, 36  
et seq.
- LEX vetus obtulit hostias mortuas, nova vi-  
vas : causæ tres. II, 24.
- LEGEM veterem antiquandam, occultandam,  
et implendam docet Simeon in ulnis susci-  
piendo Christum. II, 28.
- LIBER de infantia Salvatoris est apocryphus.  
II, 42.
- LIBRI varii in Scripturis celebres. IV,  
20.
- LIBRI Sanctorum sunt corda Sanctorum,  
exemplati a libro vitæ, id est, sacra Scri-  
ptura. III, 4.
- LIBRI hæreticorum etsi quædam vera conti-  
neant, justissima tamen ratione prohiben-  
tur. IV, 35.
- LINGUA et os cur dicantur aperta Zachariæ  
in Joannis nativitate ? I, 64.
- LOCIS sacris sepelire peccatores, indignum.  
IX, 60.
- LOCULUS seu feretrum mortui significat con-  
scientiam securam cordis desperati.  
VII, 14.
- LOCUTIO recta consistit in quatuor : et hæc  
quæ ? VII, 15.
- LOQUITUR Deus duobus modis, aliquando ex  
consilio suo, aliquando occasione ex ope-  
ribus nostris : prior locutio est absoluta  
et immobilis, posterior interdum muta-  
tur, et ut plurimum est conditionata.  
I, 72.
- LOCUTA fuit Maria septies tantum in Scri-  
ptura : parum valde in quæstionibus du-  
biorum, in salutatione, et necessariorum  
postulatione ; cur sit locuta, quid, ubi, et  
præventa ut plurimum. I, 34.
- LUCÆ Evangelii scribendi occasio, forma,  
materia, finis. I, 1.
- LUCAS totus in scribenda hierarchia Eccle-  
siastica, et ideo vitulus ejus figura.  
IV, 14.
- Non tam attendit ad ordinem gestorum,  
quam ad eum qui rei sibi propositæ  
probandæ commodet. IV, 31.
- LUCERNA, proprie quid ? lucernæ mysticæ,  
quot et quænam ? lucernæ impedimenta  
duo : lucernæ locus candelabrum, cui lu-  
cerna imponitur ab alio, ne quis non vo-  
catus sibi honorem assumat. VIII, 16.
- LUCERNÆ hæc quomodo et a quo accendun-  
tur ? Ibid.
- LUMEN spirituale est similitudo lucis æter-  
næ, dissipat tenebras, dissolvit gelicidium  
cordis, movet ad germina, illuminata  
movenet ad pulchritudinem. I, 79.
- LUMEN vultus Dei super nos signatum est  
imago creationis, recreationis et similitu-  
dinis divinæ. Ibid.
- LUMEN est reflexio lucis procedens a luce,  
significat Filium in divinis. II, 32.
- LUNA dæmonibus commoda ad homines ve-  
xandos. IX, 39.
- LUNATICUM a dæmone possessum cur disci-  
puli curare non potuerint, rationes quin-  
que. IX, 40.
- Cur LUCE, quasi alias numquam, appa-  
ruerunt Angeli Christum annuntiantes ?  
II, 9.

- Cur Christus Lux quando aliquem circumfulgeat, ex Gregorio ? II, 9.
- LYSANIAM (etsi Josephus aliter sentiat) probabilius est filium fuisse Herodis, vel forte ejusdem nominis duo fuerunt. III, 1.
- M
- MAGNANIMITAS, quid ? I, 15.
- MAGNITUDO Joannis in quibus consistat ? I, 15.
- MAGNITUDO Dei comprehendit longitudinem, latitudinem, sublimitatem et profundum : explicantur singula. I, 32.
- MAGNITUDO Christi consistit in sex, et quæ illa ? Ibid.
- MAGNUS una et parvus quomodo Christus ? Ibidem.
- Hic erit magnus, et, Parvulus natus est nobis.* Isa. ix, 6, quomodo convenient ? Ibid.
- MAGNA, majora, maxima Deus fecit Mariæ : magna, quatuor in quantitate gratiæ : majora, quatuor in Angelico ministerio : quatuor maxima, in Incarnatione. I, 49.
- MALA minora permittenda, ad cavenda majora. VII, 37.
- MALEFACERE capitur duobus modis. VI, 9.
- MALI ministri valide conferunt Sacramenta. IX, 49.
- MANDATUM et præceptum quomodo differant ? I, 6.
- MANICHÆORUM duo errores, corpora et Legem Moysis a diabolo esse, manifeste convincuntur a Christo. VIII, 16.
- Eorundem error de duobus principiis refellitur. VI, 43.
- MANSUETUDINIS gradus quatuor, et qui ? VI, 37.
- MANSUETI describuntur. IV, 18.
- MANSUETI et pauperes idonei ad verbum Dei. Ibidem.
- Cur *Pauperibus* dixerit Christus, cum Isaias dixerit *Mansuetis*. Ibid.
- MANUS Domini cum Joanne eum fuit plasmans, formans, operans et protegens. I, 66.
- MANUS dæmonis est duplex, una ad tenendum, alia ad tentandum, utraque quinque habet digitos, et hi qui ? I, 74.
- MANUUM impositio, qua Christus infirmos sanabat, significat duo. IV, 40.
- MANUM aridam habens, septem habebat miserias : unde ea ariditas provenerit ? VI, 6.
- Requirebat quatuor ad restitutionem sui in integrum. VI, 10.
- MARE est mundus. V, 2.
- MARIS tempestates et pericula, physice et moraliter. Ibid.
- B. V. MARIA. Nominis etymologia quadruplex. I, 27.
- MARIA proprie et vere est Mater Dei. I, 31.
- Quomodo præparata in thalamum Filio Dei ? II, 22.



- Est castellum Magdalenæ et Marthæ, in quod venit Dominus. I, 28.
- Ad Christi conceptionem passive tantum concurrat. I, 31.
- Concepit non per verbum Angeli, sed a solo Spiritu sancto : quamobrem correctum est illud, quod in quibusdam Ecclesiis solebat cani, « *Concipies per aurem* : » ejus uterus comparatur horto ob decem. Ibid.
- MARIA et Heva quam differenter se habuerint, illa ad bonum, hæc ad malum angelum ? I, 34.
- An Angelo nuntianti firmiter crediderit ? Ibidem.
- Cur ab Angelo petierit : *Quomodo fiet istud* ? rationes sex ? Ibid.
- Nota cur eam Nestoriani et Eutyhiani noluerunt vocare Θεότοκον, sed Χριστοτοκον ? Ibidem.
- A viro intacta Virgo, ex quo habet quinque illam Deo gratam reddentia, et quæ illa ? Ibidem.
- Quando in ea fuerit extinctus fomes ? I, 35.
- Ad MARIAM Virginem Angelo secundo responsuram insignis et devota apostrophe ex ejus nomine petita. Ibid.
- In MARIA Angelo respondente tria notanda. I, 38.
- Cur dixerit : *Fiat*, et non *fiet* ? cur *Mihi*, et non ad me ? In *ly secundum verbum tuum*, *ly secundum* potest esse præpositio et nomen. Ibid.
- Ejus in virtutibus profectus designatur, cum dicitur : *Exsurgens abiit*, etc. I, 39.
- Promptitudo ejus in obsequium proximi. Ibidem.
- Ejus charitas superat ardua omnia, eaque facit levia : cur poscit obsequium proximi ? Ibidem.
- Tria montium culmina conscendit, videlicet Spiritus, Virtutum, et Intellectus. Ibid.
- Cur festinaverit ad salutandam Elisabeth, rationes tres. I, 40.
- Cur salutaverit Elisabeth et non Zaehariam ? I, 40.
- Quomodo expleverit partes omnes probatæ mulieris ? I, 42.
- Cur prius ipsa, quæ major, Elisabeth salutaverit ? I, 43.
- Quænam in ea perficienda restabant post Incarnationem ? I, 45.
- Cur post sextum mensem salutaverit Elisabeth ? I, 56.
- Permansit apud eam usque ad partum Joannis. Ibid.
- Idque ob quatuor causas. Ibid.
- Mansit apud eam tribus revolutionibus et mensibus lunaribus, et cur ? Ibid.
- MARIA et non Joseph Christum in templo inventum alloquitur, quod potius cedit in laudem Joseph. II, 48.
- Conservabat omnia in corde*, ut suo tempore Evangelistas et Prædicatores doceret. Ibidem.
- Quæstu vitam toleravit. IV, 22.
- MARIA Mater Dei luminare majus, Maria Magdalena luminare minus. VII, 38.
- MARIA repræsentat Ecclesiam, et Joseph cœtum Doctorum. II, 16.
- MARIÆ gratitudo. I, 46.
- Puritas. I, 49.
- Encomia. II, 16.
- B. MARIA Magdalena num fuerit peccatrix illa, Luc. VII, 37 et seq. ? Num virgo ? Num corporaliter possessa a diabolo ? ejus laudatio ? VII, 38.
- B. MARTIALIS, Lemovicensis Episcopus, fuit ille puer, quem Christus assumpsit et in paradigma humilitatis proposuit Apostolis. IX, 47.
- MATRIS erga filium amor declaratur. VII, 12.

- MATRI** redditus filius resuscitatus, peccatorem conversum Ecclesiæ restituendum et reconciliandum monet. VII, 15.
- MATRIMONIUM** est officium civile, medicina, sacramentum. I, 7.
- MATTHEUS**, alias Levi, non mercator, sed publicanus. V, 27.
- MATTHÆI** convivium quando exhibitum? Ibidem.
- Cur eum ad Apostolatam Christus assumpserit? Ibid.
- Ejus convivium, quando et quomodo licitum accedere ad tale convivium? V, 29.
- De **MATTHÆO** plura repetuntur ex quadam Glossa quam Auctor reprobat. V, 30.
- MAXILLAM** unam percutienti præbere alteram quo sensu præceptum? mystice est hæreticos convincere auctoritatibus, quarum una magis convincat quam alia. VI, 29.
- MEDICUS** est Christus, vasa ejus sacramenta. IV, 23.
- In **MEDIO** Christus versari amat. II, 46.
- MEMORIÆ** firmiter commendantur magna et rara. I, 65.
- MENS**, quid? Nominis etymologia. I, 51.
- MERITORUM** varii gradus: meremur non tantum per charitatem, sed omnibus operibus bonis et circumstantiis bonis. VI, 38.
- MESSIAS** an esset Christus cur multi dubitaverint? VII, 23.
- Se vere **MESSIAM** esse Christus aperte demonstrat? VII, 19 et seq.
- MILITUM** vitia, quæ, et in quo eorum laus consistat?
- MINISTER** Ecclesiæ est instrumentum Christi sanans infirmos anima et interdum corpore, non autem talis est hæreticus. VIII, 44.
- In **MINISTRIS** Ecclesiæ quomodo sit potestas ad sananda corpora, et quomodo hi in ea ab Apostolis differant? IX, 2.
- MIRACULA** Christi calumniantur Scribæ et Pharisæi. IV, 22.
- MIRACULORUM** gratiam Deus exhibuit gentilibus, neglectis Judæis. IV, 25 et seq.
- MIRACULA** quæ fecit Christus, quomodo sufficienter demonstraverint eum esse Messiam? VII, 23.
- MIRACULA** cur interdum fiant, interdum non, cur a malis ut a bonis? IX, 1.
- MIRACULA** sua cur Christus specialiter Apostolis memoriæ mandanda præceperit? IX, 44.
- MISERICORDIA** Dei duplex, liberans et relaxans. I, 50.
- MISERICORDIA** Dei magna, continua, multa, suavis et discreta. Ibid.
- MISERICORDIA** Dei consistit in quinque, et ea quæ? VI, 36.
- MISERICORS** Deus Pater quinque modis, et hi qui? Ibid.
- MISERICORDIAM** Dei possumus imitari, non potentiam vel sapientiam. Ibid.
- MISERICORDIA** quomodo clare pateat in Incarnatione? I, 72.

- MISERICORDIA et miseratio quomodo differant? I, 50.
- MISERICORDIS est exspectabilem esse, patientem, longanimum, præstabilem et benignum. Ibid.
- MISERICORDIA exhibetur decem modis, et hi qui? VI, 36.
- MISERICORDIA a seipso debet incipere ut sit similis misericordiæ divinæ. VI, 36.
- MISERICORDIÆ encomia. Ibid.
- MISERICORDIAM filiis exhibitam, quomodo dicat Zacharias in Cantico patribus esse præstitam? Ibid.
- In MISSA diebus profestis ad Evangelium cur uno cereo utatur Ecclesia, diebus festis duobus? I, 76.
- In MISSA Vigilæ Pentecostes cur anomale respectu aliarum vigiliarum loco *Tractus* cantetur *Alleluia*? V, 35.
- MISSA cur celebretur in nocte Nativitatis? II, 41.
- MODIUS offuscans lucernam, id est, prædicationem, est nimium studium lucri et zelotypia Judæorum sibi solis eam æmulantium. VIII, 46.
- MOLLIBUS vestiti qui proprie et mystice? VII, 25.
- MOLLIBUS defatigato uti indulgetur. IX, 45.
- MONS in quo Christus est tentatus, est in deserto inter Jerusalem et Jericho. IV, 5.
- MONS e quo Pharisæi volebant præcipitare Jesum, sinum fecit, et eum in se recepit, cujus vestigia etiamnum apparent. IV, 29.
- E MONTIS supercilio multi hodie Christum præcipitant, et sunt ii, qui dignitates Ecclesiasticas adepti, nihil de Christo curant. IV, 29.
- In MONTEM Thabor ascensus fit dupliciter, et uterque modus tres habet gradus. IX, 28.
- MORS, quid? VIII, 49.
- Cum a MORTE resuscitavit Christus filiam Archisynagogi, cur quinque testes assumpserit, et hos potius quam alios? Hæc resuscitatio figura est nostræ justificationis, cui insunt quinque repræsentata per hos quinque testes. VIII, 51.
- MORTEM cur Christus *dormitationem* appellaverit? VIII, 52.
- A MORTE melius videbimus Deum: id designat Apostolorum in monte Thabor post somnum Dei visio. IX, 32.
- MORTIS et vitæ potestatem Christus sibi inesse declarat. VII, 1.
- MORS hominis duplex. VII, 12.
- MORTUORUM trium a Christo resuscitatio quid significet? VII, 14.
- MORTUUM filium viduæ tribus verbis resuscitavit: horum explicatio mystica. Ibid.
- MORTUI conditiones physicæ et morales. Ibidem.
- MORTIFICATIO et abstinencia nisi sint propter Christum, nihil prosunt. IX, 24.
- MOYSES et Elias cum tribus Apostolis cur fuerint in monte Thabor? An vere cum suis corporibus ibi fuerint? Docent nos ascendere in montem meditationis, ibi revolvere infernalibus ad timendum, cœlestia ad desiderandum, mundana ad contemnendum. IX, 30.
- MOYSI cur distinctum tabernaculum in monte (quamvis minus recte) Petrus fieri voluerit IX, 33.

- MULIER comparative ad verum, imperfectum quid. I, 57.
- MULIERIS illiciae tres, quibus hominem perdit. VII, 37.
- MULIERUM societas et conversatio quibus et quomodo licita et quo tempore? Nota dictum S. Hieronymi ea de re. VIII, 2 et 3.
- MULIERES tres prædicantem Christum subsecutæ, nominatim expressæ totam universitatem mulierum repræsentant. Ibid.
- MULIER sanguinis fluxum patiens qualis? Num fuerit Martha? Quid mystice significet? VIII, 43.
- MULIERE hac curata, cur Christus dixerit masculinæ. *Quis est qui me tetigit?* VIII, 45.
- Unde dignoverit hæc MULIER se esse sanatam? VIII, 44.
- MUNDI acceptio quadruplex. VIII, 22.
- MUNDUS, hominis inimicus, quatuor eum mediis impugnat. I, 71.
- MYSTERIA doctrinæ Christi quomodo occulta: *Ut videntes non videant*, etc.? Et, quomodo non occulta, sed manifesta? VIII, 47.
- Duobus modis fiunt manifesta. Ibid.
- MYSTICA Theologia, quæ? VIII, 10.
- N
- NAIM civitatis laus: congruus locus miraculis Christi. VII, 41.
- NAVES duæ quas vidit Christus secus mare Galilææ, significant Ecclesiam militantem et triumphantem. V, 2.
- Item, Innocentiam et pœnitentiam. Ibid.
- Item, Vitam contemplativam et activam: item, Clerum et idiotas: item, Geminam charitatem. V, 7.
- NAVIS pœnitentiæ, ex quibus construatur? Analogia inter navem et pœnitentiam egregie declaratur. V, 2.
- NAVICULA figura Crucis. VIII, 22.
- NAVICULA Petri licet interdum periclitetur, non potest mergi. V, 7.
- In NAVICULA Christum dormientem discipuli excitant, quænam in hoc facto probanda, quæ secus? VIII, 24.
- NAZARENI et Dei nomen primus edixit diabolus. IV, 34.
- In NAZARETH cur Christus conceptus? I, 26.
- Nemo propheta acceptus est in patria sua*: rationes duæ. IV, 24.
- NOMEN dicitur quasi notamen, in quo Pythagoras ponit vitam et mortem. I, 5.
- NOMEN aliud est a natura, aliud ab impositione: posterius imponitur in prima participatione, clarificatur in deputatione, et sanctificatur quando confirmatur sine omni terrenitate. I, 49.
- NOMINIBUS septem diaboli, septem vitia capitalia exprimuntur. VIII, 2.
- Nox est quæcumque obscuritas, in qua inimicus curat negotium suum. II, 8.
- NOCTES mysticæ quatuor, singulæ habentes quatuor vigiliis mysticas. Ibid.
- NOCTE cur Christus natus? Ibid.
- Nox illa quomodo habuerit quatuor vigiliis? Ibidem.
- Nox mystica triplex, peccati, Legis veteris,

- et tribulationis, quomodo in singulis frustra laboretur? V, 5.
- NOCTE melius capiuntur pisces quam die: cur? Ibid.
- NUBES in Christi transfiguratione quid, et cur caligo dicta repræsentat Spiritum sanctum? In NUBEM illam quomodo intraverint Apostoli? Ibid.
- VOX in NUBE illa, cur, et quid significet? IX, 35.
- NUMERI duodenarii Apostolorum plures congruentiæ. VI, 13.
- O
- OBEDIENTIÆ, humilitatis et charitatis summum attingit Christus. VI, 21.
- OBEDIENDUM interdum Christo potius in fine præcepti, quam in materia præcepta. VIII, 56.
- OBLATIONIS lex in Purificatione Mariam non obligabat. II, 23.
- OBLATIONEM pauperum obtulit Maria. II, 24.
- OBLATIO divitum erant duo agni, pauperum duo turtures, aut duo pulli columbarum, et quid hæc significant? Ibid.
- OBSTINATIO aliquando sumitur in bonam partem. IX, 54.
- OCCULTA, et non occulta, sed manifesta omnibus quomodo sint mysteria doctrinæ Christi, et quomodo non sit contradictio in Scripturis? VIII, 17.
- ODIUM proprie quid? I, 71.
- ODIUM quadruplex. Ibid.
- ODIO quadruplici oderunt nos dæmones. Ibidem.
- ODIUM impedit rectum iudicium. VI, 39.
- In odio existens voluntas numquam profert fructum dulcissimæ charitatis. VI, 44.
- ODIUM est thesaurus malus. VI, 45.
- ODOR quomodo dulcis? IV, 14.
- OFFICIORUM distributio tria complectitur, et hæc quæ? IX, 2.
- OFFICIALES publici qui alios tueri debent, sæpe injusti calumniatores. III, 14.
- OMNIS status et sexus Christo nato testimonium perhibuit. II, 36.
- OMNES, aliquando distribuit pro generibus singulorum. III, 6.
- ONUS peccatorum grave, gravius, gravissimum, quæ sint? IV, 19.
- ORATIONIS triplex definitio. VI, 12.
- Sex circumstantiæ. Ibid.
- ORATIONIS tempore vacandum est ab amplexibus. I, 8.
- ORATIO transfiguratur hominem. IX, 29.
- ORATIONEM præmittit Christus ante electionem Apostolorum. VI, 12.
- ORATIONIBUS Sanctorum juvatur exsecutive prædestinatio. IV, 38.

- ORDINIS Ecclesiastici tria fundamenta, Veritas, Potestas, Operatio. IV, 14.
- Os quæ claudunt sunt sex, et quæ idem aperiant totidem. I, 64.
- OSTENDITUR aliquid tribus modis. IV, 3.
- OSTENTATIO fugienda. VIII, 56.
- P**
- PALEÆ et earum purgatio, quid ? III, 17 et seq.
- PANES propositionis, quando et quomodo licite comederit David ? VI, 3 et 4.
- PANES quinque et pisces duo, quibus Christus in deserto pavit quinque millia hominum, mystice explicantur quinque modis. Nota. IX, 13.
- PANES hordeacei et pisces arguunt frugalitatem Apostolorum. Ibid.
- PANIS, quo pascere debent Prælati, triplex : et hic quis ? Ibid.
- Non in solo PANE* cur dicatur vivere homo, quia scilicet sine verbo Dei panis non esset. IV, 4.
- PANNI quibus involutus Christus natus, quid proprie significant ? II, 7.
- PANNIS est involutus Christus, ut doceret paupertatem, humilitatem et austeritatem. Ibidem,
- PAPÆ vel Pontificis summi potestas summa explicatur et demonstratur toto capite v Lucae, et principio capitis sexti : quinque ejus singularitates et eminentiæ per quinque historias insigni et solida doctrina traduntur. V, 1 et seq.
- PAPÆ vel Pontificis summi proprietas prima. Potestas universalis per totam Ecclesiam, inchoatur. Ibid.
- Ejusdem proprietas secunda, Potestas clavium universalis, quæ est duplex : clavis scientiæ, id est, potestas discernendi inter lepram et lepram, cui annectitur jus oblata percipiendi : hanc aggreditur. V, 12.
- Tertia potestas ejusdem est clavis potestatis, quæ est potestas generalis ligandi et solvendi a peccato : initium fit. Ibid.
- Quarta proprietas, seu potestas propria est constituendi et ordinandi gradus et officia Ecclesiastica. V, 27.
- Quinta et ultima est plenissima potestas ad dispensandum. VI, 1 et seq.
- PAPA cornu unum in mitra habet : id significat monarchiam. I, 69.
- PARABOLÆ de duobus debitoribus, quorum alter denarios quingentos, alter quinquaginta, alter centum debebat cuidam fœneratori, applicatio. VII, 41 et seq.
- PARABOLARUM genera duo, et quæ ? VII, 31. Cum aliquid eminent, vel est res singularis, sive mala, non potest una PARABOLA tota declarari, sed opus est pluribus. Ibid.
- PARCIMONIA Apostolorum in victu. IX, 13. Eadem Episcopis commendatur. VI, 1.
- PARALYSIS, quotuplex ? unde oriatur ? significat incontinentiam. V, 18.
- PARALYTICI infirmitas exaggeratur a quinque, Ibidem.

- PARALYTICUM portantes sunt quatuor secundum intellectum et quatuor secundum affectum. V, 18.
- Qui eum ad Christum portarunt, quinque industrias adhibuerunt. V, 19.
- Domus in qua sanatus est, est sacra Scriptura. Ibid.
- Cur eum sanaverit Christus his verbis : *Remittuntur tibi peccata tua?* V, 20.
- Eidem cum eam sanat, præcipit quatuor, quæ explicantur moraliter. V, 24.
- PARENTES Christi commendantur a quatuor, a dolore amissionis ejus, a sollicitudine quærendi, ab industria inveniendi, a gaudio inventi. II, 48.
- Cur Christo perduto adeo fuerint solliciti? II, 45.
- Cum PARENTIBUS procedere puerum laudabile est. II, 42.
- PARENTUM amor nimius impedit perfectionem. IX, 61.
- PASCHA quomodo habuerit septem dies, quomodo octo? II, 43.
- PASSIO et propassio quomodo differant? I, 29.
- PASSIONIS Christi acerbitas. IX, 29.
- PASSIONIS mysterium prædicentem Christum cur non intellexerint discipuli, et qualis hæc ignorantia? IX, 45.
- PASSIONEM suam cur Christus appellaverit *assumptionem?* IX, 51.
- PASSIONIS; sive patiendi desiderium quantum in Christo. Ibid.
- PASTORUM locus, in quo vigilabant, describitur. II, 8.
- In PASTORIBUS, quibus Christi Nativitas annuntiat, consideranda quinque, ob quæ congruum fuit illis annuntiari. Ibid.
- Laudantur a quatuor. Ibid.
- Nota tria in iisdem, devotionem venientium, fervorem festinantium, et inventionem credentium. II, 16.
- PASTORES hos imitari decet omnes fideles, et in quibus. Ibid.
- Præter PASTORES adhuc aliis annuntiata fuit Nativitas Christi. II, 18.
- A PASTORIBUS si Maria discat, quanto magis nostrum est discere a sacerdotibus. II, 19.
- PATER dicitur proprie Deus per creationem, homo per generationem naturalem. II, 41.
- PATRIS titulum ob septem potest convenire, Ibidem.
- PATREM naturalem aut spiritualementem Christum non habuit. Ibid.
- PATIENTIA in sustinendis injuriis propriis commendatur, non autem in injuriis Dei. II, 21 et VI, 29.
- PATIENTIA injuriarum quando et respectu quorum habenda, quando autem hæc Prælati denuntiandæ? VI, 29.
- PATIENTIA et longanimitas Dei multis est occasio salutis. IX, 55.
- PATIENTIAM et longanimitatem et lenitatem inculcat Christus Prælati. Ibid.
- In PATRIA sua cur Christus miracula facere non potuerit? IV, 24.
- PAUPER spiritu secundum Augustinum quis? VI, 20.
- PAUPERTAS spiritus consistit in duobus. Ibidem.

- PRÆMIUM illius regnum Dei, quod sit istud regnum, et cur dicatur *Dei*? VI, 20.
- APOSTOLI quomodo PAUPERES, apud quos pretium sufficiens satiandis quinque millibus? IX, 43.
- PAUPERTAS Christi clare ponitur ob oculos. IX, 58.
- PAX, quid? I, 79.
- PACEM fecit Christus inter Deum et hominem, inter Angelum et hominem, inter Judæum et Gentilem. II, 1.
- Item, Inter spiritum et carnem. II, 14.
- PACEM conscientiæ, non politicam autem dat Christus. II, 1.
- PECCATO omni immunis sola B. V. Maria. I, 15.
- In PECCATO quatuor sunt, quæ solus Deus potest tollere. V, 20.
- PECCATORUM inæqualitas ex pluribus capitibus. VII, 41.
- PECCATORES ægri sunt, captivi, contriti, cæci. IV, 18 et 19.
- PECUNIÆ portatio non totaliter prohibetur prædicatoribus. IX, 13.
- PEDES animæ duo, et qui? I, 79.
- PEDES Christi misericordia et justitia. VII, 38.
- PES quinque habet ordines ossium, sive articulorum exponitur mystice in pedibus Christi. Ibid.
- PEDES variis modis exponuntur mystice. Ibidem.
- Secus PEDES Christi cur peccatrix steterit? Ibidem.
- Quid ibidem egerit? VII, 44 et seq.
- PEDES Christi sunt, qui dant eleemosynam pauperibus. Ibid.
- PERDENS animam suam quomodo salvet eam? IX, 24.
- PERFECTIONIS status late et ample describitur. III, 35 et seq.
- PERMITTENDA mala minora ad cavenda majora. VII, 37.
- PETRI socrus allegorice Synagoga, filia Ecclesia: tropologice caro spiritui contraria. IV, 38.
- PETRI navem cur Christus conscenderit? V, 3.
- PETRUS trinonimus: nominum ratio. V, 8.
- Quoties et ob quæ a Christo reprehensus? Ibidem.
- PETRI timorem Christus excutit, et insigni periphrasi explicatur illud, *Noli timere*, etc. V, 10.
- PHARISÆI, qui? III, 7.
- PHARISÆI nomen cur Christus in fine mensæ tantum nominet? VII, 40.
- PHARISÆUS, Luc. VII, 10, reprehenditur in sex. VII, 39 et seq.
- Cur in ejus domum peccatrix venerit? VII, 37.
- PHARISÆI murmurantes contra discipulos vellentes spicas die sabbati secundum Matthæum et Marcum, Christum ipsum aggrediuntur: secundum Lucam, discipulos: conciliantur. VI, 2.
- PHARISÆI et Scribæ ut plurimum res Christi calumniabantur. IV, 22.
- PHARISÆI ipso dæmone pejores. IV, 29.
- Volentes Christum e monte præcipitare, acrisia fuerunt percussi. IV, 30.
- PHARISÆI notantur non ex devotione, sed ut Christum observarent, uti et doctores Legis ad ipsum confluisse. V, 17.



- PHILIPPO soli a Joanne dicitur proposita quæstio : *Ude ememus panes*, etc. : a Luca, omnibus : apprens antilogia conciliatur. IX, 13.
- PHINEES uxor periclitata in partu et moriens significat eos, qui os claudunt a laudibus divinis, et moriuntur per dubitationem et errorem in divinis. I, 57.
- PIETAS tribus modis accipitur. III, 11.
- PILATUS dictus *Pontius* a loco devicto. III, 1.
- PINNACULUM templi, quid? IV, 9.
- PISCATORES spirituales sunt Prælati et Prædicatores. V, 2.
- PLATO abjecit aurum, ne impediret studium. VI, 24.
- PLENITUDO, quid? I, 5.  
Est triplex, sufficientiæ, abundantiæ, et exuberantiæ. I, 1.
- PLENITUDO gratiæ quotuplex, et quæ Christo propria. IV, 1.
- Ad PŒNITENTIAM veram requiruntur quatuor et quæ? III, 8.
- PŒNITENTIÆ navis mystica ex quibus constituitur, ejus cum nave analogia insin-gulariter deducta. V, 2.
- PORCI descriptio : porci mystici, qui? VIII, 32.
- Cur in PORCOS potius quam in oves, et boves permissus ingredi dæmon. VIII, 32.
- PORTÆ duæ civitatum mysticarum, quæ? VII, 12.
- PORTANTES loculum defuncti filii unici viduæ, litteraliter elementa quatuor, tropologice passiones quatuor : et quando hi stent? VII, 14.
- POTENTIA alia absoluta et perfecta, alia imperfecta, et hæc quadruplex, et quæ? I, 49.
- POTENTES et divites sæculi plus aliis expositi potestati dæmonum. VIII, 27.
- POTESTAS Christi in omnem creaturam : in corporalem. VIII, 23 et seq.  
In spiritualem. VIII, 26 et seq.  
Demonstratur POTESTAS Christi in spiritualibus. VII, 36.  
Habet item POTESTATEM vitæ et mortis. VII, 1.
- POTESTATEM Ecclesiasticam aggreditur Lucas describere. IV, 31 et 32.
- POTESTAS Ecclesiastica est in utramque creaturam, spiritualem et corporalem, quod Christus duobus docuit miraculis. Ibid. et seq.
- Ecclesiastica POTESTAS in corpus relucet in sacramento extremæ unctionis, in manuum impositione, etc. Potestas clavium exponitur a Luca. V, 12.
- POTESTAS hæc dividitur : alia est clavis scientiæ discernendi inter lepram et lepram, de qua incipit Lucas agere Ibid.  
Alia est clavis POTESTATIS, de qua incipit agere V, 17.
- POTESTAS dispensandi versatur circa tria, et hæc quæ? VI, 1.

- POTESTAS Ecclesiasticæ quis sit usus tam ex parte Prælatorum, quam ex parte subditorum. IX, 37.
- Frustratur aliquando effectum ob obicem illius erga quem operatur. Ibid. et seq.
- Non dependet a moribus. IX, 49.
- PRACTICA et speculativa scientia quomodo distinguantur? VII, 1.
- PRÆCEPTUM et mandatum quomodo differant? I, 6.
- PRÆDICATIONIS Christi beneficia quatuor. IV, 19.
- PRÆDICATIONIBUS et Prælatibus quatuor necessaria, et quæ? IV, 18.
- Ad PRÆDICATIONIS officium quomodo quis se præparare debeat exemplo Christi? IV, 16.
- Ad PRÆDICATIONEM a contemplatione procedendum. IV, 14.
- Ut conciones rectæ sint, tria habere debent significata per Christi præceptum: *Duc in altum*. V, 4.
- PRÆDICANDUM regnum Dei et non fabulæ. IV, 43.
- PRÆDICATIONIBUS incumbit retia sua, id est, sermones lavare a tribus, et hæc quæ? V, 2.
- A terra reducere pusillum*: quod explicatur tripliciter. V, 3.
- PRÆDICATIONIBUS semper salvus manet suus fructus, si recta sit intentio, etsi prædicatio in aliis fructum non faciat. IX, 6.
- PRÆDICATIONIBUS debet proportionare et accommodare materiam auditoribus suis. VIII, 1.
- PRÆDICANDUM esse verbis simplicibus et eorum simplicibus docuit Christus in præsepio. III, 2.
- PRÆDICATIONIBUS debet incipere a Scriptura veritate. III, 4.
- PRÆDICATIONIBUS non debent prædicare nisi sint missi. III, 2.
- Eos Deo gratos esse convenit. Ibid.
- Cum ad PRÆDICANDUM exeunt, oportet ut a se, a suis, a scholis et a contemplatione exeant. IX, 6.
- A Christo missos oportet ad eum reverti exemplo columbæ Noe. IX, 10.
- A PRÆDICATIONIBUS ad contemplationem redeundum, et quomodo? Ibid.
- PRÆDICATIONIBUS materia eadem Christo et Apostolis, et cur? IX, 11.
- PRÆDICANDUM prædicatori non in uno loco, sed discurrendum per varia. IV, 43.
- PRÆDICATIONIBUS et ministrorum Ecclesiæ verba externa nihil prosunt sine gratia intus operante. V, 4.
- PRÆDICATIONIBUS licet exemplo Apostolorum interdum portare pecuniam in via. IX, 13.
- PRÆDICARE *regnum Dei* potissimum Apostolorum et eorum qui Christum sequuntur scopus et finis: quidnam hæc prædicatio et quodnam id *regnum Dei*? IX, 2 et 60.
- PRÆDICARE est proprius et maxime obligatorius actus Episcoporum: probatur quatuor rationibus. VIII, 1 et IV, 43.
- PRÆDICANDI obligatio oritur ex duplici capite, ex officio et ex voto. VIII, 4.
- A PRÆDICATIONIBUS non est desistendum propter amicos carnales. VIII, 20.
- PRÆDICATIONIBUS boni quæ merces, et mali quæ pœna? VIII, 18.
- PRÆDICATIONIBUS licitum temporale subsidium a suis accipere. VIII, 2.
- PRÆDICATIONIBUS victu et vestitu debent esse contenti. VIII, 3.
- PRÆDICATIONIBUS vitia tria. IV, 22.
- PRÆDICATIONIBUS quæstarii significantur per Gabaonitas. IX, 3.
- PRÆDICATIONIBUS mali quando ab officio prohibendi? IV, 35.

- In PRÆDICANDO Christi labor indefessus, PRÆSIDES Judææ ante Pilatum quatuor. III, 1. VIII, 1 et 22.
- PRÆLATI Ecclesiastici forma exacte describitur. II, 8.
- PRÆLATIS Ecclesiasticis ascendendum est in Judæam, id est, in triplicem confessionem, peccatorum in pœnitentia, veritatis in prædicatione, laudis in gratiarum actione. II, 4.
- PRÆLATI Ecclesiastici recte fungentes munere suo, merentur ut circumfulgeat eos lux Angeli. II, 9.
- Humiles debent esse et magnanimes. V, 3.
- Eorum officium est pascere, idque tripliciter, et hic quis? IX, 13.
- Debent accedere Christum pro populo : id eos docuit accessus Apostolorum ad Christum. IX, 12.
- Sollicitos eos esse oportet de bona apud subditos fama. IX, 18.
- Eisdem informat Christus. PRÆLATI conditio prima humilitas. IX, 47 et 48.
- Declaratur exemplo pueri, cui eos similes vult esse Christus in quatuordecim conditionibus. Ibid.
- PRÆLATIS Ecclesiæ sollicitudo, et solatium rei familiaris interdicitur. IX, 62.
- PRÆLATUS in peccato existens, ineptus est ad officium correctionis. VI, 42.
- PRÆLATI cæci, id est, ignorantes valde perniciosi. Ibid.
- PRÆMIUM bonorum operum erit illis proportionatum : septem ejus conditiones : datur aliquid ultra condignum. VI, 38.
- In PRÆSEPIO Christus reclinatus ob tria. II, 7.
- PRÆTIUM redemptionis nostræ fuit pretiosum, copiosum, non refutabile, solvens damnum et recuperans pignus. I, 68.
- PRIMOGENITA quænam, et quomodo offerbantur in lege? II, 23 et 24.
- PRIMOGENITUS quare offerabatur? Ibid.
- PRIMOGENITA offerre quid significet? Primo-genita mystica duo. Ibid.
- Mariam non obligabat lex de oblatione PRIMOGENITI. Ibid.
- PRIMUM in unoquoque genere est mensura cæterorum. VI, 48.
- PRINCIPIS laus, quæ? VIII, 41.
- PRINCIPUM religionem ut plurimum sequuntur subditi. V, 3.
- PROCELLA proprie quid? VIII, 23.
- PROGENIES aliæ cœlestes, aliæ terrestres. I, 50.
- PROGENIES cœlestes tres. Ibid.
- PROGENIES terrestres quænam? Ibid.
- PROGENIES a progenie terrestres sunt, vel progenies Judæorum in progenies gentium, vel progenies patrum in filios, vel progenies justorum in peccatores. Ibid.
- Quomodo PROFECERIT Christus sapientia et gratia? II, 52.
- PROMISSUM quod est misericorditer, cum impletur, fit veritas. I, 72.

- PROPHETA quotupliciter quis dicatur? VII,  
26.
- PROPHETA proprie Christus non fuit. VII,  
16.
- PROPHETÆ quomodo fuerint Patriarchæ om-  
nes ab initio sæculi? I, 70.
- PROPHETIS quorum meminit Zacharias in  
Cantico, cur addatur epitheton *Sanctorum*.  
Ibidem.
- PROPHETISSÆ mulieres quatuor, prophetan-  
tes quatuor : singularum nomina, eorum  
interpretatio : singularum laudes pro-  
priæ, quæ? II, 36.
- PROVIDENTIA humana angustis et periculosis  
rebus adhibenda, et ei adjungendus recur-  
sus ad Deum, VII, 23 et 24.
- PUELLE resuscitatio quid significet? VIII,  
54.
- PUERI conditiones quatuordecim, quas mo-  
raliter Christus vult esse in Prælati.  
IX, 47.
- PUERUM cur juxta se posuerit Christus?  
Ibidem.
- PUERI boni et mali describuntur. VII, 32.
- PUERIS non sunt dandæ dignitates Ecclesia-  
sticæ. III, 23.
- PULVEREM pedum excutere quid sit? triplex  
explicatio. IX, 5.
- PURGATIONIS Mariæ dies mystice declaran-  
tur. Nota. II, 22.
- PURGATIONE Maria non indigebat, cur autem  
purgari voluerit, causæ quatuor. Ibid.
- PURGATIONEM Mariæ imitari debet Ecclesia,  
in qua Activi et Contemplativi, et quo-  
modo purgandi singuli? Ibid.
- Q
- QUADRAGINTA diebus cur jejunaverit Chri-  
stus, et quomodo? IV, 2.
- QUADRAGESIMALIS jejunii Christianis præcepti  
rationes plures. Ibid.
- QUÆCUMQUE *vultis ut faciant vobis homines, et  
vos facite illis*, recte explicatur VI, 31.
- QUÆRENDI Christum sollicitudo commenda-  
tur. II, 44 et 45.
- QUÆSIVERUNT Christum parentes, pastores,  
reges : singuli eum apto et sibi proportio-  
nato loco invenerunt. II, 46.
- QUÆRENTES Jesum videre sunt in duplici dif-  
ferentia. IX, 9.
- QUÆRENTES Christum inter amicos, id est, in  
commodo carnis et sanguinis, non inve-  
niunt. II, 44 et 45.
- QUÆRENDI quomodo sit veritas si velit effica-  
citer quis quærere, ex Aristotele? IX,  
9.
- QUI *fuit Heli*, ly *qui* secundum quosdam re-  
fert Joseph, secundum quosdam Christum.  
III, 23.
- QUIS *ostendit vobis fugere a ventura ira*, du-  
plicem habet sensum, primo negativum,  
secundo assertivum per interrogationem.  
III, 7.
- QUINQUE millia hominum a Christo in de-  
serto refecta, et quinquageni, in quos ea  
distributa, quid significant? IX, 14.

- qui, qui non gustabunt mortem, etc.* IX, 27.
- REGIS laus in tribus consistit, et hæc quæ? IX, 2.
- R
- RACHEL periclitata in terra promissionis, significat religiosos vel clericos propriis viribus ad superna nitentes. I, 57.
- RECTUM proprie quid? III, 4.  
Per hujus definitionem ostenditur rectitudo vitæ Christi. II, 7.
- REGERE Ecclesiam per se solum noluit Christus. IX, 16.
- REGNUM est omnis finis et boni, et legis, et ordinis distributio secundum Dionysium. I, 33.  
Unde REGNI distributio multiplex : distribuuntur enim bona, leges, ordo et gradus unicuique personæ. Ibid.  
In REGNO Christi, quomodo hæc elucescant? Ibidem.
- REGNUM Judæorum divisum Christo nato : ergo prope interitum. III, 4.
- REGNUM cur Christo potius proposuerit diabolus in secunda tentatione quam gloriam vel divitias? IV, 5 et 6.
- REGNI conservatio a tribus dependet, et hæc quæ? IX, 2.
- REGNUM Dei, quid? Ibid.  
Cur sic dictum? Ibid.
- REGNUM Dei, id est, prædicatio Christi, quid doceat? IX, 11.
- REGNUM Dei est transfiguratio vel amplitudo Ecclesiæ, quando dixit Christus : *Sunt ali-*
- REGULA Apostolorum. IX, 3 et seq.  
Miraculis a Christo persuasa et inculcata. IX, 10.
- RELIGIONEM ingrediens circumciditur in octo rebus. II, 21.
- RELIGIOSI inaniter gloriantur in eminentiis suorum fundatorum, si filii ipsi operum patrum non faciunt. V, 8.
- Quando RELIQUERINT omnia Apostoli? III, 11.
- RELIQUERUNT omnia sequentes Christum, quatuor de causis. Ibid.
- A RELINQUENDIS omnibus tria impediunt, et quæ? Ibid.
- REMISSIO injuriarum fit quatuor modis, quorum alter altero perfectior, et hi qui? VI, 37.  
Et singulis proportionatum datur præmium. VI, 38.
- REMISSIONIS injuriarum omnino liberalis fructus, et hi qui? VI, 37.
- RESPICERE proprie quid? I, 48.
- RESPICIT Deus omnes homines, sed alio et alio modo alios. Ibid.
- RESPICIT Deus primo per misericordiam, secundo per gratiam, tertio per beneplacitum, denique figit oculos. Ibid.
- Præstitit Deus hæc omnia generi humano mediante B. V. Maria. Ibid.

- RESPONDENS aliquando cur aliquis dicatur, qui de nullo est interrogatus? IX, 49.
- RESURRECTIO duplex, a culpa ad gratiam, a pœna ad gloriam. II, 34.
- In RESUSCITATIONE, qua Christus Archisy-nagogi filiam resuscitavit, cur quinque tantum testes esse voluerit, et hos potius quam alios? Hi quinque significant quinque, quæ in nostra justificatione intercedunt. VIII, 51.
- RETIA significant Ecclesiasticos, qui doctrina et exhortatione constant. V, 2.
- RETIA a retinendo dicta. Ibid.
- RETIA in plurali, id est, prædicatio et disputatio laxantur in capturam quatuor modis. V, 5.
- RETE *rumpebatur*, Luc. v, 6, quomodo non contradicat Joannes, xxi, 11: *Non est scissum rete*. V, 6.
- RETIS scissio significat defectionem Judæorum, donec gentium multitudo introeat. Ibidem.
- RETE prudenter laxatur in verbo Domini ob tria. V, 5.
- RISUS per se non est malus: ridentibus dicitur væ, quia rident de aliorum oppressione et spoliis, quia bonos habent in derisum, quia cordis vanitatem inordinatis gestibus corporis produnt, quia risus illorum brevis et mala conscientia permistus, quia Christo et Sanctis dissimiles, quia rectum ordinem pervertunt: ridentium pœna luctus et fletus. VI, 25.
- ROGANDO interdum plus impetratur a subditis quam jubendo: id probatur exemplo Christi. VI, 3.
- RUBUS quid naturaliter et mystice? VI, 44.
- RUINA et casus quomodo differant? VI, 49.
- RUINÆ Christus nec per se, nec per accidens est causa, imo nec occasio, sed tantum negative, ut sol est causa tenebrarum. II, 34.
- S
- SABBATO potissimum curavit Christus infirmos, et cur? IV, 38.
- SABBATUM *secundo primum* tripliciter dicitur. Vide notam. VI, 1.
- SABBATUM in Lege quotuplex? Ibid.
- SACERDOTIS officium quodnam? I, 8.
- SACERDOS quatuor potissimum reminisci debet. I, 5.
- Summa SACERDOTIS dignitas. Ibid.
- SACERDOTES summi. Ibid.
- Instituti a David. Ibid.
- SACERDOTIS summi introitus in sancta et exitus quid significet? I, 25.
- SACRAMENTA administranda omnibus ordinibus Ecclesiæ. IX, 15.
- Eorum administratio interdicta hæreticis, schismaticis, malis. VIII, 51.
- In SACRAMENTORUM collatione quomodo differant gentiles et hæretici? III, 9.
- SACRIFICIUM Christi non reprobabile, et cur? I, 35.

- SADDUCÆI, qui? III, 7. In quo consistat SANITAS? IV, 18.  
 SANAVIT Christus infirmos per manus impositionem, quæ significat duo. IV, 40.
- SALVARE intendens animam suam quomodo perdat eam? explicatio duplex. IX, 24. Interdum solo verbo et stans, cur stans? IV, 39.
- SALVOS vult fieri Deus omnes homines. VI, 47. SANARE *contritos corde*, æquipollet verbis *Isaiæ, Mederi contritis corde*: per Sanctorum orationes juvatur prædestinatio executive. IV, 18.
- SALUTATIO fit tribus modis, et est signum trium. I, 40. SANCTUM quidpiam dicitur quatuor modis. I, 35.
- SALUTATIO Angelica, salutationum omnium prima: explicatur egregie. I, 28. SANCTUM aliquid est tripliciter, per essentiam, per informationem, et hoc dupliciter, per motum et per donationem. Ibidem.
- Nulli similis umquam facta. Ibid. Cur Filius Virginis dicatur absolute SANCTUS ab Angelo? Ibid.
- Eam audiens Maria trium virtutum actus elicit. I, 29. SANCTITAS Christi est in omni genere causarum causa sanctitatis nostræ. Ibid.
- Modus quo SALUTATIONEM audivit. Ibid. Cur SANCTITAS hominis consistit in quatuor: ut se habeat recte in ordine ad Deum, ad proximum, in ordine ad se, quibus accedere debet perseverantia. I, 35.
- Quomodo Maria a nobis SALUTANDA? Ibid. Ad SAMARITANOS cur miserit Christus Apostolos ad petendum hospitium, a quibus sciebat id negatum iri? IX, 52.
- Quosnam Maria SALUTET? Ibid. Cur illi Christum noluerint recipere? IX, 53.
- SAMARITANIS similes multi, qui alios devotos vident: vindictam ab iis prohibuit Christus: patientia hæc et longanimitas fuit occasio salutis eorum. IX, 54 et seq. Ad SAPIENTIAM quatuor requiruntur, et quæ? II, 40 et 52.
- SANGUINIS fluxum patiens mulier, quæ et qualis, et quem mystice significet? VIII, 43. Per SARA cur Christus transierit? VI, 1.
- Unde dignoverit se esse sanatam? Cur illa sanata Christus dixerit masculine: *Quis est, qui me tetigit?* VIII, 45. SATOR seminis est Christus et Prædicator: semen verbi Dei triplex est, juxta quod ipsum triplex. VIII, 11.
- SANITAS duplex, animæ et corporis: quomodo hæc ab Apostolis collata et ministris Ecclesiæ, et inter utrosque quæ sit differentia? IX, 2. SAPOR bonus, mystice quid? IV, 14.
- SATURITATEM Dei quidam fastidiunt, quidam esuriunt, quidam saporant, quidam gustant, quidam non ad satietatem sumunt,

- quidam ea saturantur, quidam ea ad eructationem replentur. I, 57.
- SATURITAS præmium secundæ beatitudinis apud Lucam saturabit ad plenitudinem, ad delectationem et ad eructationem : impletio ejus tres habet conditiones. VI, 21.
- SATURIS dicitur væ : vide verbum GULOSI.
- SATURITAS est in plenitudinem, arctationem, oppressionem, nauseam, fœtidam eructationem et vomitum. VI, 25.
- SCANDALIZATI in Christo cur fuerint multi ? VII, 23.
- SCIENTIA speculativa et practica quomodo differant ? VII, 1.
- SCIENTIA dicitur dupliciter, generaliter et specialiter. I, 77.
- SCIENTIA specialiter dicta dividitur contra intelligentiam, et quomodo hæ duæ distinguantur ? Ibid.
- SCIENTIA duplex, Spiritus sancti et carnis, sæculi vel diaboli. Ibid.
- SCIENTIA Spiritus sancti docet practice. Ibidem.
- Ea datur humilibus, non altis, nec immun- dis. Ibid.
- In SCIENTIA experimen'tali profecit Christus. II, 52.
- SCIVIT, id est, vehementer opinatus est dia- bolus Christum esse Deum. IV, 34 et 41.
- SCRIPTURA sacra est domus, in quæ est sa- natus paralyticus. V, 19.
- S. SCRIPTURÆ sententias studio et opere vel- lere est vellere spicas cum Apostolis. VI, 1.
- SECURIS *ad radicem posita* est sententia exci- dii Jerosolymitani, vel æternæ damnatio- nis. III, 9.
- SEDES, cathedra et thronus, quomodo distin- guantur ? I, 32.
- SEDENDO cur Christus docuerit ? IV, 20.
- SEMINIS conditionibus quinque applicatæ verbo Dei. VIII, 5.
- SEMINIS in fructificando diversitas omnis ori- tur ex fundo, qui duplex, bonus et malus, hic ex triplici capite triplex. Ibid.
- SEMEN quod cecidit in terram, quæ est via trita, est verbum Dei cadens in cor vanum et deliciosum, et quomodo volucres, id est, dæmones illud comedant. Ibid.
- SEMEN cadens in terram petrosam est ver- bum Dei cadens in cor durum, quod tri- plex est, sicut et terræ petrosæ tria gene- ra. VIII, 6.
- SEMEN cadens in terram spinosam, est ver- bum Dei cadens in cor avari divitis, etc. VIII, 7.
- SEMEN quod cecidit in terram bonam, est verbum Dei, quod cecidit in cor patiens. VIII, 8.
- Horum omnium ampla declaratio : SEMINIS in terram bonam cadentis fructus centena- rius insigni et locupleti doctrina per va- rios mysticos denarios, id est, perfectiones hominis tam secundum partem apprehen- sivam, quam secundum partem appetiti- vam explicatur. Ibid.
- SEMINATUR secundum tria, quæ sunt in ver- bo, a tribus personis, id est, Prælatiis, Magistris et Religiosis : semen item est eleemosyna. VIII, 11.
- SENECTUS, quid ? Viris propria est. I, 18.



- SEPTEM vitia capitalia septem nominibus diaboli applicantur et explicantur. VIII, 2.
- Item, SEPTEM effectibus quos operabatur dæmon in lunatico. IX, 39.
- SEPTEMBRIS erant tria festa apud Judæos. I, 8.
- SEPTEMBRIS die decimo festum afflictionis, expiationis et propitiationis. Ibid.
- SEPULTURÆ officium commendatur. IX, 60.
- Id tamen ob majus bonum, et præsertim Prælati omittendum. Ibid.
- SEPULTURÆ vanitas reprehenditur. Ibid.
- SEPULTURÆ eorum qui mortui sunt, intellige spiritualiter, viri pii non debent vacare : sepelire peccatores in locis sacris indignum. Ibid.
- SEQUENTIUM Christum finis et scopus, quis ? IX, 60.
- SEQUENTIUM Christum tria genera vitiosa proponuntur : quidam hypocritæ : quidam ob officia erga amicos se excusantes : quidam rerum temporalium commoda sectantes. IX, 57.
- SEQUERE me, egregia apostrophe et enarratio Auctoris. IX, 52.
- In SEQUENDO Christum tria notanda : quem sequamur, in quo, et ad quid ? IX, 18.
- SEQUENDUS est Christus ut pastor, ut dux, ut agonotheta. IX, 23.
- SEQUI Christum suadet tribus rationibus. IX, 24.
- Idem gloriosum et tutum. IX, 23.
- SEQUENTIUM Christum raritas, difficultas et dignitas. Ibid.
- SERMONES vocatur liber Isaïæ, quia variæ sunt in eo prophetiæ. III, 4.
- SERMO quadrupliciter est in potestate alicujus. IV, 32.
- SERVUS proprie quis ? Deus pro nobis servus factus est. I, 74.
- SERVIRE Deo hominem liberum facit, dominum et regem. Ibid.
- SESSIO naturalis et mystica, quid ? Item, Quid recessio ? VII, 15.
- STELLE duodecim in corona Mariæ, quæ ? I, 27.
- STERILIS proprie quæ est ? Cur maledicta ? I, 27.
- SIGNUM Christi nati datum pastoribus est tale, cui a mundo contradicatur, quod in superbis non invenitur, quod in Dei animo bono ad vulnera nostra sananda ostenditur convenientissime in Dei Filio, quod solum datur pastoribus et eis similibus, quod ab aliis non agnoscitur. II, 12.
- SIGNA Christi nati tria in cælo, Angelus, stella et claritas divina : totidem in terra, infantilis ætas, pannositas, et stabulum : quid doceant et significant singula ? Ibidem.
- Infantis puritas consistit in duobus, in puritate innocentiae, et ploratione vagitus. Ibidem.
- Per singula hæc SIGNA Christus nos consolatur, increpat, exhortatur, consulit, et erudit. Ibid.
- In SIGNUM multis modis et multipliciter positus est Christus, et quomodo huic signo alio, et alio modo accepto, aliis et aliis modis contradicatur ? II, 34.

- SIMEON Christum in ulnas suscepit : mysterium triplex. II, 28.
- SIMEON hic commendatur a quatuor : a naturæ proprietate, ab habitatione, a nomine, et a virtute : et ab hoc ultimo quadrupliciter : ab habitu virtutis, ab inhabitatione auctoris virtutum, a revelatione spiritali auctoris, et ab actu spiritalis revelationis. II, 25 et 26.
- SIMEONIS virtutes potissimæ. Ibid.
- SIMILITUDINUM genera duo. VII, 31.
- Cum res aliqua notabiliter eminet, sive in bono, sive in malo, una SIMILITUDINE non potest declarari, sed pluribus opus est. Ibidem.
- SIMONIS Pharisæi nomen cur non expresserit Christus a principio ? VII, 40.
- SIMPLICES ut plurimum boni et devoti. VII, 29.
- Iidem Christo ut plurimum adhærentes, eum audientes, credentes, res ejus admirantes et laudantes, quæ passim calumniabantur Scribæ et Pharisæi. IV, 22.
- SITUS Christi varius quid significet ? V, 1.
- SOBRIETAS commendatur. I, 15.
- SOCIETATIS malæ quantum periculum. VIII, 23.
- SOCRUS Petri mystice quid ? IV, 38.
- Curatione ministrans monet membra, quæ iniquitati servierant, statim debere servire justitiæ. IV, 39.
- SOL mysticus Christus in die suo multos curavit, sed occidens plurimos : ejus figura Samson. IV, 40.
- SOMNUS duplex, et provenit ex duplici capite. IX, 32.
- A SOMNO duplex evigilatio. Ibid.
- SPES aliquando viva, aliquando mortua, aliquando tutans animam, aliquando vaga non tutans, aliquando ob dilationem affligens, aliquando non. II, 25.
- SPICAS vellere mystice quid ? VI, 1.
- SPINA physice quid : mystica expositio multiplex. VI, 44.
- SPINÆ quæ damna terræ inferant ? VIII, 7.
- SPIRITUS sanctus potest accipi tripliciter, pro tertia persona, pro tota Trinitate, et interdum pro Patre. IV, 18.
- SPIRITUS quomodo sit super Christum ? Ibidem.
- Cur dicatur unctio, et ejus gratiæ unguenta ? Ibidem.
- A SPIRITU sancto quomodo conceptus Christus ? I, 31.
- In instanti operatus est corpus Christi. Ibidem.
- Cur dicatur operatus conceptionem in utero ? Ibidem.
- Cur non sit pater Christi ? Ibid.
- SPIRITUS sancti condiciones propriæ duodecim operi Incarnationis convenientes, et conditio decima tertiâ communis in omnibus aliis singulariter relucet in Incarnatione. I, 35.
- Est sanctus quatuor modis. Ibid.
- Cur dicatur *digitus Dei* ? Ibid.

- Cur dicatur *supervenire*, et cur *In te*, id est, in Virginem? I, 35.
- SPIRITUS superveniens in Virginem potest intelligi vel Deus, vel tertia persona. Ibidem.
- SPIRITU sancto oportet prius impleri antequam quis prophetet vel prædicet. I, 67.
- SPIRITUS in Christo duplex: increatus, et creatus, et hic duplex, vitalis et animalis: secundum illum profecit Christus. II, 40.
- SPIRITUS sanctus septem operatur in anima: et quæ? III, 22.
- Repræsentatur per columbam ob decem proprietates. Ibid.
- Super Apostolos apparuit in specie ignis, super Christum in specie columbæ, quia ignis significat accensionem ad charitatem et peccatorum consumptionem. Ibid.
- Quomodo moveat et agat animam? IV, 1.
- A SPIRITU sancto doctrina inspirata, ab eodem demonstranda, alias caret effectu. IV, 14.
- STAGNUM, quid? stagnum Tiberiadis, Geneczareth et Galilææ idem, et unde sic dictum? V, 1.
- STAGNUM figura hujus vitæ. Ibid.
- STATUS perfectionis late et ample describitur. III, 35 et 36.
- STATUS et gradus varii in Ecclesia: singulisque a Prælati proportionate dispensandum: id significat discutitus quinque millium in deserto in varias classes distributorum Christo pascente. IX, 14 et 15.
- STUPOR, quid? IV, 32.
- Quando hominem circumdet? V, 9.
- SUBDITORUM peccata, respectu Prælatorum minus gravia. VI, 41.
- Super Joannem*: quid mysterii in *ly super*. III, 2.
- Super his mirabantur*: cur dixerit Lucas de Joseph et Maria? II, 33.
- SUPERBIA triplex: specialis, generalis et generalissima. I, 51.
- SUPERBI sicut luxuriosi et avari sunt dispersi in varia, et non sunt unius voluntatis. Ibidem.
- SUPERBORUM dispersio consistit in tribus, et hæc quæ? I, 52.
- Comparantur volucris. IX, 58.
- SURDITAS et mutitas sibi invicem connexæ. I, 62.
- SUSANNA Christum prædicantem sequens, quæ? expositio mystica. VIII, 3.
- SUSCIPITUR Christus pluribus modis, et interdum rejicitur. VII, 39.
- SUSPIRIA diversa Patrum orta ex variis causis. II, 26.
- SYMBOLICA Theologia, quæ? VIII, 10.
- SYNAGOGA quid, et quomodo distinguatur ab Ecclesia? IV, 15 et 38.
- Eam fore perpetuam sibi persuabebant Judæi ob promissiones factas Abrahæ. III, 8.

## T

- TABERNACULA** tria cur Petrus in monte fieri optaverit, et cum id non recte desideraverit, cur a Christo non sit reprehensus? cur sibi et Apostolis non petiverit distinctum tabernaculum? IX, 33.
- TABERNACULA** plura faciunt hæretici. Ibid.
- TACTUS** duplex, mathematicus et naturalis : et hi mystice quid? VIII, 45.
- TACTUS** corporis Christi passibilis sanabat, gloriosi non. VIII, 44.
- TANGITUR** Deus fide formata, viva et devota. VIII, 44.
- Noli me tangere*, cur dictum a Christo? VIII, 45.
- TEMPESTATIS** et periculi in navi suborti causa Judæ societas. Nota societatis malæ periculum. VIII, 23.
- TEMPLUM** locum suum esse dixit Christus, et quomodo? II, 49.
- TEMPLA** ab Ecclesiasticis frequentanda et ad quod opus? IV, 16.
- TEMPLORUM** finis præter alios est, ut sint loca destinata ad docendum. Ibid.
- TEMPLA** diebus festis frequentanda. Ibid.
- In **TEMPLO** sæpe tentant dæmones. IV, 33.
- TENEBRÆ** Ægypti sunt ignorantiae intelligendorum, credendorum, appetendorum, et faciendorum. I, 79.
- TENTATIONIS** Christi circumstantiæ septem ad nostram instructionem observandæ.
- TENTATUS** fuit Christus tripliciter. IV, 3.
- TENTATIONES** Christi aliter referunt Lucas et Matthæus : et quæ sit vera series? Ibidem.
- TENTAVIT** diabolus Christum exterius tantum. Ibidem.
- Prima **TENTATIO** quam fuerit industria, patet ex tribus. Ibid.
- TENTATIO** quot modis et ex quot capitibus adoriatur hominem? IX, 46.
- TENTATIO** ambitionis quomodo invaserit Apostolos? Ibid.
- TENTATIO** hæc nobis profuit et quomodo? Ibidem.
- TENTAT** diabolus sex modis ex doctrina Gregorii : item, interius et exterius. [IV, 3.
- In **TENTATIONIBUS** suis diabolus semper aliquo modo prodere se cogitur. Ibid.
- TENTATOREM** provocavit Christus : id autem nobis non consultum. IV, 1.
- TERRA** quæ semen recipit, alia bona, alia mala : hæc triplex juxta tres causas. VIII, 5.
- TERRA** quæ est via trita et conculcata, est cor vanum et deliciosum : volucres sunt dæmones, et quomodo hi semen absument? Ibid.
- TERRA** petrosa, interdum fertilis, interdum sterilis : hæc significat cor durum, et sicut sunt tres differentiæ talis terræ, ita etiam talium cordium. VIII, 6.
- TERRA** spinosa, quænam naturaliter et moraliter? VIII, 7.
- TERRÆ** bonæ qualitates, quæ physice et moraliter? VIII, 51.
- A **TERRA** pusillum reducere quid sit? explicatur tribus modis : nota. V, 3.
- TESTAMENTI** Novi minister plus lucet quam Moyses. I, 79.

- TESTIMONIA et encomia vulgi de Christo, vera quidem, sed non sufficientia. IX, 20.
- THRONUS, cathedra, sedes, quomodo distinguantur? thronus Salomonis descriptus, III Reg. x, 18 et seq., egregie applicatur Christo. I, 32.
- Sex gradus, quibus ascenditur, sunt sex modi judiciorum, quibus regnum regitur et continetur. Ibid.
- Duodecim leunculi sunt defensiones contra duodecim injurias quæ his justitiis contrariantur. Ibid.
- Duo leones habentes brachia et manus appodiatas, sunt dignitas regia et majestas malis terribilis. Ibid.
- Rotunditas THRONI significat æternitatem regni. Ibid.
- THRONUS Christi cur dicatur esse thronus Davidis? Ibid.
- TIBERIADIS, Genezareth et Galilææ mare idem. V, 1.
- TIMOR, quotuplex? et, Quot singulorum species? I, 30, 50 et 74.
- TIMOREM Petri totaliter excutit Christus: et insigni periphrasi explicatur illud: *Noli timere*. V, 10.
- TORTURA dæmonis, qua a Christo torquebatur, in quo consistebat? responsio triplex. VIII, 28.
- TRAHIT nos Deus charitate, veritate et adhæsiōe: et quomodo per hæc singula? IX, 28.
- TRANSFIGURATIO promissa cur post dies plures exhibita? Dies hi mystice quinam? Ibidem.
- Post dies octo dicit Lucas, post dies sex Matthæus et Marcus: conciliantur. Ibidem.
- Cur facta coram tribus et coram his Apostolis? Ibid.
- Quomodo in rei veritate facta? IX, 29.
- Cur Moyses et Elias fuerint advocati? An ibi vere fuerint, an in proprio corpore? IX, 30.
- Quid significet? IX, 29.
- Quid significet fulgur et albedo? Ibid.
- Docemur per hæc in montem ascendere, ibi meditari infernalibus ad timendum, cœlestia ad appetendum, mundana ad contemnendum. IX, 31.
- Qualis fuerit somnus discipulorum ibi? IX, 32.
- TRANSFIGURATIONI tres testimonium perhibent de cœlo et tres de terra. IX, 33.
- Cur illam silentio suppressere Apostolos jusserit Christus, causæ tres. IX, 36.
- Oratio TRANSFIGURAT nos mystice. IX, 29.
- Cur post TRIDUUM inveniatur Christus in templo, rationes tres. II, 46.
- TRIPUDIUM, quid? VII, 32.
- TUNICAM unicam et cur non vestem e duabus, pauperibus dandam dixerit Christus? III, 11.
- TURBA quid sit, pluribus declaratur. VIII, 45.
- TURBÆ cur vocentur ii quibus Joannes prædicat? quia videlicet ex variis et miscellaneis nationibus et sectis ad eum confluerant. III, 7.

- TURBA sequens Christum, quotuplex et quæ  
VIII, 45.
- TURATIO, quid et quotuplex? 1, 12 et 29.
- TURBATA fuit Maria ob quatuor. Ibid.
- TURBATA fuit non de sermone, sed *in sermone*, qui erat terribilis in auditu, profundus in sensu, et admirabilis in dictis. I, 29.
- TYRANNI proprie qui? I, 52.
- U
- ULNA, id est brachium: et cur sic dictum?  
II, 28.
- UMBRA est simulacrum ejus, cujus est umbra: et quantumcumque sit quod umbram facit, forma tota illius per umbram in speculo cognoscitur, si sit animatum. I, 35.
- UMBRA quinque habet, ob quæ opus Incarnationis vocatur *obumbratio*. Ibid.
- UMBRA mortis triplex: oblivio Dei, ignorantia qualitatis mortis et status post mortem, et umbra claustrum infernalis: et quomodo has umbras illuminaverit Joannes? I, 79.
- UNA epitheton et nota Ecclesiæ: in quo hæc unitas consistat? V, 3.
- UNA, id est prima, Hebraismus. V, 17.
- UNCTIO et unguenta quomodo transferantur ad Spiritum Sanctum? IV, 18.
- UNGUENTI effectus physice et moraliter. VII, 38.
- UNGUENTUM cur ad Christum attulerit peccatrix? VII, 37.
- Unguento ungebat*, cur dicatur, Luc. VII, 38? VII, 38.
- UNITAS et concordia inter quos esse debeat, et in quibus consistat? II, 15.
- USURA quotuplex? VI, 35.
- Comparatur hamo furum: USURÆ malitia exaggeratur: per usuram an transferatur dominium? Ibid.
- Arguit pro et contra. Ibid.
- V
- VANITATIS nomen quinquies pronuntiat Ecclesiastes, quia quinque sunt vana hominem a recto avocantia. I, 71.
- VENITUR ad Christum, sicut ad lumen, ad exemplum, ad remuneratorem. VI, 47.
- VENIRE post Christum, quid? requirit tria. IX, 23.
- VENENATI sunt peccatores mundi: venena variæ mundi tentationes, quas ibi recenset. III, 7.

- VENTUS altus non ita causat tempestatem, ac ille qui est in inferioribus. VIII, 23.
- VENTI quatuor mare turbantes, qui? V, 2.
- VELLE et operari recte, plus conferunt quam scire. III, 2.
- VERBUM pannis vilibus involutum et positum in præsepio monet Prædicatores, ut prædicent verbis simplicibus, et coram personis simplicibus. Ibid.
- VERBUM quomodo factum? II, 15.
- VERBUM Dei quotuplex, et quomodo sit causa omnium? IV, 4.
- VERBA contemplativa construuntur cum accusativo: verba practica desiderant infinitum, et quid mysterii subsit? I, 35.
- VERBI Dei potentia in creaturas corporales. VIII, 22 et seq.
- In creaturam spiritualem. VIII, 26 et seq.
- VERBUM est notitia cum amore secundum Augustinum. III, 2.
- VERBUM prædicandum est notitia Dei cum amore Spiritus sancti. Ibid.
- VERBUM hoc est veritatis, sanctificationis et plenitudinis Spiritus sancti. Ibid.
- Ad VERBUM Dei audiendum idonei mansueti et pauperes.
- Ad VERBUM Dei audiendum concurrentium quintuplex intentio et motivum. V, 1.
- VERBUM commissum Joanni fuit præceptum baptizandi. III, 2.
- VERBUM Domini audientes et facientes, et non facientes, quibus comparentur? VI, 47 et seq.
- VERBUM Domini in quo laxatum rete, habet tria. V,
- VERBA externa prædicatorum et ministrorum Ecclesiæ nihil prosunt sine gratia intus operante. V, 4.
- VERBUM Dei commendatur a quatuor: et hæc quæ? VIII, 1.
- Idem comparatur semini et grano, et utriusque conditiones recensentur, et applicantur. VIII, 5.
- VERBI Dei auditores in triplici differentia. VIII, 10.
- VERBUM Dei proponendi duplex modus, et cur aliquibus proponatur sub figuris et velaminibus? Ibid.
- VERBUM Dei, quod seminatur, est triplex, et in illo verbo sunt tria, posse, nosse et velle, quæ a Patre, Filio et Spiritu sancto seminantur. VIII, 11.
- VERBUM omne et non factum omne impossibile non esse apud Deum cur dixerit Angelus? I, 37.
- VERECUNDIA et continentia sorores duæ teste Beda. I, 34.
- VERECUNDIA cedit continentiae in Virgine prudenter. Ibid.
- VESTITI mollibus, proprie et mystice qui? VII, 25.
- VETUS vita a quatuor talis denominatur, et hæc quæ, et quatuor ejus radices, V, 34.
- A VETERIBUS et inolitis ad nova hominem traducere ægre fit et cum magna difficultate. Ibid.
- VETEREM Legem relinquere Judæis fuit difficillimum ob quatuor: et quæ? Ibid.
- A VETERI Lege ad novam non subito, sed pedetentim inducendus erat populus. V, 36.
- VIAM Domino præparare consistit in duobus. I, 76.
- VIAE impedimenta sunt octo: quæ et quomodo tollenda? Ibid.
- VIAM expediunt et facilem reddunt sex, et quæ? Ibid.

- In VIA natus est Christus, ob quatuor. II, 7.
- VIA quæ est paranda, est duplex : quædam omnibus fidelibus communis, quædam propria perfectis, quæ *semita* vocatur. III, 4.
- VIAM hanc parant quatuor : et hæc quæ ? Ibidem.
- VIA in deserto paranda, quia lex in deserto lata non contulit gratiam. Ibid.
- VILÆ pravæ sunt in quintuplici differentia. Ibidem.
- VIA valliculosa, montuosa, collosa, prava, aspera, quæ ? Ibid.
- Per VICARIUM servire reprehensibile est in Ecclesiastico. I, 23.
- VICINI et cognati quomodo differant ? I, 58.
- VIDERE quærentium Christum duo genera. IX, 9.
- VIDEBIMUS Deum melius a morte : id significat visio, qua Deum viderunt Apostoli in monte Thabor post somnum. IX, 32.
- VIDUÆ filius unicus mortuus ; cur Christus misertus ? VII, 13.
- Cur fleverit, causæ tres. Ibid.
- VIGILANDUM nobis est ob sex rationes. II, 8.
- In VIGILIIS defunctorum in quibusdam Ecclesiis legitur capitulum Isaïæ, LVIII, 10 : *Orietur in tenebris lux tua*, etc. I, 79.
- VINDICTÆ spiritum corripuit Christus in Apostolis, et cur ? IX, 55.
- VINDICTAM in obstinatos aliquando probavit Deus. IX, 6.
- VINUM et lautum victum discipuli Christi habuerunt interdum, sed raro. VII, 34.
- VIPERA quid et quomodo pariat, rejectis mugis, docetur recte. Viperarum filii fuerunt Judæi et Sadducæi : cur sic dicti ? III, 7.
- VIR, quis ? I, 27 et VIII, 41.
- Qualis VIRGÆ portatio Apostolis interdicta ? IX, 3.
- VIRGINITAS Mariæ excellit in quinque. I, 27.
- VIRTUS, quid proprie ? I, 35.
- VIRTUTIS definitio, et definitionis clara explicatio. I, 35.
- VIRTUTES Theologicæ tres, et earum effectus. III, 27-29.
- VIRTUTES Cardinales quatuor, et earum actus, dispositiones, qualitates, et agnata, insigni et locupleti doctrina traduntur. III, 31 et seq.
- VIRTUTIS divinæ opus est Incarnatio. I, 35.
- VIRTUTES heroicæ, quæ ? III, 36 et 37.
- VISIO triplex . corporalis, imaginaria, intellectualis. I, 22.
- ULTIMA requiritur ad prophetiam. Ibid.



- VISITATIONIS octo sunt modi et species in Scriptura late deductæ. I, 68.
- VISITATIONES has Christus exhibuit per varia beneficia in Incarnatione exhibita. Ibid.
- In VISITATIONE septem sunt consideranda, et quæ? Ibid.
- VISITATIONIS finis est triplex, et quid? Ibidem.
- VITÆ et mortis potestatem sibi inesse declarat Christus. VII, 1.
- VITULUS cur figura Lucæ? IV, 14.
- VIVERE recte consistit in quatuor: scire, velle, et operari recte, perseveranter. III, 2.
- VOCATIO Apostolorum triplex et ad tria: tertia vocatione reliquerunt omnia. V, 11.
- VOLUCRES mystice sunt diaboli: et quomodo hi comedant Dei verbum? VIII, 25.  
Item, superbi. IX, 58.
- VOLUNTAS beneplaciti in Deo est firma et immutabilis. I, 72.
- VOLUNTAS beneplaciti recte vocatur *testamentum*. Ibid.
- Vox, quid? I, 42.
- Vox Mariæ in auribus Elisabeth quid operata? Ibidem et 44.
- Ad formationem vocis quæ requirantur? III, 4.
- Vox est vehiculum verbi. Ibid.
- Vox *clamantis*: ly *clamantis* potest accipi transitive, et refert Deum, vel intransitive, et indicat fervorem devotionis. Ibid.
- Vox super Christum de cœlo facta repræsentat Patrem: ter super Christum facta, et quando? IV, 22, et IX, 35.
- Sonat in nube, tum ut designet consonantiam Patris cum Spiritu sancto, tum quod non possimus audire Patrem nisi obumbrati a Spiritu sancto. Cum hæc vox audiretur, solus erat Jesus, cur? Ibid.
- VULPES describuntur physice: applicantur omnia hypocritis et avaris. IX, 58.  
*Vulpes foveas habent, etc. Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*, quomodo non contradicat ei quod dicit Marcus, Christum habuisse cervical? IX, 58.

## Z

- ZACHARIAS quid significet? I, 5.
- ZACHARIAS et Elisabeth mystice quid significant? I, 24.
- Erat de octava vice. I, 8.
- Cur incredulus Angelo, causæ quatuor. I, 18.
- Cur punitus ob petitionem signi? I, 20.
- Ejus surditas demonstratur. I, 62.
- Mutitas et surditas fuerunt signum Joannis venturi, et una pœna ZACHARIÆ: cur? I, 20.
- Scrpsit nomen Joannis, et in pugillari, et addendo *Est*, non fuit, aut erit. I, 63.
- Joanne nato, repletus est Spiritu sancto, non quoad habitum, sed quoad actum. I, 67.
- Plus prophetavit quam Elisabeth, quid id portendat? Ibid.
- Lingua et os cur dicantur fuisse aperta? I, 64.
- Alloquitur infantem Joannem: cur? I, 76.

- ZACHARIAS occisus est, quia noluit occidere Joannem. I, 80.
- Ejus sanguis servatus in templo bulliebat, cum aliquis e familia Herodis compareret. Ibidem.
- ZELUS quid proprie ? moderandus is est, et in conditionem voluntatis divinæ resignandus. IX, 54.
- ZELUS invidiæ discipulorum Joannis contra Christum. VII, 19.



# INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,  
QUI IN COMMENTARIIS  
IN PRIMAM PARTEM LUCÆ EXPLICANTUR.

---

## EX VETERI TESTAMENTO.

---

### GENESIS.

CAP.	I, 26. <i>Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.</i>	IX, 47.
	XV, 16. <i>Generatione quarta revertentur huc.</i>	I, 27.
XVIII,	6. Abraham dixit uxori : <i>Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes.</i>	I, 35, et IX, 13.
XIX,	20. <i>Est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea : numquid non modica est, et vivet anima mea.</i>	IX, 61.
XXII,	4. <i>Die tertio, Abraham, elevatis oculis, vidit locum procul.</i>	II, 46.
XXII,	19. Abraham cum adorasset cum filio in monte, reversus est ad asinum et familiam.	IX, 6.

- XXIV, 18 et 19. *Bibe, domine mi :... quin et camelis tuis hauriam aquam.* I, 30.
- XXVII, 37. *Frumento et vino stabilivi eum.* II, 4.
- XXVIII, 12. *Jacob vidit in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cælum : Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes, per eam : et Dominum innixum scalæ, etc.* I, 32.
- XXVIII, 12. *Angeli ascendunt et descendunt in scala Jacob.* II, 15.
- XXIX et XXX. *Jacob de semine suo genuit filios benedictionis, tam per vulvas ancillarum, quam per vulvas liberarum.* IX, 50.
- XXXII, 24 et 25. *Ecce vir luctabatur cum Jacob usque mane. Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris, etc.* I, 32.
- XXXIX, 8 et 9. *Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo suo : nec quidquam est... præter te, quæ uxor ejus.* II, 14.
- XL, 16, 17. *Et ego vidi somnium, quia tria canistra farinæ haberem super caput meum : et in uno canistro quod erat excel-sius vidi, etc.* IX, 13.
- XLIX, 13. *Zabulon in littore maris habitabit, et in statione navium pertingens usque ad Sidonem.* V, 2.

## EXODI.

- IV, 25 et 26. *Tulit Sephora acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui, etc. Sponsus sanguinum tu mihi es.* VIII, 44.
- XVI, 33. *Sume vas unum, et mitte ibi Man etc.* I, 28 et II, 19.
- XXXI, 3 et 4. *Implevi eum spiritu Dei, sapientia, et intelligentia, et scientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, et argento, et ære.* I, 35.

- XXXIII, 21 et 22. *Ecce est locus apud me, et stabis supra petram : cumque transibit gloriam mea, etc.* IX, 10.
- XXXIV, 2 et 3. *Esto paratus mane, ut ascendas statim in montem Sinai.... Nullus ascendat tecum.* VIII, 10.

## NUMERORUM.

- IV, 4, 5 et seq. *Tabernaculi interiora involuta tetigerunt et viderunt filii Aaron.* VIII, 10.
- XI, 27 et seq. *Eldad et Medad prophetant in castris, scilicet qui non fuerunt egressi coram Domino. Statim Josue, filius Nun, minister Moysi, etc....Et ait Moyses : Quis tribuat ut omnis populus prophetet ?* IX, 50.
- XXV, 4. *Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel.* IX, 23.

## DEUTERONOMII.

- XXV, 15. *Pondus habebis justum et verum, et modius æqualis et verus erit tibi.* VI, 38.
- XXXIII, 16. *Benedictio illius qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph, etc.* I, 28.

## JOSUE.

- IX, 4 et seq. *Gabaonitæ in peris et utribus esculentum et poculentem portantes, filios Israel deceperunt.* IX, 3.

- XVII, 18. *Transibis ad montem, et succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia.* II, 22.

## JUDICUM.

- IX, 15. *Egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani.* VI, 44.  
 XV, 1. *Post aliquantum temporis, cum dies triticeæ messis instarent, venit Samson, invisere volens uxorem suam, et attulit ei hædum de capris.* I, 68.

## I REGUM.

- II, 19. *Tunicam parvam faciebat ei mater sua.* IX, 48.

## II REGUM.

- V, 6. *Posuerunt Jebusæi etiam claudos in defensionem.* VI, 39.  
 XXI, 6. *Dentur nobis septem viri de filiis Saul, ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul.* IX, 23.

## III REGUM.

- X, 18 et 19. *Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis. Qui habebat sex gradus : et summitas throni, etc.* I, 32.

## IV REGUM.

- II, 12. *Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus!* IX, 30.
- IV, 5. *Illi offerebant vasa, et illa infundebat.* VI, 38.
- V, 10. *Vade, et lavare septies in Jordane, et recipiet sanitatem caro tua.* IX, 1.

## TOBLÆ.

- VI, 2 et seq. *Tobiæ piscis cujus fel illuminat cæcos, et hepar abigit dæmonem.* IX, 13.

## JOB.

- III, 12. *Quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus?* VI, 26.
- XIX, 13. *Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me.* II, 44.
- XIX, 20. *Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum.* I, 28.
- XXXI, 38 et 39. *Si adversum me terra mea clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent: si fructus ejus comedi absque pecunia, etc.* IV, 16.
- XLI, 22. *Fervescere faciet quasi ollam profundum mare, et ponet quasi cum unguenta bulliunt.* VIII, 23.

## PSALMORUM.

XV, 10.	<i>Notas mihi fecisti vias vitæ : adimplebis me lætitia cum vultu tuo.</i>	IX, 2.
XVI, 8.	<i>Sub umbra alarum tuarum protege me.</i>	I, 35.
XVIII, 6.	<i>In sole posuit tabernaculum suum : et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.</i>	I, 35.
XXIII, 4.	<i>Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.</i>	V, 2.
XXV, 2.	<i>Proba me, Domine, et tenta me.</i>	IV, 1.
XXVI, 6.	<i>Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis : cantabo, et psalmum dicam Domino.</i>	IX, 6.
XXXII, 6.	<i>Verbo Domini cæli firmati sunt.</i>	V, 4.
XLIV, 11.	<i>Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam.</i>	I, 29.
L, 6.	<i>Ut justificeris in sermonibus tuis, etc.</i>	I, 27.
LVII, 10.	<i>Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viventes sic in ira absorbet eos.</i>	VI, 44.
LVIII, 15.	<i>Famem patientur ut canes : et circuibunt civitatem.</i>	VI, 21.
LIX, 4.	<i>Commovisti terram, et conturbasti eam : sana contritiones ejus, quia commota est.</i>	VII, 11.
LXVII, 16 et 17.	<i>Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis : ut quid suspicamini montes coagulatos ?</i>	IX, 28.
LXVII, 24.	<i>Lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso.</i>	IX, 6.
LXXI, 8.	<i>Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.</i>	I, 33.
LXXI, 14.	<i>Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum.</i>	I, 35.
LXXII, 23.	<i>Ut jumentum factus sum apud te.</i>	I, 59.
LXXVI, 7.	<i>Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.</i>	II, 22.



LXXVI, 19.	<i>Vox tonitrui tui in rota.</i>	I, 26.
LXXIX, 2 et 3.	<i>Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, et Manasse.</i>	IX, 28.
LXXIX, 12.	<i>Extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagine ejus.</i>	VI, 44.
LXXIX, 17.	<i>Incensa igni et suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt.</i>	VII, 14.
LXXXVI, 3 et 4.	<i>Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei ! Memor ero Rahab et Babylonis.</i>	VIII, 3.
LXXXVIII, 13 et 14.	<i>Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt : tuum brachium cum potentia.</i>	IX, 28.
XC, 6.	<i>A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu, et dæmonio meridiano.</i>	V, 2.
XC, 13.	<i>Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.</i>	IX, 2.
CIX, 3.	<i>Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum.</i>	I, 35.
CIX, 3.	<i>In splendoribus Sanctorum : ex utero ante luciferum genui te.</i>	I, 32.
CXIX, 3 et 4.	<i>Quid detur tibi, aut quid opponatur tibi ad linguam dolosam ? Sagittæ potentis acutæ.</i>	IV, 4.
CXXVI, 2.	<i>Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.</i>	I, 39.
CXXXII, 2.	<i>Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus.</i>	I, 35.
CXLVIII, 8.	<i>Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum.</i>	VIII, 23.
CXLIX, 6.	<i>Exaltationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum.</i>	IX, 2.

## PROVERBIORUM.

XXVII, 23.	<i>Diligenter agnosce vultus pecoris tui, tuosque greges considera.</i>	I, 59.
------------	---	--------

- XXX, 15 et 16. *Tria sunt insaturabilia, et quartum quod numquam dicit: Sufficit. Infernus, et os vulvæ, et terra quæ non satiatur aqua.* I, 70.

## CANTICORUM.

- I, 3. *Memores uberum tuorum super vinum. Recti diligunt te.* IX, 10.
- I, 10. *Munerulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* I, 29.
- I, 11. *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* VII, 37.
- II, 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* I, 42.
- II, 9. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* I, 44 et 48.
- III, 11. *Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate quo coronavit illum mater sua.* I, 48.
- IV, 1. *Capilli tui sicut greges caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad.* VII, 44.
- IV, 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* VIII, 2.
- V, 2. *Caput meum plenum est rore, et cincinnati mei guttis noctium.* VII, 38.
- V, 11. *Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus.* VII, 38.
- V, 14. *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* I, 48.
- VI, 12. *Revertere, revertere, Sulamitis! etc.* I, 56.
- VII, 1. *Juncturæ femorum tuorum sicut monilia.* I, 34.
- VII, 2. *Umbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis.* I, 35.
- VII, 2. *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.* I, 35.
- VII, 5. *Comæ capitis tui sicut purpura regis vineta canalibus.* VII, 38.
- VIII, 1. *Quis mihi det te fratrem meum, surgentem ubera matris mæ, etc.* VII, 38.

## SAPIENTIÆ.

- V, 1. *Stabunt justi in magna constantia, etc., et qui abstulerunt labores eorum.* VI, 33.
- V, 15. *Spes impii tamquam lanugo est quæ a vento tollitur, et tamquam spuma gracilis, etc.* I, 53.
- XII, 1 et 2. *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus ! Ideoque eos qui exerrant partibus corripi.* I, 50.
- XIV, 5. *Exiguo ligno credunt homines animas suas, et transeuntes mare per ratem liberati sunt.* V, 2.
- XVIII, 24: *Parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta.* Ibid.

## ECCLESIASTICI.

- X, 15. *Initium omnis peccati est superbia.* I, 51.
- XXIV, 18. *Quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho.* I, 49.
- XXIV, 20. *Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi odorem suavitatis.* VII, 46.
- XXIV, 21. *Quasi balsamum non mistum odor meus.* 68.
- XXXVIII, 7. *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis.* IX, 2.
- XLIII, 4. *Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans.* I, 56.

- XLIX, 17. *Joseph, qui natus est homo princeps fratrum, etc.* I, 27.  
 L, 10. *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* I, 39.

## ISALÆ.

- I, 16 et 17. *Lavamini, mundi estote : auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis : quiescite agere perverse, discite benefacere.* II, 22,  
 IV, 1. *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa.* I, 5.  
 IV, 2. *Erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis.* VIII, 8.  
 IV, 6. *Tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem et in absconsionem a turbine et a pluvia.* I, 35.  
 VI, 6 et 7. *Volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari : et tetigit os meum.* V, 4.  
 VIII, 3 et 4. *Voca nomen ejus : Acclera spolia detrahère, festina prædari : quia antequam sciat puer vocare, etc.* I, 31.  
 VIII, 15. *Offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur.* II, 34.  
 IX, 6. *Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis.* I, 32.  
 IX, 6. *Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, etc.* I, 35.  
 XI, 1. *Egredietur virga de radice Jesse.* I, 17.  
 XIV, 12 et 13. *Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris ? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes : qui dicebas in corde tuo : In cælum conscendam, etc.* IX, 47.  
 XIV, 13. *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum : sedebo in monte testamenti, etc.* I, 51.

- XV, 4. *Clamabit Hesebon et Eleale, usque Jasa audita est vox eorum.* VI, 25.
- XV, 4. *Expediti Moab ululabunt, anima ejus ululabit sibi.* VIII, 28.
- XVI, 8. *Propagines ejus relictæ sunt, transierunt mare.* VIII, 22.
- XVIII, 2. *Ite, Angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam.* I, 26.
- XXIII, 18. *Erunt mercedes Tyri sanctificatæ Domino : non condentur neque repententur, quia his qui habitaverint coram Domino erit negotiatio ejus, etc.* IX, 13.
- XXIV, 17. *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.* VI, 25.
- XXV, 6. *Faciet Dominus..... in monte hoc convivium pinguium, etc.* VIII, 25.
- XXVII, 1. *Visitabit Dominus...super Leviathan, serpentem vectem, et super Leviathan, serpentem tortuosum, et occidet cetum qui in mari est.* I, 68.
- XXX, 13 et 14. *Veniet contritio ejus. Et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida, et non invenietur de fragmentis ejus testa in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea.* IV, 18.
- XXXIV, 3 et 4. *Tabescent montes a sanguine eorum. Et tabescet omnis militia cœlorum, et complicabuntur sicut liber cœli.* VIII, 43.
- XXXV, 2. *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, et Saron.* IV, 27.
- XLI, 3. *Transibit in pace, semita in pedibus ejus non apparebit.* II, 15.
- XLIII, 2. *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te : cum ambulaveris in igne, non comburearis, et flamma non ardebit in te, etc.* II, 15.
- XLIII, 5 et 6. *Ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni : Da, etc.* I, 32.
- LI, 9. *Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini ! consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Numquid non tu percussisti superbum, etc.* I, 51.
- LV, 1. *Venite, emite absque argento et abs-*

- que ulla commutatione vinum et lac.* I, 77.
- LVI, 11. *Canes impudentissimi, nescierunt saturitatem.* I, 53.
- LVIII, 13. *Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo: et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum.* VI, 6.
- LX, 13. *Locum sanctificationis meæ, et locum pedum meorum glorificabo.* II, 4.
- LXVI, 7. *Antequam veniret partus ejus, peperit masculum.* I, 28.

## JEREMIÆ.

- XVI, 16. *Ecce ego mittam piscatores multos, etc., et venabuntur de omni monte, et de omni colle, et de cavernis petrarum.* V, 4.
- XXXI, 22. *Fœmina circumdabit virum.* I, 31.

## EZECHIELIS.

- I, 16. *Rota est in rota, vetus in novo, et non separatum ab eo.* I, 28 et IX, 33.
- XIII, 18. *Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* VI, 26.
- XLVII, 10. *Stabunt super illas piscatores, ab Engaddi usque ad Engallim siccatio sagenarum erit.* V, 10.

## DANIELIS.

- V, 4. *Bibebant vinum, et laudabant deos suos aureos, etc.* VI, 25.
- VII, 2. *Quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.* V, 2.

## OSEE.

- II, 21 et 22. *Exaudiam cælos : et illi exaudient terram. Et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum, et hæc exaudient Jezrahel.* VIII, 5.
- IV, 8. *Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum, scilicet pro frumento tribulus, et pro hordeo spina.* IV, 16.
- IV, 17 et 18. *Particeps idolorum Ephraim : dimitte eum. Separatum est convivium eorum.* I, 53.
- XI, 4. *In funiculis Adam traham eos.* I, 26.

## JOEL.

- I, 4. *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo.* II, 8.

## AMOS.

- IV, 12 et 13. *Præparare in occursum Dei tui, Israel. Quia ecce formans montes, et creans ventum, etc.* I, 36.

## MICHÆÆ.


- III, 3. *Qui comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt, etc.* III, 14.

## HABACUC.

- III, 15. *Viam fecisti in mari equis tuis.* VIII, 26.

## ZACHARIÆ.

- I, 8. *Ecce vir... stabat inter myrteta, quæ erant in profundo.* I, 35.





## EX NOVO TESTAMENTO.

## MATTHÆI.

CAP.	XIII, 27. <i>Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania, etc.</i>	III, 14.
	XIII, 33. <i>Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit, etc.</i>	I, 35.
	XVI, 18. <i>Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.</i>	VI, 48.

## AD ROMANOS

	IV, 18. <i>Contra spem in spem credit.</i>	I, 7.
	XII, 2. <i>Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.</i>	I, 39.

## I AD CORINTHIOS.

	XV, 24. <i>Cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, etc.</i>	I, 32.
--	--	--------

## AD EPHESIOS.

- III, 18. *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum, etc.* I, 32.

## APOCALYPSIS.

- VI, 6. *Bilibris tritici denario.* VI, 38.  
 VIII, 13. *Væ, vœ, vœ habitantibus in terra.* I, 28.  
 XII, 1. *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus, etc.* I, 27 et IX, 29.

